S. THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI O. P.

IN LIBRUM
BEATI DIONYSII DE DIVINIS NOMINIBUS
EXPOSITIO

cura et studio
fr. Ceslai Pera o. p.
cum introductione historica Sac. Petri Caramello
et synthesi doctrinali Prof. Caroli Mazzantini

BX
1749
.T47
1950
v. 33

GRAD
PHIL.
Special
Collec.

MARIETTI

TAURINI 1950 ROMAE

93574

Nihil obstat :

fr. MARCOLINUS M. DAFFARA, o. p.
Studiorum Regens.

fr. THOMAS R. FERRARIS, o. p.
Doctor Juris Civ. et S. Theol. lector.

Imprimi potest:

fr. RAPHAËL TAVANO, o. p.
Provincialis.

Aug. Taurinorum die 11 maji 1950.

Viso: nihil obstat.

Taurini, 23 maii 1950.

Sac. ALOISIUS CARNINO *Censor.*

Imprimatur.

C. A. COCCOLO *Vic. Gen.*

Copyright (1950) Marietti Editori Ltd. - *Printed in Italy.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (I-VI-50)

DOHERTY LIBRARY
UNIVERSITY OF ST. THOMAS

†

FRATRI REGINALDO GIULIANI O. P.

DIVINAE PULCHRITUDINIS CANTORI

APUD MAI-BELÈS (TEMBIEN) OCCISO

DIE 21 JANUARII 1936.

†

FRATRI JOSEPHO GIROTTI O. P.

SACRAE SCRIPTURAE DILIGENTI EXPOSITORI

IN CAPTIVITATE DACHAU OCCISO

DIE 1 APRILIS 1945.

†

FRATRI THEODORICO BERGER O. P.

DIONYSIUM BASILII DISCIPULUM

PERAMANTER INTELLIGENTI

IN PARTIBUS TRANSMARINIS DEFUNCTO

APUD S. PETRUM APOSTOLUM (GALATAE)

DIE 14 IANUARII 1947.

AMICITIAE ET GRATITUDINIS

IN SIGNUM ET PIGNUS

DICATUM

†

CONFITEOR...

Fratribus et amicis prementibus et cogentibus, ad bravium LXIV^ae lectionis utcumque perveni.

Verba Dionysii in cap. XIII (454-455) et Angelici Doctoris in fine lectionis (1008) quae sentio manifestant et mea sunto.

Post haec, mihi officium est lectori benevolo « confiteor » dicere tum ut originem et methodum in opere perficiendo, tum ut defectus et menda aptius cognoscere et lacunam rei doctrinalis et historicae explere valeat.

* Abhinc quadraginta annis, quaestionum primae partis Summae Theologiae de Deo uno et trino, altero cursus theologici anno (1908-1909), studio incumbens, mihi videbar prae manibus papyra signis hieroglyphicis referta tenere.

Quae de duplici sapientia sanctus Doctor scribit (S. Th. I, 1, 6, ad 3) ex paucissimis captui meo proportionatis recolenda sunt. Illinc occasio legendi hujus expositionis lectionem quartam capituli secundi et, percurrendo quae praecedunt, lectionem secundam capituli primi.

Utrobique duo collegi: *quae referuntur ad modos quibus Hierotheus suam doctrinam acquisivit* (190-192); *quae vitae spiritualis summarium continent* (48-51). Hoc solatium meum in deserto theologico.

Missionis causa, Hebdomi Constantinopoleos degens, anno 1919 quemdam, inter cultiores byzantinarum rerum doctores, audivi qui duos praecipue auctores orientalium praeclarissimos S. Thomae praecursores vocabat: S. Joannem Damascenum et Dionysium, Areopagitam per antonomasiam appellatum.

Inde patriae remeans oras, rursus in conventu Cheriensi assignatus, ne feriarum tempus inutiliter tererem ad primum amorem cor apposui et anno 1927 expositionem hanc transcripsi et numeris ordinavi ad privatum usum ut facilius piam et eruditam explanationem, juxta titulum veteris editionis taurinensis, legere et meditari possem.

Tunc de fontibus platonicis doctrinae S. Thomae ulterius cogitare coepi, sed difficultatibus undequaque irruentibus opus fere desperatum mihi videbatur.

Feria V^a majoris hebdomadae a. 1928, post solemnem Dominicae Cenae celebrationem, frater et amicus p. Theodoricus Berger leniter subridens, mentem suam mihi notam fecit: « *ausculta, tibi dicam quid de Dionysio, abhinc multis annis cogito, quia discipulum Basilii Magni in schola pontica Annesi auctorem istum considero* ».

Plurimae inde quaestiones examinatae, discussiones productae, interpretationes pro-

positae, de factis et doctrinis inquisitiones multae, quae, tempus ab occupationibus ministerii, Curiae officiis et vitae necessitatibus liberum insumentes, animum reficiebant. Ut› meliori modo quo possem, mentem Dionysii intelligerem, integrum *Corpus Dionysianum* graece exaratum transcripsi, lexicon concinnavi, versiones « mysticae theologiae » et « ecclesiasticae hierarchiae » complevi: hoc meum solatium inter exitialis belli innumera pericula.

Paulatim factum est ut reculas quas collegeram, non ex acumine ingenii, sed ex geruli patientia, ut quidam benevole dixit, nonnullis cognoscere cupientibus, aliquos articulos redigere coactus sim; postea et Mysticam Theologiam Dionysii ephemeris quaedam publici iuris facere voluit in versione italica notis et postillis ditata. Quando vero de octo postillis edendis agebatur, operam perficere renuit quia de rebus nullius utilitatis pro lectoribus et nullius valoris pro doctoribus tractatur.

Consensi ut pauper christianus consentire solet, rebus in asperis, aerumnosae vitae conditionibus, at ad usum privatum operam non intermisi, quia servitium veritatis et sacrae doctrinae studium assiduum nundinalia negligunt et idola tribus et fori contemnunt. Difficultates huiusmodi publicationum non ignorans multa patienter sustinui, eo vel magis quod, cum omnino alienus sim a simultatibus, scientiae mandarinorum decreta hilariter susceperam.

Quando igitur de hac Angelici Doctoris expositione in librum de divinis Nominibus edenda actum fuit, diutius renisus sum, donec amicorum consiliis et hortamentis cedere et parere officium mihi visum est, quia LXIV lectiones ad manus habere curae pretium est.

* Hac ratione motus, quae a proposito deterrebant morositates evanuerunt simulque de methodo expositionis parandae cogitans, tria occurrerunt principia: *sub respectu philologico*, textum dionysianum meliori quo possem modo intelligibilem et mundum reddere; *sub respectu doctrinali*, valorem textus et expositionis reverenter notare; *sub respectu historico*, quae occurrebant humiliter proponere.

Quoad textum Dionysii multum utilitatis mihi attulit quae in ephemeride « Bessarione » (1907-1908) publici iuris fecit G. Turturro: *il Trattato περὶ θείων ὀνομάτων dello ps. Areopagita nei Mss. Laurenziani - Contributo a una futura edizione critica.*

Septem distinctis capitulis clarissimus auctor tractat: 1° *de operum editionibus;* 2° *de operum manuscriptis;* 3° *de manuscriptis Florentiae servatis;* 4° *de relationibus inter Mss. laurentianos;* 5° *variae lectiones enumerantur;* 6° *quaenam duarum traditionum manuscriptarum maioris sit pretii;* 7° *cap. I de Divinis Nominibus ex laurentianis codicibus ponitur.*

Paucis exceptis, in textu perpoliendo vel in lectionibus eligendis vel in correctionibus faciendis, Turturro, quem optimum magistrum inveni, iam quando prima vice in partibus transmarinis eius articula avide perlegi, nunc sequor.

Quoad versionem et expositionem editionem taurinensem veterem prae oculis habui: « *Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in librum beati Dionysii de Divinis Nominibus pia et erudita explanatio Theologiae sacraeque Scripturae studiosis utilissima...* Augustae Taurinorum, apud haeredes Nicolai Beuilaquae 1581 ». Inde, data occasione, omnia diligenter contuli cum expositione quae invenitur Tomo VIII° edit. Opp. S. Thomae, Venetiis 1747, necnon inter *Opuscula Theologica* (edit. P. Mandonnet) t. II, Parisiis 1927.

In perpolienda versione latina, optimum et efficax auxilium fuisset editio illa quam D. Chevallier, collaborantibus RR. PP. Flinois, Bellot, Taillefer, Gsell, Cocherel, Ricaud, Albert Schmitt, publici iuris fecit: « *Dionysiaca*, recueil donnant l'ensemble des traductions latines des ouvrages attribuées au Denys de l'Aréopage et synopse marquant la valeur des

citations presque innombrables allant seules depuis trop longtemps, remises enfin dans leur contexte au moyen d'une nomenclature d'un usage rendu très facile » t. I, Paris (1937).

Mihi pluribus ex causis impossibile fuit vel a longe hanc editionem videre et memini quibus anxietatibus actus carissimus frater Ioseph Girotti omnia movebat ut tanto opere quaesito me grata admiratione afficeret, sed omnia incassum tunc ob belli nequitiam, nunc ob paupertatis arctationes et maxime tanti viri acerbissima morte.

Inde supplevi per accuratiorem textus graeci examen ut iis observationibus quoad textum videre est, ubi praeter ea quae Turturro suggerit, aliis auctoribus usus sum:

a) Edit. Florentina, « in aedibus Philippi Juntae bibliopolae, anno salutifere incarnationis MDXVI... »; S. Dionysii Areopagitae...

b) Translatio nova Ambrosii Florentini, philosophi rethoris et theologi luculentissimi, Abbatisque generalis ordinis camaldulensis, [A. Traversari † 1439], *Venetiis ad signum spei* 1546.

c) D. Dionysii Areopagitae Opera... quae omnia nunc primum a Joachino Perionio Benedictino Cormoeriaceno, Henrici Gallorum Regis interprete conversa sunt, Coloniae apud haeredes Arnoldi Birckmanni MDLVII.

d) Oeuvres complètes du Pseudo-Denys l'Aréopagite, traduction, préface et notes par Maurice de Gandillac, chargé de maîtrise de Conférences à l'Université de Lille et à l'Ecole des Hautes Etudes. Aubier, éditions Montaigne, Paris (1943).

Haud parum utilitatis forsan duo alii auctores mihi fuissent: A. Feder S. I., *Das Aquinaten Kommentar zu Pseudo-Dionysius « de Divinis Nominibus ». Ein Beitrag zur Arbeitsmethode des hl. Thomas,* in ephemeride *Scholastik* I (1926) pag. 321-351; I. Stiglmayr S. I. qui germanicam versionem diligentissime curavit *de divinis Nominibus* Monaci 1933. At eisdem rationibus quas supra memoravi, iis uti omnino impossibile fuit.

Prae manibus habui et opus I. Durantel, *Saint Thomas et le Pseudo-Denys,* Paris 1919, sed pro indole et methodo quibus ductus sum in huius expositionis editione curanda, mihi fere inutile fuit.

Defectus et mendae quae absque dubio invenies, erudite lector, ex conditionibus, in quibus et inquisitiones peractae sunt et opus compositum est, explicantur, ne dicam iustificantur. Suppleant peritiores qui ditiores et doctiores plura possunt. Tantum omnes deprecor ut intelligenter veritatem quaerentes quae desunt suppleant et inepto gerulo parcentes, defectus corrigant et omnia in melius perficiant, ne tam pulchra opera Dionysii et Thomae oblivioni tradantur, sed veritas quam docent et manifestant, clarius et efficacius in dies elucescat.

De coetero, semper memini ordinationis capituli Ananiensis a. 1265: « fr. Thomae de Aquino iniungimus *in remissionem omnium peccatorum* quod teneat studium Romae » (Masetti, *Monumenta* I, Romae 1864, pag. 186). Eadem beneficia sperare mihi fas esto, qui has lectiones peramanter curavi.

* *Quae ad occidentales pertinent,* amici fidelissimi necnon clarissimi viri illustrare desiderantes, unusquisque pro parte sua aliqua subnectere statuit, sive quoad versiones et expositiones textus sive quoad momentum in historia doctrinae.

Rev.mo D. Petro Caramello sacrae Theologiae professori in Seminario Archiepiscopali taurinensi et clar.mo D. Carolo Mazzantini Historiae Philosophiae professori in Universitate ianuensi, sincero corde et exultanti, plurimas gratias ago propter pretiosissimae amicitiae testimonium ut, qui semper mihi animos suffecerunt, simul gaudeant de veritate quaesita in dulcedine societatis.

CONFITEOR

Plurima certissime sunt quae adhuc desiderantur in huiusce expositionis vel textus editione: alicui forsan absona omnino videbuntur quae ramenta congessi; alteri inepte tutulata expositio Angelici Doctoris manifestabitur. Omnes tamen qui difficultates huiusmodi operum haud ignorant et huiuscemodi labores pluris facere sciunt, benignioribus cogitationibus delectabuntur, editori D. Marietti grati animi sensus manifestantes, qui expositionem hanc, accuratissime ut solet, typis mandavit, haud immemor taurinensium traditionum.

fr. Ceslaus Pera o. p.

Dabam Augustae Taurinorum
in conventu S. P. Dominici
die 28 *mensis aprilis* 1949
in festo S. Ludovici Mariae Grignion a Monfort.

De fortuna operum Dionysii Areopagitae apud Occidentales usque ad expositionem S. Thomae in librum de Divinis Nominibus

1. — Postquam S. Gregorius M. († 604) Corpus Dionysianum commemoravit [1]) et S. Martinus I in Conc. Lateranensi a. 649 eius auctoritatem attulit [2]), Dionysii fama atque existimatio magis ac magis in Occidente aucta est.

Sed Dionysii opera primum et directe in notitiam apud Occidentales venerunt medio fere saeculo VIII vergente.

Secundum interpretationem, quam W. Gundlach et C. Rodenberg proponebant, cuiusdam textus Codicis Carolingii, qui in manu scripto 449 Bibl. Nat. Vindobonensis asservatur, circa a. 758 SS. P. Paulus I Pipino Brevi, Francorum regi, libros quosdam graeco eloquio scriptos direxisset, inter quos *artem grammaticam* Aristotelis et « Dionysii Ariopagitis *geometriam, orthografiam, grammaticam* » [3]). Hoc autem, ut patet, probari non potest, cum huiusmodi opera in CD nullimode contineantur. Praeferenda igitur videtur interpretatio, quam proponebant qui primi illum textum ediderant (Cenni, Bouquet, Prantl, De Rossi, Jaffé, Traube), quorum freti auctoritate concludere possumus Paulum I circa a. 758 revera Pipino *quaedam Dionysii opera graece conscripta* direxisse. Quomodo opera illa inscriberentur, non dicitur; sed ex illis procul dubio CD ex toto vel ex parte componebatur. Vix tamen credi potest ut quis in aula Pipini ea legere utcumque calluerit.

Verum quidem est, iuxta I. Mabillonium [4]), Hadrianum papam (771-795) libros Dionysii graece scriptos Fulrado abbati dono dedisse [5]). Sed antiquiora monumenta de hoc silent [6]).

Et ideo ut iterum sermo fieri audiatur de operibus Dionysii, quinquaginta circiter annos exspectandum est, usque dum scilicet ab Oriente ea opera iterum dirigantur.

Etenim a. 827, mense septembri, legati imperatoris Michaelis Balbi Compendium

---

[1]) Hom. 34 in Evang.: ML 76, 254. S. Gregorius, aliquot annis (576-586) Constantinopoli commoratus, scriptores graeco-christianos praestantissimos plane cognoverat, eosque magni faciebat. Vide S. GREGORIO MAGNO. *Lettere scelte*, a cura del P. C. Pera O. P., Torino 1948, Preliminare secondo, pp. 24-28.

[2]) Vide J. STIGLMAYR, *Das aufkommen der Ps. Dionysius Schriften und ihr Eindringen in die christliche Literatur bis zum Laterankonzil* 649, Feldkirch 1895. — Cfr. *Anastasii bibl. ad Carolum Calvum literas de Ioanne Scoto, opp. S. Dionysii interprete:* ML 129, 740.

[3]) *Monumenta Germaniae historica, Epist.*, t. III, Berlin 1829, p. 529; p. 730, col. 3.

[4]) *Annales Ordinis S. Benedicti*, Lucae 1739, t. II, l. XXXI, n. XLII, p. 536.

[5]) Vide R. CEILLIER, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, t. XII, p. 387.

[6]) Vide J. DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du XII siècle*, Paris 1914, pp. 70-71.

(Compiègne) venerunt ad Ludovicum Pium, regem Francorum, eique munus obtulerunt opera Dionysii. Quod quidem, nempe *opera Dionysii* regi Francorum donata esse, satis dubie colligitur e *Vita Ludovici Pii* [1]), sicut et ex *Annalibus regiis* [2]). Sed *Rescriptum Hilduini Abbatis ad serenissimum imperatorem Ludovicum* [3]), a. circiter 835 datum, expresse testatur

a) opera Dionysii, graeca lingua conscripta, Ludovico imperatori a legatis Michaelis tradita esse;

b) hanc donationem Compendii mense septembri a. 827 peractam fuisse;

c) codicem manu scriptum opera dionysiana continentem in vigilia Titularis solemnitatis (die 8 octobris a. 827) ad monasterium Sancti Dionysii, cui sicut abbas Hilduinus ipse praeerat, allatum fuisse; ibique sequenti nocte decem et novem nominatissimas virtutes in aegrotorum sanatione peregisse.

Grave admodum est hoc testimonium, cuius auctoritas difficillime reiceretur.

Posteriores Annales nil novi addunt; neque notam prae se ferunt maioris certitudinis ac *Regii* sive *Laurissienses*, a quibus dependent.

Codex manu scriptus, opera Dionysii continens, die 8 octobris a. 827 in scriniis monasterii Sandionysiani depositus, quique in Bibl. Nat. Parisiensi adhuc asservatur [4]), in totam aevi medii theologiam late influet.

2. — Iam inde ab exordiis saec. IX amanuenses opera Dionysii transscribere incipiunt: novem saltem illorum exemplaria in occidentalibus bibliothecis adhuc exstant, quae P. Théry diligenter perscrutatus est [5]). Sed reapse Auctores medii aevi opera Dionysii cognoverunt de graeco in latinum conversa. Quaeritur ergo quisnam ille fuerit qui primus CD in latinam linguam transtulerit. Exstabatne, ante vulgatam Scoti versionem, CD alia versio?

Affirmative respondendum est. Hilduinus ipse, abbas S. Dionysii, qui « pro magno munere » libros Dionysii susceperat, de graeco in latinum eosdem convertit inter annos 825 et 835 aut verius inter 832 et 835. Quod colligitur ex litteris « *Quantum muneris* » Ludovici Pii [6]), ex rescripto « *Exsultavit cor meum* » Hilduini [7]) et ex Passione S. Dionysii « *Post beatam ac salutiferam* » ab eodem Hilduino lucubratam [8]).

Haec porro versio Hilduini integra ad nos usque pervenit sine auctoris nomine vulgata, haud dubie tamen authentica. Etenim examen litterarium ac lexicographicum huius versionis, cuius excerpta leguntur in Passione « *Post beatam ac salutiferam* », efficit ut opus Hilduini agnoscere debeamus in manu scriptis 903 (756-757) R. Bibl. Bruxellensis, 15645 Bibl. Nat. Parisiensis, 27 (32) Bibl. comunalis Gesoriacensis (Boulogne-sur-Mer) [9]).

[1]) *Recueil des Historiens des Gaules*, t. VI, p. 108; vide *M. G. H., Script.*, t. II, p. 631.

[2]) Qui et *Annales Laurissienses maiores* aliter audiunt. Ed. F. KURZE, in *Scriptores rerum germanicarum in usum scholarum*, Hannoverae 1895, p. 174; vide *Recueil des Historiens des Gaules*, t. VI, p. 188 D; *M. G. H., Script.*, t. I, p. 216.

[3]) Vide SURIUM, *Acta Sanctorum*, 1574, t. V, pp. 635-640; ML 106, 16 BC; *M. G. H., Epist.*, t. V, p. 330.

[4]) M. H. OMONT, *Manuscrit des oeuvres de S. Denys l'Aréopagite envoyé de Constantinople à Louis le Débonnaire en 827*, in *Rev. des Etudes grecques*, t. XVII (1904, mai-juin), pp. 230-236. Sed vide G. THÉRY O. P., *Etudes dionysiennes*, I: *Hilduin, traducteur de Denys*, Paris 1932, pp. 63-64.

[5]) *Recherches pour une édition grecque historique du Pseudo-Denys*, in *New Scholasticism*, vol. III, n. 4°, oct. 1929, pp. 353-425.

[6]) *M. G. H., Epist.*, t. V, pp. 326-327; ML 106, 1326-1328.

[7]) *M. G. H., Epist.*, t. V, pp. 388-395; ML 106, 13-22.

[8]) ML 106, 23-50; *Bibliotheca agiographica latina*, Bruxelles 1898, p. 329, n. 2175. — Vide G. THÉRY O. P., *Etudes dionysiennes*, I: *Hilduin, trad. de D.*, Paris 1932, pp. 11-22.

[9]) Vide G. THÉRY, *op. cit.*, pp. 23-62.

Sed est et alia conclusio maximi momenti. Hilduinus suam lucubravit versionem ex textu Dionysii, quem exhibebat codex graecus manu scriptus in Galliam a. 827 allatus et in scriniis monasterii Sandionysiani die 8 octobris eiusdem anni depositus. Hoc Hilduinus ipse testatur [1]). Porro *codex ille*, ut iam dixi, *idem est ac is qui sub n.* 437 *exstat hodie in archivo codicum graecorum Bibl. Nat. Par.;* versio enim CD ab Hilduino elaborata huius codicis Parisiensis peculiares refert lectiones, errores, omissiones [2]).

Etiam Scotus Eriugena ex eodem codice CD in latinum sermonem vertet. Ipse enim uno tantum utetur codice manu scripto [3]). Scimus autem codicem in scriniis monasterii Sandionysiani depositum nunquam transscriptum fuisse; neque unquam, prout censet P. Théry, toto aevo medio vertente transscriptum iri [4]). Ceterum codices anastasiani, scholiis instructi, anno 860 nondum apparuerant.

Conclusio pro certa habenda est.

3. — Iam igitur quaeri potest quomodo Hilduinus textum intellexerit, quem prae oculis habebat, quibusque ductus principiis versionem suam lucubraverit. Nam quicumque opus aliquod interpretari aggreditur, primum illud *legat*, dein in aliam linguam proprie *vertat*, tum demum versionem elaboratam *transscribat* oportet. Haec triplex operatio: lectio scilicet, versio proprie dicta et transscriptio uni et eidem auctori generatim tribuenda est. Sed cum de prima CD latina agitur interpretatione, res aliter se habet: non omnium enim, quibus scatet, mendorum *prava lectio* rationem reddit; quaedam ex illis tum ex *prava auditione*, tum ex *haud recta transscriptione* potius derivari videntur. Unde sat probabiliter coniicere possumus tres viros primae CD latinae interpretationi adlaboravisse: unum, qui textum graecum clara voce *legebat;* alium, qui textum graecum, prout audiebat, in latinam linguam *vertebat;* tertium, qui versionem a collega clara voce propositam scriptis mandabat. Iamque patet primum in legendo, alium in audiendo, tertium in scribendo errare potuisse [5]).

Prima igitur CD latina versio non est opus proprium Hilduini abbatis [6]), licet eius auctoritate et auspiciis perfecta proptereaque sub eius nomine vulgata sit.

4. — Hic tandem videndum est quamnam CD antiquissima latina versio fortunam habuerit. Ea, ut iam scimus, Hilduinus ipse in Passione « *Post beatam* » usus est. Sed eam praeterea Hincmarus Rhemensis et quae media aetate edita sunt CD latinae versiones et commentaria, usurpaverunt.

Hinchmarus enim († 882), Hilduini discipulus, Dionysium in latina versione, magistri auctoritate elaborata procul dubio cognovit [7]). Quinquies enim Hincmarus in suo libro *De praedestinatione* verba profert Dionysii [8]) ac semper iuxta versionem Hilduini;

[1]) *M. G. H., Epist.*, t. V, p. 330, 1 et sq.

[2]) Vide G. THÉRY, *op. cit.*, pp. 63-100.

[3]) Cfr. ML 122, 1032 C.

[4]) Vide G. THÉRY, *op. cit.*, p. 69 et *Recherches pour une édition grecque historique du Pseudo-Denys*, in *New Scholasticism*, vol. III, n. 4°, oct. 1929, p. 367.

[5]) Vide G. THÉRY, *op. cit.*, pp. 100-142.

[6]) Prout Ludovicus ipse Hilduino scribebat: « ... ac tuo sagaci studio *interpretumque* labore », *M. G. H., Epist.*, t. V, p. 326. Vide G. THÉRY, *op. cit.*, p. 15, 134.

[7]) Iam quaestio de citationibus Dionysii quae in opere Hincmari *De praedestinatione* occurrunt a Traube instituta fuerat (*M. G. H., Poet. lat.*, t. III, fasc. II, Berlin 1896, p. 521), qui Hincmarum versione Scoti Eriugenae usum fuisse autumabat. Verum postquam versio Hilduini reperta est, opinio a Traube proposita, quae ceteroquin difficultatibus non carebat, derelinquenda videtur.

[8]) Vide ML 125, 313 B (HC 15), 226 BC (HE 2), 443 AB (HE 2), 287 A (HE 3), 313 B (HE 3), 225 B (DN 3), 225 B (*Epist. VIII, Demophilo monacho*).

immo quae in versione Hilduini omnino peculiaria apparent, prout ab *Areopagiticis* Hilduini ipsius exhibentur, eadem in opere Hincmari invenimus [1]).

Quod vero spectat ad CD latinas versiones et commentaria, quae media aetate prodierunt, non raro in ipsis, auctoris nomine reticito, generales considerationes nobis occurrunt, quas in *Areopagiticis* suis de Dionysianis operibus Hilduinus proponebat; unde iterum nobis concludere licet versionem Hilduini aevo medio sat vulgatam fuisse, nec tantum locis monasterio Sandionysiano, temporibusque IX saeculo proximis [2]).

5. — Toto aevo medio durante, Scotus Eriugena uti primus Dionysii interpres plerumque habitus est; ipse enim Dionysii operibus de facto viam aperuit in Occidentis scholas, quae inde abunde irrigatae fuerunt [3]).

Scotus Eriugena, qui ad scholam palatinam regendam a Carolo Calvo Francorum rege iam ante a. 847 vocatus fuerat, ipso rege petente [4]), annis 860-862 [5]) Dionysii libros *de Hierarchia caelesti, de Hierarchia ecclesiastica, de Theologia mystica, de Divinis Nominibus* necnon *epistolas decem* in latinum sermonem vertit et quidem, ut iam diximus, ex eodem codice ex quo 30 circiter annos antea Hilduinus versionem suam elaboraverat [6]).

Hic porro quaerendum venit utrum Scotus versionem Hilduini cognoverit eamque, graecum Dionysii textum interpretando, prae oculis habuerit. Ipse quidem de hoc silet. At iisdem fere annis Hincmarus Dionysii locos in opere suo *De praedestinatione* e versione Hilduini afferebat; neque a priori versionem Hilduini a Scoto ignoratam fuisse probabile videtur, dum e contra Eriugenae Parisiis degenti non solum a monachis Sandionysianis codicem CD traditum, verum etiam versionem auctoritate celebris abbatis monasterii illius lucubratam, ut eam conferret, exhibitam esse, veri similius censendum est.

Ceterum, utriusque versionis comparativo examine instituto, recta efficitur Scotum versionem Hilduini prae oculis habuisse eamque graeci textus ope perficere studuisse [7]). Hilduinus viam Scoto paraverat, qui non tam recto, accurato, intelligibilique scribendi modo uteretur, nisi abbas S. Dionysii rem ipsi expediisset.

Sed facile fieri poterat ut quis *obscuram minusque apertam interpretationis* eius *seriem* iudicaret [8]). Et ideo Scotus ipse opera Dionysii exponenda suscepit. At qui apud ML [122] leguntur *in Dionysium Commentarii* dubiae sunt authenticitatis, quod iam Thomas Gale opinabatur [9]) et hodie pro certo habendum est [10]). Utrum adhuc existat authenticus Eriugenae in Dionysium Commentarius ignoramus [11]).

[1]) Vide G. Théry, *op. cit.*, pp. 143-155.
[2]) Vide G. Théry, *op. cit.*, pp. 155-162.
[3]) Cfr. H. Hurter S. J., *Nomenclator litterarius*, t. I, ed. 3a, Oeniponte 1903, n. 432, col. 792.
[4]) Cfr. ML 122, 1031 C.
[5]) Vide J. De Ghellinck, *Littérature latine au moyen-âge*, Paris 1939, t. I, p. 111.
[6]) Cfr. ML 122, 1031 D. — Versio Scoti legitur apud ML 122, 1030-1154; item apud Dionysii Carthusiani *Opera*, t. XVI, Tornaci 1902.
[7]) Vide G. Théry, *op. cit.*, pp. 162-167.
[8]) Cfr. ML 122, 1032 C.
[9]) In praefatione editionis cui titulus Ioannis Scoti Eriugenae *De Divisione naturae*, Oxonii 1681, quae legitur apud ML 122, 87-100. Vide *ib.* 98 C, 99 C. Inde corrigendus J. Durantel, qui haec habet (*Saint Thomas et le Pseudo-Denis*, Paris 1919, p. 56): « Il est bien d'ajouter que Thomas *Gallo* (ego sublineo), dans sa préface du *De Divisione Naturae* de Scot, laisse planer un léger soupçon sur l'authenticité des commentaires du Scot sur Denis ».
[10]) Prout habetur ex conclusionibus ad quas pervenit A. Brilliantoff in suo opere de fontibus philosophicis et theologicis Ioann. Scoti Eriugenae. Vide G. Théry, *op. cit.*, p. 157; J. Vernet, art. *Erigène* in *Dict. de Théol. Cath.*, t. V, col. 404; U. Gamba, *Commenti latini al « De Mystica Theologia » del Pseudo-Dionigi Areopagita fino al Grossatesta*, in *Aevum*, vol. XVI (1942), pp. 257-258.
[11]) Vide A. De Hales, *Summa theologica*, t. IV: *Liber tertius* (prolegomena), Ad Claras Aquas 1948, Sectio II, § 2, cap. 1, n. VI, p. XC.

Severius iudicium de Ioanne Scoto, operum Dionysii interprete, Anastasius, R. Ecclesiae bibliothecarius, protulit. Iuxta ipsum, Scotus nimio studio verbum e verbo elicere procuravit, *unde factum est ut tantum virum* [Dionysium scil.]... *intra cuiusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodammodo collocaret, et quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum* [1]).

Porro, cum cogitaret Anastasius quomodo Dionysius, qui *iam per interpretis industriam* latinae *linguae fuerat traditus, nostris quoque patulus redderetur perfectius intellectibus; ecce* — ipse nobis enarrat [2]) — *repente paratheses sive scholia in eum* (*quae Constantinopoli positus videram*) *ad manus venere, quibus utcumque interpretatis, mihi aliquantulum magis emicuit, quae videlicet in marginibus interpretati codicis eius, ut in Graeco reperi, mox interpretata utcumque* (*donec a docto melius interpretarentur*) *respondentibus signis interpres ego satis imperitus apposui... Ipsorum autem scholiorum sive paratheseon quaecunque in calce sui signum vivificae crucis habent, a beato Maximo confessore et monacho inventa narrantur; cetera vero Ioannis Scythopolitani episcopi esse feruntur. Sane ubi a verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi, ut lector quid de apposita dictione interpres senserit, quid scholion insinuet indifficulter agnoscat, et verba interpretis scholio inserui, et qualiter ea scholii compositor praetulerit, innui. Sed et, sicubi opportunum fore conspexi, ex me quoque* (*quoniam esse aliter non potuit*) *paucissima quaedam, et quae facilius ab intelligente agnosci poterant, interposui.*

Anastasius igitur novam CD versionem non elaboravit; sed versionem Scoti glossis adiectis tantummodo perpolivit, aliis quidem *inter lineas* positis (*paucissima quaedam... interposui*), ad exponenda verbis latino fonte deductis quaedam ex graeco nihil fere conversa (ut ecce: « symbolice », « anagogia »,...); aliis vero positis *ad margines*, quae scholia B. Maximi confessoris et monachi et Ioannis Scythopolitani in latinam linguam ab ipso conversa (*mox interpretata*) continebant [3]).

6. — Anastasio praetermisso, novum ecce interpretem Dionysii in Ioanne Sarraceno invenimus, qui, ut scribit Dionysius Carthusianus, ita cognominatus est, non *quod de lege* fuerit *Sarracenorum, utpote Mahumeti — immo fuit doctor catholicus multum eximius —: sed forsan ratione territorii aut nationis vel mansionis* [4]). Sarracenus iste, qui Abbas S. Andreae Vercellensis ordinis Canonicorum Regularium dicitur [5]), CD versionem adornavit postulante Odone de Diogilo (de Deuil), abbate S. Dionysii prope Parisios [6]), medio circiter saeculo XII, ut conicit Io. Fr. B. De Rubeis [7]), vel, pressius, annis 1168-1169, ut opinatur *Hist. litt. de la France* [8]), aut 1167, ut P. Théry pro certo habet [9]).

[1]) *Anastasii ad Carolum Calvum literae de Ioanne Scoto:* ML 129, 740 A. — Hae literae datae sunt *X Kal. April., Indictione VIII* (= die 23 martii a. 875).
[2]) *Ibid.:* ML 129, 740 A - 740 C.
[3]) Cfr. U. Gamba, *art. cit.*, p. 257.
[4]) *S. Dionysii opp.*, ed. Dionysius a Rikel, carth., Coloniae 1156, CH, c. 1, exp. text. primae p. cap., art. 5, p. 8b.
[5]) Cfr. Io. Fr. B. De Rubeis, *Dissertationes criticae*, Diss. VIII, c. 3, n. 3, apud *S. Th. Aq. opp. omnia*, ed. leon., t. I, Romae 1882, p. CXXXV.
[6]) Cfr. Id., *ib.*, Diss. V, c. 4, n. 1, ed. leon., t. I, p. CIX.
[7]) Loc. cit. supra, n. (37).
[8]) T. XIV, Paris 1817, pp. 191-194.
[9]) Vide art. *Existe-t-il un commentaire de J. Sarrazin sur la « Hierarchie céleste » du Pseudo-Denys?* in *Rev. des sc. phil. et théol.*, XI, 1922, p. 72. — In ed. Coloniensi a. 1556 latina versio operum Dionysii a Sarraceno adornata prostat a f. 757 ad 840; legitur etiam apud Dionysium Carth., *Opp.*, t. XVI, Tornaci 1902. « Libros *de Caelesti*, deque *Ecclesiastica Hierarchia*, latio redditos, *Magistro Ioanni de Saresberiis*, eximio gentis Anglicae et saeculi sui viro, nuncupat Sarracenus; librumque *de Divinis Nominibus*, caeterosque, *Odoni s. Dionysii reverendo Abbati* ». Io. Fr. B. De Rubeis, *Dissert. criticae*, Diss. VIII, c. 3, n. 3, ed. leon., t. I, p. CXXXV.

Sarraceni duae nobis epistolae supersunt, a. 1167 datae, ad Magistrum Ioannem de Sarraberia (de Salisbury), episcopum Carnotensem († 1180), a quo magno in honore ac veneratione habebatur [1]). In altera dicit a se librum *de Caelesti Hierarchia* translatum esse; fatetur *elegantias* se *dictionum eruditissimi ac disertissimi viri oratione latina exprimere nequivisse;* difficultates, quae sibi in translatione peragenda occurrerant, exponit; Saresberiensem rogat ut translationem suam cum translatione Scoti comparet et concludit: « quod si forte commodius illo visus fuero transtulisse, ut librum quoque *de Ecclesiastica Hierarchia* transferam, poteris impetrare » [3]). In altera annuntiat etiam *Ecclesiasticam Hierarchiam*, ipso Saresberiensi postulante, a se translatam esse; subicitque eundem modum transferendi in hac *Hierarchia*, qui in *Caelesti*, a se observatum esse, *hoc excepto quod latinas dictiones multas pro una graeca positas non ubique* coniunxit, *et alicubi sensum potius quam verba* sit *secutus* [3]). Ex quibus epistolis, sicut etiam ex prologis quos unicuique CD libro praemittit [4]), indoles Sarraceni eiusque translationis aliquatenus nobis innotescit.

Sed non tantum CD Sarracenus in latinum vertit. Ipsi etiam debemus *Hierarchiae Caelestis* commentarium. Nihil enim obstat quominus ipsi tribuatur *Hierarchiae Caelestis Commentarium* quod incipit *Inter Scriptores*, quique Mss. 786 Bibliothecae Maz. et 18061 Bibliothecae Nat. Parisiensis exhibetur [5]). Ita censet M. Grabmann [6]) cum P. Théry, qui insuper opinatur expositionem *Caelestis Hierarchiae* non paucis annis antequam ab eodem CD verteretur, a Sarraceno perfectam esse [7]).

7. — Postea memorandus nobis occurrit Hugo a S. Victore, S. Victoris Parisiensis celeber canonicus et « scholae Victorinorum » decus ac lumen († 1141) [8]). Ipsi tribuitur expositio quaedam *Mysticae Theologiae*, quae in pluribus codicibus manuscriptis legitur [9]). Ea vero expositio locis componitur e libris *De divisione naturae* Ioannis Scoti, e commentariis eiusdem super *Hierarchiam Caelestem* necnon e *Scholiis* S. Maximi excerptis et in unum redactis [10]), qui ad litteram textui dionysiano interponuntur, ubicumque aliquid obscurum declarandum aut quaestio philosophica vel theologica appareat enodanda; quique a proposita oratione nonnunquam discedere videntur, licet causam semper habeant in illa [11]). Hoc autem *Mysticae Theologiae* commentarium, Hugoni falso adiudicatum, aliquot annis post mortem ipsius compositum esse videtur [12]).

[1]) Cfr. IOANN. SARESB. *Epistolas: Epist.* 169, *ad Mag. Ioann. Sarracenum* (A. D. 1166): ML 199, 162 B.

[2]) *Epist. Ioann. Sarraceni ad Mag. Ioann. de Saresberia*, inter *epist.* Ioann. Saresb. sub n. 149: ML 199, 143 C - 144 B.

[3]) *Epist. Ioann. Sarraceni ad Mag. Ioann. de Saresberia*, inter *epist.* Ioann. Saresb. sub n. 230: ML 199, 259 D - 260 A.

[4]) In edit. Coloniensi a. 1556, pag. 758, 776, 798, 829.

[5]) Initium huiusce Commentarii « *Inter Scriptores* » lege, si vis, apud M. GRABMANN, *Mittelalterliches Geistesleben*, B. I., München 1936, XIV, III, p. 459.

[6]) *Op. cit., ibid.*, pag. 457-460.

[7]) Vide G. THÉRY O. P., *Existe-t-il un commentaire de J. Sarrazin sur la « Hierarchie céleste » du Pseudo-Denys?* in *Rev. des sciences phil. et théol.*, XI, 1922, pp. 72-81.

[8]) Vide H. HURTER S. J., *Nomenclator literarius*, t. IV, Oeniponte 1899, n. 25, col. 57-62; I. VERNET, *Hugues de Saint-Victor* in *Dict. de Théol. Cath.* VII, 240-308.

[9]) Vide U. GAMBA, *art. cit.*, p. 261 sq.

[10]) Vide G. THÉRY O. P., *Catalogue des manuscrits dionysiens des Bibliothèques d'Autriche* in *Arch. d'hist. doctr. et litt. du moyen-âge*, vol. X, p. 195, et U. GAMBA, *art. cit.*, p. 263.

[11]) U. GAMBA, *ibid.* Hic tamen auctor, licet hypothesin P. Théry libenter accipiat, negat se invenisse in Expositione Scoti super Caelestem Hierarchiam, quae legitur apud ML 122, 126-266, locos qui ex ipsa iuxta eundem P. Théry excerpti fuissent.

[12]) Vide U. GAMBA, *art. cit.*, p. 264-265.

Hugoni vero tribuendi sunt *Commentariorum in Hierarchiam Caelestem S. Dionysii Areopagitae secundum interpretationem Ioannis Scoti ad Ludovicum, Regem Francorum, Filium Ludovici Grossi, libri decem*, qui leguntur apud ML 175, 923 -1154. S. Th., qui dicta Hugonis magni faciebat [1]), horum commentariorum auctoritatem aliquoties inducit [2]).

8. — Dionysium decimo tertio saeculo multo studio prosecutus est *Thomas Gallus*, qui vitam religiosam in canonia S. Victoris et ipse professus, annis 1224-1226 prior, annis vero 1226-1243 abbas fuit S. Andreae Vercellensis (unde et *Vercellensis* dicitur). Durante munere abbatiali theologiam mysticam docuit [3]), eiusque famae celebritas adeo perlata est, ut ad eum audiendum S. Antonium de Padua († 1231) et Adam de Marisco (de Marsh) († 1258) inter alios attraxerit [4]). Obiit Eporediae a. 1246.

Vercellensis noster a. 1224 scripsit *Glossas in Caelestem Hierarchiam* et 1232 *in Theologiam Mysticam* [5]); anno vero 1238 suam complevit *Extractionem* e libris *magni Dionysii* [6]). Postea Dionysii opera ampliori expositione adornare aggressus est et annis 1241-1244 *Explanationes* edidit (hoc ordine) *Mysticae Theologiae* necnon librorum *de Divinis Nominibus, de Caelesti Hierarchia* deque *Ecclesiastica Hierarchia* [7]).

Extractio aliud non est nisi paraphrasis operum Dionysii: non transtulit Vercellensis verbum ex verbo, *sed sensum ex sensu cum interpositione interdum paucarum dictionum pro*

[1]) Cfr. II-II, q. 5, a. 1, ad 1.

[2]) Cfr. *De Ver.* q. 13, a. 3, 6 s c; q. 22, a. 11, 5 s c; *De spir. creat.* a. 1, 4 s c. — S. Th., I *Sent.*, dist. 8, q. 1, a. 3, 2 a, haec habet: *dicitur enim bonum a boare quod est vocare, ut Commentator dicit super librum De Div. Nom.*, c. 4. Secundum J. DURANTEL, *op. cit.*, p. 57, nota 6, *Commentator* ille esset Hugo. Sed, ut ex iis quae diximus patet, non constat librum *de Div. Nom.* ab Hugone expositum fuisse. Remanet igitur quaestio: quisnam sit Commentator ille? Ceterum, ad auctoritatem ipsam quod attinet, eam legimus, saltem aequivalenter, etiam apud alios. Audiamus, v. gr. Robertum Lincolniensem, qui haec habet: « *Kalon* per unum *l* scriptum derivatur a *Kallos* scriptum per duo *l*, quod est *pulcritudo* (sic), et secundum hanc derivationem bene transfertur *Kalon*, per unum *l* scriptum, in *pulcrum* (sic). Aliter vero derivatur *Kalon* a *Kalω*, quod est *voco*, et secundum hoc bene transfertur in *bonum*, quia bonum suapte natura vocat in sui appetitum » (*Comment. in de Div. Nom.*, c. 1: Flor. Laurent. S. Crucis Plut. XIII Dext. 3, f. 42 r, apud E. FRANCESCHINI, *Roberto Grossatesta, vescovo di Lincoln, e le sue traduzioni latine* in *Atti del R. Ist. Veneto di Scienze, Lettere ed Arti* — anno accad. 1933-1934 —, t. XCIII, P. 2ª, pp. 106-107).

Audiamus praeterea S. Albertum, qui, super illud Dionysii (*de Div. Nom.* c. 4, § 7: MG 3, 701C): ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν (ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται), scribit: « Pulchritudo rapit omnia ad desiderium sui: unde et pulchrum apud Graecos dicitur καλος, quod est vocans; et nota quod in hoc fuit deceptus alius translator [quisnam est ille?]. *Kallos* enim per duo *l* scriptum significat pulchrum apud Graecos; per unum vero, ibi (= in textu Dionysii, hoc loco), significat bonum: et ideo semper transtulit bonum pro pulchro, et ideo in parte ista alia translatio [?] est tota vitiosa » (Ex loco *Commentarii* S. Alberti in l. *de Div. Nom.*, inter supposititia S. Th. vulgato. S. TH. AQ. *Opuscula omnia*, curante P. Mandonnet O. P., t. V, Parisiis 1927, p. 426. Vide infra, notam 1), p. XXI.

Facile intelligitur quomodo latini interpretes etymologiam illius vocis, quae est « bonum », a se determinari posse putaverint: « bonum » a « boare », sicut καλλος a καλοῦν! Quoad etymologiam a Dionysio indicatam cfr. PLATONIS *Cratyl.* XXIX, 416.

[3]) Cuius veluti *Summam*, prout dicit M. Grabmann (*Die Geschichte der scholastichen Methode*, Freiburg 1911, II, 110), in *Expositione Canticorum* fecit. Nunc P. Théry probavit non unum, sed tria *Canticorum* commentaria Vercellensem scripsisse [*Chronologie des oeuvres de Thomas Gallus abbé de Verceil* in *Divus Thomas* (Plac.), 37 (1934), pp. 469-492]. Vide U. GAMBA, *art. cit.*, p. 267.

[4]) Vide M. GRABMANN, *Mittelalterliches Geisterleben*, B. I, München 1936, XIV, III, p. 460; G. THÉRY, O. P., *S. Antoine de Padoue et Thomas Gallus* in *La vie spir.* XXXVII, 2 (nov. 1933), pp. [94-115]; 3 (déc. 1933), pp. [163-178]; ID., *L'éloge de saint Antoine de Padoue par Thomas Gallus: signification réelle du temoignage de Thomas Gallus* in *La vie spir.* XXXVIII, 1 (jan. 1934), pp. [22-51].

[5]) Cfr. P. GLORIEUX (*Thomas Gallus* in D. Th. C., XV, 774), qui renuntiat glossas illas nonnisi in quibusdam codd. mss. hodie reperiri posse.

[6]) *Extractio* edita fuit, una cum operibus Dionysii, Argentorati a. 1502; Coloniae, a. 1536; Tornaci, a. 1902, t. XVI. Cfr. P. GLORIEUX, *ib.*

[7]) Cfr. P. GLORIEUX, *ibid.*; U. GAMBA, *art. cit.*, p. 267.

meliori intellectu legentium [1]). Quid autem ipse sibi proposuerit in hoc opere conficiendo ex eius prologo patet: *Quum in libris magni Dionysii Areopagitae geminam experirer difficultatem unam stili, alteram sententiae: ne tam pretiosos thesauros sapientiae duplex spelunca sepeliret, studui quadam compendiosa extractione sensum quem in ipsis libris (quibus vigiliis! quo labore!) per annos viginti conceperam, stilo communi exprimere, prout sententia videbatur permittere, aliqua interserens dilucidationis gratia, non valde prolixa.*

Porro ad exhauriendam sententiae profunditatem, postillas pro parte tractavi (vita comite diligentius completurus, ipso adspirante qui revelat profunda de tenebris) utcumque novae translationis [scil. Ioannis Sarraceni] *principaliter innitens. Utrum autem haec opuscula supervacua sint, an utilia, discernere poterit qui eadem cum textu librorum istorum et explanationibus eorundem, sivi Anastasii ad regem Carolum, sive aliis* [leg. *aliorum*], *diligenter contulerit; quamvis arbitrer huius doctrinae, et maxime Mysticae theologiae medullas, mortalium neminem audiendo, legendo, studendo, percipere nisi intus doceatur ab unctione* [2]). *Nemo autem rideat donec perlegerit: quia ex omnium istorum librorum collatione sciet singulorum intelligentiam. In quibus omnibus per totum fulgent sapientiae radii, de utroque Testamento per Apostolum (nisi fallor) evulsi, sicut apparet per totam seriem. Coniunctim itaque semper legantur purus textus librorum et ista extractio*[3]).

E dictionibus, quas interserit « dilucidationis gratia, non valde prolixis », percipere nobis datur Vercellensis intentionem falsa consectaria praecavendi quae quis e sententiis dionysianis perperam intellectis deducere possit, studium quo altissimas theologiae quaestiones prosequitur, sed et mysticam doctrinam, quae licet quendam sapiat antiintellectualismum, male tamen antiintellectualistica simpliciter diceretur [4]).

Explanatio amplius opus est quam Extractio: est nempe CD commentarium, quod Thomas eo fine perfecit ut aptius et commodius quasdam mysticae theologiae theses evolveret. Hic scilicet Vercellensis sententiam ipse suam ingeniumque manifestat; eiusque antiintellectualismus clarescit magis [5]).

Tamen *Explanationes* librorum Dionysii non eandem habuere fortunam atque paraphrases sive *Extractiones*, quae ad textum Dionysii facilius penetrandum magnum suppeditabant adiumentum; adeo ut post XV saec. *Explanationum* memoria exciderit, *Extractiones* vero pluries excusae fuerint [6]).

9. — Iisdem fere annis ac Vercellensis omni studio incubuit ad opera Dionysii perscrutanda Robertus cognomento Capito vel Grossum Caput - vulgo Grossatesta [7]) - (c. 1175-

[1]) Vide U. GAMBA, *art. cit.*, p. 268.

[2]) Cfr. 1 *Io.* 2, 27.

[3]) Apud DION. CARTH. *Opp.*, t. XVI, Tornaci 1902, p. 29. Cfr. G. THÉRY, O. P., *Les oeuvres dionysiennes de Thomas Gallus* in *La vie spir.* XXXI, 3 (juin 1932), p. [148 sq.].

[4]) Cfr. G. THÉRY, O. P., *Les oeuvres dion. de Th. G.* (*suite*) in *La vie spir.* XXXII, 1-2 (juill.-août 1932), p. [43].

[5]) Vide G. THÉRY, O. P., *Les oeuvres dion. de Th. G.* in *La vie spir.* XXXIII, 3 (déc. 1933), pp. [129-154]; P. GLORIEUX, *loc. cit.*, XV, 776.

[6]) Cfr. U. GAMBA, *art. cit.*, p. 268. P. Théry edidit Explanationem Mysticae Theologiae: THOMAS GALLUS, *Grand commentaire sur la Théologie mystique édité pour la première fois*, Paris 1934. — Circa influxum doctrinae mysticae, quam Vercellensis elaboraverat sive in libris super *Dionysium* sive in commentariis super *Cantica* et super *Isaiam* sive in tractatibus *De septem gradibus contemplationis* et *Spectacula contemplationis*, tum — per S. Antonium Patavinum — in scholam franciscanam, tum in alios scriptores XIII^{ii} et XIV^{i} saec. (inter quos memorandus est Hugo de Balma, carthusianus, cui restituendus est tractatus *de Mystica theologia* seu *de triplici via*, alias inter opp. S. Bonaventurae editus) et praesertim XV^{i} (vide E. VANSTEENBERGHE, *Autour de la docte ignorance. Une controverse sur la théologie mystique au XV siècle* apud C. BAEUMKER, *Beiträge...*, t. XIV, Münster 1915), cfr. P. GLORIEUX, *loc. cit.*, XV, 777.

[7]) De quo cognomento vide S. PEGGE, *The life of Robert Grosseteste*, London 1793, pp. 1, 292;

1253), Universitatis Oxoniensis cancellarius et, post annum 1235, Lincolniensis episcopus, qui Adam de Marisco (de quo n. praec.) amicis et Rogerium Baconem (c. 1224-1294) discipulis annumerabat, quique multa de omni fere disciplina scripsit, multa ex hebraico et praesertim ex graeco in latinum convertit atque conversa adnotationibus commentariisque adornavit [1]).

De qua re plura, licet dubia quandoque fide, nobis tradidit R. Baco, iuxta quem Lincolniensis virtutibus peritissimo interprete dignis prae ceteris enituit [2]). Lincolniensis igitur, Bacone testante, in omni scientia multum volutatus, ultimis tantum vitae suae temporibus graecis ita doctus fuit, ut libros in latinum transferre calleret [3]); in translationibus autem perficiendis multos, ex Italia praesertim, in Angliam arcessitos coadiutores adhibuit [4]); et graecos codices, e quibus nonnullos ad rem grammaticam pertinentes, ex Graecia necnon ex Italia sibi comparavit [5]).

Sententia inter criticos hodie communis tenet dionysiaca omnia a Roberto in latinum translata esse; translationes vero omnium quidem, praeterquam *epistolarum*, commentariis ab eodem, quod cuilibet vel parum attendenti manifestum fit, adornatas [6]). Porro in praefationibus, quas singulis operibus anteponit, methodum suam suamque interpretandi rationem Lincolniensis aperit et quomodo praeexistentibus translationibus, Scoti scilicet, Sarraceni et forsan aliorum, utatur; quas non tantum in utraque Hierarchia sed etiam in libris *de Divinis Nominibus* et *de Mystica Theologia* convertendis adhibuisse procul dubio censendum est [7]), prout iam G. Cave dicebat [8]), Lincolniensis ipsius cohaerenter testimoniis, qui de *aliis* translatoribus *aliisque* translationibus loquitur [9]).

Quidam codices, praeter translationem et expositionem Roberti, glossas, marginibus positas, exhibent, variae longitudinis, hac notatione distinctas: *ex graeco*. Agitur de Scholiis S. Maximi [10]), ab ipso Roberto in latinum conversis. Illa enim in quibusdam graecis codicibus una cum Dionysii textu Lincolniensis repererat; illa igitur in latinum una simul convertit, quamvis a quo exarata essent nesciret [11]). Perspexerat sane Robertus non parum illis dionysiani textus intelligentiam iuvari; idcirco ex illis et ipse multa congessit tum de

H. R. LUARD, *Roberti Grosseteste episcopi quondam Lincolniensis Epistolae*, Londini 1861, p. XXXI; F. S. STEVENSON, *Robert Grosseteste, Bishof of Lincoln*, London 1899, pp. 3-4; L. BAUR, *Die philosophischen Werke des Robert Grosseteste Bischofs von Lincoln*, Münster i. W. 1912 in *Beiträge zur Geschder Phil. des Mittelalt.*, B. IX, p. 1*.

[1]) Vide E. FRANCESCHINI, *Roberto Grossatesta, vescovo di Lincoln, e le sue traduzioni latine* in *Atti del R. Ist. Veneto di Scienze, Lettere ed Arti* (anno accad. 1933-34), t. XCIII, P. 2ª, pp. (8)-(9).

[2]) Prae ceteris: inter quos Guilelmus de Moerbeke († 1286 c.). Locos ubi R. Baco loquitur de historia translationum aristotelicarum temporis sui collegit M. GRABMANN, *Forschungen über die lateinischen Aristotelesübersetzungen der XIII Jahrunderts* in *Beitr. zur G. der Ph. des M.*, XVII, 5-6 (1916), pp. 56-73. Vide E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, pp. (9)-(10).

[3]) Verum, ad hoc quod attinet, Baco secum ipse non cohaeret. E. FRANCESCHINI, *ibid.*, p. (12)-(13), tenet Robertum probabiliter inde a iuventute graece didicisse.

[4]) Hoc tamen non obstat quominus Lincolniensis translationes ipsi tanquam opus proprium tribui possint. E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, p. (16)-(17).

[5]) E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, pp. (18)-(20).

[6]) Cfr. T. HOG, *Nicholai Triveti Annales sex Regum Angliae*, Londini 1845, p. 242; J. S. BREWER, *Fr. Rogeri Bacon Opera quaedam hactenus inedita*, London 1859, p. 474; M. GRABMANN, *Mittelalterliches Geistesleben*, B. I, München 1936, pp. 461-466; E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, pp. (26)-(30).

[7]) Contra id quod sentit L. BAUR, *op. cit.*, p. 40*, et post ipsum UEBERWEG-GEYER, *Grundriss der G. d. Phil.*, t. II, 11ª ed., Berlin 1928, p. 371. Vide E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, p. (31).

[8]) *Script. Eccl. Hist. Litt.*, Basileae 1745, t. II, p. 275: *In omnia Dionysii opera, exceptis epistolis, commentatus est Robertus, versionemque eorum latinam ex omnibus interpretibus simul collectis consar. cinavit.*

[9]) E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, p. (34).

[10]) Vide supra, num. 5, p. 5.

[11]) E. FRANCESCHINI, *op. cit.*, pp. (35)-(38).

rebus historicis tum de aliis et in sua contulit commentaria, adeo ut S. Maximus veluti fons doctrinae theologicae Lincolniensis haberi possit et debeat [1]).

Haec omnia, translationem scil. CD et Scholiorum S. Maximi, et praeterea Commentaria librorum de utraque *Hierarchia*, de *Div. Nominibus* et de *Theologia Mystica*, Robertus probabiliter annis 1235-1245 perfecit [2]).

Quamvis opera philosophica Lincolniensis stilo eniteant satis eleganti, secus de translationibus dicendum est. In his enim Robertus usum verborum fere negligit ut melius appareant *mens auctoris* et *venustas* [graeci] *sermonis:* quo fit ut huiusmodi translationes stricte litterales evadant, fastidiosis litteratis forsan ingratae et per se solas obscurae, utillimae vero ad ipsa verba graeci Auctoris restituenda [3]).

Et haec de translationibus, quas CD Robertus fecit, dicta sufficiant. De Commentariis ipsius super Dionysium, quorum integra editio desideratur adhuc, cum U. Gamba Commentaria tantum in *Mysticam Theologiam* publici iuris fecerit [4]), pauca liceat adnotare. Ea Robertus methodo materiam pertractat quam Petrus Lombardus († 1160) instauraverat, subtilia nimis devitans, doctrinae a magisterio ecclesiastico propositae firmiter adhaerens. Eius interpretatio perspicua est, doctrina philologica insignis, graeci sermonis peritia praecellens. Praesertim vero notatu digna est methodus exegetica. Textus Auctoris non fit pro Roberto, ut saepius pro scriptoribus aevi medii, occasio tractatus de aliqua re componendi: Robertus non aliud quaerit quam ut Auctorem suum exponat sive intelligibilem reddat [5]).

10. — Dein S. Albertus Magnus (1206-1280) recolendus venit, quem Parisiis et postea Coloniae annis 1245-1252 S. Thomas sacram Theologiam docentem audivit [6]); a quo etiam Angelicus Doctor, inde ab anno 1250 socius theologicarum pervestigationum adscitus, scribere seu « reportare » rogatus est magnum libri *de Divinis Nominibus* commentarium, quod ipse *magistraliter legendo* perfecerat [7]). Amorem erga Dionysium Angelico discipulo S. Albertus tum forte inspiraverat!

Libro igitur *de Divinis Nominibus* explanando S. Albertus eadem via et ratione procedit atque in *Commentariis Sententiarum.* In omni scilicet lectione, post *introductionem,* sequitur *textus Dionysii* iuxta Sarraceni translationem, « quia melior est » [8]). Subicitur *divisio textus,* deinde textus ipsius *commentarium,* ubi S. Doctor in singulis verbis exponendis non moratur, sed vel solum ea tangit quae notatu digna ipsi videantur vel sistit in iis quae ipsi materiam praebeant a proposita oratione declinandi et alicuius quaestionis fusius ponendae solvendaeque. *Dubia* sequuntur et *responsiones.* Ex quibus, ut patet, explanatio albertina libri *de Divinis Nominibus* tractatus scholasticus potius quam veri nominis

[1]) Id., *ibid.*, pp. (38)-(39).
[2]) Id., *ibid.* p. (73).
[3]) Id., *ibid.*, pp. (74)-(85). Translatio Sarraceni potius est « ad sensum »; Roberti vero potius « ad litteram », unde et obscurior. Illam ideo, non hanc, omnes magni Scholastici saec. XIII-XIV praetulerunt. Cfr. E. Franceschini, *op. cit.*, p. (76), nota.
[4]) U. Gamba, *Il Commento di Roberto Grossatesta al « De Mystica Theologia » del Pseudo-Dionigi Areopagita,* Milano 1942.
[5]) Vide U. Gamba, *op. cit.*, pp. 3-4. *Commentaria* Lincolniensis et *Explanationes* Vercellensis indolem non dissimilem prae se ferunt. Nec tamen dici posset *Commentaria* ab *Explanationibus* derivari. Vide U. Gamba, *Commenti latini al « De Mystica Theologia » del Pseudo-Dionigi Areopagita fino al Grossatesta,* in *Aevum,* vol. XVI (1942), p. 268-269, nota 4.
[6]) Cfr. P.-A. Walz, *Thomas d'Aquin (Saint): Vie,* in *Dict. Théol. Cath.*, t. XV, col. 621.
[7]) Cfr. L. H. Petitot O. P., *San Tommaso d'Aquino,* vers. ital., Torino 1924, pp. 29-30.
[8]) Sic iudicat S. Albertus in Prologo Commentarii super librum *de D. N.* Cfr. M. Grabmann, *Mittelalterliches Geistesleben,* B. I, München 1926, p. 460.

commentarium diceretur [1]): optimus ceteroqui fructus ab altissima Doctoris magni contemplatione proveniens [2]); uberrimus fons, e quo Scholastici et Mystici posteriores, Germani praesertim insequentis saeculi, aquam sapientiae non parce haurient [3]).

11. — Cum ergo eo rem perduxerimus ut iam ad S. Thomam accedamus, ea quae huc usque dicta sunt summatim recolere inutile non videbitur. Ecce igitur synoptice nomina saltem illorum qui CD opera, etsi non omnes omnia,

	vel e graeca in latinam linguam transtulerunt,	vel commentati sunt:
1.	Hilduinus (*supra, n.* 2)	——
2.	Scotus Eriugena (*n.* 5)	Scotus Eriugena (n.5)
3.	Ioann. Sarracenus (*n.* 6)	Ioann. Sarracenus (*n.* 6)
4.	——	Hugo a S. Victore (*n.* 7)
5.	——	Thomas Gallus (*n.* 8)
6.	Robertus Grossatesta (*n.* 9)	Robertus Grossatesta (*n.* 9)
7.	——	S. Albertus Magnus (*n.* 10)

12. — Sed veniamus tandem aliquando ad *Expositionem* thomisticam *in librum beati Dionysii de Divinis Nominibus.*

« De germano hocce divi Thomae foetu testimonium perhibent veteres omnes, nec ulla mota est ab intemperantioris criticae censoribus difficultas ». Ita B. De Rubeis in suis *Dissertationibus criticis* in S. Th. Aq. [4]).

Huic autem operi S. Th. adlaboravit annis 1265-1266, dum Romae degeret, in « studio » ad S. Sabinam. Sic tenet P. Pera [5]). Iuxta P. Walz, *Expositio in Dion. de D. N.* anno 1261 assignanda esset [6]).

[1]) Vide U. Gamba, *art. cit.*, pp. 269-270. Eandem methodum sequitur S. Albertus in aliis CD libris exponendis. Commentarium libri *de D. N.* nondum typis mandatum est. Huius Commentarii locus, ut iam diximus (supra, p. XVII, n. 2), alias S. Th. assignatus, inter opuscula thomistica publici iuris factus est. Lege illum apud P. Mandonnet, O. P., *S. Th. Aq. opuscula omnia,* t. V (*opuscula spuria*), Parisiis 1927, pp. 417-443: *Opusculum LXVIII: De pulcro* (sic) *et de bono.* Vide P. Mandonnet, O. P., *ibid.*, t. I: *opuscula genuina philosophica,* Parisiis 1927, p. LI. Item: P. Mandonnet O. P., *Des Ecrits. authentiques de St. Thomas d'Aquin,* Fribourg 1910, p. 154. Commentaria S. Alberti super ceteros libros CD leguntur et in eius operum editione Lugdunensi (a. 1651), t. XIII, et in parisiensi (a. 1890-1899), t. XIV.
[2]) Cfr. M. Grabmann, *Storia della Teologia cattolica,* trad. G. Di Fabio, Milano 1937, p. 100; Id., *Mittelalterliches Geistesleben,* B. II, München 1936, p. 326.
[3]) Cfr. M. Grabmann, *Storia della Teol. catt.*, trad. cit., Milano 1937, p. 173, 176; Id., *Mittelalt. Geistesleben,* B. II, München 1936, pp. 324-412: XV. *Der Einfluss Alberts des Grossen auf das Mittelalterliche Geistesleben.*
[4]) Dissert. VIII, c. 3, n. 2, apud *S. Th. opp.*, ed. leon., t. I, p. CXXXV.
[5]) *Le opere di San Tomaso:* (*Note bibliografiche*), quae leguntur in calce operis A. Horváth O. P., *La sintesi scientifica di S. Tomaso d'A.,* a cura del P. C. Pera O. P., Torino 1932, p. 521.
[6]) *Op. cit., Dict. Théol. Cath.*, t. XV, col. 641.

Circa latinam libri versionem, quam « egregius interpres » divus Thomas usurpavit, iam B. De Rubeis haec tradebat: « Sarraceni translationem adhibuit, sequiturque divus Thomas in suo in librum *de Divinis Nominibus* Commentario. De re certissima, quam inita collatione et oculorum experimento deprehendere cuique licet, fusiorem non vacat instituere sermonem » [1]). Quod M. Grabmann confirmat [2]). Hoc tamen non obstat quominus S. Th., qui sensu critico non carebat, quandoque versionem Sarraceni cum « alia », scil. Scoti, conferat [3]).

13. — Ad methodum intelligendam, quam sequitur S. Th. in sua *Expositione*, non inutile mihi videtur ea recolere quae Card. Th. M. Zigliara in praefatione ad thomisticam *Expositionem in libros Peri Hermeneias* praeclare scribebat. « Aegidius Columna († 1316) romanus ex Ordine Erem. s. Augustini, in commentariis quos et ipse scripsit in librum *Peri Hermeneias*, saepe verba s. Thomae recitans, ait: *Dicit Expositor*. Hinc Ludovicus de Valle-Oleti [Valladolid] Ord. Praed. in brevi historia, quam scripsit conventus Parisiensis..., postquam catalogum ordinavit Opp. S. Thomae, de Commentariis eiusdem in Aristotelis libros haec profert notatu dignissima: Sanctus Doctor scripsit multa de scientiis philosophicis et habemus videlicet, *Super librum Perihermeneias*. Item, *Super librum Posteriorum*... In exponendo autem litteraliter Aristotelem non habuit aequalem; unde a philosophis *Expositor* per excellentiam nominatur... Quod Valleoletani iudicium — prosequitur Card. Zigliara — prima medietate saeculi XV prolatum posteriores sapientes unanimiter confirmarunt [4]). Scrutatur Angelicus textum Aristotelis, et in antecessum succincta atque perlucida analysi argumentum eiusque partes principales ac subdivisiones ob oculos ponit; deinde ad partes singillatim interpretandas procedit: nec in cortice litterae sistit, sed ad medullam penetrat; ita ut miretur lector tantas divitias in Philosopho esse, quae prima fronte haud conspiciuntur. Verum non Aristotelis mentem solum recitat Angelicus, sed de thesauro suo multa profert, Stagiritae doctrinam mirifice amplificando, corrigendo ubi opus est, illustrando semper, ita nempe ut Expositor Aristotele sapientior videatur » [5]).

In *Expositione super Dionysium, de Divinis Nominibus*, S. Th. aliter non procedit. Textum Auctoris diligentissimae subiicit analysi, *singula singulariter explicans* [6]); eiusque doctrinas miro modo in syntheses colligit. Textum urget ut propriam uniuscuiusque particulae significationem assequatur; doctrinas synthetice in unum cogit, quo aptae fiant tum ad iudicandum de qualibet re duplici lumine, rationis scilicet et revelationis, cognoscibili tum ad spiritualem hominis vitam regendam. Haec methodus analytico-synthe-

[1]) *Op. cit.*, Dissert. VIII, c. 3, n. 3, apud *S. Th. opp.*, ed. leon., t. I, p. CXXXV.
[2]) Cfr. *Mittelalterliches Geistesleben*, B. I, München 1926, p. 460.
[3]) Cfr. *S. Th. Expositionem super Dionysium, de D N*, nn. **279, 711, 775, 817.** — Etenim utramque translationem S. Th. bene novit, qui alterutram, secundum opportunitatem, adhibet, cum Dionysii auctoritas alias ipsi inducenda occurrit. Ex. gr., in *Summa contra Gent.* Dionysium fere semper inducit secundum translationem Sarraceni. Sed non eligit solum inter Scotum et Sarracenum. Quandoque utrique praefert Robertum vel Hilduinum (quod probabile videtur) vel etiam Vercellensem (*Extractionem* scil. sive paraphrasin: forsan). Cfr. G. GEENEN, *Thomas d'Aquin (Saint)*: VII. *Saint Thomas et les Pères*, Dict. Théol. Cath., t. XV, col. 742.
[4]) Inter recentiores annumerantur E. Jourdain, Fr. Brentano, G. von Hertling. Vide M. GRABMANN, *S. Tommaso d'Aquino*, trad. G. Di Fabio, Milano 1929, p. 55. Annumerandus est etiam, ut videtur, A. Carlini, qui in suo ARISTOTELE, *La Metafisica: traduzione e commento*, Bari 1928, saepius S. Th. interpretationem recitat et probat.
[5]) *S. Th. Opp.*, ed. leon., t. I, p. 1. Cfr. A.-D. SERTILLANGES, *La philosophie de S. Thomas d'Aquin*, t. I, Paris 1940, p. 13-14.
[6]) Cfr. *S. Th. Expos. super Dion., de D. N.*, n. **251.**

tica Angelico Doctori maxime inservit ad perspiciendam *virtualitatem* sententiarum Dionysii atque ideo ad veritates educendas quae in iis implicite contineantur. Nam revera S. Th. non raro huiusmodi veritates educit; *quin tamen dici possit Dionysium a S. Th. non vere perfici et continuari* [1]). S. Th. est in exponendo fidelis, altus in comprehendendo, insuper et in dicendo dilucidus.

Ipse semper sollicitus apparet ut et doctrinam Dionysii, *in paucis multa comprehendentem* [2]), *attente* discat et aliis *benigne* tradat [3]).

Nam ea fere est necessitudo inter S. Thomam et Dionysium, quae et inter Dionysium ipsum et Hierotheum. Etiam S. Th. *persuasus est* ex iis quae discit a Dionysio, *et non revocatur ab inveniendo veritatem divinorum secundum scientiae possibilitatem neque propter pigritiam neque propter formidinem pusillanimitatis*. Non potest *animus* Angelici Doctoris *pati ut sine auxilio* dimittat *eos qui non* possunt *maiora contemplari quam ipse. Propter omnia haec* disponit *se ad scribendum hoc opus: ita tamen quod nihil novum* audeat *introducere* [4]); *sed ea quae conspicaciter a* Dionysio *dicta sunt in quadam universali intelligentia, vult distinguere et manifestare per quasdam inquisitiones magis particulares et subtiles, descendendo ad singula* [5]).

14. — Sed quaedam pressius videamus [6]).

Plerumque S. Th. in verborum sistit explicatione, totum in partes, compositum in elementa distribuens. Alias ad terminum exponendum simplex particula: « idest », « scilicet », ipsi sufficit; alias vero aliquantisper immoratur [7]).

Non raro theorias adumbrat: v. gr., de modo quo divina participantur in intellectu nostro et in rebus [8]), de intellectu angelico [9]), de appetitu naturali materiae primae [10]),de corporibus caelestibus [11]), de amore [12]), de tempore [13]), de lumine intelligibili [14]), de pulchro [15]), de vita mystica [16]), de exstasi [17]), de malo [18]), de Dei scientia et cognoscibilitate [19]), de iustitia [20]), de potentia [21]), de pace [22]), de sanctitate [23]), etc.

[1]) Non igitur omnino probandus videtur J. Durantel, iuxta quem S. Th. quandoque Dionysium sollicitaret et traheret ad aliquid dicendum quod in eius textu ne implicite quidem et potentialiter contineretur. *Op. cit.*, chap. 3: *Le Commentaire des « Noms Divins »*, pp. 208-234, passim.
[2]) Cfr. *S. Th. Expos. super Dion., de D. N.*, loc. cit.
[3]) Cfr. *S. Th. Expos. super Dion., de D. N.*, n. **259.**
[4]) Attamen *novitas* S. Th. in magna erat aequalium admiratione! Crescit revera et proficit *tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia* licet semper *in suo... genere..., eodem sensu eademque sententia*, secundum quod dicit S. VINCENTIUS LIRINENSIS (saec. V) in *Commonitorio*, c. 23 (ML 50, 668).
[5]) *S. Th. Expos. super Dion., de D. N.*, n. **260.** — Sufficit locum Commentarii albertini, de quo supra, p. 11, n. 1, cum numeris **333-367** *Expositionis* thomisticae conferre ad huius praestantiam deprehendendam. S. Albertus, textus analysi aliquatenus neglecta, per tractatus systematicos ad syntheses properat. Cfr. A.-D. SERTILLANGES, *loc. cit.*
[6]) Quae indicantur a J. DURANTEL, *loc. cit.*
[7]) Cfr. *S. Th. Expos.*, nn. **113-115.**
[8]) Cfr. nn. **176-178.**
[9]) Cfr. n. **278.**
[10]) Cfr. nn. **296-298.**
[11]) Cfr. nn. **300-303.**
[12]) Cfr. nn. **394-460.**
[13]) Cfr. n. **310.**
[14]) Cfr. nn. **321-332.**
[15]) Cfr. nn. **333-356.**
[16]) Cfr. nn. **368-379, 394-425, 695-706.**
[17]) Cfr. nn. **426-441.**
[18]) Cfr. nn. **461-605.**
[19]) Cfr. nn. **717-733.**
[20]) Cfr. nn. **771-783.**
[21]) Cfr. nn. **847-858.**
[22]) Cfr. nn. **876-892.**
[23]) Cfr. nn. **939-956.**

Cum vero timet ne Dionysii textus aliquam praestet occasionem ambiguitatis, S. Th. omnes excogitat possibiles hypotheses vel illam solam, quam res patiatur [1]); doctrinam Auctoris complet iuxta gradum perfectionis quem scientia theologica XIII saeculi obtinuerat [2]); periculum removet perversae interpretationis [3]), illud praesertim quod enascitur e *stylo et modo loquendi quo utebantur platonici* [4]), *quos multum in hoc opere Dionysius imitatur* [5]).

15. — Hodiernus aliquis *expositor*, artis criticae absolutioris auxiliis instructus, textuum ingenuitate primitiva certificata vel, ubi opus sit, accuratius restituta, doctrina Dionysii atque conditionibus historicis, in quibus elaborata est, melius cognitis atque perpensis, feliciorem exitum ac S. Th. forsan habuerit. Sed quisnam hodie tanto *intelligendi acumine*, tanta *interpretandi subtilitate*, *loquendi gratia* tam *copiosa* librum tam difficilem, ut est ille *de Divinis Nominibus*, susciperet interpretandum?

Quapropter sicut communiter, et merito, S. Th. *Aristotelis Expositor* appellatur, ita et *Dionysii*, non immerito, ut puto, per antonomasiam *Expositor* appellari possit, quippe qui ad eius doctrinam penetrandam miro modo nos manuducat [6]).

Eia, ergo, amice lector, ad legendam S. Th. Expositionem propera! *Haec meditare, in his esto.*

Si quae sunt difficultates, P. Pera viam tibi aperit, quo pauci admodum ad hoc peritiores invenirentur.

Hunc insignem S. Dominici filium et S. Thomae sodalem, iam diu in operibus Dionysii et tam profonde versatum, mea quod attinet, rogo ut hoc historicum commentariolum uti signum devoti animi ac perennis gratitudinis benigne accipiat.

D. Petrus Caramello.

---

[1]) Cfr., v. gr., nn. **255, 433.**
[2]) Cfr., v. gr., nn. **108-127, 182, 992.**
[3]) Cfr., v. gr., nn. **538-539, 540.**
[4]) *Prol. j°.*
[5]) N. **634.** — Cfr. *Prol. j°* et nn. **276, 538-548, 612-613, 627-628, 994-996, 931-933,** etc. — Vide infra, p. 399, tabulam locorum libri *de Divinis Nominibus* a S. Th. in *Quaestionibus disputatis*, in *Quodlibetis* necnon in utraque *Summa* citatorum. Illorum attenta consideratio lectorem introducit ad intelligendum quomodo S. Th. Dionysii doctrinam intussusceperit (ut ita dicam) suamque fecerit. Ad hoc utiliter leges J. DURANTEL, *op. cit.*, chap. IV: *La Doctrine du Pseudo-Denis que S. Thomas s'est assimilée*, pp. 235-257.
[6]) Cfr. A.-D. SERTILLANGES, *loc. cit.*

DE SYNTHESI DOCTRINALI DIONYSII AREOPAGITAE

Quicquid de *chronologia* mysteriosi illius mystici scriptoris censendum est, quem Corpus Dionysiacum habet auctorem, quemque longa traditio cum Dionysio Areopagita perperam identificavit, quaestio de eius *doctrina* et relatione ad Christianismum et Neoplatonismum, solvenda non est (per solutionem certe, quae semper nova gignit problemata) modo illorum qui iurant « in verba magistri » et Dionysii « proclismum », rem probatam putant.

Neque ceterum dicendum est, mea quidem sententia, quaestionem illam carere vitali relevantia, philosophiam et theologiam christianam quod attinet. Quisquis enim influxum « mysticae dionysianae » super doctores Medii Aevi (illorum praecipue, qui religionem » du Dieu prouvé », potius quam « du Dieu éprouvé », ut verbis P. GORCE utar, defendunt) bene perpendit, nullo obstante praeiudicio (nullo praesertim *idolo theatri*, baconianae memoriae), confitebitur quaestionem illam historicam non modo, sed etiam theoreticam, relevantiam habere summam.

Quod quidem evidentius apparet, si consideratur inter doctores illos, S. Thomam in primis, forsitan etiam principem, numerandum esse: S. Thomam, inquam, cuius synthesis scientifico-philosophica, et theologico-mystica, quasi terminus refulget, personaliter quidem et genialiter creatus et inventus, progressivae cuiusdam evolutionis ex virtualitate illa activa (longe quidem mere implicita), doctrinali non modo sed integraliter spirituali (sicut in omni genuina et vitali doctrina semper accidit, cum maiori tamen vel minori intensitate), quae in scriptis dionysianis, diuturna et singulari auctoritate praeditis, continebatur.

Intra arctos limites huius philosophicae introductionis (et forsitan talis denominatio nimis sollemnis, operi comparata, videbitur), dum plurimis (pulchris quidem, mihique carissimis; sed certe plurimis) involvor occupationibus nec tempus mihi suppeditat sufficiens ad congruam elaborationem talis ac tantae tractationis, propositum meum solum est nonnullos tangere adspectus, sub quibus relevantia illa theoretica, mea quidem sententia, manifeste adparet.

Quos quidem adspectus ad *quatuor* fundamentales reducere conabor:

I) *relationem quae intercedit, in scriptis dionysianis, inter auctoritatem divinam et humanam speculationem;*

II) *relationem*, u. s., *inter theologiam negativam et positivam, excluso agnosticismo (doctrinali, inquam, cohaerentia quadam; non per* « saltum », *qui dicitur, mere fideisticum), non secus atque anthropomorphismo;*

III) *positionem quam Dionysius assumit relate ad culturam praechristianam et praecipue ad philosophiam graecam;*

IV) « *humanismum integralem* », *ut verbis* MARITAIN *utar, qui in* « *mystica* » *dionysiana, cum mysticismo coniunctus, immo ex ipso mysticismo genitus et servatus et ad integralitatem suam perductus invenitur.*

I.

De relatione quae intercedit, in scriptis dionysianis, inter Auctoritatem divinam et humanam speculationem.

« Theologia », certe, ut signum visibile hic et nunc a me exaratum et postea in typographia MARIETTI imprimendum; ut signum etiam antecedenter audibile, ab homine sensibiliter expressum, homini communicatum, in mente retentum, in imaginatione revocatum; per utramque viam (visibilitatis, inquam, et audibilitatis), cum sua intelligibili significatione, naturaliter et ad placitum evidentissimo quodam nec non valde mysterioso modo (de naturali, primum, et ante omnia, agitur mysterio), synthetice et arcte coniunctum, distinctione clare servata; — « theologia », inquam, verbum est humanum, e duobus illustribus verbis philosophicis, iisdemque theologicis, humaniter confectum. Dicit tamen, cum verbum sit, aliquid; suum « esse », suumque « dicere », praecise ut verbum est, vitaliter et inseparabiliter sunt coniuncta.

Quod autem dicit, primum et ante omnia, est « verbum divinum »; hoc ipsum dicebat, primum et ante omnia, in graeca philosophia, iam tempore HERACLITI, cum Ephesius dicebat, secundum λόγον suum (i. e. λόγον divinum, per suum λόγον expressum) omnia ordinate evenire in κόσμῳ, qui per ipsum λόγος, vere est κόσμος αὐτὸς ἁπάντων [1]·

Christifideles autem, in quantum « fideles », credunt Christo (firma adhaesione vera tenent omnia, quae dixit Christus, et hagiographi inspirati scripserunt et Ecclesia servando declarat), et credunt in Christum, tota anima, tota substantia et operatione, tota existentia sua tendentes explicite vel implicite, non solum ad Christum velut absentem, sed in Christum praesentem (in Ipso manentes, vel potius Ipsum in se ipsis manentem possidentes); in Christum praesentem, inquam, credendo tendunt, quem videndum sperant.

In quantum autem *Christi* sunt fideles, credunt (u. s.) Verbo aeterno Dei, homini facto et consequenter verbis humanis quae dixit (quae humana quidem sunt, sed verba sunt Dei); credunt verbis ab Apostolis servatis et traditis et ex parte scriptis; credunt « theologiae », hoc sensu, et « in theologiam ».

Et consequenter declarant, explicitant, defendunt, humano modo systematizant, inter se docendo discunt et discendo docent, quid talia verba dicant: quod totum opus est humanum historicum, per multas vias, necnon deviationes, et difficultates varias, casibus tamen omnibus in historicum quemdam ordinem cooperantibus, progressive pedententim concinnunt. Haec est humana theologia, secundo et magis proprio sensu; humanum verbum, etiam quantum ad id quod significat: opus humanum.

Theologia igitur, primo sensu, fons praecipua est Dionysii (ut ipse frequenter, explicite sollemniter declarat): verbum divinum quod auditur; divina pagina, quae legitur.

[1]) v. ERACLITO, *frammenti e testimonianze* — a cura di CARLO MAZZANTINI — Torino, Chiantore, 1945, fr. 1 (pag. 144-145); fr. 30 (pag. 154-155).

Humana signa, certe, et humani conceptus: qui tamen dicunt verbum divinum. Modo humano, certe; sed modo illo humano, primum et ante omnia, qui a Verbo ipso Divino homine facto, compositus aut inspiratus est.

Ad interpretandum autem, et explicitandum, ut ita dicam, verbum divinum de sua profunditate, philosophia Dionysius utitur humana, et praecipue traditione platonica (non solum neoplatonismo, ut saepe dicitur). Qui tamen usus philosophiae, cum vere continuus sit in scriptis dionysianis, et ea quasi imbibat, non tamen sufficiens est, mea quidem sententia, ad characterizandam positionem fundamentalem ipsius Dionysii, relate ad philosophiam.

Philosophia graeca autem, et consequenter omnis philosophia proprie sic dicta, verbum divinum et ipsa dicit, via naturali, primum et ante omnia, ab intellectu humano, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, ut verbis S. Pauli utar [1]), evidenter conclusum; ergo philosophia (et hoc « ergo » est logicum certe terminum, sed praecipue ontologicum; in ipso est, cum firma certitudine, ardor spiritualis in lumine intellectuali erga Deum, a quo profectum, in suo reditu patulum se praebens, naturali oboedientiali apertione); — ergo, inquam, philosophia graeca, et omnis philosophia proprie sic dicta, vere est, suo quidem modo, theologia, reflexe iustificans, et systematizans (opus inter omnia difficillimum, indefinite perfectibile) theologiam illam implicitam, qua cogitatio omnis, humana et superhumana, ut vera cogitatio, constituitur: « ... omnia cognoscentia cognoscunt implicite Deum, in quolibet cognito », ut verbis utar S. Thomae [2]).

Sine hac, saltem implicita, « naturali theologia » (donum divinum, opus humanum), « supernaturalis theologia » (donum rursus divinum, opus humanum) omnino esset impossibilis, cum homo eam recipere — intelligendo audire ut verbum divinum — omnino non possit.

De hac naturali theologia loquor, saltem implicita, per quam intellectus humanus, a sensibilibus profectus et rursus semper proficiens (cum ad sensibilia semper redeat), iter tamen vere faciens, per tortuosam quandam lineam (ἑλικοειδῶς, ut Dionysius dicit [3]), indefinitum inclusivum horizontem intelligibilis veritatis et realitatis, in sensibilibus ipsis immanentem, sed sensibilia transcendentem, emersum inspicit, et consequenter ad Deum concludere valet, et sic ad Deum naturaliter non modo, sed etiam actu elicito tendere, et semper melius libere tendere valet.

Quod iam est Deo uniri, sed non immediate; cum tamen Christifideles, qua tales, ad unionem vocati sint immediatam, neque ad eam naturalibus viribus pertingere possint (bene tamen ad eam, qua homines, quodammodo disponuntur [4]).

Naturalem igitur in supernaturali theologia christifideles accipiunt: per alteram naturaliter cum ceteris omnibus hominibus, per alteram cum ceteris omnibus Christifidelibus arcte coniuncti. In omni cogitatione et verbo et opere humano possunt, debent quoque,

[1]) *Rom.* 1, 20.

[2]) QQ. dd. *de Veritate*, q. XXII, a. 2, ad 1.

[3]) *de D. N.* cap. IV, § 9 (MG. III, 705 AB); de hac notione, cfr. quae infra leguntur in *expositione* S. Thomae (lect. 7) et in nota quoad triplicem motum circularem, rectum, spiraliformem.

[4]) Imago Dei, quae in homine invenitur, iuxta doctrinam Clementis Alexandrini et Basilii Magni est illud praesuppositum, pulchre ab Angelico Doctore signatum: « secundum quod homo *habet aptitudinem naturalem* ad intelligendum et amandum Deum » (*S. Theol.* I, q. 93, a. 4). Haec autem doctrina est ex Dionysio qui de Bono et Pulchro, de motu animarum agit in cap. IV huius libri, maxime vero ex principio in *Ecclesiastica Hierarchia* exposito (cap. II, 3, § 4; MG. III, 400 B C) et in quo, ni fallor, resonat delphicum illud: *γνῶθι σαυτόν — nosce te ipsum*, ab Origene (cfr. S. GREGORII THAUMATURGI *in Origenem prosphonetica ac panegyrica oratio*) et Basilio Magno (cfr. *hom. in illud:* « attende tibi ipsi ») diligentissime excultum.

illam quaerere, et illam de facto inveniunt, minus aut magis plene realizatam; numquam tamen inveniunt talem qualem, ut Christifideles, optant et optare debent. Non inveniunt, et bene sciunt se invenire non posse; minus etiam de facto inveniunt, cum natura humana sit lapsa, infirma, deficiens a sua naturali perfectione. Semper tamen inveniunt theologiam illam naturalem et consequentem unionem illam naturalem cum Deo, sine qua humana existentia nullo modo esset humana.

Bene scit tamen, Dionysius, naturalem illam theologiam (et naturalem theurgiam [1]), si fas est dicere) mere implicitam non remansisse, sed explicitam iam extitisse ante adventum Christi, praesertim in philosophia graeca. Sed de hoc, breviter, in capite tertio. Ad quod praeparabit brevis consideratio duplicis theologiae, in quaestione « de divinis Nominibus ».

II.

De relatione quae intercedit, in scriptis dionysianis, inter theologiam negativam et positivam, excluso agnosticismo — doctrinali quadam cohaerentia, non per « saltum » qui dicitur, mere fideisticum — non secus atque anthropomorphismo.

Sollemni quodam modo; verbis (ut locutione satis trita utar) non aequivocis, Dionysius ipse, exordium dando suo scripto *de divinis nominibus*, conceptum nec non ipsissima verba S. Pauli veluti sidus amicum prae oculis contemplationis suae tenendo, declarat se in tractatione sua rationi humanae non inniti, nec de occulta Deitate quicquid dicere audere, quod non ipsa de se ipsa expresserit.

Transcendentia Dei, quae in hoc exordio tam nervose asseritur, certe in sacra pagina, nec non in sacra traditione, expresse et insistenter (se ipsam, ut ita dicam, revelans absconditam) docetur: — expressius autem, et magis spiritualiter, in libris Novi Testamenti; et quidem inseparabiliter a maxima illa ipsius Dei communicatione quae per Incarnationem facta est. Dionysius ergo, audiendo et legendo, discit; et condiscentes, si fas est dicere, ceteros invocat Christifideles.

Deus igitur dicit, in sacra pagina, nihil de se, sicuti in se ipso est, homini dicendum esse, nisi quod Ipse de se ipso dicit. Cum autem multa ibidem de seipso dicat, et dicat per conceptus et imagines humanas, pleniorem futuram praenuntians revelationem, docet etiam, saltem implicite (saepe autem explicite), se non omnino esse incommunicabilem; immo communicabilem et de facto communicatum omnibus et singulis creaturis existentibus et praecipue omni intellectui creato, diversitate certe hierarchica bene servata. Communicat ergo supernaturaliter, se etiam naturaliter esse communicatum.

Theologia supernaturalis (primo sensuum, qui in praecedenti capite sunt distincti) docet theologiam naturalem vere existere, et vera essentialique pollere autonomia. Hoc Dionysius ipse, in fine eiusdem exordii, clare innuit, quamvis propositum non habeat hanc distinctionem tractando evolvere et iustificare, sicut S. Thomas in suo commentario, et melius in aliis scriptis, expresse faciet.

Ulterius autem explicandum erit supernaturalem revelationem naturalem continere

[1]) Quoad ritus nempe et « mysteria » quae vocant. Nam quoad nomen et praxim specificam, « theurgia » p. C. adventum originem habet, ut omnes norunt ex iis quae G. KROLL- *de Oraculis Chaldaicis*, Vratislaviae 1894, scripsit: « Hoc autem omne desiderium salutis animaeque huius mundi nequitia liberandae studium *inde a M. Aurelii fere aetate* valere ac vigere videmus ...theurgorum nomen *non usurpatur ante Porphyrium* » (pag. 71).

non solum, sed continere ut praesuppositam, et sollemniter confirmatam. Nec solum quantum ad potentiam oboedentialem (ut termino technico, quem postea theologi cuderunt, utar) in intellectu humano naturaliter praesentem, quae ad indefinitam ulteriorem supernaturalem perfectionem intellectum ipsum, et hominem per intellectum formatum, apertum (naturaliter apertum) reddat; — sed etiam quantum ad notionem, elicitam et explicitam, de Deo. Quae notio historice sicut reflexam elaboratamque (monumentalem, ut ita dicam) doctrinam se praebebat, in mundo praechristiano.

Cum autem de relatione theologiae dionysianae ad philosophiam hellenicam et hellenisticam, et praecipue ad platonismum et neoplatonismum, capite tertio breviter dicturus sim, hoc loco mea refert, ex tota complexa religiosa (praephilosophica et philosophica) traditione hoc tantum colligere, scil. theologiam negativam, quae dicitur, primum et ante omnia ipsam esse theologiam naturalem, sub uno, et quidem stricte essentiali, aspectu suo consideratam.

Revelatio enim naturalis Dei, in opere suo mundano refulgens, nihil aliud est nisi praesentia perfectionum, quae in rebus mundanis evidenter se manifestant. Quae perfetiones certe positivae sunt, sed tamen cum imperfectionibus (saltem lato sensu, scil. limitibus) coniunctae; et praesertim cum imperfectione « non-aseitatis », scil. « ab-alietatis », quae relationem trascendentalem implicat, et relationem praedicamentalem fundat, « ad aliud », sicut ad fundamentum a quo dependent, et causam a qua totum suum esse, tota sua nobilitas ipsis communicatur. « Aliud », dico, non modo respectu totius mundi existentis, sed respectu totius, existentis et possibilis, entitatis creatae.

Si autem perfectio mundana dici posset imperfectio hoc sensu, quod suum ipsum positivum esse in imperfectione quadam consisteret, scil. in limitatione perfectionis univoce consideratae, i. e. perfectionis divinae; tunc concludi posset, et etiam forsitan concludi deberet, mentem humanam positiva notione, esse praeditam saltem obscura et latente, divinae illius perfectionis (perfectionis simplicissimae et supremae, ad minus — quod non esset revera « ad minus » — ipsius « esse »); — cui divinae perfectioni comparatae creatae illae perfectiones ut imperfectiones se manifestarent, etiam quantum ad eorum « esse ».

Quae positio (mea quidem sententia) viam sterneret « acosmismo », saltem implicito, cum esse creaturae dici non posset, proprie loquendo, reale et genuinum « esse ».

Sed contra: perfectiones rerum creatarum sunt reales perfectiones, earum esse est esse reale; imperfectio autem essentialiter coniuncta non est privatio perfectionis ad quam essentialiter tendunt, sed limitatio essentialis, in qua potius liberaliter (ut verbis CUSANI utar) quiescunt; quae limitatio quidem imperfectio dici potest, perfectioni supremae comparata, sensu tamen nullo modo privativo, cum absentiam exprimat perfectionis non debitae, immo in sua infinitate nec desiderabilis nec, proprie loquendo, desideratae.

Quae, cum ita sint, dicendum non est mentem humanam notione positiva supremae perfectionis esse praeditam, ad quam comparatae mundanae perfectiones velut imperfectiones (primum et ante omnia) se praeberent, et terminis negativis denominandae essent; — immo dicendum mentem humanam notionem evidenter positivam (primum et ante omnia) de perfectionibus limitatis (non quidem in limitatione consistentibus) rerum mundanarum acquirere; respectu cuius positivae notionis necessario se praebet ut « alia » notio, vel potius notio « alius » perfectionis, notio Causae Divinae, a qua tota illa perfectio, etiam quantum ad suum esse, dependet.

Suprema perfectio positiva, procul dubio, hoc modo est dicta, quantum ad rem significatam; sed negativus est modus, per quem est creaturaliter dicta.

Qui modus negativus, certe (a Dionysio per formulationes neoplatonicas nervose,

ut ita dicam, emphatizatus) non est, non debet esse, *pure* negativus; immo coniungitur, coniungendus est, cum expressionibus excellentiam quandam significantibus; — ita ut, huius arctae coniunctionis virtute, expressiones negativae excellentiam ipsam, et expressiones convenienter (ut ita dicam) hyperbolicae negationem ipsam implicite sonent, aut certe innuant. Negatio enim (ἀ privativum, ex. gr.) negando adfirmat perfectionem supremam vel potius supremam, cuius transcendentiam adfirmare non potest nisi negando; ita ut, si propriam negativitatem quodammodo radicalem amitteret, non modo non adfirmaret melius, sed iam omnino non adfirmaret: immo Deum implicite negaret, inter mundanas creaturas (optimas quidem, sed optimas in mundo) eum includendo [1]). Hyperbolizatio autem (praefixum ὑπερ —, ex gr.), negat perfectiones creatas eodem modo esse praesentes in perfectione increata, vel etiam modo simili potius quam dissimili: adfirmat quidem, hyperbolizando, eas aliquo modo ibi praesentes esse (secus derivatio impossibilis evaderet), sed modo dissimili potius quam simili [2]).

Cum ergo negatio et hyperbolizatio aeque sint essentiales, negatio tamen, si bene res perpendatur, primatum quemdam habet, respectu cognitionis humanae *vel cognitionis intellectus cuiuscumque creati*. Negatio enim est de re directe cognita; hyperbolizatio, de re directe incognita.

Hae omnes considerationes, theologiam naturalem spectantes, lucem adaugent, nisi fallor, in theologia dionysiana supernaturali. Quae certe loquitur de Deo sicuti in se est, non modo ut revelatur per creaturas; sed de eo loquitur, ut supra iam dixi, per conceptus et imagines et verba humana; neque « in via » datur positiva intuitio, ne per gratiam supernaturalem quidem, divinae essentiae. Formulationes ergo negativae et hyperbolicae, humana confectae industria, cum valore sint praeditae intrinseco in theologia naturali, valore ulteriore gaudent instrumentali, in theologia supernaturali.

Si tamen aliquo modo ulterius procedere licet, profundiorem tentando exegesim mentalitatis, ut dicitur, dionysianae, pauca addam de illo termino, « silentium » (σιγή), qui in scriptis dionysianis continuo recurrit.

Omnis humana cognitio incipit a verbo illo creato, quod est mundus ipse existens, a Deo temporaliter prolato extra se (λόγος προφορικός), secundum verbum illud increatum, aeternaliter a Deo prolato intra se (λόγος ἐνδιάθετος). Quae tamen denominatio, « verbum », cum sit vera et essentialis, non denominat totum esse creaturae mundi. Essentialis quidem est denominatio, in quantum omnis « substantia » est essentialiter « dicibilis »; si dici non posset, nullum haberet esse; quo minus dici potest (et dicere de se ipsa), eo minus habet de esse; — et rursus in quantum substantia ipsa notificatur et manifestatur, est praesens, in dictione qua dicitur, et praecipue in dictione qua dicit se ipsam, quae est momentum sui ipsius esse. Et tamen quod dicitur non est, formaliter, ipsa dictio; hoc quidem exigit excellentia ipsa dictionis, ut opponatur exprimendi gratia.

Substantia rei, ergo, « silentium » est, praecise ut « dici » possit; de suo silentio res loquitur; ex profunditate ipsius, in lucem saltem partialiter expressa, circa ipsum loquitur.

---

[1]) Hac ratione ductus, ut videtur, Dionysius « *negationes*, quoad divinam Realitatem *veras* » appellat, « *adfirmationes* autem *incongruas* »: inde explanatio invisibilium per dissimilia, « magis propria est *occulto ineffabilium* rerum »: *αἱ μὲν ἀποφάσεις ἐπὶ τῶν θείων ἀληθεῖς, αἱ δὲ καταφάσεις ἀνάρμοστοι· τῇ κρυφιότητι τῶν ἀπορρήτων οἰκειοτέρα μᾶλλόν ἐστι ἐπὶ τῶν ἀοράτων...* (*de coelesti Hierarchia* cap. II, § 3; MG. III, 141 A).

[2]) Haec consideratio habetur *de D. N.* cap. IV, § 7 (MG. III, 701 D - 704 A), ubi ipsissimis verbis Platonis (*Sympos.* XXIX, 211, AB) exponit quare Deus dicatur *pulcherrimus* et inde ex hac doctrina quare dicatur *superpulcher* (cfr. S. Thomae lect. 5).

Quod « silentium » non est « taciturnitas » (ut distinctione utar, qua nuper MANACORDA usus est) [1]); silentium est propter dictionem, non propter absentiam dictionis.

Attamen silentium creaturae non est silentium originarium, cum illud praecedat verbum exemplare creativum. Si autem analogice, per viam negationis et excellentiae, isti termini (« silentium » et « verbum ») referantur ad Deum, dicendum quod in Ipso prioritas (non quidem nobilitatis, sed originis) spectat silentio illi originario, quod se perfecte exprimit in Verbo Divino.

Aliud hic non praecedit Verbum, ad cuius exemplum essentia divina sit facta. Silentium certe hic est aliud quam silentium creatum, cum realiter idem sit (totaliter idem) cum suo Verbo, cum sua dictione (non modo, inquam, totaliter idem cum possibilitate suae dictionis, quod etiam de creatura verum est); et cum Verbum sit ipsa essentia, non modo accidens essentiale. Et Verbum, rursus, est aliud quam verbum creatum, eadem ratione. Attamen distinctio exstat rationis, in Deo ipso fundata, et a Deo in se ipso expressa; et « silentium », σιγή, habet secundum rationem prioritatem originis. Non minus « sacrum », non minus « adorabile », certe, est Verbum; primum tamen adorabile, ratione originis, est « Silentium » [2]).

Ad profunditatem igitur divini « Silentii » tendit (iam in via ratiocinando tendit) mystica contemplatio, naturalis et supernaturalis; in ipsum tendit, praecise ut loquatur, quantum potest, modo analogice humano — divino; Deus enim silentiosus loquitur, de profunditate silentii sui loquitur, totam profunditatem suam in lucem Verbi sui exprimit et manifestat, et tamen in luminosa manifestatione nullo modo amittit, immo dicendo et exprimendo confirmat, cum evidens reddat: evidens mysterium.

III.

De positione quam Dionysius assumit relate ad culturam praechristianam et praecipue ad philosophiam graecam.

Vere civis est homo civitatis humanae (quae est mundus in quo, sicut in luminoso fervidoque cacumine totus quodammodo accipitur, manifestatur, amatur mundus physicus): — vere civis, etiam, civitatis omnium spirituum; — vere civis civitatis ipsius Dei transcendentis, a quo tota haec universitas universitatum regitur; in quantum homo per suam rationem adsentientem et consentientem voluntatem, per habitualem dispositionem, per virtutem perficientem, velut secundam naturam, naturam suam propriam (quae iam fundamentaliter natura est civilis), in sua intimitate vivit mundum universum, et praecipue mundum spirituum; proxime autem mundum hominum, secundum naturalem nec non electivam hierarchiam; inquantum homo, per virtutem iustitiae, causam uniuscuiusque entis suam ipsam, ut dixit Aristoteles, quodammodo facit.

Ad perfectionem igitur hominis, eiusque naturalis civilitatis, plena requiritur explicitatio (plena, inquam, quantum ad reflexam evidentiam, non quantum ad progressivam ulteriorem explicitationem, quae inexhauribilis exstat); — plena, inquam, explicitatio *rationalitatis* illius suae constitutivae quae praecise est ulterioritas, ut ita dicam, in intimitate, qua homo « fit aliud in quantum aliud », « alium in quantum alium ».

---

[1]) Cfr.: *Delle cose supreme. Un preludio*, Sansoni, 1950, cap. IV, pp. 89 sgg.; et notas pp. 265 sgg.; praesertim pp. 95-96, et n. 12, p. 266.

[2]) Cfr. *de D. N.* XI, 1: quae de *divina Pace ac Silentio* pulchre exponuntur (MG. III, 949 AB; S. Thomae lect. 2).

Quae autem explicitatio (theoretica et practica) dici potest « cultura », intellectualis et moralis (totam et omnem humanam culturam informans); et in mundo classico, qui dicitur, praechristiano, de facto, historice, mea quidem et multorum aliorum sententia, humanissime, Deo iuvante et pro tota humanitate realizata est, viam sternendo et exemplar praebendo ulteriori realizationi: in graeca praesertim philosophia et poësi, in romana ethicitate nec non religiositate.

Quod tamen magis proprie dici potest, et etiam dicendum est, de antiquiore mundo hellenico, nec non de antiquiore mundo romano [1]).

Periodus autem hellenisticus, qui dicitur, cum sua phase antecedenti nimis « cosmicus », ut ita dicam, saepe evaderet (Deum cum mundo identificando, aut divinitatem contra a mundo et eius gubernatione excludendo, aut de existentia ipsius divinitatis dubitando, aut eam penitus negando); in phase consequenti nimis « mysticus », ut rursus ita dicam, transcendentiam divinam ita extulit, vel potius extollendo deformavit, ut eam conlocare praesumeret supra omnem intelligentiam et entitatem, quasi puras tenebras, quasi sublime nihil (sublime quidem, sed nihil) Deum, per puram negationem, dicendo esse Deum, vel saltem Deum supremum.

Traditio autem platonica, et praecipue neoplatonismus, cum hyperbolico et ipse indulgeret mysticismo, patrimonium tamen antiquae culturae, hierarchice et integraliter, servare, nec non etiam definitive (nimis definitive!) systematizare conabatur. Qua in systematizatione magis magisque « rationalisticus », in scholis maioris nominis, evadebat, per deductivam dialecticam, totam realitatem quasi construere praesumens; ita tamen ut, ad apicem cum pervenisset, metaphysicae et religiosae apertioni, nec non orientalis nisui mysticismi satifacere conaretur, sed non per viam hellenicae traditionis, immo se in irrationalismum quemdam, catastrophice ut ita dicam, vertendo.

Quae deformatio in hoc praecipue adparet, et evidenter se manifestat, quod suprema Divina Unitas supra Intelligentiam ipsam Divinam collocatur, suae simplicitatis perfectione sensu tali accepta, ut omnem distinctionem, etiam pure idealem (in cogitatione) omnino excludat, et sic quamcumque intellectionem, suiipsius et omnium creaturarum, totaliter simul excludat. Verbum autem Divinum, quod Divinus Intellectus (νοῦς) aeterne in se exprimit, et in quo simul omnium et singularum exemplaria creaturarum aeterne exprimuntur et existunt, gloriosa quidem aeterna vita praeditum, plenitudinem tamen Dei supremi exprimere non valet, et « secundus Deus », etiam ratione dignitatis, considerandus est. Qui igitur Divinus Intellectus, cum infra perfectam Divinam Unitatem et Bonitatem sit conlocatus, ultimus finis iam non est, eum sit quodammodo penultimus, humanae religiosae adspirationis.

Humana ergo sapientia et virtus, ad culmen sui ipsius postquam pervenit, per « saltum » quemdam, ut plotinicis verbis utar, in extasin se quodammodo annihilat « neoplatonicam », quae « antiplatonica » propriissime, mea quidem sententia, qualificari potest.

Huic gravissimae deformationi « hellenisticae », optimum remedium, in ambitu fidei et supernaturalis theologiae, revelatio suppeditabat de Trinitate (perfectam aequalitatem, in distinctione, personarum adfirmans); — nec non de distincta cognitione divina circa creaturas omnes et singulas, et praecipue circa homines et actus omnes, exteriores et interiores, singulorum hominum; — nec non de perfecta conservatione identitatis et conscientiae personalis, in aeterna hominis beatitudine.

Et ipsa revelatio, per indirectum in philosophiam influxum, reintegrationem genuinae « hellenicae » traditionis, contra deformationes « hellenisticas », efficaciter parabat; — quae autem reintegratio et renovatio, novos aperiens horizontes indefinitae explicationis et incrementi, fundamentum ponebat « philosophiae christianae ».

In hoc reintegrationis itinere lapidem miliarium, ut dicitur, Dionysius mihi videtur posuisse. Cum autem neoplatonismum in sua christiana synthesi accipiat, et illi nonnumquam forsitan nimis subiaceat, illum tamen, partim sub influxo christianae revelationis, partim per philosophicam quandam personalem investigationem (quae personalis investigatio, certis quidem limitibus, satis evidenter multis locis manifestatur, vel saltem innuitur); — illum, dico, « neoplatonismum generaliter secundum spiritum antiqui « platonismi » interpretatur, unitatem illam divinam super intelligentiam respuens; divinam cognitionem de omnibus et singulis rebus, per divinas Ideas exemplares (in Intellectu Divino, qui est ipse, primus et supremus, Deus), adfirmans [1]); supremam autem extasin supremam esse intellectionem (personalitate humana servata) satis luculenter ostendens.

Nec modo platonismo genuino, sed etiam genuino aristotelismo, via sternebatur, mea quidem sententia per mysticam hanc dionysianam. Non solum, inquam, aristotelismo velut scientiae cuidam inferiori accepto, mere praeparatorio et propaedeutico respectu superioris sapientiae; sed etiam aristotelismo, secundum quod consideratur et est sapientia humana naturalis; aristotelismo, nempe, qui evidentiam et exigentiam platonismi plene accipit, et humiliter limitando gloriose consolidat, naturae corporeae et sensibili se reflexe plene inserendo, eam reflexe indefinite transcendendo; cum in ipsa sensibili realitate formas intelligibiles substantialiter praesentes, et corpoream dignitatem ut bonum quoddam (participationem quandam divinam, secundum gradum debitum) formantes discernat; earumque formarum supremas (maxime simplices, simulque inclusivas) tales esse agnoscat, ut indefinite mundum sensibilem (in quo tamen vere manifestantur) transcendant, et ad cognitionem ducant realitatis spiritualis, et etiam ipsius Dei.

Quod satis adparet omnibus locis, in quibus Dionysius loquitur de sensibilibus imaginibus, in doctrina et in praxi religiosa; et etiam adparet in tractatione « de malo », ubi praesertim adfirmat, secundum spiritum non proclianum, mea quidem sententia, sed aristotelicum, naturam corpoream bonum quoddam esse.

Homo igitur, in mundo sensibili naturaliter insertus, erga mundum spiritualem, et implicite erga Deum, naturaliter transcendit; in sua insertione cum transcendat, in sua transcendentia insertus remanet.

Hic invenitur « humanismus », cum inveniatur reflexa iustificatio « humanitatis », in « mystica » dionysiana.

---

[1]) Inter multa et praeclara opera quae valorem humanae culturae in primaeva christianorum synthesi manifestant, haec referre satis: M. PELLEGRINO - *Gli Apologeti Greci del II secolo, saggio sui rapporti fra il Cristianesimo primitivo e la cultura classica* - Roma, 1947. P. COURCELLE, *Les lettres grecques en Occident, de Macrobe à Cassiodore* - Paris, 1943.

[1]) Cfr. *de D. N.* V, 8: ... *παραδείγματα δέ φαμεν εἶναι τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς καὶ ἑνιαίους προϋφεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία προορισμοὺς καλεῖ καὶ θεῖα καὶ ἀληθῆ θηλήματα τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ καὶ ποιητικά, καθ' οὓς ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε καὶ παρήγαγεν* (MG. III, 824 C; cfr. S. Thomae lect. 3).

IV.

De humanismo integrali qui in « Mystica » Dionysiana cum mysticismo coniunctus immo ex ipso mysticismo genitus et servatus et ad integralitatem suam perductus invenitur.

Hunc quidem « humanismum », maxima ex parte, in scriptis dionysianis mere esse implicitum et solum futuris explicitationibus (quarum nonnullae hodie iam historice realizatae, aliae innumerabiles realizabiles dicendae sunt), germen fecundum praebere, nemo est qui neget.

Germen autem fecundum vere exstare, confidenter mihi videor adfirmare posse. Quam adfirmationem, cum iustificare systematice et sufficienter explicitare hoc loco nequeam, conclusionis instar tamen breviter delucidare conabor, relate ad duas ex illis characterizationibus, quae supra de synthesi doctrinali Dionysii proponenda mihi visa sunt.

Quarum una est mentis contentio, ut ita dicam, negativa, non solum ultra realitates et perfectiones sensibiles; non solum ultra realitatem et perfectionem humanam, sed etiam ultra realitatem et perfectionem omnem creatam, etiam pure spiritualem, ita ut tota haec realitas et perfectio quasi nihil videatur et quodammodo neganda et contemnenda sit, ut vere cognoscatur (non cognoscendo) et adfirmetur (per negationem) Deus.

Altera contra est quies affirmativa, ut rursus ita dicam, divinas irradiationes recognoscens et amans (ἑλικοειδῶς: non solum ex ipsis sed cum ipsis ascendens, ad illas semper rediens) in omnibus et singulis rebus et perfectionibus, etiam pure sensibilibus, hierarchia tamen bene servata; ita ut sol et lux, ex. gr., Deus aliquo modo dici possit, et etiam debeat, cum vere Deus dici non possit, neque debeat.

Hominem autem, per hanc viam, mundum humanum (mundum humanae civitatis, qui ante omnia in cogitatione et voluntate formatur, verbis tamen et signis sensibilibus expressis, et consequenter in omni actione et factione exteriori); — mundum humanum, inquam, hominem constituere posse, nec non mentaliter unire res mundi physici, per spatia et tempora dispersas, et per tortuosam quandam lineam, ἑλικοειδῶς,, Deo pedetentim et progressive se cum ceteris hominibus ceteris rebus omnibus (diverso tamen modo et gradu) posse coniungere, et sic cooperatorem fieri ipsius Dei; — hoc totum in dionysianis scriptis magna ex parte solum innuitur; et cum a S. Thoma monumentaliter suo modo explicatum sit, et ab aliis alio modo, et praesertim, mea quidem sententia, a recentissimis (non sine certe mixtura erroris), hodie modo nostro remanet explicandum, et cras explicandum etiam erit. Cooperatio tamen creaturae, et hominis praecipue, ad opus divinum, expresse dicitur a Dionysio omnium divinius esse [1]).

Hoc dicit theologia supernaturalis, primo sensu in verbis S. Pauli [2]). Hoc dicebat antea theologia naturalis humana, per philosophiam graecam: haec est enim ὁμοίωσις illa θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, de qua loquitur Plato [3]); hoc est enim illud ἐφ'ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίζειν, de quo loquitur Aristoteles [4]); hoc est etiam, mea quidem sententia, illud

[1]) — *de coelesti Hierarchia* cap. III, § 2 (MG. III, 165 B).
[2]) — I *Cor.* 3, 9.
[3]) — *Theaet.* XXV - 176 B.
[4]) — *Ethica Nicom.* X, 7 - 1177 b; v. *S. Th. A. in decem libros Ethicor. Arist. ad Nicom. Expositio* (edit. Spiazzi)) n. 1486; lect. XI, n. 2107.

πάγκαλον ἔργον, quod Deus perficit ἡμῖν ὑπερέταις χρώμενοι, de quo rursus Plato loquitur [1]).

S. Thomas [2]) autem loquens de assimilatione creaturarum ad Deum, quae maxime aliquo modo per causationem perficitur, auctoritates adfert et verba Pauli et verba Dionysii, quae nuper a nobis commemorata sunt.

Hoc ipsum dicit theologia supernaturalis, secundo sensu theologiae naturali coniuncta, sicut ibidem scribit S. Thomas [3]): « Res tendunt in divinam similitudinem, inquantum (Deus) est bonus... Ex bonitate autem Dei est quod aliis esse largitur; unumquodque enim agit in quantum est actu perfectum ». Ultima verba sunt theologia naturalis aristotelica, ad theologiam thomisticam, naturalem et supernaturalem, per intrinsecam suam dignitatem instrumentum praebens; etiam supernaturalem: cooperatio enim hominis, per liberum arbitrium, etiam ad adimplendum effectum divinae praedestinationis ad salutem normaliter requiritur [4]).

Hoc autem per theologiam naturalem explicatur, quae dicit, omnia quidem esse et causare « in virtute divina » [5]), sed tamen Causā Divinā causare veras causas creatas, et causam etiam voluntariam et liberam secundum modum voluntarium et liberum: « ...quamvis divinae voluntati nihil resistat, tamen voluntas, et quaelibet alia res, exequitur divinam voluntatem secundum modum suum, quia et ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic eius voluntas impleretur; et ideo quaedam explent divinam voluntatem necessario, quaedam contingenter, quamvis illud quod Deus vult, semper fiat » [6]).

In religiosa totali dependentia a Deo, effectiva et libera virtus hominis: en genuinus humanismus, secundum spiritum theologiae thomisticae, hellenicae et christianae, naturalis et supernaturalis. Quem quidem spiritum esse spiritum theologiae dionysianae, S. Thomas, cum aliis plurimis, suo tempore firmiter censebat; et nos hodie non pauci, re pro modulo nostro bene perpensa, firmiter etiam censemus.

CAROLUS MAZZANTINI
Prof. extraord. *Historiam Philosophiae docens*
in Universitate Januensi.
Prof. addictus *Historiam Philosophiae Medii Aevi* docens
in Universitate Taurinensi.

[1]) *Euthyphron.* XVI - 13 E.
[2]) *Contra Gent.* l. III, cap. 21, § Item: *Prius est.*
[3]) ibid. § Adhuc: *Res tendunt.*
[4]) Cfr. ex. gr. QQ. dd. *de Veritate*, q. VI, a. 3.
[5]) *Contra Gent.* lib. III, cap. 66.
[6]) QQ. dd. *de Veritate* q. VI, a. 3, ad 3.

POSTILLAE BIBLIOGRAPHICAE

* PRINCIPALIORES EDITIONES, quas G. Turturro describit, sunt:

1ª — *Editio Florentina*, (iuxta Bardenhewer « editio princeps ») 1516; « Impressum est hoc aureum Dionysii opus, in Aedibus Philippi iuntae bibliopolae, anno salutifere incarnationis M.D.XVI. Die XXIX Iulii. Pontificatus Leonis decimi, anno quarto ».

Textus sumitur vel ex Codice Laurentiano S. Marci 686 (B) cum editoris correct. aut coniecturis vel ex aliqua eiusdem codicis copia. Similiter ac B, editio Iuntina (y) lacunam habet in medio cap. IV de divinis Nominibus; in fine (y^1) quod deest fragmentum transcribitur ut suo loco legatur. Recens pars B (fol. 82) apographum fragmenti (y^1) videtur non huius gemina aut fragmentum copia B^1.

2ª — *Editio Veneta* 1539 (Ven.[1]); continet de mystica Theologia et de divinis Nominibus cum vers. et notis Marsilii Ficini. Textus plurimum accedit ad B et consequenter ad editionem Iuntinam, ope alicuius ms. veneti forsan correctam.

3ª — *Editio Parisiensis* 1569 (Par.[m]), opera omnia continet; editor F. Morelius plures codices adhibet et veteres versiones ut aliquo modo editio critica habeatur.

Codices ab editore citati sunt: j° - Memmianus (M) ab Henrico Memmio auctori donatus; ij° - Dionysianus (D) monasterio S. Dionysii a Michaele Palaeologo donatus; iij° - Salignaci maior (S) et iv° - Salignaci parvus (P) a theologo Ioanne Salignac appellati; v° - Carthusianus (Ch) a docto carthusiano Godefrido Tilmanno vocatus; vj° - Budaeus (B) a Iul. Budaeo correctus et notis ditatus (cfr. MG. III, 119).

Utitur insuper tribus antiquis versionibus: Ioannis Scoti Eriugenae (Sc.); Ioannis Saraceni (Sar.); Abbatis Vercellensis (Verc.) qui est Thomas Gallus († 1246).

4ª — *Editio Parisiensis* 1615 (Par.[1]) opera omnia continet studio et opera P. Lansellii Gravelingani S. I. qui nova versione I. Perionii o. s. b. (1536) textum graecum exornat, melius et plenius redacta diligentia ipsius P. Lansellii de re dionysiana optime meriti; progressum aliquem signat relate ad Par.[m] per duos novos codices quibus auctor utitur ex bibl. Henrici IV et, licet raro, indicantur breviter: « Henr. 1 » et « Henr. 2 ».

5ª — *Editio Antuerpiensis* 1634 (Ant.) opera omnia continet studio et opera P. Balthasaris Corderii S. I. cum textu et apparatu lectionum ex Par.[m] quibus adiunguntur etsi rarius var. lect. ex cod. Viennensi (V).

6ª — *Editio Parisiensis* 1644 (Par.[3]) ex Par.[1] et Ant.

7ª — *Editio Veneta* 1755-56 (Ven.[2]) ex Par.[3] et « facta collatione cum nitidissimo venetae sancti Marci bibliothecae codice. Operam hanc navavit industrius ac sane peritus Georgius Constantini natione graecus ex Joannina urbe Epiri » (B. de Rubeis o. p. dissertatio praevia, MG. III, 60).

Codex iste, notat Turturro, valde vicinus est cod. Laurentiano (H).

« Opusculorum numerum auget primo opus gallice scriptum » (Parisiis 1708): « Problema litteratis viris propositum circa libros Dionysio Areopagitae tributos quo ad examen vocatur quaeriturque num ipsorum operum auctor ex Clemente Alexandrino et ex divo Gregorio Nysseno deprompserit principia sua ac doctrinae partem et tractatum de Mystica Theologia an ab illo quidpiam isti mutuaverint (ibid. 60).

8ª — *Editio Parisiensis* 1856, « accurante et denuo recognoscente J. - P. Migne (Patr. Graeca t. III-IV), quae refert, iuxta Turturro, Ven.ª, sed communiter *Ant.* Corderii.

** CODICES MANUSCRIPTOS, ex notitiis quas collegit Turturro numerare placet, quamvis ab intentione huius operis paulisper alienum videatur, maxime cum recentiores notitiae et certo diligentissime peractae inquisitiones praesto non sint.

1° — Bibl. caesarea Vindobon.: codex 65, membr. in f. continet *a*) de divinis Nominibus; *b*) de coelesti Hierarchia; *c*) de ecclesiastica Hierarchia; *d*) de mystica Theologia; *e*) epistolas.

2° — ibid. Codex 110, membr. in f. continet *a*) prologum Maximi; *b*) de coelesti Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de ecclesiastica Hierarchia; *e*) de mystica Theologia; *f*) epistolas, scholia marginalia Maximi.

3° — ibid. Codex 162, membr. in 4°, continet *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) Epistolas, scholia marginalia Maximi. Ad hunc codicem de Nessel in catalogo notat: « Quamvis R. P. Balthas. Corderius in variantibus operum S.ti Dionysii lectionibus mentionem faciat codicis alicuius Viennensis, videtur tamen ipse neque hunc neque alios S. Dion. Ar. operum codices mss. Caesareos propriis oculis vel unquam vel sufficienter perlustrasse ».

4° — Bibl. reali in Belgio: Codex 901, mm. 332 × 233, ff. 212 saec. XIV, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) epistolas.

5° — ibid. Codex 902, 0^m, 24 × 0^m, 14, ff. 108, saec. XV continet: *a*) de divinis Nominibus; *b*) de mystica Theologia; *c*) epistolas, *d*) de ecclesiastica Hierarchia.

6° — ibid. Codex 903, mm 295 × 210, ff. 138, saec. XV, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia.

7° — ibid. Codex 904, 0^m, 28 × 0^m, 22, ff. 148, anno 1436, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

8° — Bibl. nationali Parisiensi: Codex 437, saec. XI, uncialis, ff. 216, continet: *a*) de coelesti Hierarchia (1); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (41); *c*) de divinis Nominibus (104); *d*) Epistolas II-IX (193).

9° — ibid. Codex 438, anno 992, ff. 249, continet Areopagitica cum scholiis Maximi.

10° — ibid. Codex 439, saec. XI, ff. 118, continet Areopagitica cum scholiis Maximi.

11° — ibid. Codex 440, saec. XII, ff. 185, continet: *a*) de divinis Nominibus cum scholiis Maximi (1); *b*) de coelesti Hierarchia (72^v); *c*) de ecclesiastica Hierarchia (106); *d*) Epistolas (153).

12° — ibid. Codex 441, saec. XIV ff. 108: Areopagitica cum scholiis Maximi.

13° — ibid. Codex 442, saec. XII, ff. 253: Areopagitica cum scholiis Maximi.

14° — ibid. Codex 443, palimpsestus, a Longino transcriptus a. 1272, ff. 116: Areopagitica cum scholiis Maximi.

15° — ibid. Codex 444, a. 1348, ff. 158: Areopagitica cum scholiis Maximi.

16° — ibid. Codex 445, saec. XIV, a Joanne Neocaesareae duce, ff. 116: Areopagitica cum scholiis Maximi.

17° — ibid. Codex 446, saec. XVI, ff. 281: Areopagitica cum scholiis Maximi.

18° — ibid. Codex 447, saec. XVI, ff. 236: Areopagitica cum scholiis Maximi.

19° — ibid. Codex 933, saec. X, ff. 251 continet: *a*) de coelesti Hierarchia cum Maximi prologo (2); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (46); *c*) de divinis Nominibus (107); *d*) de mystica Theologia (188); *e*) Epistolas (193).

20° — ibid. Codex 934, saec. XI, ff. 120: Areopagitica cum scholiis Maximi.

21° — ibid. Codex 935: saec. XIII, ff. 331: Areopagitica cum scholiis Maximi.

22° — ibid. Codex 936: saec. XIV, ff. 220: Areopagitica cum scholiis Maximi.

23° — ibid. 1330, saec. XIV, « prior scriptura, unciali charactere, S. Dionysii Areopagitae opera praeferebat ».

24° — Fundi Coisliniani, Codex 85, saec. XV.

25° — » » , Codex 86, saec. XVI.

26° — » » , Codex 253, saec. X.

27° — » » , Codex 254, saec. XV.

28° — Fundi Parisiensis, Codex 78, saec. XIV.

29° — Suppl. Bibl. Nat. Parisiensis, Codex 8 saec. XI, continet: *a*) de coelesti Hierarchia cum prologo (5); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (33^v); *c*) de divinis Nominibus (70); *d*) de mystica Theologia (116); *e*) Epistolas (118^v).

30° — ibid. Codex 337, saec. XVI, continet: *a*) de coelesti Hierarchia (1); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (39^v); *c*) de divinis Nominibus (77); *d*) de mystica Theologia (171); *e*) Epistolas (177).

31° — Bibl. Fontis Bleandi (Fontainebleau), Codex 163, chart. magnae formae, a. 1348: « Dionysius Areopagita cum scholiis cuiusdam operosi (viri) cuius nomen non inscribitur ».

32° — ibid. Codex 164, saec. XI, parvae formae: « Dionysius Areopagita cum aliquibus scholiis ».

33° — Bibl. Duariensi (Douai): Codex 434, mm. 340 × 220, tribus tomis, a fol. 115 tertii t. continet Hierarchiam, Divina Nomina, mysticam Theologiam.

34° — Bibl. Metensi (Metz): Codex 355, parvus in 4°, a. 1436, inter alia continet mysticam Theologiam cum Commentario Abbatis Vercellensis.

35° — Bibl. Tricensi (Troyes): Codex 841, parvus in-folio saec. XIII, ff. 337, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de mystica Theologia; *d*) Epistolas; *e*) « de Angelica Hierarchia »; *f*) de ecclesiastica Hierarchia; *g*) « Iterum de divinis Nominibus; *h*) de mystica Theologia.

36° — « British Museum »: Codex 5624 in fine continet Dionysii epistolas (a. 6567 mundi = 1059 Domini).

37° — ibid. Codex 5678, saec. XV: Areopagitica cum paraphrasi Pachymeris.

38° — Bibl. Montis Athos: Codex 229, 8, chart. in 4° saec. XV: *a*) incipit a II cap. de ecclesiastica Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de mystica Theologia; *d*) Epistolae.

39° — ibid. Codex 1268, 234, membr. in 8° parvo saec. XIII, ff. 547: continet *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia.

40° — ibid. Codex 2789, 115, chart. in 8° saec. XIV et XV, ad n. 11: « Dionysii (Ar.) de coelestibus ordinibus ».

41° — ibid. Codex 3622, 88, membr. in 8°, saec. XIII, continet: *a*) de coelesti

Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

42° — ibid. Codex 3747, 213, chart. in 8°, saec. XV: « Dionysii Ar. opera ».

43° — ibid. Codex 3795, 261, chart. in 8°, saec. XIII; post prologum continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

44° — ibid. Codex 3799, 265, chart. in 8°, saec. XV continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de ecclesiastica Hierarchia; *d*) de Mystica Theologia; *e*) Epistolas.

45° — ibid. Codex 3808, 274, chart. in 16° saec. XVI, unam tantum epistolam Dionysii continet.

46° — Bibl. Genevensi (Genève): Codex 28 in-folio, 14 mensis iunii 1464, continet de divinis Nominibus.

47° — Bibl. Com. Queriniana Brixiae: Cod. A. IV, 3. chart. mm. 290 × 214, ff. 242, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; (initio mutila) cum scholiis Maximi; *b*) de ecclesiastica Hierarchia cum scholiis; *c*) de divinis Nominibus cum scholiis; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

48° — Bibl. Vallicelliana Romae: Codex 13 (B. 55) membr. mm. 261 × 196; saec. XI; continet prologum Maximi, interpretationem terminorum, scholia: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

49° — ibid. Codex 17 (B. 80) saec. XIV, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de mystica Theologia; *d*) de ecclesiastica Hierarchia; *e*) Epistolas.

50° — ibid. Codex 30 (C. A.) saec. XIV, continet excerpta ex Areop. operibus.

51° — ibid. Codex 69 (E. 69) saec. X, continet scholia Maximi: *a*) de divinis Nominibus; *b*) de coelesti Hierarchia; *c*) de ecclesiastica Hierarchia; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas, cum scholiis Maximi.

52° — ibid. Codex 75 (E. 61), saec. XIII scholia; *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

53° — Bibl. Vaticana, Fundi Palatini: Codex 39, bombic. in 8° saec. XIII et XIV (duo manus); ff. 175: Areopagitica cum scholiis margin.

54° — ibid. Codex 123, membr. in 8°, initio saec. X, fol. novissimum saec. XV; ff. 186, initio mutilus, scriptura elegantissima continet prologum Maximi; *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de mystica Theologia; *d*) Epistolas; *e*) de divinis Nominibus cum scholiis margin.

55° — Bibl. Vaticana, Fundi Suevi: Codex 30, in 4°, ff. 167, saec. XI membr. continet: *a*) de coelesti Hierarchia cap. VII-XV col. VII, initio mutilus; *b*) de ecclesiastica Hierarchia; *c*) de divinis Nominibus; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

56° — Bibl. Vaticana, Fundi Urbinatis: Codex 5, chart. mm. 248 × 168; saec. XVII, ff. 247 continet interpret. terminorum, scholia; *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de ecclesiastica Hierarchia; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas.

57° — Bibl. Taurinensis Athenaei: Codex CCCLIX, C. I, 40, membr. ff. 324, saec. XIV, Areopagitica cum scholiis Andreae cuiusdam.

58° — Bibl. Marciana Venetiis: Codex CXLII, membr. in f. minori, saec. XIII c. ff. 266, continet: *a*) de coelesti Hierarchia; *b*) de divinis Nominibus; *c*) de mystica Theologia; *d*) de ecclesiastica Hierarchia; *e*) Epistolas. Scholia pro maiori parte conveniunt cum iis quae in edit. Maximo attribuuntur.

59° — ibid. Codex CXLIII, membr. in 4°, ff. 275, saec. X c.: Areopagitica cum scholiis in edit. Maximo attributa; initio tractatus de divinis Nominibus legitur: « Notandum scholia quotquot numero distinguuntur esse Germani patriarchae; quae vero sine numero Maximi monachi ». Jacobus Morellius putat hunc esse codicem quo usus est Georgius Constantini pro edit. Ven.[2]

60° — ibid. Codex CXLIV, chart. in-f. saec. XIII c. ff. 89: « S. Dionysii Opera ut in codice superiori ».

61° — Bibl. Mediceo-Laurentiana, Florentiae: Plut. VII, Codex XXXV chart. in 4°, saec. XIII-XIV: ad c. 37-38 quatuor epist. Dionysii Caio therapeutae.

62° — ibid. Plut. XXXI Codex XXXVII chart. in 8° saec. XIV, tres chartae novissimae saec. XVI; ff. 377, ad c. 119^{v} excerpta ex cap. II, IV, V de mystica Theologia; ad c. 122 de coelesti Hierarchia.

63° — A: ibid. Conv. suppr. 202, membr. mm. 375 × 285, chartae scriptae 206, quarum 177 antiq. scripturae (saec. IX-X), 29 recentioris manus (saec. XV-XVI); continet: *a*) de coelesti Hierarchia (c. 6[1]); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (c. 41[1]); *c*) de divinis Nominibus (c. 96[1]); *d*) de mystica Theologia (c. 165[1]); *e*) Epistolas (171). Partis recentioris signum distinctivum ponitur A[1] et est apographum B.

64° — B: ibid. S. Marci 686, membr. cm. 29, 3 × 21, ff. 217 (f. 82 recens, 130^{v} vacuum), saec. X; continet: prologum Maximi; indices et excerpta Dionysii (3); notae de modo loquendi Dionysii (5^{v}); interpretatio terminorum (6); scholia (9^{v}); *a*) de coelesti Hierarchia (10); *b*) de divinis Nominibus; *c*) de ecclesiastica Hierarchia; *d*) de mystica Theologia; *e*) Epistolas. — Inde a fol. 214 alia doc. continet. Fol. 82 recentioris manus (B[1]) supplet lacunam in medio cap. IV DN. et videtur apographum fragmenti in appendice editionis Juntinae transcripti (y[1]).

65° — C: ibid. Plut. V, Codex XIII, membr. mm. 307 × 215, duas manus praefert saec. XI et XV; continet: prologum Maximi (c. 1), scholia cum indice coelestis Hierarchiae (4^{v}); *a*) de coelesti Hierarchia (7^{v}); interpretatio et scholia Ioannis Itali « philosophi » (8^{r}-10^{v}); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (97^{v}); interpretatio; *c*) de divinis Nominibus (203^{v}) cum indice et interpretatione. In medio cap. IV c. 310^{r} recentior pars (C[1]) incipit et ex parvo quod habent commune coniicere licet B[1] et C[1] ad eamdem fontem, per Iuntinam editionem, ascendere.

66° — E: ibid. Plut. V, Codex XXVI, chart. mm. 210 × 142, ff. 267, saec. XIV (1348); continet: epigramma Dionysio et prologum Maximi (1); *a*) de divinis Nominibus (4^{v}) cum scholiis Andreae cuiusdam quae textui brevissimo interpolantur; *b*) de coelesti Hierarchia (130) cum scholiis quae *partim textui interpolantur, partim in margine ponuntur;* *c*) de ecclesiastica Hierarchia (224^{v}) cum scholiis textui interpolatis; *d*) epistolas (234) quibus scholia interponuntur.

67° — H: ibid. Plut. V, Codex XIX, chart. mm. 247 × 189; ff. scripta 286, saec. XIV (1331); continet: prologum (1); indicem librorum et cap. (2^{v}); *a*) de divinis Nominibus (6) cum scholiis marg. quae in medio cap. IV finiunt; *b*) de coelesti Hierarchia (49); *c*) de ecclesiastica Hierarchia (71); *d*) de mystica Theologia (100); *e*) Epistolas (107^{v}). Sequuntur orationes Gregorii Nazianzeni.

68° — L: ibid. Plut. V Codex XXXII, chart. mm. 211 × 146; ff. 220, saec. XV, continet: *a*) de coelesti Hierarchia (1); *b*) de divinis Nominibus (28^{v}); *c*) de ecclesiastica Hierarchia (76^{v}); *d*) de mystica Theologia (117); *e*) Epistolas (120). Scholia interponuntur:

v. gr. ad c. 88 « scholia *de symbolica Theologia* » (sic vocatur, dum agitur de scholiis ad 1 cap. EH.), inde ad c. 96 rursus textus occurrit et scholia ad c. 203 continuant; 135-182^{v} scholia de divinis Nominibus et de coelesti Hierarchia.

69° — a: ibid. Plut. V, Codex XI, chart. mm. 327 × 227, ff. 68; saec. XV; continet: prologum Maximi (1) cum indice librorum et cap. *a*) de coelesti Hierarchia (4); *b*) de ecclesiastica Hierarchia (16^{v}), cum scholiis *de symbolica Theologia*, ut supra pro L notatum est; *c*) de divinis Nominibus (38). Pro parte antiqua a est apographum A (Conv. suppr. 202); pro parte recentiori (a^1) est apographum L. Non obstante hac duplici dependentia Plut. V. XI est alicuius momenti, quia quando a transcripsit A pleniori codice utebatur, absque lacuna recentius cc. 9-16 suppleta.

70° — b: ibid. Conv. suppr. 104; membr. mm. 231 × 158, ff. 89; saec. XVI: continet tantum de divinis Nominibus cum scholiis Maximi; lacunam habet in medio cap. IV sicut et in antiquo S. Marci 686 (B) cuius est apographum.

* Manuscripti Laurentiani duplicem traditionem repraesentant: primam, Codex A (Conv. Suppr. 202) et inde a (Plut. V, XI) apographum prae se fert; alteram vero, mss. B (A^1 C) C^1. E. H. L. (a^1); Plut. V, XIII (C) pro parte antiqua inter unam et alteram traditionem invenitur. Unde ab eruditissimo viro Turturro Codices bibl. Mediceo-Laurentianae hoc stemmate disponuntur:



Nucleum particularem in altera traditione E. H. formant et in A parte antiqua textus purior ut in pluribus inveniri videtur.

* Sutoris non est pictori dare consilium ultra crepidam, liceat tamen diligentissimi P. Théry studia notare pro operibus dionysianis critice in futurum edendis, quae inveniuntur in ephemeride *New Scholasticism* oct. 1929: *Recherches pour une édition grecque historique du pseudo-Denys*, at prae manibus habere non potui, unde cum lignis quae praesto erant, ignem accendere et fovere necessarium fuit.

* Ex iis quae supra notavi, quivis potest cognoscere et iudicare maximas difficultates in colligendis et rimandis huiusmodi notitiis. Inde spero me facilius veniam obtenturum, pro defectibus et lacunis huius qualiscumque operis. Si quae vero bona obveniant, gratias agantur Largitori luminis et patientiae.

VARIAE LECTIONES ET CORRECTIONES IN EXPOSITIONE COLLECTAE VEL PROPOSITAE

Latinam *versionem* accurate perlegens eo fine ut plenius et distinctius *textus Dionysii* intelligatur, quaedam occurrerunt mendosa quae correcta invenies in observationibus quoad textum in fine uniuscuiusque lectionis.

Quae vero ad *expositionis textum* pertinentia occurrerunt manifeste mendosa, editis aut ipsa latina versione, ut datum est, correcta invenies et quae maioris momenti videbantur hic transcripta sunt ut quisquis de his iudicare possit, absque praeiudicio ulterioris melioris rationis per textum criticum ex codicibus.

Textum expositionis diligentius in plagulis revisens, necessitatem perspexi correctiones aliquas distinctius notandi, ne temerario auso egisse videar: cum alicuius sint momenti, de his lectores admonendi mihi officium.

Quaedam occurrunt in loco vel manifeste lacunoso **[362]** vel, ni fallor, evidenter corrupto **[832]**. Quae utcumque supplevi — natura enim abhorret a vacuo — uncis clausâ inveniuntur, ita ut nullus in errorem possit induci.

Quaedam autem sunt quae primo aspectu pugnantia cum textu versionis notantur nec aliis versionibus suffulta videntur, quin immo et textui Dionysii repugnant, quod certe est contra expositionis characterem generalem.

Audacter, non tamen inepte vel leviter, aliquoties textum expositionis ad literam versionis vel textus dionysiani reducere conatus sum. Quae correctiones maioris momenti videntur *verticali linea producta* notantur in nn. **251, 257, 258, 415, 569, 646, 672, 702, 723, 845, 864, 903, 919, 951, 991, 995.**

Expositionis textus quandoque adiumenti validioris est ad diligentiorem lectionem, v. gr. in nn. **227, 322, 382, 620, 678, 729, 804, 920, 976.** Quae quidem correctiones, sicut et passim ceterae, proditionis actum constituere non videntur et ideo simpliciter ponuntur.

Duplici serie disposui huiusmodi principaliores variantes lectiones vel correctiones ita ut statim possit quis cernere lectionem quam eligo vel correctionem quam propono sub istis signis: T (est editio taurinensis apud haeredes N. Beuilaquae 1581, prima post « pianam » 1570); Ve^2 (est editio *altera* veneta, apud Ioseph Bettinelli, t. VIII, 1747); S. Th. Aq. *Opuscula theologica* edit. P. Mandonnet, Parisiis 1927, prima vice indicatur: II, 226; inde *ib.* cum numero paginae.

*Cap. I, lect. 1, n. **7**: « in cognoscendo » (T, Ve^2). — : « *non* cognoscendo » (II, 226).
— **8**: « nec fides coniungit nos eis » (ib. 226). — : « nec fides sic coniungit eis » (T, Ve^2).
— **14**: « supersustantialitatis divinae ignorantiae » (T, Ve^2). — : « ... ignoratae » (ib. 228).

— **23**: « sicut intelligibilia per materialia » (T, Ve²).
— **24**: « sunt incontemplabilia idest imperscrutabilia » (T, Ve²).

—: « et sicut carentia seu privatio [ ] est intangibilis et infigurabilis et sicut incorporalia quae carent forma et sunt intangibilia et infigurabilia, ut intelligamus poni abstractum pro concreto, sunt incomprehensibilia et infigurabilia licet formatis secundum figuras corporum » (T, Ve²).
— **26**: « tunc enim unum per aliud contemplamur » (ib. 231).
—: « comprehenditur autem cuius essentia, ita... » (ib. 231).
— **27**: « quamdiu nobis nostra cognitio colligata est rebus creatis » (ib. 232); « assignata est » (Ve²).
— **32**: « sed quae quidem est scitur vel contemplatur de ea quicquid est qua scientia comprehensiva » (T); « sed qua quid est scitur » (Ve²); « sed qua quidquid est... de ea quidquid est, quae quidem est scientia comprehensiva » (ib. 234).
—: « de se cognoscere quicquid est » (T); « quidquid est » (Ve²).
— **38**: « aliquo modo est incontemplabilis » (ib. 236).
— **39**: « quod affectum amoris divini manifestatis exhibeant » (Ve²).
—: « per quae elevantur in divina aliis spiritualibus scilicet contemplationibus aut intellectualibus » (T); « alis spiritualibus ...aut intellectualibus » (Ve²) « aliis » (ib. 236).

*Cap. I, lect. 2, n. **44**: « ut scilicet commensurate ... nos immittimus » (T); « scilicet ... nos immittimus » (Ve²).
— **45**: « quod desistimus ... sed inhaeremus » (T, Ve²).
—: « per quae manifestatur nobis Deum esse bonorum principium » (T); « manifestatur nobis Deus esse bonorum principium » (Ve²).
—: *omittit* (ib. 241).

— **52**: « qui est primum agens et causa formalis » (T, Ve²); « quasi principium agens » (ib. 244).
— **54**: « vivens » (ib. 244).
—: « quod nobis perfectiones » (Ve²).
— **61**: « quod ita coniuncta sit veritate nostris secundum exhibitionem » (T, Ve²).
—: « per quae » (Ve²).
— **62**: « secundum aliquam commensurationem » (T, Ve²).
— **64**: « ut puta quae pertinent ad ritus sacrorum mysteriorum (ib. 248).
— **72**: « unde [ ] omnis virtus cognoscitiva creaturae [ ] est aliquis certus terminus » (T); « habet aliquem certum terminum » (Ve²).
—: « illud quod » (T); « ille qui terminum alicuius cognitionis non attingit, ad illam cognitionem non attingit » (Ve²).

—: « ... comprehendi non possunt perfecte per sensibilia » (ib. 230).
—: « sunt incontemplabilia *a*, [add. ex textu vers. n. 7] sensibilibus idest per sensibilia » (ib. 230).
—: « formae scilicet corporalis, rerum incorporalium, quae quidem carentia seu privatio est intangibilis et infigurabilis idest ipsa incorporalia quae carent forma et sunt intangibilia et infigurabilia, ut intelligamus poni abstractum pro concreto,sunti incomprehensibilia et incontemplabilia formats secundum formas corporum » (ib. 230).
—: « tunc enim per aliud contemplamur » (T, Ve²).
—: « comprehenditur autem illius essentia, cum ita » (T, Ve²).
—: « quamdiu nostra cognitio alligata » « (T).

— corr. « sed qua *quod quid est* scitur vel contemplatur de ea *quod quid est*, quae quidem est scientia comprehensi a ».

— corr. « *quod quid est* ».

—: « est omnibus *contemplabilis* » (T, Ve²; cfr. n. 10, **36**).
—: « quod affectum amoris, *divinis manifestatis* exhibeant » (T; ib. 236).
— corr. « per quae elevantur in divina alis spiritualibus, scilicet contemplationibus intellectualibus ».

—: « ut scilicet commensurate ... nos immittamus » (ib. 240).

—: « quod desistamus ... sed inhaereamus » (ib. 241).
—: « per quae manifestantur nobis dona Dei et donorum principium » (ib. 241).

—: « utpote cum dicimus Deum viventem cognoscimus diffusionem vitae in creaturis et principium huius diffusionis esse Deum » (T,Ve²).
— corr. « qui est *principium* agens et causa *fontalis* omnis vitae »; (cfr. n. **72**: « in causa primordiali »).
—: « vivus » (T, Ve²).
—: « quod rebus » (T; ib. 245).
—: « quod ita communicaverit nostris secundum inhabitationem » (ib. 247).
—: « per quae omnia » (T; ib. 247).
—: « comm ssationem » (ib. 248).

—: « ...ad sacrorum mysteriorum cognitionem » (T, Ve²).
—: « unde cum omnis virtus cognoscitiva creaturae sit finita, cuiuslibet cognitionis creaturae est aliquis certus terminus » (ib. 252).
—: « illud quod excedit terminum alicuius cognitionis, non attingitur ab illa cognitione » (ib. 252).

*Cap. I, lect. 3, n. **95**: « solum subduntur » (T, Ve²).
— **100**: « principium esse intelligendi [ ] quod appellabant primum ens » (T, Ve²).
—: « ut *principalis substantia* [ ] inquantum dat perfectiones » (T, Ve²).

— **107**: « determinat » (T, Ve³).

*Cap. II, lect. 1 (4), n. **117**: « ... attribui *universae*... et hoc (Ve²: « et hic ») *simpliciter* respondet ... absolute nominari (ib. 273, addit: integra) ... inobservatim, idest » (T, Ve²).

— **126**: « duo genera rationum » (T, Ve²).

— **127**: « distinctim *a* divina persona » (T); « ... ad *divinas personas* » (Ve²; ib. 278).

*Cap. II, lect. 2 (5), n. **130**: « aliqua manifesta veritas traderetur » (ib. 280).
— **134**: « quasdam occultas etc. » (T); « ...occultas et irregressibiles supercollocationes » (Ve²).

— **144**: « *super excellentiae* collocationem » (Ve², ib. 283).
— **148**: « videmus quod multis luminaribus existentibus in domo una [ ] omnium luminarium lumina resplendent » (T, Ve²).
— **150**: « et propter hoc etiam quod dicit » (T; ib. 285).
— **152**: « per intellectum et affirmationem » (T, Ve²).
— **153**: « secundum processiones Deitatis [ ] una quidem » (T, Ve²).
—: « fit multitudo rerum in discretione » (T, Ve²).
— **155**: « sed etiam *per hoc* ea quae » (T, Ve², ib. 287).
—: « principium de principio » (T, Ve²).

*Cap. II, lect. 3 (6), n. **158**: « communis vel unita in tota Trinitate » (ib. 289).
— **160**: « laudantur ex participationibus, idest ex donis participabiliter aut esse communem sapientiam et vitam cum participantibus » (T, Ve²).
— **163**: « sicut punctum quod est in medio circumpositis lineis » (T, Ve²).

— **168**: « decepta carne » (T).
—: « et non solum ipsa Incarnatione discretum, sed secundum etiam actiones et passiones Dei Filium credimus incarnatum » (T, Ve²).
—: « destruitur hic error ponentium unam operationem in Christo et per hoc quod attribuit secundum operationem » (T, Ve²); « per hoc quod attribuit Christo secundum oper. div. (ib. 294).

*Cap. II, lect. 4 (7), n. **177**: « participat intellectualem virtutem per divinae Sapientiae lumen » (ib. 297).
— **180**: « aliquam deitatem vel vitam vel substantiam » (T); « aliquam *Deitatem* vel *substantiam* » (Ve², ib. 298).
— **184**: « et ne videatur deesse creatio proprietatum Spiritus Sancti » (T, Ve²).

—: « solum *sensibiliter* » (ib. 263).

—: add. « quod appellabant primum intellectum et aliud existendi » (ib. 265).
—: add. « omnium inquantum est principium existendi omnibus et dicitur causa *perfectiva* omnium » (ib. 265).
—: corr. « terminat ».

— corr. « attribui *simpliciter absolute* et inobservatim *totaliter*, *universae*... et hoc: *simpliciter*, quod respondet ... absolute nominari ... inobservatim *totaliter*, idest... » (ex textu *vers.* n. 31 et expositione in qua *bis* legitur: " quod respondet ").
—: « duo genera *nominum* » (ib. 277, nota 1 ex Cod. Vict.).
—: « distinctim *ad divinam personam* » (corr. ex textu *vers.* n. 53 et expositionis n. 168).
—: aliqua manifesta traderentur » (T, Ve²).

—: « et inegressibiles supercollocationes divinas quae sunt singularitatis divinae superineffabilis et superignotae » (ib. 281; cfr. n. 39 — vers.).
—: « *superexcellentiae* collocationem » (T); cfr. in textu exposit. n. **155**.
— add. « omnium luminarium lumina esse unita ad unum quoddam lumen, quia, in eadem parte aëris (ib. 284).
— « et propter hoc est quod dicit » (Ve²).

—: « et affectionem » (ib. 286).

—: add. « Est autem duplex processio » (ib. 287).
—: « et distinctio » (ib. 287).

—: « sed etiam *quod ea* quae » (corr. ex textu *vers.* n. 48).
—: « principium *non* de principio » (ib. 287).
—: « communis vel unita in Trinitate » (T, Ve²).
—: « ...idest ex donis participatis ut est esse, sapientia et vita et participantibus » (ib. 290 ex cod. Vict.).
— add. « circuli, participatur ab omnibus lineis in circulo circumpositis » (ib. 291; cfr. *vers.* n. 50).
—: « accepta carne » (Ve²).
—: « et non solum ipsa Incarnatio est discretum, sed etiam actiones et passiones Dei incarnati » (ib. 293).
—: « destruitur... in Christo, per hoc quod attribuit Christo operationem divinam » (corr.).

—: « participat intellectualem virtutem et divinae Sapientiae lumen » (T, Ve²).

—: « aliquam *deificationem aut vitam* vel *substantiam* » (corr. ex textu Dionys. n. 56); agitur de *effectibus* non adaequatis, ut dicunt.
—: « ...communicatio proprietatum » (ib. 300).

— **188**: « est factus substantia materialiter, idest hypostasis materialis » (T, Ve²).

— **190**: « de theologicis stoitheiosibus » (ib. 302); « stoyseosibus » (T).
—: « quod enim convertitur usque ad anima dividitur » (T).
— **191**: « et sic per amorem ad ipsas res quodammodo immutatur » (ib. 303).
*Cap. II, lect. 5 (8) n. **198**: « ...causalitatem *Deitatis* Christi *divinae*, retrogirando per viam resolutionis, *etiam* incipiens. » (T, Ve², ib. 305).
— **201**: « inquantum pervenit per modum cuiusdam participationis, sed tamen pervenit immaculate » (T, Ve²).

— **207**: « fuerunt unificae ex virtute Deitatis ad invicem » (Ve²); « miraculis fuerunt vivificae et salutares ex virtute Deitatis adiunctae » (ib. 308, ex cod. Vict.).
*Cap. II, lect. 6 (9), n. **212**: « quod omnes summo rerum Principio attribuunt » (ib. 310).
— **217**: « participans *ipse* » (T, Ve², ib. 312).

*Cap. III, lect. unica (10), n. **226**: « non se extendit nisi ad existentia » (ib. 318).
— **227**: « 8 *Metaphysic.* » (T); « *VIII Metaphys.* » (Ve², ib. 319).
— **241**: « secundum ineffabilem earum seriem » (T, Ve²).
— **242**: « utrumque iudicium » (T, Ve²).
— **246**: « excusatione dignus » (T, Ve², ib. 323).

— **250**: « manifestarent et distinguerent ab eis » (T, Ve², ib. 324).
— **251**: « ... esse *magnarum* perfectarum considerationum » (T, Ve², ib. 324).

—: « quamdam secundum auctoritatem » (ib. 326).
— **255**: « quod suscepit Deum in utero » (ib. 326).
— **257**: « multos sanctorum *nostrorum* » (T, Ve², ib. 327.
— **258**: « quia totaliter non audeat... de divina sapientia secundum suam mentem capere potest et illam etiam audet » (T); « ... non audet ... nisi quod ... et illa » (Ve²).
*Cap. IV, lect. 1 (11), n. **285**: « per totum, quia in quolibet ... et in potentia ... rationes uniformes conclusiones dicuntur ... in conclusione » (T); « in quolibet ... in potentia ... rationes uniformes conclusiones ... enim ... in conclusione » (Ve²); « ... rationes uniformes, circulationes ... tamen ... in circulatione » (ib. 337).
— **288**: « Ad hoc autem secundum » (Ve²); « hoc autem secundum necessarium est, quia necessarium est » (ib. 339).
*Cap. IV lect. 2 (12), n. **292**: « ... ad irrationabiles creaturas ... ad animalia irrationabilia ... de irrationabilibus animalibus » (T, Ve²).

—: « est factus substantia viriliter [respondet: *ἀνδρικῶς*, viriliter (59)], idest hypostasis virilis » (ib. 301).
—: « de theologicis stoichiosibus » (Ve²); cfr. n. 60 in textu versionis.
—: « quod enim conteritur usque ad minima dividitur » (Ve²).
—: « et sic ad ipsas res quodammodo afficitur » (T, Ve²).
—: « ... *causalitatem* Deitatis Christi *divinam*, retrogirando per *viam* resolutionis, *eam* incipiens... », (corr. mendosam lectionem).
—: « inquantum supervenit (*ἐπιβατεύουσα*, superveniens, 65) *totis substantiis* idest omnibus et unicuique secundum totum, per modum cuiusdam participationis, sed tamen supervenit *immaculate* (cfr. ib. 306).
—: « quia caro eius... et anima eius... et actus eius et operationis fuerunt unificae ex virtute Deitatis, ad invicem » (T).

—: « quod omnes supposito rerum Principio attribuunt » (T, Ve²).
—: « participans *ipso* » (h. e. *uno*, quod excluditur); quoad construct. cfr. in textu *vers.* n. 117: « participare *ipso* » et in textu exposit. n. 311: « non participans *lumine* ».
—: « non se extendit nisi ad entia » (T, Ve²).

—: « *IV Meteorologicorum* » (corr. ex textu expositionis, n. **968**).
—: « secundum inevitabilem causarum seriem » (ib. 321).
—: « rectum iudicium » (ib. 322).
—: « accusatione (corr.) dignus » (cfr. n. **245**: « unde accusabilis... »).
—: « *manifestarentur* et *distinguerentur* ab eis » (corr. mendosam lectionem).
—: « esse *magistrum* perfectarum considerationum » (corr. ex textu *vers.* n. 88; est autem veluti " *Scriptura altera* ").
—: « ...secundam auctoritatem » (T, Ve²).

—: « quod etiam suscepit Deum, incarnationem » (T. Ve²).
— « *...magistrorum* » (corr. ex textu *vers.* n. 92).

—: « non audet ... nisi ea quae » (ib. 327); seq. corr. « *audit* et dicit, *quia* » (et infra expl. sub n. 93).

—: « per totum, in quolibet sui habet ... in potentia ... *ratione uniformitatis convolutiones* [cfr. n. 102] dicuntur: habent *enim* ... id quod perfectionis est in circulatione » (corr.).

—: « Hoc autem secundum necessarium est, postquam » (T).

—: « irrationales ... irrationalia ... irrationalibus » tum in *expositione* tum in *vers.* corr. " arborem *Porphyrii* " considerans (confirmat ib. 340, quoad *vers.* non in *expositione*, ib. 341).

— **298**: « In ipso enim solo Deo invenitur quod Deus est excessus substantiae » (T, Ve²).
*Cap. IV, lect. 3 (13), n. **318**: « et ipsum bonum est quod naturali inclinatione tendunt » (T, Ve²).
*Cap. IV, lect. 4 (14), n. **322**: « dicta sunt per *divisionem* » (T, Ve², ib. 355).
— **327**: « Non enim omnis nescientia purgatur » (T, Ve²).
— **329**: « reddunt omnia immobilia (T, Ve²).
—: « ignorantiam boni quod est finis et viae qua » (ib. 357).
— **330**: « traditur in utraque » (T, Ve²).
*Cap. IV, lect. 6 (16), n. **361**: « et ideo subiungit: *alteritates et diversitates* ... et ideo subiungit: *dissimilitudines* » (T, Ve², ib. 368).
— **362**: « ... prout superiora provident inferioribus quod tangit cum dicit [ ] *alternae habitudines coordinatorum*, idest aequalium ». (T, Ve², ib. 369).
— **365**: « superiora sunt ... loco inferiorum vel spiritualis vel corporalis » (T, Ve²; ib. 370).
*Cap. IV, lect. 7 (17) n. **368**: « ... animalium rationalium » (T, Ve², ib. 372).
— **372**: « et quod sit in eo ordo et uniformitas » (T, Ve²).
—: « cuius providentiae principium sit ab ipso Angelo » (ib. 373).
—: « non invenitur uniformis » (T, Ve²).
— **375**: « unde in hac receptione potest attendi ... sed magis ... » (T, Ve², ib. 374).

— **376**: « convolutio animae dirigitur » (T, Ve²).
— **377**: « in uniformi consideratione Dei, quam habent in quantum nati sunt non cognoscere discurrendo per diversa » (T, Ve²).
*Cap. IV, lect. 8 (18), n. **382**: « sicut in causa finali » (T, Ve², ib. 377).
— **384**: « sicut per causam exemplarem, secundaria est omnis substantia » (ib. 378).

*Cap. IV, lect. 9 (19), n. **402**: « desiderium est quidam affectus amoris » (T, Ve², ib. 385).
— **407**: « et dicit quod [ ] ea quae sunt unius ordinis [ ] *coordinata* » (T, Ve²).
— **412**: « ... ad veritatem intentionis » (T, Ve²).

— **415**: « utiliores et sensibiles species et manifestius » (T); utiliores sensibiles (Ve²).
—: « quae non sunt manifesta *in sensibus* » (T, Ve², ib. 390).

—: « quia nomen dilectionis est et communius est et omnem amoris planius, magis eo utendum » (T); « dilectionis communius ... utendum est » (Ve²).
— **421**: « ... et ab his scripturis » (T, Ve²).
— **424**: « prout utrumque connectitur alteri secundum inclinationem ... se habent invicem » (ib. 393).
*Cap. IV, lect. 11 (21), n. **444**: « inquantum vero ipsum suum velle bonum suum vult esse suum esse et suam substantiam » (T, Ve²).

—: « invenitur quod est excessus substantiae » (ib. 343).
—: « ad quod ... tendunt » (ib. 353).

—: « ... per *praedicationem* » (corr. mendosam lectionem; cfr. n. **321**).
—: « Non enim omnis nescientia ignorantia dici potest, sed solum nescientia » (ib. 356).
—: « reddunt *animalia* » (ib. 356).
—: « ... boni quod est finis et via » (T, Ve²).

—: « traditur unicuique » (ib. 357).

—: « ... subiungit: *identitates*, *alteritates*, idest, diversitates ... *similitudines*, *dissimilitudines* » (corr. ex textu *vers.* n. 144).
—: add. ex n. **407, 425, 435, 456**, quod orationem compleat, ubi ex dictione homoteleutica (... *quod tangit cum dicit* ...) aliquid omissum patet.
—: « ... *locus* inferiorum vel spiritualis vel corporalis » (corr. ex textu *exposit.* n. **851**).
—: « ... animarum rationalium » (corr. ex textu *vers.* n. 148 et expositionis).
—: « et difformitas » (corr. ex n. **378**: « de sui ratione habet difformitatem »).
—: « *fit* » (T, Ve²).

—: « *uniformitas* » (ib. 373).
—: « *non* potest attendi ... sed magis » (corr. mendosam lectionem; cfr. *S. Theol.* II-II, q. 180, a. 6, ad 2).
—: « dirigit virtutem animae » (ib. 374).

—: « ... Dei, sed anima in sua naturali cognitione difformitatem habet, in quantum nata est non cognoscere nisi discurrendo per diversa » (ib. 375).
—: « sicut in *causam finalem* » (corr. ex ipsa expositione ... « *cuius gratia* ... quasi *in finem* ».
—: « ... *secundarie* [« ex ipso » primarie, « per ipsum », quod secundo dicitur, secundarie] est... » (T, Ve²).
—: « ... *effectus* amoris » (corr.) ex n. **408** et *hic* consentiunt T, Ve², ib. 387.
—: add. « *...ordinata*, idest ... amant » (cfr. n. 157; ib. 337).
—: « ad *virtutem* intentionis » (cfr. n. 160; ib. 388).
— « ... *illae* ... *quae* » (ib. 390).

—: ... « *in sensibilibus* » (corr. ex textu *vers.* « *sensibilia menti* » et *exposit.* « ... manifestiora *visibilia* ».
—: « quia nomen amoris planius et communius quam nomen dilectionis est, magis eo utendum » (ib. 390).

—: « sed et ab ipsis scripturis » (ib. 392).
—: « prout utrumque coniungitur convenientiae alterius secundum inclinationem secundum quam duo amantia se habent ad invicem » (T, Ve²).
—: « ... velle, *quo* bonum suum vult, *est* suum esse et sua substantia » (ib. 401).

— **450**: « convolutione non existente » (T, Ve²; ib. 403).

*Cap. IV, lect. 12 (22), n. **460**: « per omnia attendens » (T); « tendens » (Ve²).

*Cap. IV, lect. 14 (24), n. **475**: « omne existens aut habet causam aut ipsum est causa alterius [ ]. Ergo malum... » (T, Ve²).

— **478**: « ... quod si omnia existentia [ ] relinquitur » (T); « existentia ex bono [ ] relinquitur » (Ve²).

— : « quod hoc ipsum quod dicitur malum dicitur non-existens. Non enim est existens, quia non est totaliter malum » (T, Ve²).

— : « sed non est ens simpliciter » (T, Ve²).

— : « Et iterum malum magis est sine subiecto quam non-ens [ ] potest intelligi esse non in aliquo, sed malum oportet quod intelligatur in bono » (T); « intelligi esse in aliquo ... quod non intelligatur in aliquo bono » (ib. 415).

*Cap. IV, lect. 15 (25), n. **484**: « sequitur ea idem dicere » (T, Ve²).

*Cap. IV, lect. 16 (26), n. **492**: « alioquin quod caret forma aëris facit ignem quod est forma » (T, Ve²).

— **506**: « ... quod substantia quae fuerit calida remanet *existentia* postquam totaliter *deseruntur* a caliditate ».

— : « et multa *quae* sunt in entibus, quae carent » (T, Ve²); « et multa quae *fiunt* in entibus quae carent » (ib. 428).

— **507**: « privatur ordine rationis et [ ] non ponit aliquid esse, sed non esse » (T, Ve²).

— **508**: « et ipsa aegritudo *haec* pro substantia vel essentia quod sit quidam ordo minimus idest imperfectus » (T, Ve²); « idest perfectus » (ib. 430).

*Cap. IV, lect. 18 (28) n. **527**: « ... *punire* non est malum simpliciter » (T, Ve²).

*Cap. IV, lect. 19 (29), n. **537**: « dicantur mali; propter hoc, quod » (T); « dicuntur mali, propter hoc scilicet... » (Ve²).

— **539**: « ... in daemonibus non est. Ait namque: furor... » (T, Ve²).

*Cap. IV, lect. 21 (31), n. **555**: « in peccato autem originali ipsa infectio corporis secundum quam inficit animam sibi unitam ex primo ex anima primi parentis » (ib. 454).

— **559**: « Unde sicut Plato dicebat materiam esse non-ens, ita dicebat materiam esse secundum se malam » (ib. 454).

— : « materia non est malum » (T, Ve²); « materia non est mala » (ib. 455).

— **560**: « manifestum est enim » (T, Ve²).

— **561**: « aut materia nullo modo est aut aliquo modo est » (ib. 455).

— **562**: « quintum membrum est quod sint ... sed oportet » (ib. 456).

— : « oportet dicere quod primum bonum » (T, Ve²).

— **563**: « habet ordinem ad bonum » (ib. 456).

— **564**: « ad generationem boni [ ] et non inducat ad ipsam » (T); « etsi non inducat » (Ve²).

— **566**: « licet materia corporalis non causet malitiam in animabus » (ib. 457).

— : « *non errante* » (corr. ex n. 178).

— : « *ascendens* » (ib. 408).

— : add. « ... sed malum non habet causam nec est causa alterius. Ergo malum » (corr. ex ib. 413).

— : « si omnia existentia sunt ex summo bono et illud summum bonum est supra omnia existentia, relinquitur » (ib. 415).

— : « quod hoc ipsum quod dicitur malum *sit* non-existens. Non enim est existens quia *non esset* totaliter malum » (ib. 415).

— : « sed non ens simpliciter » (ib. 415).

— : « Et iterum malum magis est sine subiecto quam non-ens, *quia non-ens* potest intelligi esse non in aliquo, sed malum oportet quod intelligatur in bono » (Ve²).

— : « esse idem » (ib. 417).

— : « alioquin quod careret forma aëris faceret ignem, *quod falsum est* » (ib. 423).

— : « ... remanet *existens* postquam totaliter *deseritur* » (Ve², ib. 428).

— : « et multa sunt in entibus, quae carent ... ». (corr. ex textu *vers.* n. 201).

— : add. « quantum ad hoc non est; privari enim ordine rationis » (ib. 428).

— : « et ipsa aegritudo *habet* ... imperfectus » (corr.).

— : « ... *puniri* » (ib. 439 ex textu *vers.* n. 213).

— : « dicantur mali et dicit quod dicuntur mali propter hoc... » (ib. 444).

— : « ... non est aliud quam furor... » (ib. 445).

— : « in peccato autem originali, hanc maculam attraxit ipsa infectio corporis, secundum quam inficit animam sibi unitam et primo ex anima primi parentis » (T, Ve²).

— : « Unde, sicut Plato, dicebant materiam esse non-ens et ita quidem materiam esse secundum se malam » (T, Ve²).

— : « *in materia* non *est malum* » (corr. ex textu *vers.* n. 231).

— : « ... est ergo » (ib. 455).

— : « ... aut est » (T, Ve²).

— : ... « quod si sint ... sic oportet dicere » (T, Ve²).

— : ... « quod primum sit bonum » (ib. 456).

— : ... « ad bona » (T, Ve²).

— : « ... ad generationem boni? Hoc autem pertinet ad rationem mali quod fugiat naturam boni et non » (ib. 457).

— : « licet corpus non faciat malitiam in animabus » (T, Ve²).

— **567**: « si autem aliquis imputet » (T, Ve²).

— : « et coniuncta animo » (T, Ve²).

— **569**: « ... et si *redeat* privatio particularis ... » (T, Ve², ib. 458).

*Cap. IV, lect. 22 (32), n. **573**: « Causae malorum » (T, Ve²).

— **574**: « et quod horum » (T, Ve²).

— **576**: « sine causa et *sic* indeterminatum » (T, Ve², ib. 462).

— **578**: « quia producere [ ] pertinet ad rationem boni » (T, Ve²).

— **579**: « et dicit rationes [ ] et virtutes » (T, Ve²).

— : « totalis defectus rationis quae dicitur impotentia » (ib. 463).

— **585**: « via non-ens » (ib. 465).

— **589**: « Tria haec ergo accipiuntur ex parte privationis. s. ex parte eius quod privatur per malum. Primo » (T) ; « ... scilicet ... per malum. Tum » (Ve²).

— **590**: « et primo ponit quaedam particularia bona » (Ve²).

— **592**: « Nos videmus quod non omnia sunt omnibus mala [ ] secundum idem » (T, Ve²).

*Cap. IV, lect. 23 (33), n. **594**: « et nullum malum » addit: « sit intentum seu causatum ex divina Providentia » (ib. 471).

— **604**: « ex per se bono » (ib. 474).

— : « auxilio Dei sibi porrigentis » (ib. 474).

*Cap. V, lect. 1 (34), n. **606**: « habet rationem boni secundum causalitatem » (ib. 478).

— **610**: « per quam omnia substantificantur » (T, Ve²).

— **611**: « attribuit » (T, Ve²).

— **612**: « in universaliores causas » (ib. 480).

— : « aliam causam quae [addit: esse omnibus et postmodum aliam quae] dat vitam » (ib. 480).

— **615**: « quae sunt intelligibilia » (T, Ve², ib. 481).

— **618**: « processum essendi universaliter a Deo » (ib. 482).

— **620**: « ostendit divinum esse universalem causalitatem » (T, Ve², ib. 482).

— **624**: « est causa factrix » (T, Ve²); « est substantificatrix, idest causa factrix » (ib. 483).

— **625**: « sicut intelligibile est ante intellectum » (ib. 484).

— **626**: « nullum ... ad rationem humanitatis, cum humanitas praecise significet »(ib. 484).

— **627**: « dicitur autem mensura scilicet durationis » (T, Ve²).

— ; « et sonus in melodiis » (T, Ve²).

— **628**: « quod Deus est [ ] causaliter » (T).

— **630**: « quibus convenit fieri » (ib. 486).

— : « ita quod est ipse Deus sit ipsum formale existentium » (T); « ita quod ipse Deus sit ipsum formale (Ve²); « sit ipsum esse formale » (ib. 486).

— **631**: « a praeexistente » add. « idest a primo Ente » (ib. 487).

— : « sed si Deus subtraheret suam operationem, nihil remaneret » (ib. 487).

— : « ... hoc ipsum imputet » (ib. 458).

— : « ... animae » (ib. 458).

— : « et si *recedat* privatio particularis ... » (corr. ex textu *vers.* n. 236).

— : « Sed causae » (ib. 461).

— : « et quid » (ib. 462).

— : « sine causa et indeterminatum » (corr. ex textu *vers.* n. 240).

— : addit « bonum » (ib. 463).

— : addit « quantum ad ea quae fiunt per artem » (ib. 463).

— : « ratione qua » (T, Ve²).

— : « qui est via ad non-ens » (T, Ve²).

— : « ... ex parte privationis. Sed ex parte eius ... per malum, primo ... » (ib. 467).

— : « Et *postea* » (T).

— : add. (cfr. n. 247 vers. dionys.): « nec eadem omnino sunt mala omnibus » (ib. 468).

— : « ex divina Providentia et nullum malum, sic probat » (T, Ve²).

— : « ex bono » (T, Ve²).

— : « auxilio manum porrigentis » (T, Ve²).

— : « boni, sed » (T, Ve²).

— : « substantificantur », addit: « secundum quod in se est, sed quod laudetur processus essendi a divino Principio in omnia existentia » (ib. 479).

— : « perfectiones rebus attribuuntur » (ib. 480).

— : « intelligibiliores » (T, Ve²).

— : « quae dat vitam... » (T, Ve²).

— : « intellectualia » (corr. ex textu Dionysii n. 260: *τὰ νοερά*).

— : « universalem in omnia » (T, Ve²).

— : « ... divini esse universalem causalitatem » (corr. ex textu *expositionis* n. **618, 624**).

— : « est *causa substantificatrix* omnium subst. et creatrix... » (corr. ex textu Dionys. n. 262).

— : « ante intelligens » (T, Ve²).

— : « humanitatis nisi praecise significet » (T, Ve²).

— : « saeculum mensura durationis » (ib. 484).

— : « et tonus » (ib. 484).

— : « *generatio* » (Ve² ex textu dionys. n. 262).

— : « quae contingit » (T, Ve²).

— : « ita quod est ipse Deus sit esse formale existentium » (corr. ex textu Dionys. n. 264).

— : « a praeexistente » (T, Ve²).

— : « ab effectu recederet, effectus non remaneret » (T, Ve²).

— : « praeexistit in primo Ente scilicet Deo et quantum ad esse quod habet sine defectu et quantum ad conservationem sui esse » (T, Ve²); « ... Deo, in sua natura ... quod habet in intellectu ... ad conversationem » (ib. 487).

— **634**: « considerandum autem hic occurrit quod hic dicitur » (Ve²); « quid hic dicatur » (ib. 488).

— : « participantia composita » (ib. 488).

— : « posuerunt hominem » (ib. 488).

— : « erat quaedam vita separata » (ib. 488).

— : « per se vita est ipsa vita quae inest viventibus » (ib. 488).

— **635**: « divina quae nominantur » (T, Ve²).

— : « et alia huiusmodi quibus existentia participant [ ] ipso per se esse » (T, Ve²).

— : « prae [ ] aliis » (T, Ve²).

— **638**: « per hoc enim unumquodque causatum a Deo per suum esse ex Deo » (T); « causatur a Deo » (Ve²); « est causatum a Deo quod suum esse est ex Deo » (ib. 490).

— : « participant [ ] sed etiam » (Ve²).

— **639**: « ut participantes esse, quod sint ... aliis participantur » (T); ... « quam quod sint ... aliis participantur » (Ve²).

— : « ipsa vita quidem in viventibus » (T, Ve²).

— : « qui est per se bonitas, idest tribuens » (Ve²; ib. 491).

— **641**: « tam solae substantiae quam accidentia » (T, Ve²).

— : « Et ideo dicit quod haec imcomprehensibiliter iterum in seipsis oppositionem habent » (T, Ve²; ib. 491).

— **645**: « *uniformiter* [ ] coniunctas » (T, Ve²).

— : « sicut ab uno principio » (ib. 492).

— : « *in quantum* [ ] *centro propinquiores* » (T, Ve²).

— **646**: « in universali natura omnium naturalium adunantur *naturae* cuiuslibet naturae particulari » (T, Ve², ib. 493).

— **647**: « omnes enim radicantur in anima » (Ve²).

*Cap. V, lect. 2 (35), n. **656**: « qui in tres » (Ve²); add. « hierarchias » (ib. 497).

— **657**: « dictum est de Angelis » (ib. 498).

— **661**: « substantialiter » (T, Ve², ib. 500).

— : « sed Ipse quasi omnium causa est idest... » (T, Ve², ib. 500).

— : « praeaccepit (T, Ve², ib. 500).

— **662**: « germinant plantae vites et animalia (T, Ve²).

*Cap. V, lect. 3 (36), n. **665**: « res intellectae » (T, Ve²).

— : « rationes intellectuales a Deo » (T); « in Deo » (Ve²).

— **669**: « in omnibus ... *existit* per quamdam existentiam » (T, Ve², ib. 505).

— **672**: « non quidem quod *per essentiam* generetur ... sed sicut qui *praeexistentibus* praeexistit » (T, Ve², ib. 506).

— : « praeexistit in primo Ente, scilicet Deo et quantum ad esse quod habet *in intellectu* (cfr. text. Dionys. n. 265: « et intelligitur ») et quantum ad conservationem sui esse ».

— : « quod hic dicatur » (T).

— : « participantia compositionem » (T, Ve²).

— : « composuerunt » (T, Ve²).

— : « esset » (T, Ve²).

— : « est quae inest » (T, Ve²).

— : « *omnia* » (ib. 489, ex textu Dionys. n. 266).

— : addit: « *participant* » (ib. 489, ex textu Dionys. n. 266).

— : addit: « *omnibus* » (ib. 489, ex textu Dionys. n. 266).

— : « per hoc enim unumquodque est causatum a Deo, per suum esse ex Deo » (corr.).

— : « participant esse » (T; ib. 490).

— : « quam quod sint... ab aliis participantur » (ib. 490).

— : « ipsa vita quae inest » (ib. 490).

— : « qui est per se bonitas et primo proponens, idest tribuens » (T).

— : « tam substantiae quam accidentia » (ib. 491).

— : « et ideo dicit: *et hoc incomprehensibiliter*. Iterum ... » (corr. ex textu Dionys. n. 268 et ex iis quae notantur in ipsa expositione).

— : add. « *omnes lineas* » (ib. 492, ex textu Dionys. n. 270).

— : « sicut ab uno » (T, Ve²).

— : add. « *sunt* » (ib. 492, ex textu Dionys. n. 270).

— : « ... adunantur *rationes* cuiuslibet naturae ... » (corr. ex textu *vers.* n. 271 et ex ipsa *expositione* ... « *rationes* generabilium ... *rationes* membrorum ».

— : « omnes enim virtutes » (T).

— : « qui in tres partes » (T).

— : « dicuntur » (T, Ve²).

— : « supersubstantialiter » (corr. ex textu Dionys. n. 280).

— : « sed Ipse quasi omnium Causa est omnia » (corr. ex textu *vers.* n. 280).

— : « *praeaccipit* » (corr. ex textu expositionis n. 661 inferius: « ... infundit ».

— : « generantur plantae et animalia (ib. 501).

— : « rationes intellectae » (ib. 503).

— : « rationes intellectae a Deo » (ib. 504).

— : « ... *exultat* per quamdam existentiam » (corr. ex textu *vers.* n. 284).

— : « ... *per existentia* generetur ... sed sicut qui *existentibus* praeexistit » (corr. ex textu *vers.* n. 284 et ex doctrina *Sum. contra Gent.* III, 18).

*Cap. VI, lect. 1 (37), n. **678**: « ... duo intelliguntur scilicet: ipsum esse viventis, ut tale sit quod ei competat per se operari et propter hoc » (T, Ve², ib. 509.

— **680**: « ... quae est super omnem *mentem* » (T, Ve², ib. 510).

— **682**: « in daemonibus » (T, Ve²).

*Cap. VI, lect. 2 (38), n. **687**: « prout convenit ei » (T, Ve²).

— **690**: « non autem supra naturam omnipotentem divinae vitae [ ] quae est naturale principium omnium vitarum [ ] divinarum quarum est immediatum principium (add. cui, Ve²), nulla vita est praeter naturam [ ] quia ... » (T).

*Cap. VII, lect. 1 (39), n. **697**: « sicut et Deus est sua vita » (T, Ve²).

— **700**: « probat excessum divinae sapientiae dicens: supernaturali modo intelligens ... » (T, Ve²).

— **702**: « et hoc propter difficultatem inveniendi, quia nusquam eius sphaerae circumferentia est, sed punctum eiusdem sphaerae intelligibilis ubique est; et haec cuncta dicuntur. » (T, Ve², ib. 519).

— : « propter id quod apparet (add. *tale*, ib. 519) in Dei sapientia *propter* nostram rationem et ut (leg. *videtur*, ib.) nobis inconveniens » (T, Ve²).

— **704**: « quae continetur sensibus a principio, scilicet ... colligentes ... hoc decipit » (T, Ve²).

— **705**: « per fidem ad quamcumque cognitionem » (T, Ve²).

— : « secundum hanc unitionem *ergo quia* non trahendo ... » (T); « unitionem et non » (Ve²).

— : « statuentes supra nos » (T, Ve²).

— **706**: « si nos ipsos deificaremus » (T, Ve²).

— : « per unitionem et quod non simus nostri ipsorum, nostris naturalibus innitentes, quam quod simus nostri ipsorum » (T, Ve²).

— : « *factis cum Deo* et cum Deo uniti » (T, Ve²).

*Cap. VII, lect. 2 (40), n. **708**: « habens et causa, dans et etiam » (T); « et causa dans etiam » (Ve²; ib. 523).

— **712**: « munda quidem per remotionem [ ] exterioris inquinantis » (T); « per remotionem exterioris iniquitatis » (Ve²; ib. 524).

— : « propter proprietatem » (ib. 525).

— **713**: « consistit in apprehensione [ ] rerum quam quidem » (T, Ve²).

— **715**: « neque sic consequitur » (T, Ve²).

*Cap. VII, lect. 3 (41), n. **723**: « non quia hoc » (T).

— : « sed ex ipsa » (T); « ex se ipsa » (Ve²).

— : « *omnem* scientiam et cognitionem ... » (T, Ve², ib. 530).

— **724**: « in praeponendo » (T, Ve²).

— **725**: « Sic igitur [ ] impossibile est quod sit aliquid a Deo non cognitum » (T, Ve²).

— : « ... ipsum esse viventis *et* ut tale sit quod ei competat per se operari, propter ... » (corr. ex textu *expositionis* n. **679**, quoad primum; n. **680**, quoad secundum).

— : « ... quae est super omnem *vitam* » (corr. ex textu *vers.* n. 287).

— : « in supremis viventibus, scilicet in angelis et in daemonibus » (ib. 511).

— : « convenit » (ib. 513).

— : add. « quia divinae vitae ... et maxime vitarum ... vel supra naturam » (ib. 513, ex textu Dionys. n. 292).

— : « sicut enim Deus est sua vita ita est sua sapientia » (ib. 517).

— : « probat excessum divinae sapientiae per auctoritatem et dicit quod huiusmodi excessum divinae sapientiae supernaturali modo intelligens » (ib. 518).

— : *Codex Vict.* non habet (ib. 519 nota 1); sequitur: « et hoc totum propter ... ». Quae in *glossa* (?) notantur, ex exemplo supra allato (270, **645**) deducuntur; rectene?

— : « propter id quod apparet in Dei sapientia *praeter nostram rationem* et videtur nobis inconveniens » (corr. ex textu *vers.* n. 300 et ib. 519 quoad alteram lectionem).

— : « quae connutritur sensibus a principio scilicet ... colligens ... et hoc *decipimur* » (ib. 519-520; ex textu Dionys. n. 301).

— : « per fidem aut » (ib. 520).

— : « unitionem *gratiae quasi* non trahendo » (ib. 520).

— : « extra nos » (ib. 520 ex textu Dionys. n. 303).

— : « deseramus » (ib. 520).

— : « per unitionem gratiae, quam quod simus *nostri ipsorum*, idest nostris naturalibus innitentes » (ib. 520).

— : « ... *Deo*, idest cum Deo » (ib. 520).

— : « *est* causa dans » (corr. ex textu Dionys. n. 304: « causa ... est *substantificatrix* » = « dans » in expositione).

— : add. « interioris immunditiae, *immaculata* per remotionem exterioris » (ib. 524) « inquinantis » (T).

— : « propinquitatem » (T, Ve²).

— : add. « quidditatis », inde legit: « quam quidditatem » (ib. 525).

— : « neque scit consequi » (ib. 526).

— : « non est per hoc ».

— : add. « et in seipsa » (ib. 530, ex textu Dionys. n. 316).

— : « *omnium* scientiam et cognitionem ... » (corr. ex textu *vers.* n. 316).

— : « in ipso Deo » (ib. 531).

— : « Sicut igitur impossibile est quod sit aliquid a Deo non causatum, ita impossibile ... » (ib. 531).

— **726**: « ... per cognitionem quae *fit per* modum *existentiae*, sed per cognitionem quae *fit* ad ... » (T, Ve²).

*Cap. VII, lect. 4 (42), n. **729**: « quae comparantur ad *ipsa* sicut principalia exemplaria *vel* imagines » (T, Ve², ib. 533).

— **733**: « infimo intellectui vel naturae » (T, Ve², ib. 536).

*Cap. VII, lect. 5 (43), n. **738**: « quam cognoscit » (T); « quia cognoscens » (Ve²).
—: « est causa *nunc* ignorans ex seipso ut transmutetur » (T).
— **739**: « *et non* latet ipsos » (T).
*Cap. VIII, lect. 1 (44), n. **750**: « super omnem virtutem [ ] quia hoc ipsum » (T, Ve²).

*Cap. VIII, lect. 2 (45), n. **754**: « ... a virtute *infinita* boni » (T, Ve², ib. 546).
— **757**: « mensura motus » (T, Ve²).
— **758**: « quia dat » (T, Ve²).

*Cap. VIII, lect. 3 (46), n. **767**: « ex omnipotentia » (T, Ve²).

*Cap. VIII, lect. 4 (47), n. **775**: « convenit autem [ ] Deo » (T, Ve²).
—: « Modus autem unicuiq; propriam mensura praefigit » (T); « ... unicuique propriam mensuram ... » (Ve², ib. 554)..

*Cap. IX, lect. 1, (49), n. **804**: « quae essentialiter ei convenit aeternaliter tradit omnibus magnis ... quae sunt *essentialiter magna* » (T); « ... ei convenit, aeternaliter tradit... *essentialiter* ... » (Ve²); « ... ei convenit, " aeternaliter tradit omnibus magnis " ... *essentialiter* ... » (ib. 565-566).
— **807**: « Ita *dicit* ergo » (ib. 567).

— **812**: « *quae* cito terminantur *in* termino » (T); « *quod* cito ... *in* ... » (Ve²).

*Cap. IX, lect. 2 (50), n. **817**: « principium variabilitatis est principium materiae ... quando ab agente » (T, Ve²).
— **819**: add. « sed hoc multipliciter dicitur » (ib. 573).
— **820**: « Dicitur etiam ingenitum non [ ] sicut nondum genitus ... » (T, Ve²).

— **821**: « quod autem est forma » (T, Ve²).
— **823**: « semper [ ] suae similitudinis participationem » (T); « secundum » (Ve²) addit.

*Cap. IX, lect. 3 (51), n. **832**: « sed per quamdam assimilationem *et privationem* ratio imaginis sumitur » (T, Ve²; ib. 580).

*Cap. IX, lect. 4 (52), n. **840**: « sicut decet Deum moveri » (ib. 584).
— **842**: « Dicit statum generationem » (T, Ve²; ib. 585).

—: « ... quae *sit* ad modum *existentium*, sed per cognitionem quae *sit* ad ... » (ib. 531; cfr. textum *vers.* n. 319).

—: « quae [divinâ] comparantur ad *ipsas* [assimilationes imperfectas] sicut principalia exemplaria [= divinâ] *ad* imagines » (corr. ex textu *vers.* n. 321: « ... *divinorum* Ipsius *exemplarium* »; in casu *genit. originis*, exprimitur *relatio ad;* cfr. textum *expositionis:* « comparantur *ad* ».
—: « infimo intellectualis naturae » (corr.).

—: « quia qui cognoscit » (ib. 538).

—: « est causa *ut* ignorans, ex seipso transmutetur » (Ve², ib. 539).
—: « *etenim* latet ipsos » (Ve², ib. 539).
—: add. « particularem et ulterius *super omnem ipsam per se virtutem* » (ib. 543, ex textu Dionys. n. 333).
—: « ... a virtute *infiniti*-boni » (corr. ex textu *vers.* n. 335).
—: « motus coeli » (ib. 547).
—: « quod dicit propter » (ib. 547).
—: « Eius potentiae ab impossibili » (ib. 551).

—: add. « iustitia » (ib. 554).

—: « modum autem unicuique proprium mensura praefigit » (corr. ex textu S. Augustini).

—: « quae essentialiter Ei convenit *aeternaliter, tradit omnibus magnis...* quae sunt *aeternaliter* magna ... » (corr. ex textu expositionis: « ... sicut dicitur sapiens ... » et ex textu *vers.* n. 359 in qua legitur: « omnibus *aeternaliter magnis* ».

—: « Ita ergo (T, Ve²); « dicit » superfluit, dum expositionem resumit, deinde pergit: « inquantum ipsa » (ex textu *vers.* n. 361).
—: « *quod* cito terminatur *a* termino » (ib. 569).

—: ... est potentia materiae ... propter quam » (ib. 573).

—: « non generatum » (T, Ve²).

—: add. « secundum quid, sed *absolute* contra hoc quod dixerat: *aut sicut ab hoc* aut istud non factum. Dicitur etiam ingenitum non » (ib. 574, ex textu Dionys. 368).
—: add. « tantum » (ib. 574).
—: add. « per » (ib. 575).

— corr. [participationem ex qua] « ratio imaginis sumitur ».

—: « sicut decet Deum » (T, Ve²).

—: « *statum generativum* » (corr. ex textu Dionys. n. 380).

— **845**: « aequaliter operatur in omnibus et similiter omnia se invicem perambulant ... » (T, Ve², ib. 587).

— **846**: « naturalem [ ] quantum ad ea quae fiunt a proposito » (T, Ve²).

*Cap. X, lect. 1 (53), n. **857**: « divinitus infixae sunt *voluntarie* » (T, Ve², ib. 592).
— **858**: « idest effectus [ ] effectus dico » (T, Ve²).

*Cap. X, lect. 2 (54) n. **862**: « est intransmutabilis et omnino immobilis » (ib. 594).
— **864**: « ad principium pertinere videtur propter sui [ ] posteriolitatem » (T, Ve²).
—: « Ipse *praecedit* omnia (T, Ve², ib. 595).

*Cap. XI, lect. 1 (56), n. **876**: « quam adeo participat et amat eam ut » (Ve²).
— **886**: « in toto adunantur ad minus in quantum sunt partes universi » (ib. 602).
— **888**: « sicut alias perfectiones a Deo procedentes [ ] abundantius aliae supremae » (T).

*Cap. XI, lect. 2 (57), n. **896**: « derelinquit propriam unionem, sed propter excessum unitatis Eius » (T, Ve², ib. 607).
— **897**: « soli Deo qui se perfecte cognoscit » (Ve², ib. 607).
— **903**: « secundum quamdam convenientiam » (T, Ve², ib. 609) « non confusam idest ordinatam » (Ve², ib. 609).
— **911**: « si arcum dicamus idem circulo » (T, Ve²).

*Cap. XI, lect. 3 (58), n. **917**: « Per hoc autem quod id quod est proprium uniuscuiusque rei conservatur [ ] pax » (T); « per hoc autem quod est proprium ... conservatur pax » (Ve²).
— **918**: « Providentia observat » (T).
— **919**: « gaudent et *alteratione* » (T, Ve², ib. 616).
—: « sic se habent » (T).
— **920**: « gaudent alteratione » (T, Ve², ib. 617).
—: « ab invicem (T, Ve²).
—: « taliter » (T, Ve²).
— **922**: « *litibus* et interioribus commotionibus [ ] *et instabilitatibus* » (T, Ve²).

*Cap. XII, lect. un. (60), n. **941**: « ut est Apocalypsis introductam » (T) « introductum » (Ve²).
— **945**: « ab aliqua servitute immundiciae » (T, Ve²).
—: « secundus etiam » (T).
— **947**: « et cadere non valent » (T, Ve², ib. 631).
— **951**: « ... *exultat* ... et implendo *contristat* » (T, Ve²); « *exaltat* ... et implendo *circumstat* ad » (ib. 632).

*Cap. XIII, lect. 2 (62), n. **976**: « inquantum est singulare in omnibus, *participatur singulariter*, idest » (T, Ve², ib. 641-642).

—: « ... et similiter *per* omnia *illorum* invicem *ambulationem* » (corr. ex textu *vers.* n. 382 et *exposit.* ubi inferius legitur: ... et aequalitas *ambulationis* et susceptionis praedictae ... ».
—: add. « quantum ad ea quae naturaliter fiunt, *voluntariam* » (ib. 588).

—: « divinitus infixae, sunt *voluntariae* » (corr. ex textu *vers.* n. 387).
—: add. « *dulces* idest consoni naturali appetitui » (ib. 592).

—: « est omnino intransmutabilis » (T, Ve²).

—: add. « prioritatem; iuventus vero ad finem propter sui » (ib. 595).
—: « Ipse *procedit per omnia* » (corr. ex textu *vers.* n. 391).

—: « quam a Deo participat et amat eam *et* ... » (T, ib. 600).
—: « adunantur in quantum » (T, Ve²).

—: addunt: « ita istas »; postea leg. « abundantius *aliis* » (Ve², ib. 603).

—: « derelinquit propriam *unitionem*, sed propter excessum *unitionis* Eius » (corr. ex textu *vers.* n. 405).
—: « soli Deo qui se *per se* perfecte cognoscit » (T).
—: « secundum quamdam *continentiam* » (corr. ex textu *vers.* n. 407) « non confusam, idest non inordinatam » (T).
—: « si Marcum dicamus idem Tullio » (ib. 612).

—: add. « et servatur » (ib. 616).

—: « servat » (Ve², ib. 616).
—: « ... et alteritate » (corr. ex textu *vers.* n. 414 et exposit. ipsa n. **917, 922**).
—: « sic habent » (Ve², ib. 617).
—: « gaudent alteritate » (corr. ex textu *exposit.* **920**).
—: « ab *unione* » (ib. 617).
—: « totaliter » (ib. 617).
—: add. « animi quas vocat furores, quae duo pertinet ad divisionem paci contrariam; et iterum gaudent *variationibus* » (ib. 618).

—: « ut est *ex Apocalypsi* introductum » (ib. 628).

—: « ab huiusmodi servitute immunditiae » (ib. 629).
—: « secundus *autem* » (Ve², ib. 629).
—: « et cadere *non valens* » (corr. ex textu *vers.* n. 430).
—: « *exultat* ... et implendo *circumagit* ad » (corr. ex textu *vers.* n. 432).

—: « inquantum est singulare, in omnibus participatum, *singulariter*, idest indivisibiliter coaccepit ... » (corr. ex textu *vers.* n. 442 et *exposit.* **981**): « sicut *participatum* ».

*Cap. XIII, lect. 3 (63), n. 988: « differentiam unius ... ad omnia [ ] quibus attribuitur [ ] ... ponit ordinem [ ] ... assignat *praemissi* ordinis rationem » (T, Ve²).

— 991: « participat existentia ... participat existentia ... nec participat existentia » (Ve², ib. 648); « participat existentia ... participat *entia* ... nec participat *entia* » (T).

— 995: « sed multum deficiunt » (T, Ve², ib. 650).

— : add. « alia ... unum ... huius unius ad alia »; corr. « huius » (ib. 646).

— : « participat *essentia* » (corr. ex textu *vers.* n. 451) inde leg. « participat *essentia* ... » « nec participat *essentia* » (cfr. textum *exposit.* « dat terminationem propriae *rationis* » h. e. *essentiae.*

— : « sed multum *deficimus* » (corr. ex textu *vers.* n. 452: « concordabimus ... deficimus » et *exposit.* « *concordamus* ... »).

SANCTI THOMAE AQUINATIS, DOCTORIS ANGELICI, IN LIBRUM BEATI DIONYSII « DE DIVINIS NOMINIBUS » EXPOSITIO

PROŒMIUM

I. — « Ad intellectum librorum beati Dionysii considerandum est quod ea quae de Deo in Sacris Scripturis continentur, artificialiter quadrifariam divisit:

a) Nam in libro quodam, qui apud nos non habetur, qui intitulatur "*de divinis Hypotyposibus*" idest characteribus, ea de Deo tradidit quae ad unitatem divinae essentiae et distinctionem personarum pertinent. Cuius unitatis et distinctionis sufficiens similitudo in rebus creatis non invenitur, sed hoc mysterium omnem naturalis rationis facultatem excedit.

b) Quae vero dicuntur de Deo in Scripturis, quarum aliqua similitudo in creaturis invenitur, dupliciter se habent. Nam huiusmodi similitudo in quibusdam quidem attenditur secundum aliquid quod a Deo in creaturas derivatur. Sicut a primo bono sunt omnia bona et a primo vivo sunt omnia viventia et sic de aliis similibus. Et talia pertractat Dionysius in libro "*de divinis Nominibus*", quem prae manibus habemus.

c) In quibusdam vero similitudo attenditur secundum aliquid a creaturis in Deum translatum. Sicut Deus dicitur leo, petra, sol vel aliquid huiusmodi; sic enim Deus symbolice vel metaphorice nominatur. Et de huiusmodi tractavit Dionysius in quodam suo libro quem "*de Symbolica Theologia*" intitulavit.

d) Sed quia omnis similitudo creaturae ad Deum deficiens est et hoc ipsum quod Deus est omne id quod in creaturis invenitur excedit, quicquid in creaturis a nobis cognoscitur a Deo removetur, secundum quod in creaturis est; ut sic, post omne illud quod intellectus noster ex creaturis manuductus de Deo concipere potest, hoc ipsum quod Deus est remaneat occultum et ignotum. Non solum enim Deus non est lapis aut sol, qualia sensu apprehenduntur, sed nec est talis vita aut essentia qualis ab intellectu nostro concipi potest et sic hoc ipsum quod Deus est, cum excedat omne illud quod a nobis apprehenditur, nobis remanet ignotum. De huiusmodi autem remotionibus quibus Deus remanet nobis ignotus et occultus fecit alium librum quem intitulavit "*de Mystica*" idest occulta "*Theologia*".

II. — Est autem considerandum quod beatus Dionysius in omnibus libris suis obscuro utitur stilo. Quod quidem non ex imperitia fecit, sed ex industria ut sacra et divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Accidit etiam difficultas in praedictis libris, ex multis:

a) *Primo*, quidem, quia plerumque utitur stilo et modo loquendi quo utebantur platonici, qui apud modernos est inconsuetus. Platonici enim omnia composita vel mate-

rialia, volentes reducere in principia simplicia et abstracta, posuerunt species rerum separatas, dicentes quod est homo extra materiam, et similiter equus, et sic de aliis speciebus naturalium rerum. Dicebant, ergo, quod hic homo singularis sensibilis non est hoc ipsum quod est homo, sed dicitur homo participatione illius hominis separati. Unde in hoc homine sensibili invenitur aliquid quod non pertinet ad speciem humanitatis, sicut materia individualis et alia huiusmodi. Sed in homine separato nihil est nisi quod ad speciem humanitatis pertinet. Unde hominem separatum appellavit per se hominem, propter hoc quod nihil habet nisi quod est humanitatis; et principaliter hominem, inquantum humanitas ad homines sensibiles derivatur ab homine separato, per modum participationis. Sic etiam dici potest quod homo separatus sit super homines et quod homo separatus sit humanitas omnium hominum sensibilium, inquantum natura humana pure competit homini separato, et ab eo in homines sensibiles derivatur.

Nec solum huiusmodi abstractione Platonici considerabant circa ultimas species rerum naturalium, sed etiam circa maxime communia, quae sunt bonum, unum et ens.

Ponebant, enim, unum primum quod est ipsa essentia bonitatis et unitatis et esse, quod dicimus Deum et quod omnia alia dicuntur bona vel una vel entia per derivationem ab illo primo. Unde illud primum nominabant ipsum bonum vel per se bonum vel principale bonum vel superbonum vel etiam bonitatem omnium bonorum seu etiam bonitatem aut essentiam et substantiam, eo modo quod de homine separato expositum est.

Haec igitur Platonicorum ratio fidei non consonat nec veritati, quantum ad hoc quod continet de speciebus naturalibus separatis, sed quantum ad id quod dicebant de primo rerum Principio, verissima est eorum opinio et fidei christianae consona.

Unde Dionysius Deum nominat quandoque ipsum quidem bonum aut superbonum aut principale bonum aut bonitatem omnis boni. Et similiter nominat Ipsum supervitam, supersubstantiam et ipsam Deitatem thearchicam, idest principalem Deitatem, quia etiam in quibusdam creaturis recipitur nomen deitatis secundum quamdam participationem.

b) *Secunda* autem *difficultas* accidit in dictis eius, quia plerumque rationibus efficacibus utitur ad propositum ostendendum et multoties paucis verbis vel etiam uno verbo eas implicat.

c) *Tertia*, quia multoties utitur quadam multiplicatione verborum quae, licet superflua videantur, tamen diligenter considerantibus magnam sententiae profunditatem continere inveniuntur ».

DE DIVINIS NOMINIBUS

Compresbytero Timotheo
Dionysius praesbyter.

Incipit beati Dionysii de Divinis Nominibus liber.

ORGANICA DISPOSITIO LIBRI JUXTA EXPOSITIONEM SANCTI THOMAE

I° — *Praemittit quaedam necessaria ad sequentem considerationem:*
A) ostendit rationem divinorum Nominum (cap. I);
B) ostendit quod nomina de quibus in hoc libro tractatur sunt communia toti Trinitati (cap. II).

II° — *Incipit prosequi principale intentum:*
A) praemittit quoddam prooemium ad totum opus sequens (cap. III)
B) tradit doctrinam de divinis Nominibus (cap. IV-XIII).

CAPUT PRIMUM

Quae sermonis intentio et quae de divinis Nominibus traditio.

ORDO LECTIONUM

I° - A: Ostendit rationem divinorum Nominum:
1° - Continuat se ad praecedentem librum (lect. 1ª, 1; **1-3**)
2° - Incipit praemittere quaedam necessaria ad sequentem opus:
a) praemittit modum procedendi in hoc opere (2; **4-39**);
b) ostendit rationem divinorum Nominum:
α) ostendit quam cognitionem de Deo per divina Nomina possumus accipere (lect. 2ª).
β) ostendit quomodo Deus nominari possit (lect. 3ª).

LECTIO I (1a)

De modo procedendi in hoc opere.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. 1; textus nn. 1-10; expositio nn. **1-39**).

In hac lectione praemittit modum procedendi in opere:
I° — Ostendit ex quibus procedendum sit:
A) innitendum est non rationi humanae, sed revelationi divinae (2; **6**);
B) inducit rationem ad hoc (3, **7-9**);
II° — Ostendit quae sunt tradenda:
A) ponit propositum (4; **11**);
B) manifestat ipsum:
a) ponit rationem (5; **13-16**);
b) probat supposita:
j° - Deus soli sibi est notus, nobis occultus:
α) ostendit rationibus:
1°) ponit duas rationes:
a) prima (6; **19-22**);
b) secunda (7; **23-30**);
2°) concludit (8; **31**)
β) manifestat auctoritatibus (9; **32-35**)
ij° - Manifestat quomodo occultae Deitatis cognitio aliis manifestatur (10; **36-39**).

TEXTUS DIONYSII

C. I, § 1. 1. — « Nunc autem, o beate, post theologicas hypotyposes,* ad divinorum nominum reserationem, sicut est possibile, transibo.

C. I. § *1. 1.* — [*585* B] *Νῦν δέ, ὦ μακάριε, μετὰ τὰς θεολογικὰς ὑποτυπώσεις, ἐπὶ τὴν τῶν θείων ὀνομάτων ἀνάπτυξιν, ὡς ἐφικτόν, μετελεύσομαι.*

2. — Esto autem et nunc a nobis eloquiorum lex praedefinita veritatem de Deo dictorum nos asseverare* " *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis* " sed in demonstratione a Spiritu virtutis motae theologorum,

*2. — Ἔστω δὲ καὶ νῦν ἡμῖν ὁ τῶν λογίων θεσμὸς προδιωρισμένος· τὸ τὴν ἀλήθειαν ἡμᾶς καταδείσασθαι * τῶν περὶ θεοῦ λεγομένων οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας ἀνθρωπίνης λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει τῆς πνευματοκινήτου τῶν θεολόγων δυνάμεως* [1],

3. — secundum quam ineffabilibus et ignotis, ineffabiliter et ignote, coniungimur secundum meliorem nostrae rationabilis et intellectualis virtutis et operationis unionem.

3. — καθ' ἣν τοῖς ἀφθέγκτοις καὶ ἀγνώστοις ἀφθέγκτως καὶ ἀγνώστως συναπτόμεθα κατὰ τὴν κρείττονα τῆς [*588* A] *καθ' ἡμᾶς λογικῆς καὶ νοερᾶς δυνάμεως καὶ ἐνεργείας, ἕνωσιν.*

4. — Igitur universaliter non est audendum dicere aliquid nec etiam cogitare de supersubstantiale et occulta Deitate, praeter ea quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa.

4. — Καθόλου τοιγαροῦν οὐ τολμητέον εἰπεῖν οὔτε μὴν ἐννοῆσαί τι περὶ τῆς ὑπερουσίου καὶ κρυφίας θεότητος [2], *παρὰ τὰ θειωδῶς ἡμῖν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἐκπεφασμένα* [3].

5. — Nam supersubstantialem scientiam ignorantiae supersubstantialitatis, quae est

5. — Τῆς γὰρ ὑπὲρ λόγον καὶ νοῦν καὶ οὐσίαν αὐτῆς ὑπερουσιότητος ἀγνωσία. Ἀντὶ

[1]) I Cor. 2, 4.
[2]) Is. 45, 15.
[3]) Cfr. I *Cor.* 4, 6 et e contra *Colos.* 2, 18.

super rationem et intellectum et substantiam ipsam, Ipsi attribuere convenit *, tantum ad superius respicientes, quantum thearchicorum eloquiorum radius seipsum immittit ad splendores superiores, et simus circa divina, temperantia et sanctitate constricti.

*τὴν ὑπερούσιον ἐπιστήμην ἀναθετέον *, τοσοῦτον ἐπὶ τὸ ἄναντες ἀνανεύοντας, ὅσον ἑαυτὴν ἐνδίδωσιν ἡ τῶν θεαρχικῶν λογίων ακτὶς πρὸς τὰς ὑπερτέρας ἀυγὰς τῇ περὶ τὰ θεῖα, σωφροσύνῃ καὶ ὁσιότητι συστελλομένους.*

6. — Etenim si aliquid convenit omnisapienti et verissimae Theologiae credere, secundum proportionem uniuscuiusque mentium revelantur divina et inspiciuntur, thearchica bonitate, in salutari iustitia, a mensuratis immensuratione, sicut incomprehensibilem, ut decet Deum, segregante.

6. — Καὶ γάρ, εἴ τι δεῖ τῇ πανσόφῳ καὶ ἀληθεστάτῃ θεολογίᾳ πείθεσται, κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἑκάστου τῶν νοῶν ἀνακαλύπτεται τὰ θεῖα καὶ ἐποπτεύεται, τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος ἐν σωστικῇ δικαιοσύνῃ τῶν ἐν μέτρῳ τὴν ἀμετρίαν θεωπρεπῶς, ὡς [B] *ἀχώρητον, ἀποδιαστελλούσης.*

7. — Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt a sensibilibus intelligibilia; et his quae in compositione sunt et figura, simplicia et infigurabilia; et formatis secundum corporum figuras, incorporalium intangibilis et infigurabilis, formae carentia; secundum eamdem veritatis rationem, superponitur substantiis quae est supersubstantialis et mentibus quae est super mentem Unitas et omnibus deliberationibus est indeliberabile quod est super deliberationem et ineffabile verbo omni, quod est super verbum, Bonum; Unitas unificans omnem unitatem et supersubstantialis substantia et intellectus non-intelligibilis et verbum non dicibile et irrationalitas, non-intelligibilitas et innominabilitas *, secundum nihil existentium existens et causa quidem essendi omnibus, ipsum autem non existens, sicut supra omnem substantiam et sic ut ipsum de seipso proprie et scienter enuntiet.

*7. — Ὥσπερ γὰρ ἄληπτα καὶ ἀθεώρητα τοῖς αἰσθητοῖς ἐστι τὰ νοητὰ καὶ τοῖς ἐν πλάσει καὶ τύπῳ τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀτύπωτα, τοῖς τε κατὰ σωμάτων σχήματα μεμορφωμένοις ἢ τῶν ἀσωμάτων ἀναφῆς καὶ ἀσχημάτιστος ἀμορφία· κατὰ τὸν αὐτὸν τῆς ἀληθείας λόγον, ὑπέρκειται τῶν οὐσιῶν ἡ ὑπερούσιος ἀοριστία καὶ τῶν νοῶν ἡ ὑπὲρ νοῦν ἑνότης καὶ πάσαις διανοίαις ἀδιανόητόν ἐστι τὸ ὑπὲρ διάνοιαν ἕν, ἄῤῥητόν τε λόγῳ παντὶ τὸ ὑπὲρ λόγον ἀγαθόν, ἑνὰς ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος καὶ ὑπερούσιος οὐσία καὶ νοῦς ἀνόητος καὶ λόγος ἄῤῥητος· ἀλογία καὶ ἀνοησία καὶ ἀνωνυμία * κατὰ μηδὲν τῶν ὄντων οὖσα· καὶ αἴτιον μεν τοῦ εἶναι πᾶσιν, αὐτὸ δὲ μὴ ὂν ὡς πάσης οὐσίας ἐπέκεινα καὶ ὡς ἂν αὐτὴ περὶ ἑαυτῆς κυρίως καὶ ἐπιστητῶς ἀποφαίνοιτο.*

§ 2. 8. — De hac igitur, sicut dictum est, supersubstantiali et occulta Deitate, non est audendum dicere neque cogitare aliquid praeter illa quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa.

§ 2. 8. — [C] *Περὶ ταύτης οὖν, ὡς εἴρηται, τῆς ὑπερουσίου καὶ κρυφίας θεότητος οὐ τολμητέον εἰπεῖν οὔτε μὴν ἐννοήσαί τι παρὰ τὰ θεοειδῶς ἡμῖν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἐκπεφασμένα·*

9. — Etenim sicut ipsa de seipsa in eloquiis, ut decet bonam, tradidit, ipsius quidem quidquid est scientia et contemplatio omnibus est invia existentibus sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata. Et multos Theologorum invenies non solum sicut invisibilem ipsam et incomprehensibilem laudavisse sed inscrutabilem simul et non-investigabilem, sicut non existente vestigio ullo eorum qui ad occultam ipsius infinitatem transierunt.

9. — καὶ γὰρ ὡς αὐτὴ περὶ ἑαυτῆς ἐν τοῖς λογίοις ἀγαθοπρεπῶς παραδέδωκεν, ἡ μὲν αὐτῆς ὅ τι ποτέ ἐστιν ἐπιστήμη καὶ θεωρία πᾶσιν ἄβατός ἐστι τοῖς οὖσιν, ὡς πάντων ὑπερουσίως ἐξῃρημένη. Καὶ πολλοὺς τῶν θεολόγων εὑρήσεις οὐ μόνον ἀόρατον αὐτὴν καὶ ἀπερίληπτον ὑμνηκότας, ἀλλὰ καὶ ἀνεξερεύνητον ἅμα καὶ ἀνεξιχνίαστον [1], *ὡς οὐκ ὄντος ἴχνους οὐδενὸς τῶν ἐπὶ τὴν κρυφίαν αὐτῆς ἀπειρίαν διεληλυθότων.*

10. — Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli existentium, sed in seipso singulariter supersubstantialem collocans radium uniuscuiusque existentium proportionabilibus illuminationibus, benigne superapparet et ad possibilem ipsius contemplationem et communionem et assimilationem extendit sanctas mentes, quae ipsi, sicut est fas et ut decet sanctos, se immittunt et neque ad superius quam convenienter data

10. — Οὐ μὴν ἀκοινώνητόν ἐστι καθόλου τἀγαθὸν οὐδενὶ τῶν ὄντων, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτοῦ μονίμως τὴν ὑπερούσιον ἱδρῦσαν ἀκτῖνα ταῖς ἑκάστου τῶν ὄντων ἀναλόγοις ἐλλάμψεσιν ἀγαθοπρεπῶς [D] *ἐπιφαίνεται, καὶ πρὸς ἐφικτὴν αὐτοῦ θεωρίαν καὶ κοινωνίαν καὶ ὁμοίωσιν, ἀνατείνει τοὺς ἱεροὺς νόας τοὺς ὡς θεμιτὸν αὐτῷ καὶ ἱεροπρεπῶς ἐπιβάλ*[589 A]*λοντας, καὶ μήτε πρὸς τὸ ὑπέρτερον τῆς ἐναρμονίως ἐνδιδομένης θεοφανείας ἀδυνάτως ἀπαυθαδιζομένους, μήτε*

[1]) Cfr. *Rom.* 1 , 33.

Dei apparitione superbe praesumunt, neque ad inferius ex subiectione ad peius prolabuntur, sed firme et indeclinabiliter ad radium ipsius supersplendentem extenduntur et commensurato amore convenientium illuminationum, cum reverentia sancta et caste et sancte altius elevantur * ».

*πρὸς τὸ κάταντες ἐκ τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑφέσεως ἀπολισθαίνοντας, ἀλλ' εὐσταθῶς τε καὶ ἀκλινῶς ἐπὶ τὴν ἀκτῖνα τὴν αὐτοῖς ἐπιλάμπουσαν ἀνατεινομένους καὶ τῷ συμμέτρῳ τῶν θεμιτῶν ἐλλάμψεων ἔρωτι, μετ' εὐλαβείας ἱερᾶς σωφρόνως τε καὶ ὁσίως ἀναπτερουμένους *.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

1. — In hoc igitur libro, qui « *de divinis Nominibus* » inscribitur, more eorum qui artificiose scientias tradiderunt, primo, praemittit quaedam necessaria ad sequentem considerationem; secundo, incipit prosequi principale intentum in 3 cap. quod incipit ibi [78]: *Et primam...*

2. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit rationem divinorum Nominum; secundo, ostendit quod Nomina, de quibus in hoc libro tractatur, sunt communia toti Trinitati; et hoc 2° cap. quod incipit ibi [31]: *Thearchicam totam essentiam....*

3. Circa primum, duo facit: primo, continuat se ad praecedentem librum, ubi [1] alloquens beatum Timotheum, dicit quod *post Theologicas Hypotyposes*, idest divinas distinctiones quibus personae in Trinitate ad invicem distinguntur, transibit *ad reserationem*, idest manifestationem *divinorum Nominum*, secundum suam possibilitatem. Perfecte enim ea exponere supra hominem esse videtur.

4. — Secundo, ibi [2]: *Esto...*, incipit praemittere quaedam necessaria ad sequens opus. Praemittit autem duo: primo quidem, modum procedendi in hoc opere, hoc enim necessarium est praescire in qualibet doctrina. Secundo, ostendit rationem divinorum Nominum de quibus in hoc libro intendit; ibi [11]: *Has sequentes...* [lectio 2ª].

Et haec duo satis exprimuntur in titulo huius capitis qui sic se habet: *Quae sermonis intentio*, quantum ad primum; et *quae de divinis Nominibus traditio*, quantum ad secundum.

5. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit ex quibus procedendum sit in hoc opere; secundo quae sint tradenda; ibi [4]: *Igitur universaliter...*

6. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit ex quibus sit procedendum in hoc opere, quia non est innitendum rationi humanae, sed revelationi divinae, accipiens hoc ab Apostolo qui dicit I Corinth. 2 [4]: « *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis* ... [13]: *sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes* ». Et hoc est quod dicit [2]: *Esto autem*, idest sit, *et*, idest etiam, *nunc lex eloquiorum*, idest quae in sanctis Scripturis traditur, *praedefinita*, idest praedeterminata, *a nobis*, sicut olim fuit ab Apostolo; quae quidem lex est: *nos asseverare*, idest astruere vel manifestare *veritatem dictorum de Deo, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, idest non innitentes, sicut principalibus mediis ad probandum propositum, principiis humanae sapientiae, quae secundum naturalem rationem procedit, *sed in demonstratione virtutis Theologorum*, idest eorum qui Scripturam canonicam tradiderunt, scilicet Apostolorum et Prophetarum, *virtutis*, dico, *motae a Spiritu*, scilicet Sancto. Innititur enim, in sua doctrina, Dionysius auctoritate sacrae Scripturae, quae robur habet et virtutem secundum quod Apostoli et Prophetae moti sunt ad loquendum a Spiritu Sancto eis revelante et in eis loquente.

7. — Secundo, inducit praedictae legis rationem; ibi [3]: *Secundum quam...* Et virtus suae rationis talis est:

In illis doctrinis, principiis humanae sapientiae inniti possumus in quibus ea traduntur quae hominibus cognoscibilia sunt et dicibilia et ab his qui habent doctrinam illam et cognosci et dici possunt.

Sed in doctrina fidei proponuntur quaedam homini ignota et indicibilia quibus habentes fidem inhaerent, non cognoscendo aut perfecte verbo explicando, licet certius eis inhaereant et altior sit huiusmodi inhaesio quam aliqua cognitio naturalis.

In doctrina igitur fidei non possumus inniti principiis humanae sapientiae.

8. — Et hoc est quod dicit: *Secundum quam*, scilicet virtutem revelationis procedentis a Spiritu Sancto in Apostolos et Prophetas, nos per fidem *coniungimur ineffabilibus et ignotis*, idest veritati divinae quae excedit omnem humanam locutionem et cognitionem. Nec fides sic coniungit eis ut faciat ea ab homine credente cognosci et loqui sicut sunt, hoc enim esset apertae

visionis, sed coniungit *ineffabiliter et ignote: « Videmus enim nunc per speculum »* ut dicitur I Corinth. 13 [12].

9. — Et ne aliquis hanc coniunctionem despiceret propter sui imperfectionem, subiungit: *secundum meliorem unionem nostrae rationalis et intellectualis virtutis et operationis*, idest supra virtutem et operationem nostrae rationis et intellectus, ut ponatur genitivus pro ablativo, more graecorum.

Altioribus enim per fidem coniungimur quam sint ea ad quae ratio naturalis pertingit et certius adhaeremus, quanto certior est divina revelatio quam humana cognitio. Dicit autem: *rationalis et intellectualis*, quia eorum quae naturaliter cognoscimus, quaedam per se a nobis conspiciuntur absque aliqua investigatione et eorum proprie est intellectus; quaedam vero cognoscuntur per inquisitionem et horum est ratio. Dicit autem: *operationis et virtutis*, quia multa cognoscimus virtute, quae actu non speculamur.

10. — Deinde, cum dicit [4]: *Igitur universaliter...* ostendit quae sunt tradenda in hac doctrina; et primo, ponit propositum; secundo, manifestat ipsum; ibi [5]: *Nam supersubstantialem scientiam...*

11. — Propositum autem concludit ex praemissis. Hoc enim et in scientiis humanis observatur, quod principia et conclusiones sunt ex eodem genere. Sic igitur principia ex quibus procedit haec doctrina sunt ea quae per revelationem Spiritus Sancti sunt accepta et in sacris Scripturis habentur: hoc est ergo quod concludit, quod nullo modo aliquis debet audere *dicere*, ore, *nec etiam cogitare aliquid de occulta Deitate supersubstantiali*, quae est super omnem substantiam, et per hoc est occulta nobis quibus creatae substantiae sunt proportionatae ad cognoscendum et per consequens ad loquendum, *praeter ea quae nobis divinitus ex sanctis eloquiis sunt expressa*, idest, exprimuntur per sancta eloquia. Signanter autem non dicit: in sanctis eloquiis, sed *ex sanctis eloquiis*, quia quaecumque ex his quae continentur in sacra Scriptura elici possunt, non sunt aliena ab hac doctrina, licet ipsa etiam in sacra non contineantur Scriptura.

12. — Deinde, cum dicit [5]: *Nam supersubstantialem scientiam...* inducit rationem ad manifestandum propositum; et primo, ponit rationem; secundo, probat quaedam quae in ratione supponit; ibi [6]: *Etenim...*

13. Virtus ergo suae rationis talis est: De eo quod ab aliquo solo scitur, nullus potest cogitare vel loqui, nisi quantum ab illo manifestatur.

Soli autem Deo convenit perfecte cognoscere seipsum secundum id quod est. Nullus igitur potest vere loqui de Deo vel cogitare nisi inquantum a Deo revelatur.

Quae quidem divina revelatio in Scripturis sacris continetur.

14. — Et hoc est quod dicit quod *convenit ipsi*, scilicet Deo soli, *attribuere supersubstantialem scientiam ignorantiae supersubstantialitatis*, idest supersubstantialitatis divinae ignoratae; *quae* quidem supersubstantialitas non ignorata est propter aliquem suum defectum, sed propter suum excessum, quia scilicet *est super rationem et intellectum* creatum *et* super *ipsam substantiam* creatam quae est obiectum commensuratum intellectui creato, sicut essentia increata est proportionata scientiae increatae. Et ideo sicut essentia divina est supersubstantialis, ita et ejus *scientiam supersubstantialem* dixit. Semper enim oportet obiectum cognitivae virtutis, virtuti cognoscenti proportionatum esse.

15. — Ne tamen omnino simus in Dei ignorantia constituti, subiungit: nos, dico, convenit rationem *respicientes*, per spiritualem contemplationem, *ad superius*, idest ad id quod supra nos est, scilicet Deum, tendere, *quantum radius thearchicorum eloquiorum seipsum immittit*, idest se extendit, *ad superiores splendores*, idest ad veritates intelligibiles divinorum.

Veritas enim sacrae Scripturae est quoddam lumen per modum radii derivatum a prima Veritate, quod quidem lumen non se extendit ad hoc quod per ipsum possimus videre Dei essentiam aut cognoscere omnia quae Deus in seipso cognoscit aut angeli aut beati eius essentiam videntes, sed usque ad aliquem certum terminum vel mensuram, intelligibilia divinorum, lumine sacrae Scripturae manifestantur.

16. — *Et* sic, dum nos non plus extendimus ad agnoscendum divina, quam lumen sacrae Scripturae se extendit, *simus* per hoc *constricti*, quasi certis limitibus coarctati, *circa divina*, quadam *temperantia et sanctitate: sanctitate* quidem dum sacrae Scripturae veritatem mundam ab omni errore conservamus; *temperantia* vero, dum ad eas non magis nos ingerimus, quam nobis est datum.

17. — Deinde, cum dicit [6]: *Etenim...*, manifestat quae supposuerat in hac ratione: et primo quidem, quod Deus soli sibi sit notus, nobis autem occultus; secundo, ma-

nifestat modum quo divina cognitio nobis communicatur; ibi [10]: *Non tamen incommunicabile est...*

18. — Primum ostendit dupliciter: primo quidem, rationibus: secundo, auctoritatibus; ibi [9]: *Etenim sicut ipsa de seipsa.*

19. — Ponit autem, primo, duas rationes; quarum prima talis est: Divina revelantur a Deo secundum proportionem eorum quibus revelantur; sed cognoscere infinitum est supra proportionem intellectus finiti; non ergo hoc ipsum quod Deus est, ex divina revelatione a quocumque cognoscitur.

20. — Et hoc est quod dicit: quaedam *divina revelantur* a Deo *et inspiciuntur* a nobis, *secundum proportionem mentium uniuscuiusque.* Et hoc dico: *si convenit aliquid credere Theologiae*, idest sacrae Scripturae *omni-sapienti et verissimae.* Dicit enim Matth. 25 [15]: « *Dedit ... unicuique secundum propriam virtutem* ».

21. — Et notandum quod ponit duo ex quibus habetur quod sacrae Scripturae sit maxime credendum. Quod enim alicui non credatur ex duobus contingit: aut quia est vel reputatur ignorans aut quia est vel reputatur mendax. Unde, cum sacra Scriptura sit omni-sapiens et verissima quia revelata et tradita a Deo qui est Veritas et omnia sciens, maxime sacrae Scripturae est credendum.

22. — Et hoc dico, *thearchica*, idest divina, *bonitate* segregata *a mensuratis*, idest a finitis, *immensuratione*, idest infinitate divinae essentiae, non quidem ut nullo modo cognoscatur sed ut non comprehendatur. Et propter hoc addit: *sicut incomprehensibilem.* Nam a beatis quidem mente attingitur divina essentia non autem comprehenditur. Et hoc quidem facit Deum *in iustitia salutari.* In hoc enim ratio distributivae iustitiae consistit quod detur unicuique secundum suam conditionem. Et sicut per ordinem distributivae iustitiae constitutae a principe civitatis, salvatur totus ordo politicus, ita per hunc ordinem iustitiae salvatur a Deo totus ordo universi; hoc enim subtracto omnia confusa remanerent. Et hoc quidem facit *ut decet Deum;* eum enim decet sua bonitate salvare quos condidit.

23. — Secundam rationem ponit ibi [7]: *Sicut enim incomprehensibilia...*, quae talis est:

Superior gradus entium comprehendi non potest per inferiorem, sicut intelligibilia comprehendi non possunt perfecte per sensibilia, nec simplicia per composita, nec incorporea per corporalia;

sed Deus est super omnem ordinem existentium;

ergo per nihil existentium comprehendi potest.

24. — Et hoc est quod dicit: *sicut enim intelligibilia sunt incomprehensibilia et incontemplabilia a sensibilibus*, idest per sensibilia; *et simplicia et infigurabilia* per ea *quae sunt in compositione et figura*, idest quae sunt composita et figurata (non enim est figura nisi compositorum); et sicut *carentia* seu privatio *formae*, scilicet corporalis, rerum *incorporalium*, quae quidem carentia seu privatio est *intangibilis* et *infigurabilis*, idest ipsa incorporalia, quae carent forma et sunt intangibilia et infigurabilia (ut intelligamus poni abstractum pro concreto) *sunt incomprehensibilia et incontemplabilia formatis secundum figuras corporum*, idest ipsis corporibus sic, inquam, hoc est, *secundum eamdem rationem veritatis, superponitur Unitas*, idest Deus, qui est ipsa Unitas quasi existens unus per suam essentiam, *quae est supersubstantialis, superponitur substantiis* et *quae est super mentem* superponitur *mentibus*, idest intellectualibus spiritibus; *et ipsum Bonum*, scilicet Deus, *quod est super deliberationem*, idest super omnem rationem, *est indeliberabile omnibus deliberationibus*, idest non investigabile aliqua ratione creata *et quod est super verbum*, idest super omnem locutionem creaturae, *est ineffabile*, idest indicibile, *omni verbo* creato.

25. — Ubi quatuor tetigit, scilicet: *substantias*, quae sunt obiecta cognitionis; *mentem*, idest intellectum simplicem; *deliberationem*, idest rationem inquirentem, quae pertinent ad virtutes cognoscitivas; et *verbum*, quod pertinet ad manifestationem cognitionis. Ponit autem haec quatuor quia non solum intendit ostendere quod Deus non possit per aliquam virtutem cognoscitivam comprehendi aut locutione perfecte manifestari, sed quod neque per aliquod obiectum creatum vel per quamcumque similitudinem creatam. Unde et in exemplis quae ponit, non dicit quod intelligibilia sint incomprehensibilia sensibus, sed sensibilibus quia per sensibilia intelligibilia comprehendi non possunt. Et eadem ratio est de aliis.

26. — Et attendendum est quod non solum dixit quod intelligibilia sint *incomprehensibilia* sensibilibus, sed etiam *incontemplabilia*, quia per ea quae sunt inferioris ordinis, non solum comprehendi non possunt ea quae sunt superioris, sed neque contemplari. Tunc enim per aliud contemplamur, cum

per unum possumus essentiam illius videre ut sciamus de eo quid est. Comprehenditur autem illius essentia cum ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est. Qui enim conclusionem demonstrabilem medio probabili cognoscit, etsi eam aliqualiter contempletur, non tamen eam comprehendit quia non pertingit ad perfectum modum suae cognitionis.

27. — Sic, igitur, Deus incomprehensibilis quidem est omni intellectui creato, quia est super omnem mentem et rationem, utpote plus habens de claritate veritatis in sua essentia, quod ad Eius cognoscibilitatem pertinet, quam aliquod creatum de virtute ad cognoscendum. Unde nulla creatura potest pertingere ad perfectum modum cognitionis Ipsius, quem nominavit *supersubstantialem scientiam*, et hoc esset eum comprehendere.

Potest tamen intellectus creatus Eius essentiam contemplari aliquo modo attingendo, non tamen per aliqua obiecta vel species vel quascumque similitudines creatas, quia nullum horum potest manuducere in divinam Essentiam, multo minus quam corpus in incorpoream essentiam.

Sic igitur, secundum rationem Dionysii oportet dicere quod Deus et incomprehensibilis est omni intellectui et incontemplabilis nobis in sua essentia, quamdiu nostra cognitio alligata est rebus creatis, utpote nobis connaturalibus; et hoc est in statu viae.

28. — Et quia Deum unitatem vocaverat, ne aliquis credat quod sit unitas formaliter rebus inhaerens, quasi in ipsis rebus participata, ad hoc excludendum subiungit: *unitas*, scilicet per se subsistens, *unificans omnem unitatem*, idest diffundens unitatem in omnibus, quae quocumque modo unitatem participant. Deinde, quia Deum nominaverat unitatem supersubstantialem et bonum super mentem, posset aliquis credere quod Deus nullo modo posset dici substantia aut mens aut aliquid huiusmodi et ideo, ad hoc excludendum subdit quod Deus est quidem *substantia* sed *supersubstantialis.*

29. — Ad cuius evidentiam considerandum est quod nomina, cum sint a nobis imposita, sic significant secundum quod res in cognitionem nostram cadunt. Cum igitur hoc ipsum quod Deus est, sit supra cognitionem nostram, ut ostensum est, cognitio autem nostra commensuretur rebus creatis, nomina a nobis imposita non sic significant secundum quod congruit divinae excellentiae, sed secundum quod convenit existentiae rerum creatarum.

Esse autem rerum creatarum deductum est ab Esse divino secundum quamdam deficientem assimilationem.

Sic igitur, secundum quod qualitercumque similitudo est rerum creatarum ad Deum, nomina a nobis imposita de Deo dici possunt, non quidem sic sicut de creaturis, sed per quemdam excessum, et hoc significat quod dicit, quod Deus est *supersubstantialis substantia;* et similiter quod subdit quod est *intellectus non-intelligibilis*, idest non quales sunt intellectus qui intelliguntur a nobis; *et* est *verbum non-dicibile*, idest non qualia sunt verba quae a nobis dicuntur.

30. — Sicut autem nomina a nobis imposita, de Deo dici possunt secundum quod aliqua similitudo est creaturarum ad Deum, ita secundum quod creaturae deficiunt a repraesentatione Dei, nomina a nobis imposita a Deo removeri possunt et opposita eorum praedicari. Unde subdit quod Deus sic dicitur ratio, quod potest dici et *irrationabilitas;* et sic dicitur intellectus, quod potest dici *non-intelligibilitas;* et sic dicitur *verbum*, quod potest dici *innominabilitas;* non quidem propter hoc quod haec Ei deficiant, sed quia *secundum nihil existentium est existens*, idest non existit secundum modum alicuius rei existentis; *et* ipse *quidem* est *causa* existendi *omnibus*, transfundens in omnia aliqualiter suam similitudinem, ut sic ex nominibus creatorum nominari possit; *Ipsum autem est non-existens*, non quasi deficiens ab essendo, sed *sicut supra omnem substantiam* existens; et est innominabilis, *sic ut Ipsum de seipso proprie et scienter enuntiet*, idest secundum proprietatem sui esse et secundum perfectam sui ipsius scientiam, quo modo nullus Eum enuntiare potest.

31. — Ex iam dictis, principalem conclusionem infert cum subdit [8]: *De hac igitur, sicut dictum est, supersubstantiali et occulta Deitate, non est audendum dicere neque cogitare aliquid praeter illa quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa;* quod est supra expositum [11].

32. — Deinde, cum subdit [9]: *Etenim sicut Ipsa...* quod supra [19; 23] rationibus ostendebatur, ostendit auctoritate, cum dicit quod: *Ipsa*, Deitas, *de seipsa in* sacris *eloquiis tradidit, sicut decet bonam*, idest bonitatem Eius, ut veritatem, scilicet, de seipsa tradat; hoc inquam, *tradidit*, quod *omnibus existentibus scientia et contemplatio Ipsius est invia*, idest nullus ad eam accedere potest,

non quidem qualicumque scientia vel contemplatione, sed qua quod quid est scitur vel contemplatur de ea quod quid est; quae quidem est scientia comprehensiva substantiae Ipsius. Et haec *quidem scientia* vel contemplatio ea ratione est invia, quia *est ab omnibus segregata supersubstantialiter*, idest secundum supersubstantialem Deitatis excessum. Ei enim soli competit de se cognoscere quod quid est.

33. — Et hoc praecipue videtur sumptum ex hoc quod dicitur Exod. 33 [20]: « *Non videbit me homo et vivet* » et I Tim. 6 [16]: « *lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit sed nec videre potest* ». *Et multos Theologorum invenies laudavisse Ipsum non solum sicut invisibilem et incomprehensibilem, sed* etiam *sicut inscrutabilem et non investigabilem*, secundum illud Iob 11 [7]: « *Forsitan vestigia Dei comprehendes* » et Rom. 11 [33]: « *quam incomprehensibilia sunt iudicia Eius et investigabiles viae Eius* ».

34. — Et quare dicatur non-investigabilis, consequenter exponit: *sicut non existente ullo vestigio eorum qui transierunt ad occultam infinitatem Ipsius*. Superfluit autem ibi una negatio; et loquitur secundum proprietatem vocabuli: nam investigare proprie est per vestigia alicuius euntis per viam, ad viae terminum perduci. Sic igitur Deitas investigari posset, si aliqui accedentes ad cognitionem Ipsius aliqua documenta, quasi vestigia quaedam, nobis reliquissent per quae ad videndum Deum accedere possemus. Sed hoc non est: vel quia nulli transierunt in Ipsum, si referatur ad visionem comprehensivam, vel quia illi qui transierunt ad videndum Deum per essentiam, sicut beati omnes, non potuerunt nobis exprimere ipsam divinam Essentiam. Unde et Paulus raptus ad tertium coelum, dicit se audivisse « *arcana verba, quae non licet homini loqui* », II Corinth. 12, [4].

35. — Sic igitur triplicem modum cognitionis excludit: primum quidem, illum quo aliquid per seipsum videtur et hoc cum dicit Deitatem: *invisibilem;* secundo, modum quo aliquid cognoscitur per inquisitionem rationis et hoc cum dicit Eam *inscrutabilem:* scrutari enim inquisitionem importat; tertio, modum quo aliquid cognoscitur ab alio addiscendo, per hoc quod dicit *non-investigabilem.*

36. — Deinde, cum dicit [10]: *Non tamen...* manifestat quomodo occultae Deitatis cognitio aliis communicatur. Esset enim contra rationem bonitatis divinae, si cognitionem suam sibi retineret quod nulli alteri penitus communicaret, cum de ratione boni sit quod se aliis communicet. Et ideo dicit quod licet supersubstantialis Dei scientia soli Deo attribuenda sit, tamen, cum Deus sit ipsum bonum, non potest esse quod non communicetur alicui existentium.

37. — Nec tamen ita communicatur Eius cognitio aliis sicut Ipse seipsum cognoscit; *sed* Ipse *collocans*, idest firmiter conservans *singulariter in seipso supersubstantialem radium*, idest supersubstantialem veritatis suae cognitionem sibi soli reservans, *superapparet*, quasi dicat, sursum apparet, *benigne*, quasi non ex necessitate sed ex gratia, *proportionabilibus illuminationibus*, idest secundum proportionales illuminationes, *uniuscuiusque existentium*, quasi dicat: suae bonitatis ratio hoc habet ut, reservato sibi quodam cognitionis modo qui sibi est singularis, communicet inferioribus ex sua gratia, aliquem modum cognitionis, secundum suas illuminationes, quae sunt secundum proportionem uniuscuiusque.

38. — Et non solum superapparet et illuminat, sed etiam hoc ipsum quod inferiores mentes illuminatae, utentes dato lumine ad Ipsum cognoscendum accedunt, ab Ipso est. Et hoc est quod subdit quod *extendit sanctas mentes ad contemplationem Ipsius possibilem* eis, quia, sicut supra dictum est [36] aliquo modo est omnibus contemplabilis. Et quia qui contemplantur Ipsum quodammodo unum cum Ipso efficiuntur (secundum quod intellectus in actu est quodammodo intellectum esse in actu) et per consequens Ei assimilantur utpote ab Ipso informati, subdit: *et communionem et assimilationem.*

39. — Consequenter autem ostendit conditiones sanctarum mentium quae in Deum extenduntur: quarum prima est quod, secundum quod est eis licitum ex concessione divina et secundum quod decet eas ex conditione propria, se ad Ipsum ingerunt. Unde subdit: *quae*, scilicet mentes, *Ipsi*, idest Deo, *se immittunt sicut fas est et ut decet sanctos*, ita scilicet quod *neque ad superius* aliquid ex superbia *praesumunt*, scilicet super id quod est eis datum *convenienter* secundum Dei apparitionem sive revelationem, *neque* iterum *prolabuntur ad inferius*, idest non deiiciunt se infra id quod eis datum est, *ex subiectione ad peius*, idest ex quadam pusillanimitate, qua relictis melioribus, peioribus inhaereant.

Secunda conditio sanctarum mentium est quod *firme et indeclinabiliter extenduntur ad*

radium Ipsius supersplendentem, idest ad veritatem eis desuper manifestatam, ut firmitas referatur ad certitudinem et indeclinabilitas ad immobilitatem.

Tertia conditio est quod affectum amoris, divinis manifestatis exhibeant; et hoc est quod subdit: *et commensurato amore convenientium illuminationum*, ita scilicet quod affectus eorum circa ea insistat quae secundum eorum mensuram eis sunt data, per quae *elevantur* in divina alis spiritualibus scilicet contemplationibus intellectualibus, *cum reverentia sancta et caste et sancte:* reverenter quidem, inquantum se abstinent ab aliis quae supra eos sunt; *caste* autem, inquantum inferioribus non se detinent; *sancte* vero, inquantum his quae eis data sunt, secundum Dei ordinationem firmiter inhaerent.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 1, 3: *Hypotyposes* - in prooemio... idest *characteribus*, nunc *distinctiones;* titulus sonat: *theologica summaria*, cuius doctrina resumitur in cap. II (cfr. *de Mystica Theologia*, cap. III).

* ad n. 2, 6: « asseverare » (καταδεῖξασθαι), minime; est καταδείσασθαι « revereri » ut talis sit norma divina: « nos revereri veritatem eorum quae a Deo dicuntur... ». Haec reverentia est origo humilitatis quae in intellectu supponit *regulam subordinationis.*

* ad n. 5, 14: « *ignorantiae supersubstantialitatis... Ipsi attribuere convenit* ». Variae lectiones vel omittunt ἀγνωσία vel ponunt ἀγνωσίας. Turturro sic legit: « τῆς γὰρ ὑπὲρ λόγον καὶ νοῦν καὶ οὐσίαν ἀυτῆς ὑπερουσιότητος ἀγνωσία. Ἀυτῇ τὴν ὑπερούσιον ἐπιστήμην ἐπιθετέον » — « ipsius enim supersubstantialitatis quae (est) super rationem et mentem et substantiam (est) ignoratio. Ipsi (*Deitati* nempe cuius meminit n. 4) tribuenda est supersubstantialis scientia ». M. de Gandillac vertit: « L'inconnaissance de cette suressentialité même, qui depasse raison, pensée et essence, *tel doit être l'objet de la science suressentielle* », quod fere idem sonat cum versione Cordier: « nam supernaturalitatis ipsius indemonstrabilitas... ipsa est cui supernaturalem scientiam tribuere nos oportet ». Hic nostra scientia divina est « docta ignorantia », ibi occultum Deitatis est obiectum theologiae tamquam « scientia supersubstantialis ». Difficilia valde sunt haec. Lectio planior angustias tollit: ἀγνωσία. Ἀυτῇ... ut ἀγνωσίᾳ nobis referatur, ἀυτῇ vero Deitati *quae sola se cognoscit ut est* et se revelat in Scripturis, *reverenter* tractandis (2).

* ad n. 7, 24: « *superponitur substantiis... et innominabilitas* »; versionem propono: « transcendit omnes substantias supersubstantialis *Illimitatio* et (transcendit) mentes *Unitas* (quae est) super mentem; et omnibus facultatibus intellectualibus non est comprehensibile *Unum* quod (est) super facultatem intellectualem; et (est) ineffabile omni verbo *Bonum* (quod est) super verbum; (est) *Unitas* unificans omnem unitatem et supersubstantialis *Substantia* et *Mens* non-intelligibilis et *Verbum* ineffabile; (est) non-rationalitas et non-intellectualitas et non-nominatio ».

* ad n. 10, 39: « altius elevantur » ἀναπτερουμένους (cfr. *Phaedr.* XXX; 249 D: « alas recipit, *receptisque*, evolare nititur - Ficinus): « *alares factae* ».

2ª Quoad divinam transcendentiam (3, 7).

Sunt qui affirment doctrinam Dionysii circa absolutam Dei transcendentiam esse concessionem philosophiae sive Philonis sive maxime Plotini. Manifestum est e contra hic haberi fortissima positio contra intuitionismum Aetii et Eunomii.

Notum est « novos theologos » nullo modo doctrinam fidei reveritos esse et velut « osores Dei » ipsam veritatem naturalem, qua *quid Deus sit* cognoscere supra vires esse intellectualis cuiusque creaturae conceditur, per theoriam « ingeniti » reliecisse.

Quaedam de hac re scripsi in articulo: *I teologi e la teologia nello sviluppo del pensiero cristiano dal III al IV secolo* (in ephemeride *Angelicum*, 1942, pag. 78-82).

« Sacra norma » (θεσμός) necessitatem intime pervadentem theologicam inquisitionem exprimit, ob excessus hic et nunc perturbantes.

Realitatem et valorem nostrae cognitionis de Deo infra (25, 320-324) distinctim Dionysius manifestat, maxime vero ni fallor cum Deus ἀνώνυμος (innominatus) et πολυώνυμος (multinominis) vocatur (25): dum enim divinam transcendentiam reveretur anonymia, realem cognitionem Causae ex effectibus nobis ingerit polyonymia.

In hymno Cleantis ad Iovem, gloriosissimus immortalium, *multinominis* (πολυώνυμε) vocatur (*Fragmenta Philos. graec.* I, Parisiis 1883, pag. 151). Similiter et in opere *de Mundo* (Aristotelis *Opera omnia* III, Parisiis 1921, pag. 641) Deus « unus ens *multinominis* est » (εἷς δ'ὢν πολυώνυμός ἐστι). Utrobique theologia stoicorum invenitur et sanam et Deo dignam interpretationem non excludit terminus quo auctores isti utuntur.

Unde ad periculum vitandum, necessarium non est divinam transcendentiam tali modo affirmare ut nihil omnino de Illo scire vel dici possit. Ipse enim est Causa quae per realitatem suorum effectuum in nobis defendit realitatem suae cognitionis (*Epist.* 9, 2, 1108 B). Doctrina Plotini (*En.* V, 3, 13) salvatur per anonymiam et corrigitur per polyonymiam.

3ª Quoad « silentium » mysticum (3).

F. Cumont notat Cheremonium apud Porphyrium (*de Abstin.* IV, 6) vigilanter advertisse characterem contemplativum devotionis aegyptiae, dum sacerdotes « totam vitam impendunt deorum contemplationi et inspectioni ». Ex opere: Casel, *de philosophorum*

graecorum silentio mystico, Giessen 1919, notat hunc auctorem historiam texisse a silentio sacro mysteriorum pergentem ad silentium contemplativum phisophorum; *vox* taceat necesse est ut *ratio* communicet cum Deo. Refert quoque se conatum fuisse (*Monuments Piot* XXV, 1921, pag. 77 ss.) relationes illustrare inter mysticismum Plotini et Isidis cultum (cfr. F. Cumont, *Les Religions Orientales dans le Paganisme romain*, Paris 1929[4], pag. 242, n. 89). Hinc, ut videtur, distinctius intelliguntur quae Dionysius docet tum in *de Divinis Nominibus* tum in *de Mystica Theologia*. Quaedam invenies, si libet, in ephemeride *Vita Cristiana*, 1943, pag. 267 ss. *La teologia del Silenzio di Dionigi il Mistico; ibid.*, pag. 361 ss. 471 ss. 555 ss. ubi invenire poteris et vers. ital. libri *de Mystica Theologia*.

Nunc notare vellem quae propria sunt huius tractationis in suo initio n. 3 signata et a S. Thoma exposita nn. **7-9**. Nam in Clemente Alexandrino, inveni quaedam valde pulchra notatu digna. « Vis Verbi data nobis, cum sit compendiosa et valida [cfr. *Is.* 10, 22; *ad Rom.* 9, 28], quemlibet qui eam exceperit et intra se possederit, *occulte et latenter* ad se trahit et totam eius compagem (*σύστημα*), ad unitatem conducit » (*Strom.* V, 12; edit. Potter, Venetiis 1757, II, 694).

Per hanc unionem fidei cum Veritate divina fit « salutaris mutatio » animae, ex qua sequitur alia mutatio, dum ex principiis fidei cognitio crescit « et transiens charitatem versus, inde cognoscentem praesentat cognito, *amicum amico* » (*Strom.* VII, 10; edit. Potter II, 866). Haec, ut videtur, ratio est quare Dionysius postea (60) loquitur de quadam *sympathia* ad Veritatem divinam quae « viva » exurgit *in* corde hominis.

Ideo bene Clemens Alexandrinus notat: « in magnis mysteriis, circa omnia non restat amplius *discere*, sed *contemplare* (*ἐποπτεύειν*) et *recogitare* (*περινοεῖν*) naturam et res » (*Strom.* V, 11; edit. Potter II, 689).

Hinc aperitur ianua qua ingreditur *viam negationis et eminentiae* (ibid.) usque dum *quiescit* ratio, *quiescit* mens; charitas Amatum, in caligine, *experitur*.

Haec notanda sunt valde ne *quies* facultatum intellectualium consideranda sit aut *abdicatio vel renunciatio vitae intellectualis* aut, quod peius est, *vita propria mentis, absque valore iudicetur*. Quando anima « claudit oculos » (*ἀπομύει* - MTh. I, 3; 1001 A) *non excludit* notiones quas habet, sed *non considerat:* mens quiescit in otio (*ἀνενεργεσία*), sed *per charitatem* quies est foecunda: cognoscens praesentatur cognito « in caligine » et tunc est *amicus cum amico*. Est et alia « clausura oculorum », sed hoc fit *privative* et Dionysius notat hoc in *daemonibus* (221: « *claudentes* ipsorum boni inspectivas virtutes »); cfr. pag. 140.

Haec *cursim* notavi, quia saepe Dionysius morte, temeritatem *aliorum* luit.

LECTIO II (2[a])

De cognitione quam de Deo accipere possumus per divina Nomina.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. 1; textus nn. 11-20; expositio nn. **40-75**).

Incipit prosequi de ratione divinorum Nominum
I° — Ostendit quam cognitionem de Deo per divina Nomina possumus accipere (**40**):
A) Ostendit quam cognitionem de Deo per divina Nomina accipiamus (**41**):
a) qualis cognitio de Deo per divina Nomina accipi possit (**42**)
j° - ostendit quam cognitionem de Deo per divina Nomina accipere possumus (**43**)
α) Desistimus a perscrutatione divinorum secundum rationem nostram et inhaeremus sacrae Scripturae in qua traduntur nobis divina Nomina per quae manifestatur nobis Deum esse bonorum principium (11; **44-45**).
β) Manifestat hoc:
I quoad universalem rationem principii (12; **46-52**)
II quoad determinatos effectus:
a) quantum ad institutionem rerum (**46**)
b) quantum ad meliorationem in spiritualibus (**47**)
I de purgatione (**48**)
II de illuminatione (**49**)
III de perfectione (**50**)
c) quantum ad meliorationem communiter omnibus (**51-52**).
ij° - Ostendit hoc exemplariter per quaedam Dei Nomina (13; **53-54**):
Unitas (14; **55-56**)
Trinitas (**57**)
Causa (**58**)
Sapiens et Pulchra Deitas (**59**)
Benigna (**60-63**).
b) Assignat differentiam huius cognitionis ad cognitionem quae erit in patria:
I nunc (15; **64-65**),
II tunc (**66-67**)
B) Ostendit quomodo post huiusmodi cognitionem, hoc ipsum quod Deus est remanet nobis occultum:
a) proponit quod intendit (16; **69-70**)
b) probat quod dixerat:
j° - inducit probationem (17; **72**)
ij° - exponit eam (18; **73**)
iij° - probat quoddam quod supposuerat (19; **75**)
II° — Qualiter Deus nominari possit (21, lect. 3).

TEXTUS DIONYSII

§ 3. 11. — « Has sequentes thearchicas leges, quae et totos gubernant supercoelestium ordinum et substantiarum sanctos ornatus, quod quidem est super mentem et substantiam Thearchiae occultum, inscrutabilibus et sanctis mentis reverentiis, indicibilia autem casto silentio venerantes, ad illucentes nobis in sanctis eloquiis splendores extendimur et ab ipsis illuminamur ad thearchicos hymnos, ab ipsis supermundane illuminati et ad sanctas hymnorum enuntiationes figurati et ad videndum per ipsos commensurate data nobis thearchica lumina et laudandum principium universae sanctae

§ 3. 11. — Τούτοις ἑπόμενοι τοῖς θεαρχικοῖς ζυγοῖς, οἳ καὶ τὰς ὅλας διακυβερνῶσι τῶν ὑπερουρανίων τάξεων ἁγίας διακοσμήσεις, τὸ μὲν ὑπὲρ νοῦν καὶ οὐσίαν τῆς θεαρχίας κρύφιον ἀνεξερευνήτοις καὶ ἱεραῖς νοὸς εὐλα-[B]*βείαις· τὰ δὲ ἄῤῥητα σώφρονι σιγῇ τιμῶντες, ἐπὶ τὰς ἐλλαμπούσας ἡμῖν ἐν τοῖς ἱεροῖς λογίοις αὐγὰς ἀνατεινόμεθα καὶ πρὸς αὐτῶν φωταγωγοῦμεθα πρὸς τοὺς θεαρχικοὺς ὕμνους, ὑπ' αὐτῶν ὑπερκοσμίως φωτιζόμενοι καὶ πρὸς τὰς ἱερὰς ὑμνολογίας τυπούμενοι πρὸς τὸ καὶ ὁρᾶν τὰ συμμέτρως ἡμῖν δι' αὐτῶν δωρούμενα θεαρχικὰ φῶτα, καὶ τὴν ἀγαθοδότιν ἀρχὴν ἁπάσης ἱερᾶς φωτοφανείας ὑμνεῖν, ὡς*

luminis apparitionis, quod donat bonum, sicut ipsum de seipso in sanctis eloquiis tradidit:

12. — sicut quod omnium est Causa et principium et substantia et vita; et decidentium ab ipsa revocatio et resurrectio; eorum autem quae ad deiformis corruptivum prolapsa sunt renovatio et reformatio; eorum autem quae secundum quamdam commotionem immundam moventur collocatio sancta; et stantium firmatio; et ad ipsam sursum actorum suscitativa manuductio; et eorum quae illuminantur illuminatio; et eorum quae perficiuntur perfectionis principatus; et eorum quae deificantur Thearchia ; et eorum quae simplificantur simplicitas; et eorum quae uniuntur unitas; principii universi, supersubstantialiter, superprincipale principium; et occulti, secundum quod est conveniens, bona traditio; et, ut simpliciter dicatur, viventium vita, existentium substantia, omnis vitae et substantiae principium et causa, propter bonitatem Ipsius quae et deducit ad esse existentia et continet.

§ 4. 13. — Haec autem a divinis eloquiis memoramus et, ut sic dicatur, omnem sanctum Theologorum hymnum invenies ad bonos Thearchiae processus manifestative et laudative Dei nominationes dividentem.

14. — Unde in omni fere theologico negotio, Thearchiam videmus sancte laudatam: sicut Monadem quidem et unitatem, propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impartibilitatis ex qua, ut unifica virtute, unimur et, divisibilibus nostris alteritatibus * supermundane conclusis, ad deiformem Monadem congregamur et Dei imitativam unitionem;

sicut Trinitatem autem propter trium personarum supersubstantialis fecunditatis manifestationem, " *ex* qua *omnis paternitas in* coelo *et in terra* est et *nominatur* ";

sicut Causam autem existentium, quoniam omnia ad esse deducta sunt propter ipsius substantificam bonitatem. Sapiente n autem et pulchram, quia existentia omnia propriam naturam incorruptam servantia, omni harmonia divina et sancto decore sunt plena. Benignam autem differenter, quoniam nostris ad veritatem totaliter in una ipsius personarum communicavit, revocans ad seipsam et reponens humanam extremitatem, ex qua ineffabiliter simplex Iesus compositus est et praesentationem temporalem accepit aeternus et intra nostram factus est naturam, qui omnem ordinem secundum omnem naturam supersubstantialiter excedit, cum intransmutabili et inconfusa propriorum collocatione

αὐτὴ περὶ ἑαυτῆς ἐν τοῖς ἱεροῖς λογίοις παραδέδωκεν·

12. — οἷον, ὅτι πάντων ἐστὶν αἰτία καὶ ἀρχὴ καὶ οὐσία καὶ ζωή· καὶ τῶν μὲν ἀποπιπτόντων αὐτῆς ἀνάκλησίς τε καὶ ἀνάστασις, τῶν δὲ πρὸς τὸ τοῦ θεοειδοῦς παραφθαρτικὸν ἀπολισθησάντων ἀνακαινισμὸς καὶ ἀναμόρφωσις, τῶν δὲ κατά τινα σάλον ἀνίερον παρακινουμένων ἱδρυσις ἱερὰ καὶ τῶν ἑστηκότων ἀσφάλεια καὶ τῶν [C] *ἐπ' αὐτὴν ἀναγομένων ἀνατατικὴ χειραγωγία καὶ τῶν φωτιζομένων ἔλλαμψις καὶ τῶν τελουμένων τελετοαρχία καὶ τῶν θεουμένων θεαρχία καὶ τῶν ἁπλουμένων ἁπλότης καὶ τῶν ἑνιζομένων ἑνότης, ἀρχῆς ἀπάσης ὑπερουσίως ὑπεράρχιος ἀρχὴ καὶ τοῦ κρυφίου κατὰ τὸ θεμιτὸν ἀγαθὴ μεταδότις καί, ἁπλῶς εἰπεῖν, ἡ τῶν ζώντων ζωὴ καὶ τῶν ὄντων οὐσία, πάσης ζωῆς καὶ οὐσίας ἀρχὴ καὶ αἰτία διὰ τὴν αὐτῆς εἰς τὸ εἶναι τὰ ὄντα παρακτικὴν καὶ συνοχικὴν ἀγαθότητα.*

§ 4. 13. — [D] *Ταῦτα πρὸς τῶν θείων λογίων μεμνήμεθα καὶ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν ἱερὰν των θεολόγων ὑμνολογίαν εὑρήσεις πρὸς τὰς ἀγαθουργοὺς τῆς θεαρχίας προόδους ἐκφαντορικῶς καὶ ὑμνητικῶς τὰς θεωνυμίας διασκευάζουσαν.*

14. — Οθεν ἐν πάσῃ σχεδὸν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ τὴν θεαρχίαν ὁρῶμεν ἱερῶς ὑμνουμένην·

*ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερίας, ἐξ ἧς, ὡς ἑνοποιοῦ δυνάμεως, ἑνιζόμεθα καὶ τῶν μεριστῶν ἡμῶν ἑτεροτήτων * ὑπερκοσμίως συμπτυσσομένων εἰς θεοειδῆ μονάδα συναγόμεθα καὶ θεομίμητον ἕνωσιν·*

ὡς [592 A] *τριάδα δὲ διὰ τὴν τρισυπόστατον τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἔκφανσιν, « ἐξ » ἧς « πᾶσα πατριὰ ἐν » οὐρανῷ « καὶ ἐπὶ γῆς » ἐστι καὶ « ὀνομάζεται »* [1].

ὡς αἰτίαν δὲ τῶν ὄντων, ἐπεὶ πάντα πρὸς τὸ εἶναι παρήχθη διὰ τὴν αὐτῆς οὐσιοποιὸν ἀγαθότητα· σοφὴν δὲ καὶ καλὴν ὅτι τὰ ὄντα πάντα τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἀπαράφθαρτα διασώζοντα πάσης ἁρμονίας ἐνθέου καὶ ἱερᾶς εὐπρεπείας ἐστὶν ἀνάπλεα· φιλάνθρωπον δὲ διαφερόντως ὅτι τοῖς καθ' ἡμᾶς πρὸς ἀλήθειαν ὁλικῶς ἐν μία τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν, ἀνακαλουμένη πρὸς ἑαυτὴν καὶ ἀνατιθεῖσα τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατιὰν ἐξ ἧς ἀῤῥήτως ὁ ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη καὶ παράτασιν εἴληφε χρονικὴν ὁ ἀΐδιος καὶ εἴσω τῆς καθ' ἡμᾶς ἐγεγόνει φύσεως ὁ πάσης τῆς κατὰ πᾶσαν φύσιν τάξεως ὑπερουσίως ἐκβεβηκὼς μετὰ [B] *τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἱδρύσεως·*

[1]) Cfr. *Ephes.* 3, 15.

et quaecumque alia deifica lumina, iuxta consequentiam divinorum eloquiorum nostrorum ducum occulta traditio manifestative nobis donavit.

15. — Haec et nos docti sumus: nunc, quidem, iuxta proportionem nostram, per sancta velamina eloquiorum et hierarchicarum traditionum, benignitate sensibilibus intelligibilia et existentibus supersubstantialia circumvelante et formas et figuras informabilibus et non figurabilibus circumponente et supernaturalem et infigurabilem simplicitatem varietate divisibilium signorum et multiplicante et componente; tunc, autem, quando incorruptibiles et immortales erimus et christiformem et beatissimum consequemur finem, " *semper cum Domino* ", secundum eloquium, " *erimus* ", visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa divinissima transformatione *, intelligibili autem luminis datione ipsius, impassibili et immateriali mente participantes et super mentem unitione, ignotis et beatis immissionibus superclarorum radiorum in diviniore imitatione supercoelestium mentium. " *Nam aequales Angelis* " erimus, ut veritas dicit eloquiorum, " *et filii Dei, resurrectionis filii existentes* ".

16. — Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur et ex ipsis rursus ad simplicem et unitam intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extendimur et post omnem secundum nos deiformium unitionem *, sedantes nostras intellectuales operationes ad supersubstantialem radium, secundum quod fas est, nos immittimus;

17. — in quo, omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter praeextiterunt, quem neque cogitare possibile est, neque dicere, neque totaliter aliquo modo contemplari, propter hoc quod ab omnibus Ipse est segregatus et superignotus;

18. — et omnium quidem substantialium cognitionum et virtutum terminationes simul et omnes supersubstantialiter in seipso praeaccepit et super omnes coelestes mentes, incomprehensibili virtute est collocatus.

19. — Si enim cognitiones omnium existentium sunt et si existentia finem habent, qui est super omnem substantiam et ab omni cognitione est segretatus.

§ 5. 20. — Et quidem, si melior est omni sermone et omni cognitione et super mentem universaliter et substantiam collocatur ».

καὶ ὅσα ἄλλα θεουργικὰ φῶτα τοῖς λογίοις ἀκολούθως, ἡ τῶν ἐνθέων ἡμῶν κατηγεμόνων κρυφία παράδοσις ἐκφαντορικῶς ἡμῖν ἐδωρήσατο·

*15. — Ταῦτα καὶ ἡμεῖς μεμνήμεθα· νῦν μὲν ἀναλόγως ἡμῖν διὰ τῶν ἱερῶν παραπετασμάτων τῆς τῶν λογίων καὶ τῶν ἱεραρχικῶν παραδόσεων φιλανθρωπίας, αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ καὶ τοῖς οὖσι τὰ ὑπερούσια περικαλυπτούσης καὶ μορφὰς καὶ τύπους τοῖς ἀμορφώτοις τε καὶ ἀτυπώτοις περιτιθείσης, καὶ τὴν ὑπερφυῆ καὶ ἀσχημάτιστον ἁπλότητα τῇ ποικιλίᾳ τῶν μεριστῶν συμβόλων πληθυούσης τε καὶ διαπλατούσης· τότε δὲ ὅταν ἄφθαρτοι καὶ ἀθάνατοι γενώμεθα καὶ τῆς χριστοειδοῦς καὶ μακαριωτάτης ἐφικώμεθα λήξεως, « πάντοτε σὺν κυρίῳ » κατὰ τὸ λόγιον [1] « ἐσόμεθα », τῆς ὁρατῆς αὐτοῦ θεοφανείας ἐν πανάγνοις θεω[C]ρίαις ἀποπληρούμενοι φανοτάταις μαρμαρυγαῖς ἡμᾶς περιαυγαζούσης, ᾗς τοὺς μαθητὰς ἐν ἐκείνῃ τῇ θειοτάτῃ μεταμορφώσει * [2] τῆς δὲ νοητῆς αὐτοῦ φωτοδοσίας ἐν ἀπαθεῖ καὶ ἀθλῳ τῷ νῷ μετέχοντες καὶ τῆς ὑπὲρ νοῦν ἑνώσεως ἐν ταῖς τῶν ὑπερφανῶν ἀκτίνων ἀγνώστοις καὶ μακαρίαις ἐπιβολαῖς, ἐν θειοτέρᾳ μιμήσει τῶν ὑπερουρανίων νοῶν « ἰσάγγελοι γάρ », ὡς ἡ τῶν λογίων ἀλήθειά φησιν, ἐσόμεθα « καὶ υἱοὶ » « θεοῦ· τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες »* [3].

*16. — Νῦν δὲ, ὡς ἡμῖν ἐφικτόν, οἰκείοις μὲν εἰς τὰ θεῖα συμβόλοις χρώμεθα κἀκ τούτων αὖθις ἐπὶ τὴν ἁπλῆν καὶ ἡνωμένην τῶν νοητῶν θεαμάτων ἀλήθειαν ἀναλόγως ἀνατεινόμεθα, καὶ μετὰ πᾶσαν τὴν καθ' ἡμᾶς τῶν θεοειδῶν νόησιν *, ἀποπαύοντες ἡμῶν τὰς νοηρὰς ἐνερ[D]γείας, εἰς τὴν ὑπερούσιον ἀκτῖνα κατὰ τὸ θεμιτὸν ἐπιβάλλομεν,*

17. — ἐν ᾗ πάντα τὰ πέρατα πασῶν τῶν γνώσεων ὑπεραῤῥήτως προὔφέστηκεν, ἣν οὔτε ἐννοῆσαι δυνατὸν οὔτε εἰπεῖν οὔτε ὅλως πως θεωρῆσαι, διὰ τὸ πάντων αὐτὴν ἐξῃρημένην εἶναι καὶ ὑπεράγνωστον,

18. — καὶ πασῶν μὲν τῶν οὐσιωδῶν γνώσεων καὶ δυνάμεων τὰς ἀποπερατώσεις ἅμα καὶ πάσας ὑπερουσίως ἐν [593 A] *ἑαυτῇ προειληφυῖαν, πάντων δὲ ἀπεριλήπτῳ δυνάμει καὶ τῶν ὑπερουρανίων νοῶν ὑπεριδρυμένην.*

19. — Εἰ γὰρ αἱ γνώσεις πᾶσαι τῶν ὄντων εἰσὶ καὶ εἰς τὰ ὄντα τὸ πέρας ἔχουσιν, ἡ πάσης οὐσίας ἐπέκεινα καὶ πάσης γνώσεώς ἐστιν ἐξῃρημένη.

§ 5. 20. — Καὶ μὴν εἰ κρείττων ἐστὶ πάντὸς λόγου καὶ πάσης γνώσεως καὶ ὑπὲρ νοῦν καθόλου καὶ οὐσίαν ἵδρυται,

[1]) 1 *Thess.* 4, 17.
[2]) Cfr. MAT. 17, 5; MARC. 9, 6; LUC. 9, 32. 34.
[3]) LUC. 20, 36, uno verbo mutato (*εἰσίν*) et altero omisso (*εἰσίν*).

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

40. — Postquam Dionysius ostendit modum huius doctrinae quantum ad ea quae traduntur in ipsa et ex quibus procedit, hic incipit prosequi de ratione divinorum nominum, de quibus in hoc libro intendit: et primo, ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina possumus accipere; secundo, qualiter Deus nominari possit; ibi [21]: *Omnium quidem...*

41. — Circa primum duo facit: primo ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina accipiamus; secundo, ostendit quomodo, post huiusmodi cognitionem, hoc ipsum quod Deus est remanet nobis occultum; et hoc, ibi [16]: *Nunc autem...*

42. — Circa primum duo facit: primo ostendit qualis cognitio de Deo per divina nomina accipi possit; secundo, assignat differentiam huius cognitionis ad cognitionem quae erit in patria; ibi [15]: *Haec et nos...*

43. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina accipere possumus; secundo, ostendit hoc quasi exemplariter, per quaedam Dei nomina; ibi [13]: *Haec autem...*

44. — Dicit ergo primo quod nos *sequentes has*, scilicet praedictas *thearchicas*, idest divinas *leges*, ut scilicet commensurate secundum nostram mensuram et firmiter et cum amore, divinis illuminationibus nos immittamus; *quae* quidem leges non solum homines sanctos, sed etiam *gubernant supercoelestium ordinum et substantiarum sanctos ornatus*, idest, ornant pulchras et ordinatas dispositiones Angelorum; *venerantes* per hoc *et occultum* Deitatis, *quod quidem est super mentem et substantiam, reverentiis mentis inscrutabilibus*, idest habitis ad Deum in hoc quod non scrutamur occulta Dei; *et sanctis*, quia talis reverentia ad sanctitatem pertinet; et *venerantes indicibilia* Deitatis *casto silentio*, quod quidem dicit, quia occulta per hoc veneramur quod ea non scrutamur et ineffabilia per hoc quod ea silemus; et hoc quidem ex sanctitate et castitate animi provenit, non se extra suas metas extendentis;

sic, inquam, venerantes divina, secundum sequelam divinarum legum, *extendimur ad splendores nobis illucentes in sanctis eloquiis*, idest ad veritates sacrae Scripturae hominibus revelatas *et ab ipsis* sacrae Scripturae splendoribus, *illuminamur ad thearchicos hymnos*, idest ad divina nomina, quibus Deus laudatur, cognoscenda. Per haec enim scimus laudare Deum viventem, bonum et alia huiusmodi, quae hic nobis de Deo in Scripturis sacris traduntur;

nos, inquam, *illuminati ab ipsis* hymnis, *supermundane*, idest super virtute naturalis rationis et quodammodo *configurati ad sanctas enuntiationes hymnorum*, idest divinarum laudum quae traduntur in Scripturis per divina nomina, in quantum scilicet eorum fide informamur. *Illuminati*, inquam, *et figurati* ad hoc, scilicet, quod per huiusmodi hymnos videamus, secundum nostram mensuram, *thearchica*, idest divina *lumina nobis data* et ad hoc quod laudemus *principium* totius *sanctae apparitionis luminis* spiritualis; quod quidem principium non solum spirituale lumen tradit mentibus, sed universaliter *bonum, sicut ipsum* principium *de seipso* tradit *in* sacris *eloquiis;* in Psalmo 103 [28]: « *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* »; et Lucae 11 [13] dicitur: « *Pater vester de coelis, dabit Spiritum bonum petentibus se* ».

45. — Est igitur sensus praemissorum, quod desistamus a perscrutatione divinorum secundum rationem nostram, sed inhaereamus sacrae Scripturae, in qua traduntur nobis nomina divina, per quae manifestantur nobis dona Dei et donorum principium. Per divina igitur nomina, quae nobis in sacris Scripturis traduntur, duo cognovimus, scilicet: diffusionem sancti luminis et cuiuscumque bonitatis seu perfectionis, et ipsum principium huius diffusionis, utpote cum dicimus Deum viventem, cognoscimus diffusionem vitae in creaturis et principium huius diffusionis esse Deum. Et hoc quidem principium non cognoscimus per divina nomina sicuti est, hoc enim est indicibile et inscrutabile, sed cognoscimus Eum ut principium et ut causam.

46. — Et ad manifestandum huius principii rationem, primo ponit quaedam quae pertinent ad universalem rationem principii, cum dicit [12]: *sicut quod est omnium causa et principium*, ut causa referatur ad finem, quae est prima causarum et principium ad causam agentem, a qua incipit operatio et motus. Consequenter autem ponit quae pertinent ad rationem principii respectu determinatorum effectuum: et primo, quantum

ad institutionem rerum, cum dicitur: *et substantia et vita*, quia scilicet, per hoc principium existunt omnia existentia et vivunt omnia viventia; deinde, quantum ad meliorationem rerum in spiritualibus quae quidem secundum tria attenditur, idest, secundum purgationem, illuminationem et perfectionem.

47. — Haec autem tria ab Angelis quidem complentur secundum intellectum tantum: qui quidem purgant, nescientiam removendo; illuminant intellectum, auxilium praebendo ad cognoscendum veritatem; perficiunt autem dum ad cognitionem veritatis perducunt. Perfectio enim rei consistit in hoc quod pertingat ad finem. Unde in VII° cap. *Angelicae Hierarchiae*[1]) dicitur quod *purgatio, illuminatio, perfectio est divinae scientiae assumptio.*

Sed ad Deum pertinet non solum intellectum, sed etiam voluntatem mutare in melius et quantum ad hoc loquitur hic de purgatione, illuminatione, et perfectione.

48. — Ponit autem quinque ad purgationem pertinentia. Cum enim peccatum quo inquinatur voluntas, contingat ex hoc quod homo, propter bonum temporale, ab incommutabili bono avertitur, primum in purgatione voluntatis est quod voluntas ad bonum incommutabile reducatur; et quantum ad hoc dicit quod Divinitas est *revocatio et resurrectio decidentium ab Ipsa*, scilicet per peccatum. Et ponit revocationem et resurrectionem, quia non solum attrahit nos, quod est revocare, sed etiam dat vires ut revocati surgamus.

Secundum autem est, quod ex hoc quod placet voluntati humanae Deus, derelinquat illud commutabile bonum propter quod a Deo recessit; et quantum ad hoc dicit quod Deus est *renovatio et reformatio eorum quae sunt prolapsa ad corruptivum deiformis*, idest, divinae similitudinis in nobis; hoc autem est peccatum.

Contingit autem, dum alicui incipit Deus placere et peccata displicere, quod a principio quamdam titubationem mentis patiatur, nunc huc nunc illuc tractus, unde indiget ut in uno collocetur; et quantum ad hoc, tertio, dicit quod Deus est *collocatio sancta eorum quae moventur secundum quamdam immundam commotionem.*

Ulterius autem indiget homo, postquam est collocatus in uno, ut in illo firmetur, ne per tentationes facile ab illo statu removeatur; et quantum ad hoc dicit, quarto, quod est *firmatio stantium.*

Ulterius autem necesse est quod homo ad meliora proficiat; et quantum ad hoc, quinto, dicit quod est *suscitativa manuductio sursum actorum*, idest eorum quae sursum aguntur, idest proficiunt, *ad Ipsam*, scilicet Deitatem. Dicitur autem suscitativa manuductio, quia non solum porrigit manum auxilii volentibus proficere, sed etiam ad proficiendum excitat.

49. — Post haec igitur quinque, quae ad purgationem pertinent, subdit de illuminatione, cum dicit: *et eorum quae illuminantur, illuminatio*, quae quidem illuminatio intelligitur quantum ad hoc quod lumen suae gratiae tradit sive ad perfectionem intellectus sive ad perfectionem affectus.

50. — Et ulterius subdit de perfectione, quam quidem tangit dupliciter: primo, quidem, secundum quod aliquid perfici dicitur per hoc quod attingit finem proximum, puta iustitiam vel qualemcumque virtutem; et hoc cum dicit: *et eorum quae perficiuntur perfectionis principatus*, respectu propriae perfectionis, quia quaecumque est propria rei perfectio, principaliter praeexistit in Deo, sicut regimen civitatis principaliter praeexistit in Principe. Quantum vero ad consecutionem ultimi finis, dicit: *et eorum quae deificantur Thearchia*, idest principalis Deitas. Dicitur enim creatura rationalis deificari per hoc quod, suo modo, Deo unitur; ut sic, ipsa Deitas principaliter ipsi Deo conveniat, secundario vero et participative his qui deificantur.

51. — Ulterius autem, ponit ea quae pertinent ad meliorationem communiter omnium. Est autem considerandum quod duplex processus invenitur in rebus, scilicet: resolutionis et compositionis; et secundum utrumque, tendunt res in divinam similitudinem. Nam secundum viam resolutionis, tendunt res a compositione in simplicitatem quae summe est in Deo; et quantum ad hoc dicit quod est *eorum quae simplificantur simplicitas.* Secundum autem viam compositionis, tendunt res a multitudine in unitatem, dum ex multis fit unum. Unitas autem primo est in Deo; et quantum ad hoc dicit, *et eorum quae uniuntur unitas.* Non solum autem a Deo communicatur rebus quod in se subsistant et meliorentur, sed etiam quod aliis sint principium seu causa existentiae et meliorationis; et quantum ad hoc, subdit quod est *supersubstantialiter superprincipale principium universi principii.* Non enim eodem modo est principium quo alia, sed eminentius; sic enim eminentius habet esse.

[1]) § 3; MG III, 209 C. — Cfr. infra nn. **286, 327.**

Et ut universos Dei effectus simul comprehendat, subdit quod est *bona traditio occulti*. Manifestum est enim quod quaecumque in creaturis sunt, in Deo praeexistunt eminentius. Sed creaturae quidem manifestae sunt nobis, Deus autem occultus. Sic igitur, secundum quod rerum perfectiones a Deo per quamdam participationem derivantur in creaturas, fit traditio in manifestum eius quod erat occultum; et hoc fit *secundum quod est conveniens*, scilicet, secundum proportionem determinatam uniuscuiusque.

52. — Et quia dixerat quod Deus est substantia et vita omnium, ne aliquis intelligeret quod Deus esset essentia aut vita formalis veniens in compositionem rerum, hunc perversum intellectum excludit, cum subdit: *et, ut simpliciter dicatur*, idest universaliter dicatur, *vita viventium et substantia*, idest essentia *existentium*, qui est *principium* agens *et causa* fontalis *omnis vitae et substantiae*, non quidem propter suam necessitatem, sed *propter bonitatem Ipsius, quae existentia et deducit ad esse et continet*, idest conservat ea in esse. Et sicut exponit de substantia et vita, ita intelligendum est et de omnibus consequentibus, ut scilicet Deus intelligatur esse revocatio et reformatio rerum et simplicitas et unitas et alia quae supra dixit, inquantum horum est principium et causa.

53. — Deinde, cum dicit [13]: *Haec autem a divinis eloquiis memoramus...* manifestat per quaedam divina nomina in Scripturis posita, quod ex divinis nominibus praedictam cognitionem de Deo capiamus; et dicit quod haec quae supra dicta sunt [45] scilicet quod per divina nomina Deus cognoscatur ut Principium et Causa, non ex nobis ipsis dicimus, sed a divinis eloquiis accipiendo commemoramus *et, ut sic dicatur, omnem sanctum hymnum*, idest laudem Dei, *theologorum, invenies*, si diligenter in Scripturis scruteris, *dividentem*, idest distinguentem, *nominationes Dei ad bonos Thearchiae processus*, idest secundum processus perfectionum, quae ex divina bonitate in creaturas proveniunt.

54. — Quod enim Deus dicatur bonus, vivus, sapiens et multis aliis nominibus nominetur, non est ex aliqua multitudine seu diversitate in eius natura existente (quia omnia haec in Eo unum sunt), sed ex diversis perfectionibus creaturarum accipimus diversa nomina, quae attribuimus Deo sicut primo Principio omnium horum processuum; et hoc *manifestative et laudative: manifestative*, quidem, inquantum Deus nobis per suos effectus innotescit et inquantum per huiusmodi nomina, Deo attributa, nobis manifestantur huiusmodi perfectiones esse in rebus a Deo; *laudative*, vero, inquantum hoc totum ad Dei pertinet bonitatem, quod rebus perfectiones communicantur.

55. — Et hoc, primo [14] exponit in nomine unitatis, subdens quod *fere in omni theologico negotio*, idest in omni libro Theologiae, *videmus Thearchiam*, idest Deitatem, *laudatam sicut Monadem et Unitatem;* quae duo idem significare videntur, cum unum sit graecum et aliud latinum. Quod quidem nomen Unitatis Deo videtur maxime attribui propter duo: primo quidem, propter quod in Seipso est; et hoc tangit cum dicit, *propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impartibilitatis*. Ratio enim unitatis in impartibilitate consistit; unum enim est ens quod non dividitur.

Contingit autem aliqua non dividi in actu, quae dividuntur in potentia, sicut linea aut domus, quorum utrumque potest dici unum, sed non simpliciter. Aliquid vero est indivisum non solum actu, sed etiam potentia, ut unitas et punctus; et haec possunt dici non solum unum, sed etiam simplicia.

In Deo autem utraque indivisibilitas consistit, quia non dividitur actu nec potentia; et ideo signanter dixit: *propter simplicitatem et unitatem* et addit: *supernaturalis impartibilitatis*, quia nulla simplicitas aut unitas naturalium rerum, divinae simplicitati et unitati comparari potest.

56. — Secundo, vero, nomen unitatis attribuitur Deo propter hoc quod rebus unitatem communicat; et hoc est quod subdit: *ex qua*, scilicet unitate divina, *ut unifica virtute* mirifica, duo nobis proveniunt: quorum primum est quod nos *unimur*, idest quamdam unitatem habemus, secundum quod dicitur unus homo aut unum animal; secundum est quod, cum unitas nostra non sit ita perfecta quod omnem diversitatem excludat, ipsa etiam quae sunt diversa in nobis, ad quamdam unitionem reducuntur, secundum quod etiam ea quae sunt simpliciter diversa in creaturis, unum quodam ordine sunt, ut sic saltem, Dei unitatem imitentur; et hoc est quod dicit, quod nos congregamur ad quamdam *monadem*, idest unitatem, *deiformem*, idest, Deo similem, quantum ad ea quae iam facta sunt unum; *et* ad quamdam *unitionem Dei imitativam*, quantum ad ea quae fiunt unum; et hoc, *conclusis alteritatibus* idest diversitatibus, *nostris divisibilibus*, idest quae ex aliqua divi-

sione contingunt, *supermundane*, idest, supermundana virtute.

Vel hoc quod dicit, *unimur*, potest referri ad hoc quod unumquodque in se est unum; quod autem sequitur: *et divisibilibus nostris alteritatibus*, potest referri ad hoc quod multa, licet sint diversa et altera, tamen ad aliquam unitatem reducuntur vel perfecte vel imperfecte. Monas enim, idest unitas, perfectionem unitatis designat; unitio vero, viam ad unitatem, in quo imperfectio unitatis ostenditur.

57. — Deinde, ostendit idem in nomine Trinitatis; et dicit quod invenimus Deum laudari *sicut Trinitatem* ad manifestandum supersubstantialem fecunditatem *trium personarum*, quae non distinguuntur nisi secundum originem; *ex qua* quidem fecunditate divina derivatur *omnis paternitas* idest fecunditas quae nomine paternitatis intelligitur, ut Apostolus dicit, ad Eph. 3 [15], quod ex Deo Patre, « *omnis paternitas in coelo et in terra nominatur* »; nec solum nominatur, sed etiam existit sive causatur.

58. — Tertio autem, manifestat idem in nomine Causae; et dicit quod Deus laudatur *sicut* Causa *existentium*, propter hoc quod *omnia sunt deducta ad esse* ex bonitate Eius, substantificante res, non autem ex necessitate naturae.

59. — Quarto, autem, manifestat idem per nomen Sapientis et Pulchri; et dicit quod laudant Deitatem theologi sicut *sapientem et pulchram, quia omnia existentia*, in quibus invenitur propria natura salvata absque corruptione, *sunt plena omni harmonia divina*, idest perfecta consonantia seu ordine a Deo *et* sunt, iterum, plena *sancto decore;* ut quod dicit: *harmonia*, referatur ad Sapientiam cuius est ordinare et commensurare res; quod autem dicit: *decore*, maxime ad Pulchritudinem referatur. Per hoc, autem, quod diminuitur aliquid de harmonia vel decore, accidit corruptio in rebus, secundum excessum a propria natura, sicut aegritudo in corporibus et peccatum in anima.

60. — Quinto manifestat idem de nomine Benignitatis; et dicit quod divina Scriptura laudat Deitatem sicut *benignam, differenter* tamen a praedictis nominibus. Nam secundum praedicta nomina, laudatur Deus, inquantum non communicabat sua; benignus autem laudatur, inquantum in opere Incarnationis, *in una personarum ipsius* Deitatis, scilicet in persona Filii, *communicavit nostris*, idest his quae ad naturam nostram pertinent, non afferens corpus coeleste, ut Valentinus dixit; *ad veritatem*, idest secundum veritatem, non phantastice, ut dixit Manichaeus; *totaliter*, idest quantum ad omnes partes nostrae naturae, non assumens corpus absque anima aut animam absque corpore aut animam et corpus absque intellectu, ut Arius et Apollinaris dixerunt [1]).

Et ut finem Incarnationis ostendat, subdit: *revocans* a statu peccati *humanam extremitatem*, idest humanam naturam, quae est ultima creaturarum, secundum ordinem creationis, *ad seipsam*, scilicet Deitatem, et non solum revocans amovendo, sed etiam *reponens*, operando.

61. — Et ne aliquis crederet quod ita communicaverit nostris, secundum inhabitationem solam, ut Nestorius dixit, sed secundum veram unionem in persona et hypostasi ut, scilicet, Ipse, qui est Deus, vere sit homo, subiungit: *ex qua*, scilicet Deitate operante vel *ex qua*, idest secundum quam humanitatem, *Iesus*, qui est *ineffabiliter simplex*, secundum Deitatem, Ipse idem hypostasi *est compositus* secundum humanitatem; *et* qui est *aeternus*, secundum Deitatem, *accepit praesentationem temporalem*, idest ut sit temporalis in hoc praesenti tempore, secundum humanam naturam; *et qui*, secundum Deitatem, *supersubstantialiter* excellit *omnem ordinem secundum omnem naturam, factus est intra nostram naturam*, vere homo sub specie humana contentus sicut et coeteri homines; per quae omnia dat intelligere quod idem est suppositum Deus et Homo.

62. — Et ne aliquis perverse intelligeret quod Deus factus sit homo secundum ali-

[1]) Hic, Angelicus Doctor ex Augustini *de haeresibus* libro, documenta sumit; cap. XI: « Valentiniani a *Valentino*... Christum autem a Patre missum idest a Profundo, spiritale vel *caeleste corpus* secum attulisse »; cap. XLVI: « *Manichaei*.. Nec fuisse in *carne vera sed simulatam speciem carnis* ludificandis humanis sensibus praebuisse »; cap. XLIX: « Ariani ab *Ario*... In eo autem quod Christum *sine anima solam carnem* suscepisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse *et Epiphanius non tacuit* [haeres. 69, cap. 19, edit. Oehler I, 2, pag. 616] et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus *certissime* comperi »; cap. LV: « Apollinaristas, *Apollinaris* instituit qui *de anima Christi* a Catholica dissenserunt, dicentes *sicut Ariani* deum Christum carnem *sine anima* suscepisse. In qua quaestione, testimoniis evangelicis victi, *mentem*, qua rationalis est anima hominis, *defuisse animae* Christi sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt. De *ipsa* vero *eius carne* sic a recta fide dissensisse perhibentur, ut dicerent *carnem illam et verbum unius eiusdemque substantiae*, contentiosissime asseverantes *verbum carnem factum* hoc est: *verbi aliquid in carne fuisse conversum atque mutatum*, non autem carnem de Mariae carne fuisse susceptam » (edit. Oehler I, pag. 198. 199; 206. 210; 211-212; 213).

quam conversionem Deitatis in carnem vel in animam vel etiam secundum aliquam commassationem ut sic esset una natura Dei et Hominis, ut Eutyches confinxit, subiunxit: *cum intransmutabili et inconfusa collocatione*, idest firma salvatione *propriorum*, idest proprietatum utriusque naturae, quia neque Divinitas conversa est in humanitatem neque humanitas in Divinitatem.

63. — Et quia de mysterio Incarnationis plura dici possent, quae ad praesens omittit, quia non est de hoc principalis intentio, subdit quod non solum praedicta intelliguntur per divinam benignitatem, sed *et quaecumque alia deifica lumina*, idest quascumque alias divinas illuminationes et veritates, *occulta traditio nostrorum ducum*, scilicet Apostolorum et aliorum Doctorum post eos, *nobis donavit manifestative iuxta consequentiam eloquiorum divinorum*, idest secundum quod in sacra Scriptura traditur.

64. — Deinde, cum subdit [15]: *Haec et nos docti sumus*, ostendit differentiam cognitionis, quam in praesenti vita de Deo per nomina divina accepimus, ad cognitionem quam Sancti habent in vita futura, cum dicit quod *haec* quae dicta sunt in expositione divinorum nominum de Deo, *nos sumus* edocti *nunc*, idest in praesenti vita, *iuxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum*, idest sacrae Scripturae, *et hierarchicarum traditionum*, idest aliorum dogmatum quae Apostoli et eorum discipuli tradiderunt quae non continentur in sacra Scriptura, ut puta quae pertinent ad sacrorum mysteriorum cognitionem. Hierarchia enim idem est quod sacer principatus, unde Apostoli et alii Ecclesiae praelati, hierarchae dicuntur quasi sacri Principes. Dicit autem: *per sancta velamina*, quia in praesenti vita, non possumus per ea quae nobis tradita sunt, ipsam Dei essentiam, prout in se est, videre, sed instruimur de Deo in Scripturis, per similitudinem effectus Ipsius, quasi per quaedam velamina, secundum illud, I Corinth. 13 [2]: « *Videmus nunc per speculum in aenigmate* ».

65. — Qualia vero sunt ista velamina exponit subdens quod ex bonitate Dei *intelligibilia* circumvelantur per sensibilia, sicut cum Scripturae de Deo et Angelis sub similitudine quorumdam sensibilium loquuntur ut patet Esa. 6 [1]: «*Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*» et infra [2]: «*Seraphim stabant super illud, sex alae uni et sex alae alteri* »; et similiter velantur *supersubstantialia* scilicet divina, cum *existentibus*, sicut cum Deo attribuuntur non solum sensibilia, sed etiam intelligibiles perfectiones creaturarum, ut cum attribuimus Deo vitam, intellectum et huiusmodi perfectiones in rebus creatis inventas; similiter ex eadem bonitate, circumponuntur formae corporeae et figurae, rebus incorporeis *non* sic formabilibus vel *figurabilibus;* et, similiter, res simpliciter supernaturalis et infigurabilis multipliciter componitur per varietatem *divisibilium signorum*, inquantum scilicet ipse Deus, qui est supernaturalis et simplex, per diversa nobis manifestatur in Scripturis sive sint diversae processiones sive diversae similitudines. Signanter autem dixit *benignitate;* quod enim in Scripturis exprimuntur nobis intelligibilia per sensibilia et supersubstantialia per existentia et incorporalia per corporalia, et simplicia per composita et diversa, non est propter invidiam, ut subtrahatur nobis cognitio divinorum, sed propter nostram utilitatem, quia Scriptura nobis condescendens tradidit nobis quae supra nos sunt, secundum modum nostrum. Et hic quidem modus cognitionis est quo Deum in praesenti vita cognoscere possumus.

66. — *Tunc autem*, scilicet post resurrectionem beatam, *quando incorruptibiles et immortales erimus*, corruptibili hoc accipiente incorruptionem, et mortali hoc accipiente immortalitatem, ut dicitur I Corinth. 15 [53-54] *et* quando *consequemur finem christiformem*, idest assimilationem ad Christum secundum illud Philipp. 3 [21]: « *reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae* », *et beatissimum* quia non solum beatificabitur anima sed etiam, suo modo, glorificabitur corpus, tunc *semper cum Domino erimus, secundum eloquium*, ut dicitur I Thessal. 4 [17]. Nos, inquam, *adimpleti visibili apparitione*, idest sensibili et corporali *ipsius Dei*, quantum ad humanitatem Christi et hoc *in castissimis contemplationibus*, quia ad carnem Christi non afficiemur carnaliter, sed spiritualiter, secundum illud Apostoli II Corinth. 5 [16]: « *et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc non novimus* »; ipso, inquam, Christo *refulgente circa nos* per sui corporis claritatem, *manifestissimis splendoribus sicut* factum est *circa discipulos in illa divinissima transformatione*, idest Transfiguratione, ut habetur Matth. 17 [2]: « *facies eius resplenduit sicut sol* »; et non solum erimus adimpleti sensibili apparitione Ipsius, sed etiam erimus *participantes intelligibili datione luminis ipsius* Christi, quod effundet in nos, secundum virtutem suae Divinitatis.

67. — Et hoc lumen participabimus in *impassibili et immateriali mente*. Mens enim nostra nunc quidem passibilis est per accidens, ex unione ad corpus et materialis efficitur secundum affectionem ad res materiales; et ideo, nunc, non est idonea ad tanti luminis participationem, sicut tunc erit, quando in nullo impedietur per corporales passiones neque subdetur materialibus affectionibus. Et per hanc participationem luminis erimus *et participantes* unitionem quae est *super mentem*, quia scilicet mens nostra, ut intelligibili, ipsi Deo qui est super mentem, unietur; et hoc fiet per ignotas et beatas immissiones *superclarorum radiorum*, idest divinarum illuminationum quae, nunc, sunt nobis occultae sicut inexpertae; quibus, tunc, eaedem mentes beatificabuntur. Et hoc quidem consequentur homines, secundum imitationem *supercoelestium mentium*, idest Angelorum, diviniore modo quam nunc; nunc, enim, licet in qualibet contemplatione veritatis, mentes humanae ad Angelorum unitionem illustrentur, tamen multum deficimus ab eorum aequalitate, sed tunc *aequales erimus Angelis ut dicit veritas eloquiorum, et* erunt *filii Dei, existentes filii resurrectionis*, ut habetur Luc. 20 [36].

68. — Deinde, cum dicit [16]. *Nunc autem*, ostendit quod post omnem cognitionem quam in praesenti vita de Deo habemus, id quod est Deus remanet nobis occultum; et circa hoc, duo facit: primo, proponit quod intendit; secundo, probat propositum; ibi [17]: *In quo...*

69. — Dicit ergo, primo, quod *nunc*, idest in praesenti vita, sicut supra expositum est, *utimur, sicut nobis est possibile, propriis signis ad divina* cognoscenda; quae quidem signa sunt tam perfectiones quae procedunt a Deo in creaturas, quam et metaphorae quae a creaturis per similitudinem transferuntur in Deum. Et huiusmodi quidem signa dicuntur propria cognitioni rerum divinarum ex parte nostra, quia non est possibile nobis aliter innotescere res divinas nisi hoc modo. Non tamen, sic utimur huiusmodi signis in cognitione divinorum, quod in eis mens nostra remaneat, nihil ultra huiusmodi Deum existimans, sed *ex* istis signis, *rursus extendimur*, secundum nostram proportionem *ad simplicem et unitam veritatem intelligibilium miraculorum*, idest admirabilium contemplationum, quas de rebus divinis per huiusmodi signa accipimus. Dicit autem, *ad simplicem et unitam veritatem*, ut simplicitas correspondeat compositioni signorum; unitas, vero, eorum multitudini et diversitati.

70. — Et ne aliquis credat quod per signa praedicta, veritatem et intelligentiam divinorum perfecte comprehendere possimus, subiungit quod *immittimus nos ad supersubstantialem radium*, idest ad veritatem de Deo cognoscendam, sed non perfecte; sed *secundum quod est fas nobis*, scilicet *sedantes*, idest quietantes *nostras intellectuales operationes*, ne ultra ferantur quam nobis sit datum; et hoc dico, *post omnem secundum nos unitionem deiformium*, quasi dicat: postquam secundum deiformitatem uniti fuerimus per cognitionem rebus divinis, quantumcumque nobis est possibile, adhuc remanet aliquid de rebus divinis nobis occultum, a cuius inquisitione oportet nos sedare intellectum nostrum.

71. — Deinde, cum dicit [17]: *In quo...* probat quod dixerat; et circa hoc, tria facit: primo enim inducit probationem; secundo, exponit eam; ibi [18]: *Et omnium...;* tertio, probat quoddam quod in probatione supposuerat; ibi [19]: *Si enim...*

72. — Ad evidentiam autem primae partis, considerandum est quod nulla virtus finita extendit se in infinitum, sed ad aliquem certum terminum concluditur; unde, cum omnis virtus cognoscitiva creaturae sit finita, cuiuslibet cognitionis creaturae est certus terminus ultra quem non tendit. Et hnius exemplum accipi potest ex diversis scientiis. Habet enim Geometria aliquem terminum, ultra quem non tendit; et, similiter, Naturalis scientia. Et hoc quidem intelligendum est de re qualibet conditione creata. Manifestum est autem quod illud quod excedit terminum alicuius cognitionis non attingitur ab illa cognitione. Supersubstantialis autem radius, idest, ipsa divina veritas, excedit omnes terminos et fines quarumcumque cognitionum, quia *omnes fines* quarumcumque *cognitionum* eminentius praeexistunt in ipso radio, sicut in causa primordiali, modo ineffabili nobis, propter suam eminentiam. Unde relinquitur quod praedictum radium non possumus *cogitare* inquirendo neque exprimere loquendo neque perfecte *contemplari* quocumque modo; non propter sui defectum, sed *propter hoc quod est ab omnibus* distinctus et, per consequens, ignotus omnibus, quasi super omnia existens.

73. — Deinde, cum dicit [18]: *Et omnium...* exponit quod dixerat: scilicet, quod fines cognitionum praeexistunt in supersubstantiali radio; et dicit quod cum ille radius sit supersubstantialis, virtutes autem cognoscitivae et cognitiones ipsae sint substantiales, idest substantiis creatis proportionatae et

per consequens finitae, manifestum est quod praedictus radius *praeaccepit in seipso*, tamquam causa suprema, *terminationes omnium* praedictarum *cognitionum et virtutum*, non quidem successive, ut nunc habeat hanc, nunc illam sed *simul* et unite; neque iterum particulariter, ut habeat hanc terminationem et non illam, sed universaliter *omnes;* neque, iterum, habet in se huiusmodi terminationes eo modo quo sunt in substantiis creatis, sed *supersubstantialiter*.

74. — Et quia quod dixerat: *quem neque cogitare possibile est* [17], posset aliquis referre solum ad cognitionem praesentis vitae, ulterius extendit hoc etiam ad Angelos; et dicit quod ille supersubstantialis radius *est collocatus* non solum super mentes humanas, sed etiam *super mentes coelestes*, idest angelicas, non ut nullo modo attingatur ab eis, sed ita quod comprehendi non possit; et hoc est quod dicit: *incomprehensibili virtute.*

75. — Deinde, cum dicit [19]: *Si enim...* probat quod supposuerat, scilicet quod in Deo praeexistant terminationes omnium cognitionum et ratio sua talis est:

Omnes cognitiones sunt de rebus existentibus; obiectum enim cognitionis est ens.

Existentia autem sunt finita.

Ens igitur finitum est obiectum cognitionis finitae.

Deus ergo, cum sit infinitus, excedit omnem substantiam finitam, praehabens in se fines omnium; et, per consequens, est separatus ab omni cognitione, inquantum omnem cognitionem creaturae excedit, ut a nulla comprehendi possit.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 14, **56**: leg. *alteritatibus*, minime « alternitatibus »; textum: *ἑτεροτήτων* « alteritatum ».

* ad n. 15, **66**: « transformatione », *μεταμορφώσει*, « idest transfiguratione » (cfr. *S. Maximi Scholia* - MG. IV, 197 C; *Pachymeres*, MG. III, 621 C). M. de Gandillac (pag. 72): « ...remplis d'une part dans nos toutes pures contemplations de sa manifestation visible, qui nous illuminera de ses très brillantes vibrations, *faisant de nous ses disciples dans cette très divine métamorphose* ».

Quae dicit Dionysius de divinis nominibus quoad perfectionem vitae, pertinent ad theologiam spiritualem iuxta triplicem viam purgationis, illuminationis et unionis (**12, 48-50**) quam tradit S. Basilius, ut optime probat P. Humbertclaude, (*La doctrine ascétique de Saint Basile de Césarée*, Paris 1932, pag. 82-93). Nunc autem Dionysius volens statum beatorum significare, Transfiguracionem Domini indicat, quae iuxta S. Basilium est « prooemium gloriosae praesentiae » Domini (*in Psal.* 44, n. 5; Opp., Paris. 1721, I, 164 A). Transformatio vero nostra « a claritate in claritatem » (II *Cor.* 3, 18) est « a gloria Spiritus » (S. Basilius, *de Spiritu Sancto* XXI, 52; Opp. Paris. 1730, III, 45 B); unde bene memoratur Transfiguratio Domini tum ad designandam maximam perfectionem spiritualem viae, tum ad explicandam aliquo modo beatitudinem patriae.

Talis, igitur, est sensus in textu supra citato: « ...visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, *non secus ac discipulos in sacratissima illa Transfiguratione sua* » (Ambrosius).

* ad n. 16, **70**: « deiformium *unitionem* » - *θεοειδῶν νόησιν* - « deiformium *intelligentiam* », tamquam actus mentis deiformis, cuius obiectum est « *simplex et unita veritas intelligibilium miraculorum* », « idest admirabilium contemplationum »: *miranda* sunt enim opera Dei.

2ª Quoad doctrinam Christologicam (14, 60-62).

* Nota in explicatione textus, errores quos S. Thomas per doctrinam Dionysii destruit: Valentini, Manetis, Arii, Apollinaris (**60**), Nestorii (**61**), Eutychetis (**62**). Et manifestum est legenti expositionem Angelici Doctoris, hoc esse ex intentione doctrinae ipsius auctoris... « et ne aliquis crederet... 'subiungit » (**61**)...; et ne aliquis perverse intelligeret... subiunxit... » (**62**). Item quoad singulos utitur verbo: « dixit » (**60-61**) vel « confinxit » (**62**) vel « dixerunt » (**60**), quod stare non potest cum aetate apostolica vel subapostolica Dionysii « Areopagitae ». Absentiam sensus historici in mente S. Thomae ponere non ausim; potius agitur de visione historiae sub specie aeternitatis, in qua omnia sunt praesentia simul.

Ex Christologia Dionysii, recentiores iudicant de aetate auctoris. I. Dallaeus quaestionem solvit: « post ipsam Chalcedonensem Synodum (idest post a. D. 451) scripsisse hunc auctorem produnt verba quibus utitur in exponenda duarum in Christo naturarum unione. Sic enim hoc mysterium eloquitur: *simplex Iesus ineffabili modo ex humana humilitate compositus est... intra naturam nostram factus est cum immutata et inconfusa suarum proprietatum constitutione* - *μετὰ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἰδρύσεως*. Et iterum in eodem opere: *sine sui mutatione et inconfuse nobis communicavit* - *ἀναλλοιώτως ἡμῖν καὶ ἀσυγχύτως κεκοινώνηκε* [DN. II, 10]. Haec autem Eutychen apertissime respiciunt eiusque blasphemiam Christi naturas confundentem feriunt et ex Chalcedonensi definitione qua illa haeresis damnata est liquido ducta sunt, cuius illa paene iisdem verbis, plane eodem sensu dicta omnibus notissima sunt, Christum ex duabus naturis [rectius: *in* d. n.] inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum - *ἐκ δύο φύσεων* [rectius *ἐν δύο φύσεσιν*] *ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον*.

Noster, ut vides, *ἀσυγχύτως ex Synodo* sumpsit; caetera, sed leviter immutavit: pro *ἀτρέπτως* (quod erat apud Synodum) *ἀναλλοιώτως* et *ἀμεταβόλως*, re eadem licet sono alia usurpans » (I. Dallaei - *de Scriptis quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur libri duo*, Genevae 1666, pag. 167-168). Viam Dallaei posteriores fere omnes sequuti, ulterius progressi auctorem monophysitam moderatum conclamant.

Inspicienti textus christologicos Dionysii clarius apparet auctorem numquam uti quatuor adverbiis Conc. Chalc. sed uno tantum: « *ἀσυγχύτου* » (DN. I, 4; EH. III, 3, 11) vel in textu Hierothei: *ἀσυγχύτως* (DN. II, 10). Hoc autem fit non ad eludendam doctrinam Chalc. vel occultandam doctrinam monophysitarum, sed ad affirmandam doctrinam fidei christianae, quae suo tempore vigebat et suo modo exprimebatur.

Dilemma quod Celsus ponebat ad adserendam impossibilitatem Incarnationis, notum est: « *ὁ θεὸς ἀγαθός ἐστι καὶ καλὸς καὶ εὐδαίμων καὶ ἐν τῷ καλλίστῳ καὶ ἀρίστῳ· εἰ δὴ εἰς ἀνθρώπους κάτεισιν, μεταβολῆς αὐτῷ δεῖ, μεταβολῆς δὲ ἐξ ἀγαθοῦ εἰς κακὸν καὶ ἐκ καλοῦ εἰς αἰσχρὸν καὶ ἐξ εὐδαιμονίας εἰς κακοδαιμονίαν καὶ ἐκ τοῦ ἀρίστου εἰς τὸ πονηρότατον. τίς ἂν οὖν ἕλοιτο τοιαύτην μεταβολήν; καὶ μὲν δὴ τῷ θνητῷ μὲν ἀλλάττεσθαι καὶ μεταπλάττεσθαι φύσις, τῷ δ'ἀθανάτῳ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν. οὐκ ἂν οὖν οὐδὲ ταύτην τὴν μεταβολὴν θεὸς δέχοιτο. ἤτοι ὡς ἀληθῶς μεταβάλλει ὁ θεός, ὥσπερ οὗτοί φασιν, εἰς σῶμα θνητόν, καὶ προείρηται τὸ ἀδύνατον· ἢ αὐτὸς μὲν οὐ μεταβάλλει, ποιεῖ δὲ τοὺς ὁρῶντας δοκεῖν καὶ πλανᾷ καὶ ψένδεται* » (Celsi *Ἀληθὴς λόγος*, ed. O. Glöckner, Bonn 1924, pag. 23). « Deus est *bonus, pulcher* et beatus; quidquid pulcherrimum, quidquid optimum est in se continet. Si descendit ad homines, id profecto *sine mutatione* fieri non potest et *haec mutatio* erit ex bono in malum, ex pulchro in turpem, ex felice in infelicem, ex optimo in nequissimum. Huiusmodi *mutationem* ecquis experiri velit?

« Praeterea, rei quidem mortalis natura, ea est quae *mutari* aliamque formam induere possit; immortalis, vero, ut una semper et eadem permaneat.

« Deo igitur convenire non potest *haec mutatio* » (vers. Rufini; Origenes, *Contra Celsum* IV, 14: MG. 11, 1043 CD).

« Aut Deus *revera mutatur* in mortale corpus, *quod ipsi censent*, sed fieri non posse supra demonstratum est; aut ipse quidem *non mutatus facit ut qui vident mutatum credant*. Quod si ita est, *decipit, mentitur...* » (*ibid.* 18).

Pariter notum est dilemma quod Iamblichus ponebat « oblique » tangens Incarnationem Domini: « *τί δὲ δὴ καὶ ἐστι τοῦτο τὸ σύμμικτον τῆς ὑποστάσεως εἶδος; εἰ μὲν γὰρ τὸ συναμφότερον, οὐκ ἔσται ἓν ἐκ δυοῖν, ἀλλὰ σύντεθόν τι καὶ συμπεφορημένον ἀπὸ τῶν δύο. εἰ δ'ὡς ἕτερον ἀμφοῖν μετάβλητα ἔσται τὰ ἀΐδια καὶ τὰ θεῖα τῶν ἐν τῇ γενέσει φυσικῶν οὐδὲν διοίσει* » (Iamblichi Chalcidensis ex Coelesiria, *de Mysteriis liber*... Thomas Gale anglus graece nunc primum edidit, latine vertit et notas adiecit, Oxonii 1678, pag. 88).

« Quod vero tandem erit hoc *mixtae hypostaseos* genus? Si enim utrumque simul sit, iam non erit unum quid ex duobus, sed *compositum* aliquod et *coacervatum* ex duobus. Si vero ut quid tertium *resultans ex duobus*, iam aeterna quae sunt erunt *mutabilia*, nihilque differunt divina ab iis rebus quae gignuntur per generationem... » (vers. Gale, *de Mysteriis* III, 21).

Dicendo Verbum hominem factum absque mutatione ex parte Dei et absque confusione eorum quae sunt propria Dei et hominis, Dionysius doctrinam fidei « a cornibus unicornium » liberat.

Ulterius considerandum est quod Ariani *ex confusione* eorum quae sunt propria Verbi et hominis in Christo, arguebant ipsum Verbum esse facturam. Unde Gregorius Nyssenus contra Eunomium disputans, dicit: « *διαμένει δὲ ἀσύγχυτος τῶν τε τῆς σαρκὸς καὶ τῶν τῆς θεότητος ἰδιομάτων ἡ θεωρία* » (*Contra Eunomium* V; MG. 45, 705 B): *manet autem inconfusa eorum quae sunt carnis et eorum quae sunt Deitatis proprietatum consideratio* ». Et Didymus coecus in opere *de Trinitate*, hoc idem pressius dicit: *ἐγένετο ἀσυγχύτως καὶ ὅ οὐκ ἦν* (III, 13). « *γέγονε ἀσυγχύτως ὅπερ ἔσμεν, ἐκτὸς ἁμαρτίας* » (III, 20). « ...*διὰ τὸ καθ'ἡμᾶς ἀσυγχύτως καὶ δίχα πταίσματος γεγονέναι* » (III, 21). Hic, sicut et apud Dionysium, « inconfuse » (*ἀσυγχύτως*) habet, primo, valorem trinitarium, cum exclusione nempe illius confusionis proprietatum quae est radix Arianismi.

Ex consequenti, autem, habemus valorem proprie christologicum contra Apollinarem et apollinaristas qui *monophysitice* sentiebant: « Confitemur... unam naturam Dei Verbi incarnatam - « *ὁμολογοῦμεν... μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην* » (H. Lietzmann, *Apollinaris von Laodicea und seine Schule* I, Tübingen 1904, pag. 250-251): est confessio *Apollinaris* in epistola ad imperatorem Iovianum (a. 363). Quam opinionem acriter defendit *Polemon* scribens *contra Timotheum:* « *οὐδὲν δὲ χεῖρον ἐννοήσαι κἀκεῖνο· θεὸν γὰρ λέγοντες καὶ ἄνθρωπον τὸν αὐτόν, οὐκ αἰσχύνονται μίαν φύσιν τοῦ λόγου σεσαρκωμένην καθάπερ μίαν σύνθετον ὁμολογοῦντες· εἰ γὰρ θεὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτός, δύο φύσεις ἄρα ὁ αὐτός, καθάπερ ἡ τῶν Καππαδοκῶν εἰσηγεῖται καινοτομία Διωδόρου τε καὶ Ἀθανασίου ἡ οἴησις καὶ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ ὁ τύφος* » (*ibid.*, pag. 274, n. 174) - « nihil autem peius cogitasse (puto) quam illud: eumdem enim dicentes Deum et Hominem, non verentur *unam naturam Verbi incarnatam* confiteri tamquam *unam compositam*. Si enim idem est Deus perfectus et homo perfectus, idem ergo duae naturae, *sicut Cappadocum novitas, Diodori et Athanasii opinio et Italorum supercilium introducunt* ».

In *subscriptione*, Episcopus *Iobios* confitetur « Dominum Iesum Christum ... esse Deum et Hominem, unum et eumdem, *unam hypostasim compositam* (*ὑπόστασιν μίαν σύνθετον*) » (*ibid.*, pag. 286).

LECTIO III (3ª)

Quomodo Deus nominari possit.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. 1; textus nn. 21-30; expositio nn. **76-107**).

Ostendit quomodo Deus nominari possit.
I° — Movet dubitationem (21; **77**).
II° — Solvit eam (22-30; **79-106**):
A) Ostendit qualiter Deus nominari possit:
j° - ponit primum modum nominationis qui est per remotionem:
a) ponit radicem huius modi (22; **81-82**);
b) assignat primum modum (23; **83-84**);
ij° - ponit secundum modum nominationis qui est per intelligibiles processiones:
a) praemittit rationem huiusmodi nominationum (24; **86-95**);
b) ponit ipsas nominationes (25):
I quia segregatus, dicunt Eum Anonimum (**96**);
II quia causa omnium, Plurinomium (**97-99**);
c) excludit quorumdam errorem (26; **100-101**);
iij° - ponit tertium modum qui est per sensibiles similitudines (27; **102**);
B) ostendit qualiter de divinis Nominibus sit agendum:
j° - ostendit de quibus divinis Nominibus in hoc libro sit agendum:
a) de primo modo, qui est per remotionem, agitur in Mystica Theologia;
b) de secundo modo, qui est per intelligibiles processiones agitur in hoc libro (28; **104**);
c) de tertio modo, qui est per sensibiles similitudines, agitur in libro de Symbolica Theologia;
ij° - ostendit modum determinandi de divinis Nominibus (29; **105**);
iij° - exhortatur Timotheum cui scribit ad hoc servandum (30, **106**).

TEXTUS DIONYSII

21. — « Omnium quidem existens circumapprehensivus et comprehensivus et praeapprehensivus*, omnibus autem Ipse* universaliter est incomprehensibilis et neque sensus eius est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia; quomodo de divinis Nominibus, divinus a nobis tractabitur sermo, invocabili et supernominabili et supersubstantiali Deitate demonstrata?

*21. — πάντων μὲν οὖσα περιληπτικὴ * καὶ συλληπτικὴ καὶ προληπτική, πᾶσι δὲ αὐτὴ * καθόλου ἄληπτος, καὶ οὔτε αἴσθησις αὐτῆς ἐστιν οὔτε φαντασία οὔτε δόξα οὔτε ὄνομα οὔτε λόγος οὔτε ἁφὴ οὔτε ἐπιστήμη, πῶς ὁ περὶ θείων* [B] *ὀνομάτων ἡμῖν διαπραγματευθήσεται λόγος, ἀκλήτου καὶ ὑπερωνύμου τῆς ὑπερουσίου θεότητος ἀποδεικνυμένης;*

22. — Sed quod diximus, quando Theologicas Hypotyposes exposuimus, Unum, ignotum, supersubstantiale, ipsum bonum, quod est, trinam Unitatem dico, quae est simul Deus et simul bonum, neque dicere neque possibile est cogitare. Sed et sanctarum virtutum Angelis convenientes unitiones, quas sive immissiones sive susceptiones oportet dicere, superignotae et superclarae bonitatis, ineffabiles sunt et ignotae et solum ipsis inerunt qui super angelicam cognitionem digni habiti sunt ipsis Angelis *.

*22. — Ἀλλ' ὅπερ ἔφημεν ἡνίκα τὰς θεολογικὰς ὑποτυπώσεις ἐξετιθέμεθα, το ἓν τὸ ἄγνωστον τὸ ὑπερούσιον αὐτάγαθὸν ὅπερ ἐστὶ τὴν τριαδικὴν ἑνάδα φημὶ τὴν ὁμόθεον καὶ ὁμοάγαθον οὔτε εἰπεῖν οὔτε ἐννοήσαι δυνατόν· ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν ἁγίων δυνάμεων ἀγγελοπρεπεῖς ἑνώσεις, ἃς εἴτε ἐπιβολὰς εἴτε παραδοχὰς χρὴ φάναι τῆς ὑπεραγνώστου καὶ ὑπερφανοῦς ἀγαθότητος ἀῤῥητοί τε εἰσι καὶ ἄγνωστοι καὶ μόνοις αὐτοῖς ἐνυπάρχουσι τοῖς ὑπὲρ γνῶσιν ἀγγελικὴν ἠξιωμένοις αὐτῶν ἀγγέλοις *.*

23. — Istis deiformes ad Angelorum imitationem, sicut est possibile, unitae mentes, quoniam secundum omnis intellectualis operationis quietem, talis fit deificatarum men-

23. — Ταύταις οἱ θεοειδεῖς ἀγγελομιμήτως, ὡς ἐφικτόν, ἑνούμενοι νόες — ἐπειδὴ κατὰ πάσης νοηρᾶς ἐνεργείας ἀπόπαυσιν ἡ τοιάδε γίγνεται τῶν ἐνθεουμένων νοῶν πρὸς τὸ ὑπέρ-

tium ad supremum lumen unitio, laudant Ipsum proprie, maxime per ablationem a cunctis existentibus; hoc vere et supernaturaliter illuminatione edocti, ex beatissima ad Ipsum unitione, quod omnium quidem existentium est causa, Ipsum autem nihil, ut ab omnibus substantialiter segregatus.

Igitur, supersubstantialitatem quidem thearchicam, quomodocumque est *, superbonitatis superessentia neque ut rationem aut virtutem neque sicut mentem aut vitam aut substantiam laudare possibile nulli eorum, quantumcumque sunt veritatis amatores, quae est super omnem veritatem; sed sicut ab omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, deliberatione, intellectu, substantia, statione, collocatione, unitione, fine, infinitate, universis quaecumque existentia sunt, excellenter segregatam.

θεον φῶς ἕνωσις — ὑμνοῦσιν αὐτὸ κυριώτατα διὰ [C] *τῆς πάντων τῶν ὄντων ἀφαιρέσεως, τοῦτο ἀληθῶς καὶ ὑπερφυῶς ἐλλαμφθέντες ἐκ τῆς πρὸς αὐτὸ μακαριωτάτης ἑνώσεως ὅτι πάντων μέν ἐστι τῶν ὄντων αἴτιον, αὐτὸ δὲ οὐδὲν ὡς πάντων ὑπερουσίως ἐξῃρημένον.*

*Τὴν μὲν οὖν ὑπερουσιότητα τὴν θεαρχικήν, ὅ τι ποτέ ἐστιν * ἡ τῆς ὑπεραγαθότητος ὑπερύπαρξις, οὔτε ὡς λόγον ἢ δύναμιν, οὔτε ὡς νοῦν ἢ ζωὴ ἢ οὐσίαν ὑμνῆσαι θεμιτὸν οὐδενὶ τῶν ὅσοι τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ἀλήθειαν ἀληθείας εἰσὶν ἐρασταὶ ἀλλ' ὡς πάσης ἕξεως κινήσεως ζωῆς φαντασίας δόξης ὀνόματος λόγου διανοίας νοήσεως οὐσίας στάσεως ἱδρύσεως ἑνώσεως πέρατος ἀπειρίας ἁπάντων ὅσα ὄντα ἐστὶν ὑπεροχικῶς ἀῤῥημένην.*

24. — Quoniam autem, sicut bonitatis essentia, per ipsum esse, omnium est existentium causa, boni principem Thearchiae providentiam, ex omnibus causatis laudare convenit. Quoniam et circa ipsam omnia et ipsius causa, et ipsa est ante omnia, et omnia in ipsa constiterunt, et esse hanc, est totorum deductio et substantia et omnia ipsam desiderant: intellectualia quidem et rationalia, cognitione; istis autem subiecta sensibiliter; et alia secundum vivificum motum aut substantialem et habitudinariam aptitudinem.

24. — Ἐπειδὴ δὲ ὡς ἀγαθότητος ὕπαρξις αὐτῷ τῷ εἶναι πάντων ἐστὶ τῶν ὄντων αἰτία, τὴν ἀγαθαρχικὴν τῆς θεαρχίας πρό[D]*νοιαν ἐκ πάντων τῶν αἰτιατῶν ὑμνητέον· ἐπεὶ καὶ περὶ αὐτὴν πάντα καὶ αὐτῆς ἕνεκα καὶ αὐτή ἐστιν πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῇ συνέστηκε· καὶ τῷ εἶναι ταύτην ἡ τῶν ὅλων παραγωγὴ καὶ ὑπόστασις καὶ αὐτῆς πάντα ἐφίεται· τὰ μὲν νοερὰ καὶ λογικὰ γνωστικῶς· τὰ δὲ ὑφειμένα τούτων αἰσθητικῶς· καὶ τὰ ἄλλα κατὰ ζωτικὴν κίνησιν ἢ οὐσιώδη καὶ ἐκτικὴν ἐπιτηδειότητα.*

§ 6. 25. — Hoc igitur scientes Theologi et sicut innominabilem ipsam laudant et ex omni nomine: innominabilem quidem sicut quando dicunt Thearchiam ipsam in una mysticarum visionum Dei apparitionis, significative increpare eum qui dixit: " *Quod est nomen tuum?* " et sicut ab omni cognitione ex Dei nominatione ipsum abigentem dicere: " *Quare interrogas nomen meum? et hoc est mirabile* ". Numquid autem non hoc vere est mirabile Nomen " *quod est super omne nomen* ", quod est innominabile, quod est collocatum super " *omne nomen quod nominatur, sive in saeculo isto, sive in futuro?* ". Multorum autem Nominum sicut quando Ipsam rursus inducunt dicentem: " *Ego sum qui sum* "; vita; lumen; Deus; veritas; et quando ipsi periti Deitatis, omnium causam multis nominibus ex multis causatis laudant sicut bonum; sicut pulchrum; sicut sapientem; sicut diligibilem; sicut Deum deorum; sicut Dominum dominorum; sicut Sanctum sanctorum; sicut aeternum; sicut existentem; et sicut saeculorum causam*; sicut vitae largitorem; sicut sapientiam; sicut mentem; sicut rationem; sicut cognitorem; sicut praehabentem omnes thesauros universae cognitionis; sicut virtutem; sicut potentem; sicut Regem regnantium; sicut Veterem

§ 6. 25. — [596 A], *Τοῦτο γοῦν εἰδότες οἱ θεολόγοι καὶ ὡς ἀνώνυμον αὐτὴν ὑμνοῦσι καὶ ἐκ πάντος ὀνόματος. Ἀνώνυμον μὲν ὡς ὅταν φασὶ τὴν θεαρχίαν αὐτήν, ἐν μίᾳ τῶν μυστικῶν τῆς συμβολικῆς θεοφανείας ὁράσεων, ἐπιπλήξαι τῷ φήσαντι «τί τὸ ὄνομά σου[1]; » καὶ ὥσπερ ἀπὸ πάσης αὐτὸν θεωνυμικῆς γνώσεως ἀπάγουσαν φάναι τὸ « καὶ ἵνα τί ἐρωτᾷς τὸ ὄνομά μου[2]; » « καὶ » τοῦτο « ἔστι θαυμαστόν »[3]. Ἦ οὐχὶ τοῦτο ὄντως ἐστὶ τὸ θαυμαστὸν ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα τὸ ἀνώνυμον τὸ παντὸς ὑπεριδρυμένον « ὀνόματος ὀνομαζομένου » εἴτε « ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ » εἴτε « ἐν τῷ μέλλοντι »[4]; Πολυώνυμον δὲ ὡς ὅταν αὖθις αὐτὴν εἰσάγωσι φάσκουσαν « ἐγώ εἰμι ὁ ὤν »[5] ἡ ζωὴ τὸ φῶς ὁ θεὸς ἡ ἀλήθεια, καὶ ὅταν αὐτοὶ τῶν πάντων αἴτιον οἱ θεόσοφοι πολυωνύμως ἐκ πάντων τῶν αἰτια*[B]*τῶν ὑμνῶσιν ὡς ἀγαθὸν ὡς καλὸν ὡς σοφὸν ὡς ἀγαπητὸν ὡς θεὸν θεῶν ὡς κύριον κυρίων ὡς ἅγιον ἁγίων ὡς αἰώνιον ὡς ὄντα καὶ ὡς αἰώνων αἴτιον * ὡς ζωῆς χορηγὸν ὡς σοφίαν ὡς νοῦν ὡς λόγον ὡς γνώστην ὡς ὑπερέχοντα πάντας τοὺς θησαυροὺς ἁπάσης γνώσεως ὡς δύναμιν ὡς δυνάστην ὡς βασιλέα τῶν βασιλευόντων ὡς παλαιὸν τῶν ἡμερῶν ὡς καὶ ἀγήρω καὶ ἀναλλοίωτον ὡς σωτηρίαν ὡς δικαιοσύνην ὡς ἁγιασμὸν ὡς ἀπολύτρωσιν ὡς ἐν μεγέθει πάντων ὑπερέχοντα, καὶ ὡς ἐν αὔρᾳ λεπτῇ. Καί γε καὶ ἐν*

1) *Gen.* 32, 27.
2) *Gen.* 32, 29, omisso pronom. *σύ*.
3) *Iud.* 13, 18.
4) *Ephes.* 1, 21.
5) *Exod.* 3, 14.

dierum; sicut sine senectute et invariabilem; sicut salvationem; sicut iustitiam; sicut iustificationem; sicut liberationem; sicut in magnitudine cuncta excedentem; sicut in aura subtili. Et quidem et in mentibus Ipsum esse dicunt et in animabus, et in corporibus, et in caelo et in terra;

et simul in eodem eumdem, mundanum, circamundanum, supermundanum, supercoelestem, supersubstantialem, solem, astrum, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, ipsum lapidem et petram, omnia existentia et nihil existentium.

§ 7. — Ita igitur omnium Causae et super omnia existenti et innominabile conveniet et omnium existentium nomina, ut diligenter sit totorum regnum *, et circa ipsam sint omnia et ab ipsa sicut a Causa, sicut principio, sicut fine segregata * et Ipsa, secundum eloquium, sit " *omnia in omnibus* ".

26. — Et vere laudatur omnium substantia principalis et perfectiva et contentiva, custodia et cibus * et ad ipsum conversiva; et hoc unitive et communicabiliter segregate *. Non enim continentiae aut vitae aut perfectionis solum causa est, ut a sola hac aut alia providentia, bonitas quae est super nomen, nominetur, sed omnia simpliciter et incircumfinite in se ipsa existentia praeaccepit perfectissimis unius et eiusdem et omnium Causae providentiae bonitatibus et, ex existentibus universis, convenienter laudatur et nominatur.

§ 8. 27. — Et quidem non istas solas Theologi Dei nominationes commendant a perfectis aut particularibus providentiis, aut provisis, sed est quando a quibusdam apparitionibus divinis in sanctis templis aut alibi, magistros aut prophetas illuminantibus, secundum alias et alias causas et virtutes, nominant supersplendentem et supernominabilem bonitatem; et formas ipsi et figuras humanas aut igneas aut electrinas circumponunt, et oculos ipsius et aures et cincinnos et vultus et manus et spinas et alas et brachia et dorsa et pedes laudant; et coronas et thronos et calices et crateres ipsi, et alia quaedam mystica circumponunt, de quibus in Symbolica Contemplatione secundum virtutem dicemus.

28. — Nunc autem quaecunque sunt praesentis negotii ex eloquiis congregantes et sicut quodam canone dictis utentes et ad ipsa inspicientes, ad reserationem intelligibilium Dei nominationum procedamus.

29. — Et quod semper secundum omnem theologiam hierarchica lex inducit, Dei inspectiva deliberatione inspiciamus, ut proprie dicamus, quibus Deus appareat contemplationes *; et aures sanctas sanctarum Dei nominationum reserationibus apponamus, in

νόοις αὐτὸν εἶναί φασι, καὶ ἐν ψυχαῖς καὶ ἐν σώμασι καὶ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐν γῇ

καὶ ἅμα ἐν ταὐτῷ τὸν αὐτὸν ἐγκόσμιον περικόσμιον ὑπερκόσμιον ὑπερουράνιον ὑπερούσιον ἥλιον [C] *ἀστέρα πῦρ ὕδωρ πνεῦμα δρόσον νεφέλην αὐτόλιθον καὶ πέτραν, πάντα τὰ ὄντα καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων.*

*§ 7. Οὕτως οὖν τῇ πάντων αἰτίᾳ καὶ ὑπὲρ πάντα οὔσῃ καὶ τὸ ἀνώνυμον ἐφαρμόσει καὶ πάντα τὰ τῶν ὄντων ὀνόματα ἵνα ἀκριβῶς ᾖ τῶν ὅλων βασίλεια * καὶ περὶ αὐτὴν ᾖ τὰ πάντα καὶ αὐτῆς ὡς αἰτίας ὡς ἀρχῆς ὡς πέρατος ἐξῃρτημένα * καὶ αὐτή, κατὰ τὸ λόγιον, « ᾖ τὰ πάντα ἐν πᾶσι »*[1],

26. — καὶ ἀληθῶς ὕμνηται πάντων ὑποστάτις ἀρχηγικὴ καὶ τελειωτικὴ καὶ [D] *συνεκτικὴ φρουρὰ καὶ ἑστία * καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρεπτικὴ καὶ ταῦτα ἡνωμένως ἀσχέτως * ἐξῃρημένως· οὐ γὰρ συνοχῆς ἢ ζωῆς ἢ τελειώσεως αἰτία μόνον ἐστὶν ἵνα ἀπὸ μόνης ταύτης ἢ τῆς ἑτέρας προνοίας ἡ ὑπερώνυμος ἀγαθότης ὀνομασθείη· πάν*[597 A]*τα δὲ ἁπλῶς καὶ ἀπεριορίστως ἐν ἑαυτῇ τὰ ὄντα προείληφε ταῖς παντελέσι τῆς μιᾶς αὐτῆς καὶ παναιτίου προνοίας ἀγαθότησι καὶ ἐκ τῶν ὄντων ἁπάντων ἐναρμονίως ὑμνεῖται καὶ ὀνομάζεται.*

§ 8. 27. — Καὶ γοῦν οὐ ταύτας μόνας οἱ θεολόγοι τὰς θεωνυμίας πρεσβεύουσι τὰς ἀπὸ τῶν παντελῶν ἢ τῶν μερικῶν προνοιῶν ἢ τῶν προνοουμένων, ἀλλὰ καὶ ἀπό τινῶν ἐσθ' ὅτε θείων φασμάτων ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀνακτόροις ἢ ἄλλοθί που τοὺς μύστας ἢ τοὺς προφήτας κατολαμψάντων κατ' ἄλλας καὶ ἄλλας αἰτίας τε καὶ δυνάμεις ὀνομάζουσι τὴν ὑπερφαῆ καὶ ὑπερώνυμον ἀγαθότητα καὶ μορφὰς αὐτῇ καὶ τύπους ἀνθρωπικοὺς ἢ πυρίνους ἢ ἠλεκτρίνους περιτιθέασι καὶ ὀφθαλμοὺς αὐτῆς καὶ ὦτα καὶ πλοκάμους καὶ πρόσωπα καὶ χεῖρας καὶ μετάφρενα καὶ πτερὰ καὶ [B] *βραχίονας καὶ ὀπίσθια καὶ πόδους ὑμνοῦσι· στεφάνους τε καὶ θώκους καὶ ποτήρια καὶ κρατῆρας αὐτῇ καὶ ἄλλα ἄττα μυστικὰ περιπλάττουσι, περὶ ὧν ἐν τῇ συμβολικῇ θεολογίᾳ κατὰ δύναμιν ἐροῦμεν.*

28. — Νῦν δέ, ὅσα τῆς παρούσης ἐστὶ πραγματείας, ἐκ τῶν λογίων συναγαγόντες καὶ ὥσπερ τινὶ κανόνι τοῖς εἰρημένοις χρώμενοι καὶ πρὸς αὐτὰ σκοποῦντες, ἐπὶ τὴν ἀνάπτυξιν τῶν νοητῶν θεωνυμιῶν προΐωμεν,

*29. — καὶ ὅπερ ἀεὶ κατὰ πᾶσαν ἡμῖν θεολογίαν ὁ ἱεραρχικὸς θεσμὸς ὑφηγεῖται, θεοπτικῇ * διανοίᾳ τὰς θεοειδεῖς ἐποπτεύσωμεν, κυρίως εἰπεῖν, θεωρίας καὶ ὦτα ἱερὰ ταῖς τῶν ἱερῶν θεωνυμιῶν ἀναπτύξεσι παραθώμεθα, τοῖς ἁγίοις τὰ ἅγια κατὰ τὴν θείαν παράδοσιν*

[1]) I *Cor.* 5. 28.

sanctis sancta secundum divinam traditionem collocantes et ipsa ab indoctorum risibus et delusionibus auferentes; magis autem ipsos illos, si totaliter sunt tales quidam homines, ab impugnatione Dei in hoc liberantes.

30. — Igitur, tibi quidem hoc custodire utile, o pulcher Timothee, secundum sanctissimam memorationem et neque dicibilia neque exportabilia divina facere ad indoctos;

mihi autem det Deus, ut decet Deum, laudare invocabilis et innominabilis Deitatis deificas multas nominationes et non auferat verbum veritatis ab ore meo.

ἐνιδρύοντες καὶ τῶν ἀμυήτων αὐτὰ γελώτων καὶ [C] *ἐμπαιγμῶν ἐξαιρούμενοι· μᾶλλον δὲ αὐτοὺς ἐκείνους, εἴπερ ὅλως εἰσὶ τοιοίδε τινὲς ἄνθρωποι, τῆς ἐπὶ τούτῳ θεομαχίας ἀπολυτρούμενοι.*

30. — Σοὶ μὲν οὖν ταῦτα φυλάξαι χρεών, ὦ καλὲ Τιμόθεε, κατὰ τὴν ἱερωτάτην ὑφήγησιν καὶ μήτε ῥητὰ μήτε ἔκφορα τὰ θεῖα ποιεῖν εἰς τοὺς ἀμυήτους.

Ἐμοὶ δὲ δοίη ὁ θεὸς θεοπρεπῶς ὑμνῆσαι τὰς τῆς ἀκλήτου καὶ ἀκατονομάστου θεότητος ἀγαθουργικὰς πολυωνυμίας καὶ μὴ περιέλοι « λόγον ἀληθείας » ἀπὸ « τοῦ στόματός μου »[1].

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

76. — Postquam ostenderat Dionysius quam cognitionem de Deo per divina Nomina accipere possumus, hic ostendit quomodo Deus nominari possit; et primo movet dubitationem, secundo solvit eam; ibi [22]: *Sed quod diximus...*

77. — Est ergo dubitatio talis: Ostensum est quod Deus est potior omni nostra locutione et omni cognitione et non solum excedit nostram locutionem et cognitionem, sed universaliter collocatur super omnem mentem etiam angelicam et super omnem substantiam. Et ne aliquis crederet sic Deum esse super omnia remotum ut non solum non cognosceretur, sed quod nec etiam cognosceret quae infra se sunt, subiungit quod Ipse est *omnium circumapprehensivus*, inquantum cognoscit proprietates et circumstantias rerum; *et comprehensivus*, inquantum perfecte cognoscit quidditates seu essentias omnium; *et praeapprehensivus*, inquantum scilicet cognitionem rerum non accipit a rebus sicut nos, sed scientia Eius praeexistit rebus, utpote causa earum; et tamen *Ipse omnibus* rebus *est incomprehensibilis et neque* potest comprehendi sensu *neque* phantasia sive imaginatione, *neque* opinione, in quibus et bruta comunicant; neque etiam comprehendi potest per ea quae sunt propria rationalium: quia *neque nomen est Eius*, ut comprehendens ipsum, *neque sermo* aliquis complexus, *neque tactus*, idest simpliciter intuitus intellectus, *neque scientia*, quae provenit ex deductione principiorum in conclusiones. Si ergo ita est, *quomodo de divinis Nominibus* poterit aliquis *sermo* tractari a *nobis*? Cum demonstratum sit quod supersubstantialis Deitas voce significari non potest, utpote supra omne nomen existens. Ridiculum enim videtur velle tractare de nominibus rei quae nominari non potest.

78. — Deinde, cum dicit [22]: *Sed quod diximus...* solvit praedictam dubitationem; et circa hoc duo facit: primo, ostendit qualiter Deus nominari potest; secundo, qualiter de divinis Nominibus sit agendum; ibi [28]: *Nunc autem...*

79. — Prima pars dividitur in tres, secundum tres modos Dei nominationum, quos assignat; secunda pars incipit ibi [24]: *Quoniam autem...;* tertia pars incipit ibi [27]: *Et quidem...*

80. — Circa primum, duo facit: primo ponit radicem primi modi nominationum; secundo, assignat primum modum Dei nominationum; ibi [23] *Istis deiformes...*

81. — Dicit ergo, primo, [22] quod, sicut dictum est in libro de Theologicis Hypotyposibus, Ipsum per se *unum*, quod Deus est, quod est *ignotum* et *supersubstantiale*, idest super omnem substantiam et quod est *ipsum bonum*, idest ipsa essentia bonitatis et quod est ipsum *quod est*, idest ipsum per se esse, scilicet ipsam *trinam Unitatem, dico*, in qua non est aliquis gradus, sed omnes tres per se sunt *simul* et aequaliter *Deus et simul* et aequaliter ipsum *bonum*, non quod Filius sit umbra bonitatis sicut Origenes et Arius dixerunt, istud, inquam, secundum quod in se est, *neque dicere, neque cogitare est possibile* nobis; non enim possumus ipsam essentiam Dei, quae est Unitas in Trinitate, in praesenti vita videre.

82. — Et licet Angeli videant essentiam, tamen etiam sunt nobis *ineffabiles et ignotae sanctarum virtutum unitiones* quae conveniunt *Angelis*, quibus scilicet uniuntur per cognitionem ad divinam essentiam, ipsam aliqualiter attingendo, sed non comprehendendo; *quas*, scilicet unitiones, *oportet dicere sive immissiones sive susceptiones bonitatis* divinae, *superignotae et superclarae;* non enim est ignota

[1]) *Psal.* 118, 43.

propter obscuritatem, sed propter abundantiam claritatis. *Immissiones* autem dici possunt, inquantum ipsa divina bonitas se immittit quodammodo sanctis mentibus; *susceptiones* autem, inquantum sanctae mentes ipsam capiunt, secundum suum modum. Et licet nunc huiusmodi *immissiones* sint nobis ineffabiles et ignotae, *inerunt* tamen aliquibus hominibus, sed illis solis *qui digni habiti sunt ipsis Angelis*, idest societate et consortio Angelorum, quantum ad *cognitionem* superangelicam. Visio enim Dei per essentiam est super naturam cuiuslibet intellectus creati, non solum humani, sed etiam angelici.

83. — Deinde, cum dicit [23] *Istis deiformes...* assignat primum modum Dei nominationum, qui scilicet fit per remotionem et dicit quod *mentes* Deo conformatae sanctorum, scilicet Prophetarum et Apostolorum, *unitae*, idest coniunctae praedictis immissionibus et susceptionibus, secundum *imitationem Angelorum*, non quidem aequaliter Angelis sed *sicut est possibile* in hac vita, *laudant* Deum *maxime proprie per* remotionem *a cunctis existentibus;* et hoc ideo, quia *unitio* sanctarum *mentium* ad Deum, qui est super omne lumen, *fit talis*, scilicet per remotionem a cunctis existentibus, *secundum quietem omnis intellectualis operationis*, idest in ultimo, in quo quiescit omnis eorum intellectualis operatio. Hoc enim est ultimum ad quod pertingere possumus circa cognitionem divinam in hac vita, quod Deus est supra omne id quod a nobis cogitari potest et ideo nominatio Dei quae est per remotionem est maxime propria; etenim illi qui sic laudant Deum per remotionem, per illuminationem Dei *vere et supernaturaliter* sunt *hoc edocti ex beatissima* coniunctione *ad* Deum; qui Deus, cum sit *omnium existentium causa*, ipse *nihil* est existentium, non quasi deficiens ab essendo, sed supereminenter *segregatus ab omnibus*. Et ideo divina supersubstantialitas, quae est bonitatis essentia, ab his qui *sunt* divinae *veritatis amatores*, *quae est* supra *omnem veritatem*, non potest laudari, *quomodocumque est*, idest comprehensive, *neque* ut dicatur ratio *aut* virtus *neque* ut mens *aut* vita *aut* substantia. Et eadem ratio est de omnibus aliis nominibus, quae processiones Dei in creaturas signant.

84. — *Sed* laudant Eam *sicut* super*excellenter segregatam ab omni habitu*, quod potest referri ad artificialia vel ad quascumque exteriores circumstantias; etiam *motu*, quantum ad naturalia; *vita*, quantum ad viventia; *phantasia*, *opinione*, idest aestimatione, quantum ad sensitiva; *nomine* incomplexo, *verbo* complexo, *deliberatione*, idest inquisitiva ratione, quantum ad rationalia, ut sunt homines; *intellectu*, quantum ad intellectualia, ut sunt Angeli; et universaliter quantum ad omnia dicit, *substantia*, si consideretur esse rerum; *statione*, *collocatione*, quantum ad rerum permanentiam: ut statio referatur ad firmitatem rei secundum quod consistit in seipsa; collocatio vero, secundum quod firmatur in aliis; et quantum ad perfectionem rerum, subdit: *unitione*, *fine*, *infinitate*, et universaliter ab omnibus quocumque modo existant.

Hic igitur est primus modus Dei nominationum per abnegationem omnium, ea ratione quod Ipse est super omnia et quidquid est quocumque nomine signatum, est minus eo quod est Deus, quia excedit nostram cognitionem, quam, per nomina a nobis imposita, exprimimus.

85. — Deinde cum dicit [24] *Quoniam autem...*, tradit secundum modum Dei nominationum, quae scilicet nominant Deum ut Causam; et circa hoc tria facit: primo, praemittit rationem huiusmodi nominationum; secundo, ponit ipsas nominationes, ibi [25]: *Hoc igitur...;* tertio, excludit quemdam errorem, ibi [26]: *Et vere laudatur...*

86. — Ad evidentiam autem primae partis [24], considerandum est quod cum effectus procedant per quamdam assimilationem a suis causis, secundum modum quo aliquid est causa, praehabet in se similitudinem sui effectus. Si enim aliquid est causa alterius secundum suam speciem vel naturam, effectus in se habet similitudinem secundum suam naturam: sicut homo generat hominem et equus equum. Si vero sit causa alterius secundum aliquam dispositionem superadditam, secundum hoc etiam habebit similitudinem sui effectus. Aedificator enim est causa domus, non secundum suam naturam, sed secundum suam artem, unde similitudo domus non est in natura aedificatoris, sed in eius arte.

87. — Ulterius autem considerandum est, quod cum bonum habeat rationem finis, quia bonum est quod omnia appetunt, finis autem est prima causarum, bonum est cui primo competit ratio causandi. Secundum hoc igitur quod aliquid se habet ad bonum, secundum hoc se habet quod sit causa.

88. — Quia igitur Deus est bonus, non quidem bonus quasi bonitatem participans, sed *sicut* ipsa *essentia bonitatis*, non per aliquam dispositionem creatam est causa rerum, sed *per ipsum esse* suum *est causa omnium existentium;* nec per hoc excluditur quin agat per intellectum et voluntatem, quia intelligere Eius et velle est ipsum esse Eius. Sic igitur in Ipso sua causa praehabet similitudinem omnium suorum effectuum.

89. — Omnis autem causa intantum potest nominari ex nomine sui effectus, inquantum habet in se similitudinem eius. Si enim sit similitudo secundum identitatem rationis, nomen illud conveniet causae et causato, sicut nomen hominis, generanti et generato. Si vero non sit similitudo secundum eamdem rationem, sed sit supereminentius in causa, non dicetur nomen de utroque secundum unam rationem, sed supereminentius de causa, sicut calor de sole et igne.

90. — Sic igitur, quia similitudo omnium rerum praeexistit in divina essentia non per eamdem rationem, sed eminentius, sequitur quod *providentiam* Deitatis, sicut *principem* totius *boni*, idest, principaliter in se totum bonum habentem et aliis diffundentem, *convenit laudare ex omnibus causatis;* non tamen univoce sed supereminenter, quod contingit propter convenientiam creaturarum cum ipsa; quam quidem convenientiam designat cum subdit: *quoniam et circa Ipsam* sunt *omnia*. Effectus enim dicuntur circa causam consistere, inquantum accedunt ad similitudinem ipsius, secundum similitudinem qua lineae egredientes e centro circumstant ipsum, secundum quamdam similitudinem, ab ipso derivatae.

91. — Inveniuntur autem aliqua esse circa aliquid, quod tamen est propter ea quae circumstant, sicut columna est propter domus. Non autem Deus est propter creaturas, sed e converso, et ideo subdit: *et Ipsius causa* sunt omnia, eo modo loquendi quo medicina dicitur esse causa sanitatis, idest propter sanitatem.

92. — Contingit autem apud nos, quod id quod est propter finem est causa activa finis et prius eo in generatione, sicut se habet medicatio ad sanitatem; et ne sic Deus esse finis credatur, subiungit: *et* Ipse *est ante omnia*. Sunt etiam aliqua propter finem quae licet non praecedant id propter quae sunt, tamen aliquid ad ipsum conferunt, sicut vestimenta sunt propter hominem; et ad hoc excludendum a Deo, subdit: *et omnia in* Ipso consistunt, unde ex nullo, aliquid accipere potest, sed omnia acquirunt quidquid habent, ab Ipso.

93. — Et ne aliquis credat esse Deum causam rerum solum per modum finis, ut quidam posuerunt et non per modum factionis et conservationis, subiungit: *et esse hanc*, scilicet Deitatem vel Providentiam divinam, *est totorum*, idest omnium vel perfectorum, *deductio*, idest, productio, *et substantia;* ac si dicat: Ipsa Deitas per suum esse est causa productionis et existentiae rerum.

94. — Est autem ulterius considerandum quod omnis effectus convertitur ad causam a qua procedit, ut Platonici dicunt. Cuius ratio est quia unaquaeque res convertitur ad suum bonum, appetendo illud; bonum autem effectus est ex sua causa, unde omnis effectus convertitur ad suam causam, appetendo ipsam. Et ideo postquam dixerat quod a Deitate deducuntur omnia, subiungit quod omnia convertuntur ad Ipsam per desiderium; et hoc est quod dicit: *et omnia Ipsam desiderant*.

95. — Et ne aliquis credat quod omnia Ipsam cognoscant, ostendit quomodo, diversimode, diversa Ipsam desiderant, subdens: *intellectualia quidem*, idest Angeli, *et rationalia*, idest homines, desiderant Ipsam *cognitione*, idest cognoscendo Ipsam, non enim cognosci potest nisi intellectu aut ratione; *istis autem subiecta*, non cognitione Ipsam desiderant, sed alia quidem solum *sensibiliter*, ut bruta animalia; *et alia secundum vivificum motum*, ut plantae; *aut secundum aptitudinem substantialem*, ut ea quae moventur secundum generationem et corruptionem; aut *habitudinariam*, ut in aliis motibus, qui sunt secundum qualitatem et quantitatem et ubi; omnia enim huiusmodi licet non cognoscant Deum, tamen dicuntur Ipsum desiderare, inquantum tendunt ad quoddam bonum particulare. In omni autem bono particulari refulget Primum Bonum, ex quo habet quodlibet bonum quod sit appetibile.

96. — Deinde, cum dicit [25]: *Hoc igitur...* ponit nominationes divinas secundum rationem praedictam et dicit quod *Theologi*, considerantes praedicta, scilicet quod Deus est segregatus ab omnibus et tamen est causa omnium, quandoque quidem dicunt Ipsum *innominabilem*, quandoque autem attribuuntur Ei omnium rerum nomina: *innominabilem quidem*, dicunt Ipsum, *sicut quando dicunt Ipsam* Deitatem *in* quadam *mysticarum visionum*, quae fuerunt secundum apparitionem divinam imaginativam, *significative increpare eum qui* quaesivit: *Quod est nomen tuum?* ab Angelo qui apparebat in persona Dei. Et ut excluderet eum ab omni

cognitione quae posset provenire ex Dei nomine, dixit: *Quare interrogas nomen meum* quod *est mirabile*? Et habetur hoc, Genes. 32 [29]. Et *vere hoc nomen est mirabile, quod est super omne nomen*, ut dicitur Philipp. 2 [9]; *quod est innominabile*, quasi *collocatum super omne nomen quod nominatur sive in isto saeculo sive in futuro*, ut habetur Ephes. 1 [2].

97. — Et non solum laudatur in Scripturis Deus ut innominabilis sed etiam ut *multorum nominum, sicut quando* ipse Deus inducitur dicens: « *Ego sum qui sum* », Exod. 3 [4]; *et Vita et Veritas*, Ioan. 14 [6]; et *lumen*, Ioan. 8 [12]; *et Deus*, Exod. 3 [6]: « *Ego sum Deus Abraham* ».

98. — Et non solum Ipsum inducunt ipsa nomina de se dicentem, sed etiam *ipsi* qui erant *periti* circa Deitatem ut Apostoli et Prophetae, *laudant* Deum, ut *omnium Causam ex multis causatis*. Diversitatem autem horum causatorum quae hic subiungit, non oportet hic distinguere, quia ista distinguentur in distinctione capitulorum, cum ad certa capitula omnes effectus huiusmodi reducat. Laudant enim Eum *sicut bonum*, Luc. 18 [19]; *sicut pulchrum*, Cant. 1 [16] *sicut sapientem*, Iob. 9 [4]; *sicut diligibilem*, Cant. 5 [2]; *sicut Deum deorum*, Psalm. 49 [1]; *sicut Sanctum sanctorum*, Dan. 9 [24]; *sicut aeternum*, Baruch 4 [10]; *sicut existentem*, Iob 14 [4]: « *nonne tu qui solus es?* »; *sicut causam saeculorum*, Eccli. 24 [14-28]; *sicut vitae largitorem*, Act. 17 [25]; *sicut sapientiam*, I ad Corinth. 1 [21]; *sicut mentem*, Esaiae 29 [14] et alia translatio habet *intellectum; sicut rationem*, Esaiae 63 [1]: « *Ego qui loquor iustitiam* », ubi alia translatio habet: « *Ego qui disputo iustitiam* » vel melius dici potest quod « ratio » in graeco « logos » dicitur, quod etiam signat « verbum », quod pluries in Scripturis invenitur; *sicut cognitorem*, II ad Timoth. 2 [19]; *sicut praehabentem omnes thesauros universae cognitionis*, Coloss. 2 [3]; *sicut virtutem*, I Corinth. 1 [24]; *sicut potentem*, Psalm. 88 [9]; *sicut Regem* regum, Apoc. 19 [16]; *sicut Veterem dierum*, Dan. 7 [13]; *sicut sine senectute et invariabilem*, Jac. 1 [17]; *sicut salvationem*, Matth. 1 [21]; *sicut iustitiam, sicut* iustificantem *sicut liberationem* vel *redemptionem*, secundum aliam translationem, I Corinth. 1 [30]; *sicut* magnitudinem *cuncta excedentem*, Iob. 23 [6]; *sicut in aura subtili*, III Reg. 19 [12]; *et dicunt Ipsum* etiam *esse in mentibus*, sive cordibus, Eph. 3 [17]; *in animabus*, Sap. 7 [27]; *et in corporibus*, I Corinth. 6 [19]; *in coelo et in terra;* Hierem. 23 [24]; *et simul in eodem*, idest quantum ad eamdem materiam, dicunt *eumdem* esse *mundanum*, idest in mundo, Ioan. 1 [10]; *circamundanum*, Eccli. 24 [8]; *supermundanum*, Esaiae 66 [1]; *et supercoelestem*, Psalm. 112 [4]: « *Excelsus super omnes gentes Dominus et super coelos gloria Eius* »; *supersubstantialem*, Matth. 6 [11]; *solem*, Malach. 4 [2]; *astrum*, idest stellam, Apoc. 22 [16]; *ignem*, Deuter. 4 [24]; *aquam*, Ioan. 4 [10]; *spiritum*, Ioel. 2 [28]; et *rorem*, Oseae, 14 [6]; *nubem*, Oseae 6 [4]; *lapidem*, Psalm. 117 [21]; *petram*, I Corinth. 10 [4]; et *omnia* alia *existentia* ei attribuuntur sicut causae; *et nihil existentium* est, in quantum omnia superexcedit. *Ita igitur* Deo, qui est *omnium* causa et tamen *super omnia* existens, convenit *et* esse *innominabile*, inquantum super omnia existens, et tamen conveniunt Ei omnia *nomina existentium*, sicut omnium Causae; et rationem subiungit.

99. — Ad cuius evidentiam considerandum est quod regimen universi est optimum. Ad bonitatem autem regiminis requiritur quod ille qui regit, non sit omnino ab his qui reguntur alienus, sed cum eis aliquam convenientiam habeat, ut possit esse utilis; et ut tamen subditos superexcedat, ne sit contemptibilis, ut imperare possit. Et hoc est quod subdit: *ut regnum totorum*, idest ut regimen universi, *sit diligenter*, idest optime procedat, *omnia* sunt *circa* primam Causam, quasi ab ipsa secundum quamdam similitudinem derivata; *et ab ipsa* sunt omnia *segregata, sicut a Causa*, propter quam omnia sunt; *sicut* a *principio*, a quo effluunt; *sicut* a *fine*, quem consequentur; *et Ipsa*, per hunc modum, *sit* « *omnia in omnibus* », inquantum omnis perfectio omnium est ipse Deus causaliter, *secundum eloquium;* hoc enim scriptum est I Corinth. 15 [28].

100. — Deinde, cum dicit [26]: *Et vere laudatur...* excludit quorumdam errorem. Fuerunt enim quidam Platonici qui processiones perfectionum ad diversa principia reducebant, ponentes unum principium esse vitae, quod appellabant primam vitam, et aliud principium esse intelligendi, quod appellabant primum intellectum et aliud existendi quod appellabant primum ens et bonum. Et ad hoc excludendum, dicit quod Deus *vere laudatur* ut *principalis substantia omnium*, inquantum est principium existendi omnibus; et dicitur causa *perfectiva* omnium, inquantum dat omnes perfectiones rebus; et dicitur causa *contentiva, custodia et cibus*, quae tria ad conservationem rerum

pertinere videntur. Quaedam enim sunt quae non indigent nisi ut in suis principiis conserventur, quia ab exteriori corrumpi non possunt, ut corpora coelestia; et quantum ad hoc dicit quod est causa *contentiva*, quia haec continet in esse. Quaedam vero sunt quae, etsi non deficiant ex suis principiis, corrumpi possunt ab exteriori sicut aqua ab igne et quantum ad hoc dicit: *custodia*, quia haec defenduntur a Deo, ne, praeter ordinem suae rationis, ab illis corrumpantur. Quaedam autem sunt quae ad sui conservationem indigent supplementis, sicut homines et animalia cibis et quantum ad hoc dicit: *cibus*, quia scilicet omnibus administrat ea quae sunt necessaria ad suam conservationem. Est etiam *et* causa *conversiva ad ipsum*, quia hoc ipsum quod res convertuntur in Deum, desiderando Ipsum sicut finem, est eis a Deo. Et haec omnia conveniunt Deo *unitive*, idest non secundum diversas virtutes, sed secundum unam simplicem virtutem; *et communicabiliter segregate*, quia ita communicat aliis causalitates praedictas, quod tamen quidam singularis modus causandi separatim remanet apud Eum.

101. — Ideo autem sic diversimode laudatur ut causa, quia *non solum est causa continentiae*, idest salvationis rerum, *aut vitae aut perfectionis*, ut *bonitas* divina *quae est super* omne *nomen nominetur*, idest debeat nominari *a sola hac aut alia providentia*, idest causalitate, *sed* ipsa divina bonitas *praeaccipit in seipsa omnia existentia simpliciter*, idest non ita quod ex omnibus componatur, sed quae in seipsis sunt multa composita, in Deo sunt unum *simpliciter et incircumfinite*, quia, cum singula nomina determinate aliquid significant distinctum ab aliis, venientia in divinam praedicationem, non significant illud finite, sed infinite: sicut nomen sapientiae prout in rebus creatis accipitur significat aliquid distinctum a iustitia, ut puta in determinato genere et specie existens, sed cum in divinis accipitur, non significat aliquid determinatum ad genus et ad speciem seu distinctionem ab aliis perfectionibus, sed aliquid infinitum; et ideo convenienter laudatur et nominatur Deus ex *perfectissimis bonitatibus*, idest perfectionibus, quae proveniunt rebus per providentiam illius supremae Causae; quae cum sit una et eadem, est tamen diversorum, immo omnium Causa, utpote cum nominatur nomine substantiae aut vitae aut alicuius huiusmodi, *et* etiam *nominantur ex universis existentibus*, propter perfectiones in eis participatas, utpote si nominetur sol propter claritatem et petra propter firmitatem et sic de aliis.

102. — Deinde, cum dicit [27] *Et quidem...* ponit tertium modum Dei nominationum et dicit quod sancti *Theologi non solas istas Dei nominationes* nobis *commendant* quae sumuntur *a providentiis aut provisis, perfectis aut particularibus* (ut per providentias, intelligamus perfectiones rebus communicatas, ut bonitatem et sapientiam; per provisa autem, ipsas res participantes huiusmodi perfectiones, ut hominem aut solem: quorum perfectae quidem providentiae dicuntur quae sunt universales, ut bonum, existens et huiusmodi; particulares autem quae alicui generi rerum conveniunt, ut sapiens et iustum) sed contingit quod aliquando *nominant* Dei *bonitatem* quae est supernominabilis, propter suum supersplendorem, *a quibusdam divinis apparitionibus*, idest imaginativis visionibus, quibus illuminati sunt Prophetae *aut* Magistri, quod dicit propter eos qui Agiographa conscripserunt; vel *in sanctis templis* vel in quibuscumque aliis locis et hoc *secundum* diversas *causas et virtutes*. Ex diversis enim rationibus, diversae apparitiones sunt factae, unde *circumponunt* Ei *formas humanas aut igneas aut electrinas* et ad laudem Ipsius describunt Ei *oculos et aures* et alia membra *et circumponunt Ei coronas* et honores et alia huiusmodi, quae facile est considerare ex diversis Scripturae locis. Et de huiusmodi Dei nominibus promittit se dicturum in libro de *Symbolica* Theologia, qui nondum apud nos habetur.

103. — Deinde cum dicit [28]: *Nunc autem...* ostendit quomodo de divinis Nominibus sit agendum et circa hoc tria facit: primo ostendit de quibus divinis Nominibus in hoc libro sit agendum; secundo, quis modus doctrinae servandus sit et quantum ad docentes et quantum ad audientes, ibi [29]: *Et quod semper...*; tertio, exhortatur Timotheum cui scribit, ad hoc observandum, ibi [30]: *Igitur...*

104. — Dicit ergo, primo, quod *nunc* procedendum est, in hoc libro, ad manifestationem divinorum Nominum *intelligibilium*, idest quae non sumuntur a rebus sensibilibus symbolice, sed ex intelligibilibus perfectionibus procedentibus ab Eo in creaturas, sicut sunt esse, vivere et huiusmodi, ita quod congregentur quaecumque nomina ad praesens negotium pertinent, ex sacris Scripturis; et quod his quae dicta sunt in isto capitulo, sit utendum sicut quadam regula, ad quam in toto praesenti opere

oportet respicere. Cum enim praemissa sint tria genera Dei nominationum, de primo, qui est per remotionem, agitur in Mystica Theologia; de secundo, qui est per intelligibiles processiones, in hoc libro; de tertio, qui est per sensibiles similitudines, in libro de Symbolica Theologia.

105. — Deinde, cum dicit [29]: *Et quod semper...* ostendit modum determinandi de divinis Nominibus, cum dicit quod considerandum est *ut proprie dicamus*, in hoc libro, *contemplationes quibus Deus* apparet. Et dicit *proprie*, contra metaphoricas apparitiones. Et iterum inspiciendum est quod ad manifestationes sanctorum Dei nominum, admittantur sanctae *aures* scilicet fidelium, qui pie et reverenter audiant, non infidelium qui irrideant et blasphement, ut sic *sancta* collocemus *in sanctis, secundum divinam traditionem*, Deo praecipiente: « *nolite sanctum dare canibus* », Matth. 7 [6]; ut sic auferantur sancta derisionibus *indoctorum;* immo *magis* ipsi *homines*, si qui sint *totaliter* divinis resistentes, liberentur *ab impugnatione Dei;* ipsi enim deridendo divinis non divina laedunt, sed seipsos. Et hoc, inquam, in hoc opere providendum est, quia *semper secundum omnem* doctrinam theologicam *lex hierarchica*, idest quae per sacros principes traditur, *inducit*, idest praecipit aut exhortatur haec esse observanda secundum quamdam deliberationem, quae non ex humana sapientia provenit, sed ex ipsa Dei circumspectione.

106. — Deinde, cum dicit [30]: *Igitur...* inducit Timotheum ad haec observanda; et dicit quod *utile* est ei praedicta *custodire*, sed ut ipse haec sanctissime recordetur et quod ea quae sunt *divina* neque dicat, neque quocumque modo exportet, idest prodat indoctis, scilicet infidelibus vel quibuscumque indoctis qui, propter imperitiam non capientes, irridentes.

107. — Ultimo, autem, in oratione terminat praesens capitulum, rogans Deum ut *det* ei cum Dei laude, secundum quod *decet Deum*, tradere diversas *nominationes Deitatis*, quae voce exprimi non potest nec nominari et quod *non auferat verbum veritatis ab ore* eius.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 21: *circumapprehensivus* (*περιληπτική*), [al. codd. et edit. add. *καὶ συναπτική*] (et coniunctiva) delet Turturro cui consentio] et *comprehensivus* (*καὶ συλληπτική*) et *praeapprehensivus* (*καὶ προληπτική*). Variationem generis nota: graec. subintelligitur *substantia* (*οὐσία*); lat. interpres legit *Ipse* (cfr. *αὐτός* in edit. ubi leg. *αὐτή*).

* ad n. 22, 82: « et solum ipsis inerunt qui super angelicam cognitionem digni habiti sunt ipsis angelis » - *καὶ μόνοις αὐτοῖς ἐνυπάρχουσι τοῖς ὑπὲρ γνῶσιν ἀγγελικὴν ἠξιωμένοις αὐτῶν, ἀγγέλοις*, versionem propono: « et solis ipsis insunt angelis qui ipsarum [unitionum: immissionum, susceptionum] quae (sunt) super cognitionem angelicam, digni habiti fuerunt ».

Homines (82), qui « ad Angelorum imitationem » participes fiunt harum immissionum, sunt « mentes deiformes » de quibus infra (23) agitur h. e. theologi per quos Deus loquitur (Prophetae - Scriptores sacri - Apostoli) et consequenter theologi qui de Deo loquuntur (29).

* ad n. 23: « quomodocumque est » - *ὅ τι ποτέ ἐστιν*, « quidquid tamdem id est » (Ambrosius) vel « quodcumque est » (Cordier).

* ad n. 25: « *saeculorum causam* » - *αἰώνων αἴτιον*. Pachymeres (MG. III, 629 D) ex *Isaia* 40, 28; S. Thomas (98) ex *Eccli.* 24 in v. 14 iuxta Cordier (ibid. 603). Videtur tamen hoc nomen distinctius erui ex epist. *ad Hebr.* 1, 2 cuius verba Apollinaris ad suam fulciendam opinionem trahebat: Verbum vocatur *auctor saeculorum* (*ποιητὴς τῶν αἰώνων*) in *Demonstratione divinae incarnationis ad similitudinem hominis* (post a. 376) apud Gregorium Nyssenum *Antirrheticus* (MG. 45, 1157 C) cfr. H. Lietzmann, *Apollinaris v. Laodicea u. seine Schule* I, Tübingen 1904, pag. 213, n. 38. Iuxta Pachymeren (*l. c.*): « auctorem saeculorum *aeternum* dicit ».

* : « regnum », legit: « *βασιλεία*, al. *βασίλεια*, ut causa sit « regina »; quam lectionem praefero respiciens *βασιλέα* in epist. II (pseudo) Platonis iam supra (24) implicite citata et nunc modo magis explicito: « *περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ'ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν* » (312 E) - circa *omnium Regem* omnia sunt et gratia illius (sunt) omnia et Ille causa (est) omnium pulchrarum rerum ». Locus iste saepissime invenitur apud scriptores externos et apud christianos auctores ita ut E. Schröder illum adnumeret inter « itinerantes textus » (*Plotinus Abhandlung πόθεν τὰ κακά*, Borna-Leipzig 1916, pag. 132, n. 1).

* : « segregata » (99) - *ἐξῃρτημένα*, « appensa »; cfr. pulcherrimum locum Plotini (*En.* I, 7, 1): « hoc *debet* poni tamquam Ipsum Bonum (*τἀγαθόν*): ad quod omnia relata sunt et Ipsum ad nihil (*εἰς ὃ πάντα ἀνήρτηται, αὐτὸ δὲ εἰς μηδέν*). Sic enim et verum est illud: quod omnia appetunt (*οὗ πάντα ἐφίεται*). *Debet* igitur Ipsum manere, ad Ipsum autem omnia se convertere (*ἐπιστρέφειν*) sicut puncta circumferentiae ad centrum a quo sunt omnes lineae ». Hic habetur interior humani cordis anhelitus, ibi (25)

responsio Dei qui per Christum in Ecclesia « amore pulchrarum rerum extenso ad Ipsum » nos extendit ad Se (*Eccl. Hier.* I, 1, 1; cfr. infra: 106).

Notare velim, pro viribus, proprietatem et differentiam terminorum utrobique: *ἀρτάω, suspendo; ἀναρτάω εἰς, refero ad* (secundum causalitatem finalem); *ἐξαρτάω, pendeo a* (secundum causalitatem efficientem). Inde *αὐτῆς ... ἐξηρτημένα* Dionysii, modo magis distincto, per doctrinam creationis et existentiae positive realis, exprimit dependentiam actualiter subordinatam creaturarum a Deo *a* quo pendent et « *Ipsi ligata se tenent* ». Hic, ni fallor, reponitur novae metaphysicae fundamentum.

Ptolemaeus in *epistola ad Floram* (apud Epiphanium, *haeres* XXXIII, 7) recognoscit « unum esse ingenitum Patrem a quo proprie sunt universa, cum universa suspensa ab Ipso (*ἠρτημένων ἀπ'αὐτοῦ*) sint » (edit. Oehler I, 1, Berolini 1859, pag. 410). Dum tamen ab ipso distinguit illum deum quem iustum vocat et auctorem legis Veteris Testamenti considerat, omnia funditus subvertit et artem construendi in fistulis collocat.

Dionysius synthesim construit et uni videtur plotinizare alteri vero philonizare vel proclizare nec desunt qui illum nimis hellenizantem iudicent usque ad doctrinae christianae inquinamentum. Puto tamen flores iudicandos esse non ex agri solo fimo saturato, sed ex eo quod flores sunt, *naturam* et vitam pulchrificantes.

* ad n. 26: custodia et *cibus* (*ἐστίασις*) item; 100, sed utrobique: *φρουρὰ καὶ εστία*, « custodia et *firmitas* » vel « *ara* »; cfr. [Iamblichus] *Theologoumena Arithmeticae*, edit. de Falco, Lipsiae 1922, pag. 6: « monadicam naturam ad modum *arae* (*εστίας τρόπον*) in medio collocari » (cfr. *Phaedr.* XXVI, 247 A; *Cratyl.* XVIII, 401 A-D).

* : et communicabiliter segregate - *ἀσχέτως ἐξῃρημένως*, « atque ista coniuncte, *incircumscripte*, excellenter » (Ambrosius) vel « *absolute* separatim »; barbarice, sed literal. vert. « *irrelate* ».

* ad n. 29: « Dei-inspectiva deliberatione inspiciamus, ut proprie dicamus, quibus Deus appareat contemplationes »; « Dei-inspectiva facultate intellectuali fiamus inspectores (*epoptae*), *proprie loquendo, deiformium* [*θεοειδεῖς*, al. *θεοφανεῖς* ex Maximo, ni fallor: « deiformes, *loco:* Deum manifestantes » *θεοφανεῖς* - MG. IV, 209 C] contemplationum ».

Nota vim termini *θεοπτικῇ διανοίᾳ* quia *ordines theopticos* docet esse primos in Hierarchia (EH. V, 1, 5; 505 A) h. e. *episcopos;* inde in *Theologia* facultatem intellectualem theopticam constituere epoptas, intelliges per contemplationem perfectam. Iamblichus (*de Mysteriis*, VIII, 6) duas animas in homine ponit: « una est a primo Intelligibili, participat etiam de potentia opificis; altera vero nobis inditur ex circuitu coelestium, ad quam accedit *anima theoptica* » quando fit generatio. Ista anima theoptica habet *in se* principium reditus ad Intelligibile (*ibid.* 7) et sic vel per Theurgiam fit hominis auto-redemptio (Iamblichus-Aedesius) vel per Philosophiam (Plotinus-Porphyrius) vel per utrumque (Iulianus).

Contra omnes Dionysius: per veritatem Christi. Si autem dicit: *ἐποπτεύσωμεν, κυρίως εἰπεῖν* - fiamus *epoptae proprie loquendo* (cfr. CH. X, 2) hoc est ex doctrina Clementis Alexandrini qui « speciem theologicam » supremo gradui (epoptiae) mysteriorum assimilat [*Strom.* I, 28; edit. Potter I, 424; cfr. *ibid.* I, 1: « secundum epopticam contemplationem (*ἐποπτικὴν θεωρίαν*) cognitionis » seu doctrinae quae habetur in praeclara et veneranda regula traditionis (*τῆς παραδόσεως κανόνα*) h. e. *in symbolo fidei; ibid.*, 324-325].

Diutius qua par est in explicatione quorumdam terminorum immoratus sum, quia manifestum est ex recta illorum intelligentia quaestionem dionysianam pendere: si enim omnia quae passim inveniuntur materialiter h. e. in sono literae conferantur quaelibet conclusio inde possibilis manet; secus, si omnia suis locis perpendantur. Quod tamen facilius est cogitatu vel dictu, quam factu.

2ª Quoad positionem theologicam Dionysii.

Multa essent dicenda sed pro viribus pauca noto quae maioris momenti videntur.

* Ex iis quae hucusque invenire vel videre potui et salvo semper meliori iudicio cum reverentia erga peritiores, mihi videtur positionem theologicam Dionysii principiis scholae Basilii inniti.

Quia vero haec principia fundamentalia theologiae, invicte contra Eunomium adfirmata et defensa, tunc temporis distinctam explicationem habuerunt, quaeso ne pigeat rem considerare quam propono absque ullo omnino systematis praeconceptu.

Claritatis gratia ordinem saltem operum Eunomii et contra Eunomium subnectere placet:

1° — Apologeticus liber Eunomii (361-362);

2° — Eversio Apologetici seu adversus Eunomium, opus a Basilio exaratum (363-365);

3° — Apologia Apologetici seu responsio Eunomii in tres libros distributa (378-379);

4° — Refutatio Apologiae seu contra Eunomium Gregorii Nysseni:

* I, refutatio primi libri,
* XII^{b}, refutatio alterius libri,
* III-XII^{a}, refutatio tertii libri;

5° — Expositio fidei ab Eunomio imperatori Theodosio (383) oblata;

6° — Refutatio expositionis a Gregorio Nysseno exarata quae in contra Eunomium II invenitur.

Recentiores aliter et forsan meliori diligentia quaestionem literariam de relationibus inter Apologiam Apologetici et Apologiae Refutationem solvunt sed pro re nostra nihil refert an sic vel aliter relationes huiusmodi stabiliantur eo vel magis quod et hypothesim propositam pro nihilo ducunt vel parvi faciunt.

Per viginti et amplius annos acriter utrobique tunc pugnatum est contra Deum vel pro Deo at non sine fructibus et quidem abundantioribus, dum non tantum nostrae de Deo cognitionis fundamentum et extensio accuratius considerantur sed et ipsa theologia vividius proprii valoris conscia fit: tunc, ni fallor, historice et psychologice datur possibilitas de aliqua theologica synthesi cogitare.

Triplex theologiae distinguitur modus qui postea et nomine insignitur: modus theologiae symbolicae (cfr. Bas., *adv. Eun.* I, 14; Opp. I, 226 DE); modus

theologiae propriae vel affirmativae (id., *ibid.* I, 13; 222 C - 223 A) modus theologiae negativo-positivae (id., *ibid.*) per quem non solum auferuntur imperfectiones corruptibilitatis, mortalitatis etc. sed ulterius quaevis limitatio alicuius perfectionis excluditur, unde mens processum negativo-superlativum statuit in via eminentiae.

Sufficiat quaedam referre ex *Contra Eunomium* Gregorii Nysseni: « ego autem a Scriptura divinitus inspirata hoc edoctus affirmare audeo quod qui *supra omne est nomen* nobis multis nominibus (*πολυώνυμος*) dicitur secundum varias et multas beneficiorum differentias, dum nominatur lux quidem cum ignorantiae caliginem dispellit et discutit; vita, vero, cum immortalitatem gratificatur; via cum ab errore ad veritatem tamquam manu ducit; sic etiam turris fortitudinis et civitas complexionis et fons et rupes et vitis et medicus et resurrectio et omnia talia nostri ratione nominatur, vario modo seipsum suis erga nos beneficiis distribuens.

Hi vero per haec nomina essentias interpretantur, qui supra humanam naturam acute cernunt, qui quod est incomprehensibile vident et quod potest comprehendi despiciunt.

Quem enim neque hominum quisquam vidit umquam neque potest videre [I *ad Tim.* 6, 16] hunc non solum se intueri (*ὁρᾶν*) sed etiam metiri (*μετρεῖν*) affirmant; fidem vero non animae oculo cernunt quod quidem solum est nostrae cognitioni commensum (*σύμμετρον*) et accomodatum et cognitionem quae ex rationibus procedit huic praeponunt et pluris faciunt » (*Contra Eunomium* X; MG. XLV, 831 AB - 832 AB; cfr. XII[b], ibid. 1069 A); v. F. Dieckamp, *Die Gotteslehre des hl. Gregor von Nyssa*, Münster 1896, maxime cap. 4, pag. 183 ss. 187 ss. Plura et apud Gregorium Nazianzenum in *orationibus theologicis* II[a] et IV[a]; unum colligo: Clemens Alexandrinus utitur termino « *ἀνωνόματος* » (*Strom.* V, 12 - edit. Potter II, 695); Gregorius Nazianzenus « *ἀκατονόμαστος* » (*Orat. Theol.* IV[a], 17; MG. 36, 125 B); Gregorius Nyssenus, *ἀνώνυμος* (*de eo quid sit: « ad imaginem Dei et similitudinem »* MG. 44, 1332 B; sunt qui opus *Anonymo cuidam* IV saec. attribuunt). Invicte adversus Eunomium *decertantem contra Deum* doctores christiani *pro Deo pugnantes spiritualibus armis doctrinae*, synthesim theologicam praeparant ampliorem quam Dionysius mirifice colligit.

** Quae scripsi de *θεομαχία* (*Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques* 1936, pag. 1 ss.) sufficiunt et quae ulterius adieci videri possunt suis locis (*Eucharistia fidelium*, in *Salesianum*, 1941, pag. 81-117; 1942, pag. 145-172; 1943, pag. 1-46, ubi quaestionem de *symbolo fidei* examino. *I Teologi e la Teologia nello sviluppo de pensiero cristiano dal III ad IV secolo* in *Angelicum*, 1942, pag. 39-95, ubi quaedam pertinentia ad valorem horum terminorum discutiuntur).

Nunc tantummodo duo observanda censeo: unum est valde simplex et refertur ad intentionem huius termini: *θεομαχία* et manifestum est ex constructione textus ipsum respicere non *theologiae symbolicae* anthropomorphismos, sed *theologiae propriae* nomina *nunc* (*νῦν δέ*... 28) explicanda, quae sunt obiectum irrisionis et contemptus; aliud, paullo difficilius, est circa sensum non termini, sed propositionis. M. de Gandillac ita vertit: « ...et loin de les livrer aux railleries et aux injures des profanes, s'il se trouve de tels hommes, *épargnons-leur* plutôt cette lutte sacrilège ». Dionysius utitur verbo *ἀπολυτρούμενοι* (29) et liberatio ab impugnatione Dei non fit subtrahendo doctrinam quam capere non possunt ex mala dispositione animi, sed *a risu et illusione infidelium hanc doctrinam vindicantes, ipsos homines*, si qui sint huiusmodi, *ad libertatem quae est ex veritate vocare* et tali modo *redimere* a *θεομαχία*. Impugnatio Dei « *contra hoc* » (*ἐπὶ τούτῳ*) fit et *alienum puto a theologia claudere ianuam veritatis* denegando doctrinam, ab irrisionibus infidelium vindicatam, *si quis stet ad ianuam et pulset*. Verum tamen est in Maximi Scholio legi: « scribit autem Timotheo Apostolus *non esse disserendum* de talibus cum iis qui verbum in veritate non recipiunt » (MG. IV, 209 D). Quod quidem verum est (II *Tim.* 2, 23; cfr. I *Tim.* 1, 4); sed *regula pastoralis* ab ipso Paulo tradita implicat novam quamdam doctrinae applicationem, cum subiungit in dulcedine, adversantes veritati *educandos* esse, si forte Deus illis det ut veritatem recognoscentes a diabuli laqueis liberentur (II *Tim.* 2, 25-26).

3[a] QUOAD DIVISIONEM TEXTUS IN EXPOSITIONE SECUNDAE ET TERTIAE LECTIONIS.

Notandum est in textu et vers. dubitationem incipere per verba sub n. 20 posita et ab Angelico Doctore velut si conclusionem alicuius syllogismi contineant exposita. Quae conclusio in *protasi* habetur: « Et quidem *si melior est... et super... collocatur*, omnium quidem... Ipse [*αὐτός*, sed cod. Laur. AC: *αὐτή* et Turturro consentit]... quomodo ... demonstrata? ».

CAPUT SECUNDUM

De unita et discreta Theologia et quae est divina unitio et discretio.

ORDO LECTIONUM

1 - B) — Intendit ostendere quod divina Nomina, de quibus in hoc libro agitur, sunt communia toti Trinitati (Cap. II):

I° — ostendit quae dicantur communiter et quae distinctim de Trinitate (lectio 1[a])

II° — assignat rationem communitatis et distinctionis:

a) exponit secundum quod possibile est:

j° - tradit modum secundum quem exponere intendit (lectio 2[a], n. 38)

ij° - illum modum exponit:

α) quantum ad Deitatem (lectio 2[a], nn. 39-48; 3[a], 49-52)

β) quantum ad Humanitatem Christi (lectio 3[a], n. 53).

b) dicit quod non potest totaliter et perfecte a nobis exponi:

j° - ostendit quod discretiones divinae et unitiones non possunt sufficienter a nobis manifestari:

a) ponit excusationem a perfecta manifestatione (lectio 4[a], n. 54)

b) rationem assignat quare in rebus divinis sint quaedam mystica quae intellectum nostrum excedunt:

α) manifestat hoc ex parte Deitatis,

β) ex parte Humanitatis Christi:

I per sua verba;

II per verba Hierothei:

a') ostendit unde accepit verba quae dixit;

b') ponit verba ipsius (lectio 5[a]).

ij° - prosequitur de discretione quae est secundum processiones creaturarum quia hoc maxime pertinet ad intentionem praesentis libri (lectio 6[a]).

LECTIO I (4ª)

Quae dicantur communiter et quae distinctim in Trinitate.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. II; textus nn. 31-37; expositio nn. 108-127).

Ostendit quae dicantur communiter et quae distinctim in Trinitate:
A) Ostendit quod Nomina Divina de quibus in hoc libro agendum est, in tota Trinitate accipienda sunt (31-34):
1° - ponit veritatem intentam (31; **112-117**).
2° - probat quod supposuerat:
a) specialiter de quibusdam nominibus (32; **119**).
b) de omnibus (33; **120**).
3° - excusat se a diligentiori inquisitione (34; **121**).
B) Excludit obiectionem:
a) ponit obiectionem (35; **123**).
b) ponit modum solvendi (36; **124-125**)
c) manifestat positam solutionem (37; **126-127**).

TEXTUS DIONYSII

C. II, § 1. 31. — « Thearchicam totam essentiam, quodcumque est, per se bonitas determinans et manifestans ab eloquiis laudatur. Etenim quid aliud dicere est ex sancta Theologia, quando dicit Thearchiam ipsam narrantem dicere: " *Quid me interrogas de bono? Nullus bonus nisi solus Deus* ". Igitur, hoc quidem et in aliis inquisitum, a nobis est demonstratum *, omnes semper Deo convenientes Dei nominationes *, non particulariter, sed in tota et perfecta et integra et prima Deitate ab eloquiis laudari et omnes ipsas simpliciter, absolute et inobservate totaliter universae totalitati perfectae et omnis Deitatis apponi.

32. — Et quidem, sicut in Theologicis Hypotyposibus memoravimus, si non de tota Deitate dicat aliquis hoc dictum esse * et audet abscindere inconvenienter superunitam unitatem. Dicendum igitur quod et ipsum bonum natura Verbum dixit: " *Ego sum bonus* "; et quidem Deo acceptorum Prophetarum laudat Spiritum bonum;

et rursum: „ *Ego sum qui sum* ", si non de tota dixerit Deitate laudari, secundum autem unam partem ipsum circumscribere conentur, quomodo audient: " *Haec dicit qui est, qui erat, qui venturus est, omnipotens* "; et: " *Tu autem idem ipse es* "; et: " *Spiritus veritatis*, qui est, *qui a Patre procedit* "?

C. II. § *1. 31.* — [*636* C] *Τὴν θεαρχικὴν ὅλην ὕπαρξιν, ὅ τι ποτέ ἐστιν, ἡ αὐτοαγαθότης ἀφορίζουσα καὶ ἐκφαίνουσα πρὸς τῶν λογίων ὕμνηται. Καὶ τί γαρ ἄλλο μαθεῖν ἐστιν ἐκ τῆς ἱερᾶς θεολογίας ὁπόταν φησὶ τὴν θεαρχίαν αὐτὴν ὑφηγουμένην εἰπεῖν « τί με ἐρωτᾶς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; »* [1] *« οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ » μόνος « ὁ θεός »* [2]. *Τοῦτο μὲν οὖν καὶ ἐν ἄλλοις ἐξετασθὲν ἡμῖν ἀποδέδεικται * τὸ πάσας ἀεὶ τὰς θεοπρεπεῖς ἐπωνυμίας * οὐ μερικῶς ἀλλ' ἐπὶ τῆς ὅλης καὶ παντελοῦς καὶ ὁλοκλήρου καὶ πλήρους θεότητος ὑπὸ τῶν λογίων ὑμνεῖσθαι καὶ πάσας αὐτὰς ἀμερῶς ἁπλούστως ἀπαρατηρήτως ὁλικῶς ἁπάσῃ τῇ ὁλότητι τῆς ὁλοτελοῦς καὶ πάσης θεότητος ἀνατίθεσται.*

32. — Καὶ γοῦν ὡς ἐν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσιν ὑπεμνήσαμεν, εἰ μὴ περὶ τῆς ὅλης θεότητος φαίη τις [637 A] *τοῦτο εἰρῆσθαι*, καὶ ἀποσχίζειν ἀθέσμως τολμᾷ τὴν ὑπερηνωμένην ἑνάδα. Ῥητέον οὖν ὡς ἐπὶ πάσης θεότητος αὐτὸ ἐκληπτέον· καὶ γὰρ αὐτός τε ὁ ἀγαθοφυὴς ἔφη Λόγος· « ἐγὼ ἀγαθός εἰμι »* [3]· *καὶ τὶς τῶν θεολήπτων προφητῶν ὑμνεῖ τὸ « Πνεῦμα τὸ ἀγαθόν »* [4].

Καὶ αὖθις τὸ « Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν » [5] *εἰ μὴ καθ' ὅλης φήσουσι τῆς θεότητος ὑμνεῖσθαι καθ' ἓν δὲ μέρος αὐτὸ περιγράψαι βιάσαιντο, πῶς ἀκούσονται τοῦ « τάδε λέγει ὁ ὢν ὁ ἦν ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ »* [6] *καὶ « Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ »* [7] *καὶ « τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας » τὸ ὄν « ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται »* [8];

1) MAT. 19, 17.
2) MARC. 10, 18; LUC. 18, 19.
3) MAT. 20, 15.
4) *Psal.* 142, 10... *τὸ ἅγιον*, al. codd. *ἀγαθόν*.
5) *Exod.* 3, 14.
6) *Apoc.* 1, 8, omissis *καί*.
7) *Psal.* 101, 28.
8) IOAN. 15, 26, nota additionem: *τὸ ὄν*, forsan ex *Exod* 3, 14.

Et si non totam Thearchiam dicunt esse vitam *, quomodo verum quod dixit sanctum Verbum: " *sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* "; et quod: " *Spiritus Sanctus est qui vivificat?* ".

Quoniam autem et dominationem totorum habet tota Deitas, de deigena Deitate quidem aut Filiali neque dicere est, sicut arbitror, in quot locis Theologiae in Patre et Filio frequentatur Dominus; sed et " *Dominus Spiritus Sanctus est* ";

et pulchrum et sapiens in tota Deitate laudatur, et lumen et deificum et causa; et omnia quaecumque totius Thearchiae sunt, ad omnem reducunt eloquia thearchicam laudationem: comprehensive quidem, sicut quando " *omnia* " dicunt " *ex Deo* "; diffusive autem, sicut quando dicunt: " *Omnia per ipsum et in ipso * facta sunt* ", " *et omnia in ipso consistunt* "; et: " *emitte Spiritum tuum et creabuntur* ".

33. — Et, ut summatim dicat aliquis' ipsum thearchicum dixit Verbum: " *Ego et Pater unum sumus* "; et: " *cuncta quaecumque habet Pater, mea sunt* "; et: " *cuncta mea tua sunt et tua, mea* ";

et rursum, quaecumque sunt Patris ipsius, thearchico Spiritui communicative et unitive attribuit, divinas operationes, honorem, fontanam et indeficientem causam et distributionem benignorum donorum.

Et nullum in divinis eloquiis, non perversis intentionibus conversatorum, arbitror, ad haec contradicere, quoniam Deo convenientia omnia toti Thearchiae insunt secundum perfectum in Deo verbum.

34. — Igitur istis a nobis, breviter quidem in his et particulariter, in aliis autem sufficienter ex eloquiis demonstratis et determinatis, quamcumque Dei nominationem totaliter reservare conemur, in tota Deitate ipsam recipere convenit.

§ 2. 35. — Si autem quis dicat, confusionem nos inducere in isto contra divisionem Deo convenientem, talem sermonem nos non arbitramur ipsum persuadere sufficientem quod est verus *.

36. — Si enim aliquis quidem est qui totaliter eloquiis resistat, longe omnino erit et a nostra philosophia et si non ipsi cura est Dei venerationis * ex eloquiis, quomodo nobis cura sit illius manuductionis ad theologicam scientiam?

Si autem ad eloquiorum veritatem respicit, hoc et nos canone et lumine utentes, ad excusationem *, sicut possumus, indecli-

*Καὶ εἰ μὴ ὅλην εἶναί φασι τὴν ζωαρχίαν * πῶς ἀληθὴς ὁ φήσας ἱερὸς λόγος « ὥσπερ ὁ Πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ οὕτως καὶ ὁ Υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ »* [1] *καὶ ὅτι « τὸ Πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν »* [2];

Ὅτι δὲ καὶ τὴν κυρείαν ἔχει τῶν ὅλων [B] *ἡ ὅλη θεότης περὶ μὲν τῆς θεογόνου θεότητος ἢ τῆς υἱικῆς, οὐδὲ εἰπεῖν ἐστιν ὡς οἶμαι, ποσαχῇ τῆς θεολογίας ἐπὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ διαθρυλλεῖται τὸ κύριος· ἀλλὰ καὶ « κύριος τὸ Πνεῦμά ἐστι »* [3].

Καὶ τὸ καλὸν δὲ καὶ τὸ σοφὸν ἐπὶ τῆς ὅλης θεότητος ὑμνεῖται καὶ τὸ φῶς καὶ τὸ θεοποιὸν καὶ τὸ αἴτιον καὶ πάντα ὅσα τῆς ὅλης θεαρχίας ἐστιν εἰς πᾶσαν ἀνάγει τὰ λόγια τὴν θεαρχικὴν ὑμνῳδίαν· περιληπτικῶς μὲν ὡς ὅταν λέγῃ « τὰ πάντα ἐκ τοῦ θεοῦ » [4]· *διεξοδικῶς δὲ ὡς ὅταν φαίῃ « τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν * ἔκτισται »* [5]· *« καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε »* [6] *καὶ « ἐξαποστελεῖς τὸ Πνεῦμά σου καὶ κτισθήσονται »* [7].

33. — Καί, ἵνα συλλήβδην φαίη τις, αὐτὸς ὁ θεαρχικὸς ἔφη Λόγος « Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἐσμεν » [8], *καὶ « πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστι »* [9] *καὶ « Πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστι καὶ τὰ* [C] *σὰ ἐμά »* [10].

Καὶ αὖθις ὅσα ἐστὶ τοῦ Πατρὸς καὶ αὐτοῦ τῷ θεαρχικῷ Πνεύματι κοινωνικῶς καὶ ἡνωμένος ἀνατίθεσι τὰς θεουργίας τὸ σέβας τὴν πηγαίαν καὶ ἀνέκλειπτον αἰτίαν καὶ διανομὴν τῶν ἀγαθοπρεπῶν δώρων.

Καὶ οὐδένα τῶν ἐν τοῖς θείοις λογίοις ἀδιαστρόφοις ἐννοίαις ἐντεθραμμένον, οἶμαι πρὸς τοῦτο ἀντερεῖν ὅτι τὰ θεοπρεπῆ πάντα τῇ ὅλῃ θεαρχίᾳ πρόσεστι κατὰ τὸν θεοτελῆ λόγον.

34. — Τούτων οὖν ἡμῖν βραχέως μὲν ἐν τούτοις καὶ μερικῶς, ἐν ἄλλοις δὲ ἱκανῶς ἐκ τῶν λογίων ἀποδεδειγμένων τε καὶ διωρισμένων ὁποίαν ἀναπτύξαι θεωνυμίαν ὁλικὴν ἐγχειρήσομεν ἐπὶ τῆς ὅλης αὐτὴν θεότητος ἐκληπτέον.

§ 2, 35. — [D] *Εἰ δέ τις φαίη σύγχυσιν ἡμᾶς ἐν τούτῳ κατὰ τῆς θεοπρεποῦς διαιρέσεως εἰσάγειν, τὸν τοιόνδε λόγον* [*640* A] *ἡμεῖς οὔτε αὐτὸν οἰόμεθα πείθειν ἱκανόν, ὡς ἔστιν ἀληθές *.*

*36. — Εἰ μὲν γὰρ ἐστί τις ὅλως ὁ τοῖς λογίοις ἀνανιστάμενος πόῤῥω που πάντως ἔσται καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίας καὶ εἰ μὴ τῆς ἐκ τῶν λογίων αὐτῷ θεοσοφίας * μέλει, πῶς ἂν ἡμῖν μελλήσει τῆς ἐπὶ τὴν θεολογικὴν ἐπιστήμην αὐτοῦ χειραγωγίας;*

*Εἰ δὲ εἰς τὴν τῶν λογίων ἀλήθειαν ἀποσκοπεῖ, τούτῳ καὶ ἡμεῖς κανόνι καὶ φωτὶ χρώμενοι πρὸς τὴν ἀπολογίαν *, ὡς οἷοί τέ*

1) IOAN. 5, 21.
2) IOAN. 6, 64.
3) II *Cor.* 3, 17.
4) I *Cor.* 11, 12.
5) *Colos.* 1, 16.
6) *Colos.* 1, 17.
7) *Psal.* 103, 30.
8) IOAN. 10, 30.
9) IOAN, 16, 15.
10) IOAN. 17, 10.

nabiliter vadimus, dicentes quod Theologia quaedam quidem tradit unitive, quaedam autem discretive; et neque unita licet dividere, neque discreta confundere, sed sequentes ipsam, secundum virtutem ad divinos splendores convenit respicere; etenim inde divinas manifestationes assumentes, sicut quemdam canonem veritatis optimum, ibi posita custodire in nobis ipsis non multiplicata et non minorata et non perversa studemus, in sanctorum custodia custoditi et ab ipsis ad custodiendum custodientes ipsas confirmati.

§ 3. 37. — Igitur unita quidem totius Deitatis sunt, sicut in Theologicis Hypotyposibus per plura ex eloquiis demonstravimus, superbonum, superdeum, supersubstantiale, supervivens, supersapiens et quaecumque excedentis sunt remotionis; cum quibus et causalia omnia, bonum, pulchrum, existens, vitae generativum, sapiens et quaecumque ex benignis ipsius donis omnium bonorum Causa nominantur.

Discreta autem, Patris supersubstantiale nomen et usus et Filii et Spiritus, nulla in istis conversione aut totaliter communione superinducta.

Est autem rursus cum hoc discretum, secundum nos Iesu perfecta et invariabilis essentia *, et quaecumque secundum ipsam sunt benignitatis substantialia mysteria »:

ἐσμεν, ἀκλινῶς βαδιούμεθα φάσκοντες ὡς ἡ θεολογία τὰ μὲν ἡνωμένως παραδίδωσι τὰ δὲ διακεκριμένως καὶ οὔτε τὰ ἡνωμένα διαιρεῖν θεμιτὸν οὔτε τὰ διακεκριμένα συγχεῖν· ἀλλ' ἑπομένους αὐτῇ κατὰ δύναμιν, ἐπὶ τὰς θείας μαρμαρυγὰς ἀνανεύειν· καὶ γὰρ ἐκεῖθεν τὰς θείας ἐκφαντορίας παραλαβόντες ὥσπερ τινα κανόνα κάλλιστον ἀληθείας τὰ ἐκεῖ κείμενα φρουρεῖν ἐν ἑαυτοῖς ἀπλήθυντα καὶ ἀμείω[Β]τα καὶ ἀπαράτρεπτα σπεύδομεν ἐν τῇ φρουρᾷ τῶν λογίων φρουρούμενοι καὶ πρὸς αὐτῶν εἰς τὸ φρουροῦντας αὐτὰ φρουρεῖσθαι δυναμούμενοι

§ 3. 37. — Τὰ μὲν οὖν ἡνωμένα τῆς ὅλης θεότητός ἐστιν, ὡς ἐν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι διὰ πλείονων ἐκ τῶν λογίων ἀπεδείξαμεν, τὸ ὑπεράγαθον τὸ ὑπέρθεον τὸ ὑπερούσιον τὸ ὑπέρζωον τὸ ὑπέρσοφον καὶ ὅσα τῆς ὑπεροχικῆς ἐστιν ἀφαιρέσεως· μεθ' ὧν καὶ τὰ αἰτιολογικὰ πάντα τὸ ἀγαθὸν τὸ καλὸν τὸ ὄν τὸ ζωογόνον τὸ σοφὸν καὶ ὅσα ἐκ ἀγαθοπρεπῶς αὐτῆς δωρεῶν ἢ πάντων ἀγαθῶν αἰτία κατονομάζεται.

Τὰ δὲ διακεκριμένα τὸ Πατρὸς ὑπερούσιον ὄνομα καὶ χρῆμα, τοῦ Υἱοῦ καὶ Πνεύματος, οὐδεμιᾶς [C] ἐν τούτοις ἀντιστροφῆς ἢ ὅλως κοινότητος ἐπεισαγομένης.

Ἔστι δὲ αὖθις πρὸς τούτῳ διακεκριμένον ἡ καθ' ἡμᾶς Ἰησοῦ παντελὴς καὶ ἀναλλοίωτος ὕπαρξις καὶ ὅσα τῆς κατ' αὐτὴν ἐστι φιλανθρωπίας οὐσιώδη μυστήρια.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

108. — Postquam Dionysius, in praecedenti capitulo, tradidit modum procedendi in opere et rationem divinorum Nominum, in hoc IIo cap. intendit ostendere quod divina Nomina, de quibus in hoc libro agitur, communia sunt toti Trinitati; et ideo capitulum istud intitulatur *de unita et discreta Theologia*, quia in hoc capitulo traditur quae dicantur communiter de tota Trinitate et quae de distinctis Personis. Et traditur etiam in eodem capitulo, quae sit ratio communitatis et distinctionis in divinis, quod ad secundam partem tituli pertinet, cum dicit: *et quae est divina unitio et discretio.*

109. — Dividitur autem istud capitulum in duas partes: in prima ostendit quae dicantur communiter et quae distinctim in Trinitate; in secunda assignat rationem communitatis et distinctionis; ibi [38]: *Oportet....* [lectio 2].

110. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quod Nomina divina, de quibus in hoc libro agendum est, in tota Trinitate accipienda sunt; in secunda, removet obiectionem in contrarium factam; ibi [35]: *Si autem...*

111. — Circa primum, tria facit: primo, ponit veritatem intentam; secundo, probat eam; ibi [32]: *Et quidem...*; tertio, excusat se a diligentiori probatione; ibi [34]: *Igitur istis...*

112. — Dicit ergo, primo, quod *per se bonitas laudatur ab eloquiis*, idest sacris Scripturis, sicut *determinans*, idest distinguens ab aliis *et manifestans totam* divinam *essentiam, quodcumque est*, quia cuicumque convenit divina essentia, convenit ei per se bonitatem esse et e converso. Et hoc probat per hoc quod in sancta Scriptura inducitur ipsa Divinitas, in persona Filii, dicens: « *Quid me interrogas de bono? Nullus bonus nisi solus Deus* » ut habetur Luc. 18 [19]; quod intelligendum est de bonitate per se. Et quia ita est de nomine bonitatis, *igitur et in aliis* libris post inquisitionem *demonstratum est a nobis*, quod omnia nomina Deo convenientia, laudantur in sacris Scripturis, *non particulariter*, quasi uni soli perfecte convenientia, *sed in* Trinitatis *tota et perfecta et integra et prima Deitate.*

113. — Totum autem hic non accipitur secundum quod ex partibus componitur,

sic enim Deitati congruere non posset, utpote Eius simplicitati repugnans, sed prout secundum Platonicos totalitas quaedam dicitur ante partes, quae est ante totalitatem quae est ex partibus; utpote si dicamus quod domus, quae est in materia, est totum ex partibus et quae praeexistit in arte aedificatoris, est totum ante partes. Et in hunc modum tota rerum universitas, quae est sicut totum ex partibus, praeexistit sicut in primordiali causa in ipsa Deitate; ut sic, ipsa Deitas Patris et Filii et Spiritus Sancti, dicatur tota, quasi praehabens in se universa.

114. — *Perfecta*, non est accipiendum secundum modum significationis vocabuli, quo perfectum dicitur quasi complete factum, sicut perambulasse nos dicimus, quando ambulationem complevimus; unde quod non est factum, non potest secundum hanc rationem dici perfectum; sed quia res quae fiunt, tunc ad finem suae perfectionis perveniunt, quando consequuntur naturam et virtutem propriae speciei, inde est quod hoc nomen perfectum assumptum est ad significandum omnem rem quae attingit propriam virtutem et naturam. Et hoc modo Divinitas dicitur perfecta, inquantum maxime est in sua natura et virtute.

115. — Integrum autem et perfectum idem videntur esse; differunt tamen ratione: nam perfectum videtur dici aliquid in attingendo ad propriam naturam, integrum autem per remotionem diminutionis, sicut dicimus aliquem hominem non esse integrum, si postquam attigit propriam naturam, aliquo membro mutiletur. Et quia a Deitate Trinitatis nihil subtrahi potest, ad hoc significandum addidit: *integra.*

116. — *Prima* autem ad significandum quod Deitas trium personarum non est Deitas participata; primum enim dicitur quod est imparticipatum, sicut per se Deitas et per se Bonitas. Et videntur esse posita ad excludendum errorem Origenis et Arii, qui posuerunt Deitatem Filii esse participatam.

117. — Et ut ostendat quod Dei nomina non solum communiter dicuntur de tribus personis, sed aequaliter et eodem modo, subiungit quod et *demonstratum est omnes* praedictas *nominationes apponi*, idest attribui, *simpliciter, absolute et* inobservatim *totaliter, universae totalitati perfectae et omnis*, idest totius *Deitatis;* ut quod dicit: *universae*, referatur ad numerum personarum, alia vero ad perfectionem essentiae; et hoc: *simpliciter*, quod respondet ei quod dixerat: *prima;* nam ea quae sunt imparticipata dicuntur simpliciter, ea vero quae sunt participata bona particulariter dicuntur, secundum Augustinum: « *tolle hoc et illud et videbis bonum omnis boni* » [1]); *absolute*, quod respondet ei quod dixerat: *integra;* nam ea quae sunt corrupta non possunt absolute nominari, sicut homo mortuus non dicitur absolute homo; inobservatim *totaliter*, idest absque reliqua observantia distinctionis, quod respondet ei quod dixit: *perfecta;* nisi enim esset perfecta Deitas in qualibet personarum, oporteret observare qualiter aliquid diceretur de una et qualiter de alia.

118. — Deinde, cum dicit [32]: *Et quidem...*, probat quod supposuerat; et primo: specialiter dicitur de quibusdam nominibus; secundo: de omnibus; ibi [33]: *Et ut summatim...*

119. — Dicit ergo, primo, quod, *sicut* commemoratum est *in* libro de *Theologicis Hypotyposibus, si aliquis dicat hoc* quod dictum est: « *nullus bonus nisi solus Deus* » *non esse dictum de tota Deitate*, idest de omnibus personis et per hoc praesumat errorem, dividere audens *unitatem* unitatis divinae, *dicendum* est contra eum *quod et ipsum Verbum*, idest Dei Filius, tamquam naturaliter bonitatem habens dixit Ioan. 10 [11]: « *Ego sum Pastor bonus* », et in Psalmis dicitur, nempe Psalm. 142 [10]: « *Spiritus tuus bonus* ». Et similiter si aliquis hoc quod dicitur, Exod. 3 [14]: « *Ego sum qui sum* » *non dixerit laudari de tota* Trinitate, idest de omnibus personis, sed de una tantum, quomodo accipiet hoc quod dicitur Apoc. 1 [8] de Filio: « *Haec dicit qui est et qui erat et qui venturus est* omnipotens »; et quod introducit Apostolus de Filio, Hebr. 1 [12]: « *Tu autem idem ipse es* »; et de Spiritu Sancto, Ioan. 15 [26]: « *Spiritus veritatis* qui est, *qui a Patre procedit* », licet littera nostra non habeat: « *qui est* ». Et similiter si aliquis dicat quod non tota Divinitas est vita, quomodo verum est quod Dei Filius dixit, Ioan. 5 [21]: « *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* » et ibid. 6 [24]: « *Spiritus est qui vivificat* » Et quod *tota Deitas* habeat omnium *dominationem*, non posset dici *in quot locis* sacrae Scripturae *frequentatur* hoc nomen *Dominus* de *Patre et Filio*, et hoc ut loquamur de *deigena Deitate* Patris *aut filiali* Filii. Sed et Spiritus Dominus est, ut dicitur II Corinth.

[1]) Cfr. *de Trinitate* lib. VIII. cap. 3: « ...bonum hoc et bonum illud, *tolle hoc et illud et* vide ipsum bonum, si potes; ita Deum *videbis* non alio bono bonum sed *bonum omnis boni* » (Opp. t. VIII, Parisiis 1694, col. 867 G; ML 42, 949); v. *Sum. Theol.* I, q. 6, a. 4, 1a).

3 [17]. Et similiter *pulchrum et sapiens*, in omnibus personis Deitatis, *laudatur et lumen et deificum et causa et omnia quaecumque sunt totius* Deitatis, sacra eloquia deducunt ad omnem laudationem divinam, quandoque quidem simul comprehendendo quod convenit omnibus personis, ut cum dicitur [II Cor. 5, 18]: « *omnia* » sunt « ex Deo »; quandoque autem distinctius de una persona, sicut cum dicitur de Filio Col. 1, [16-17]: « *Omnia per ipsum et in ipso facta sunt* » « *et... in ipso consistunt* »; et in Psalmis (Psalm. 103 [30]: « *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* ».

120. — Deinde, cum dicit [33]: *Et ut summatim...* ostendit propositum communiter de omnibus Dei nominibus, dicens quod, ut in summa dicatur de omnibus Dei nominibus, *ipsum* Dei *Verbum dixit*, Ioan. 10 [30]: « *Ego et Pater unum sumus* », per quod ostenditur quod quaecumque dicuntur de Filio et de Patre dicuntur; et Ioan. 16 [15]: « *et cuncta quae habet Pater mea sunt* »; et similiter *quaecumque sunt Patris* et Filii, sacra Scriptura *attribuit* communiter et unite divino *Spiritui: divinas operationes, honorem* divinum, *fontanam et indeficientem causam et distributionem benignorum donorum.* Et haec omnia habentur I Corinth. 12 [11]: « *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus* ». Et haec adeo vera sunt quod *nullum* assuetum *in divinis eloquiis*, qui non habeat corruptam intentionem in eis, *arbitror ad haec contradicere*, quod scilicet omnia nomina Deo convenientia insunt toti Deitati, secundum perfectum modum loquendi de Deo.

121. — Deinde, cum dicit [34]: *Igitur istis...* excusat se a diligentiori inquisitione praedictorum; et dicit quod ista *breviter et particulariter* hic sunt determinata ex sacris Scripturis, sed in alio libro sufficientius. Unde *quamcumque Dei nominationem* conabimur exponere in praesenti opere, oportet ipsum nomen recipi *in tota Deitate*, idest in omnibus personis; et ad hoc inducitur totum praesens capitulum.

122. — Deinde, cum dicit [35]: *Si autem quis...* excludit obiectionem; et primo, ponit obiectionem; secundo, modum solvendi; ibi [36]: *Si enim aliquis...*

123. — Posset autem aliquis obiicere quod per hoc quod omnia nomina quae dicuntur de Patre, attribuuntur Filio et Spiritui Sancto, tollitur omnino distinctio personarum et inducitur confusio in divinis personis, quae Deo non convenit. Sed ipse dicit quod si quis hoc obiiciat non est arbitrandum quod sermo eius sufficiens sit ad persuadendum quod verum dicat; non enim per hoc tollitur distinctio personarum.

124. — Deinde, cum dicit [36]: *Si enim aliquis...* ponit modum solvendi, dicens, quod si ille qui sic obiicit, *totaliter* contradicit sacris Scripturis, talis omnino elongatus est *a nostra* Sapientia. Non enim ad Theologum pertinet probare ea quae sunt fidei ei qui Scripturas non recipit, cum fides sit supra rationem. Unde si ipse non habet curam ut veneretur divina eloquia, *quomodo nobis* potest esse *cura* ut manuducamus eum *ad* divinam *scientiam*? Quia in scientiis philosophicis ita est quod nullus sapiens disputat contra negantem principia suae artis.

125. — Sed si aliquis sic obiiciens velit respicere *ad veritatem* sacrorum *Eloquiorum*, nos, utentes sacra Scriptura quasi quadam regula *et lumine* manifestante veritatem, procedimus, non declinantes a sacra Scriptura, ad excusandum nos a praedicta obiectione et dicimus quod sacra Scriptura *quaedam tradit* communiter de tribus Personis, *quaedam* distinctius *et neque* ea quae sunt communia *licet* distinguere, *neque* ea quae sunt distincta *confundere; sed*, sequendo sacram Scripturam, *secundum* nostrum posse, *convenit* nos *respicere ad* divinas veritates. Quia nos, a sacra Scriptura recipientes manifestationem Dei, ea quae in sacra Scriptura sunt posita, oportet nos *custodire* sicut quamdam optimam regulam Veritatis, ita quod neque multiplicemus, addentes; neque minoremus, subtrahentes; neque pervertamus, male exponentes; quia dum nos custodimus sancta ab ipsis custodimur *et ab ipsis* confirmamur *ad custodiendum* eos qui custodiunt sancta. Oportet enim non solum conservare ea quae in sanctis Scripturis sunt tradita, sed et ea quae dicta sunt a sacris Doctoribus, qui sacram Scripturam illibatam conservaverunt.

126. — Deinde, cum dicit [37]: *Igitur unita...* manifestat positam solutionem quantum ad hoc quod dixit quod sacra Scriptura quaedam tradit de Trinitate unite et quaedam discrete; et dicit quod *unita totius Deitatis*, idest communia toti Trinitati, ut dictum est *in* libro de Divinis *Hypotyposibus* et probatur *per* multas auctoritates a sacris Scripturis acceptas, sunt duo genera nominum: primo quidem, ea quae dicuntur de Deo, remotive per excellentiam quamdam, ut *superbonum, supersubstantiale, supervivum, supersapiens et quaecumque* alia dicuntur de Deo per remotionem, propter sui excessum;

cum quibus, dico, connumeranda sunt *omnia* nomina *causalia*, idest quae designant Deum ut principium processionis perfectionum quae emanant ab Ipso in creaturas, scilicet: *bonum, pulchrum, existens, vitae generativum, sapiens et quaecumque* alia per quae *Causa omnium bonorum nominatur* ex dono suae bonitatis. Et ex hoc potest accipi regula magistralis quod omnia nomina designantia effectum in creaturas, pertinent ad divinam Essentiam.

127. — *Discreta autem* nomina, idest pertinentia distinctim ad tres Personas, sunt: *nomen Patris supersubstantiale* vel hypostaticum, idest personale *et usus* Patris, idest actus eius qui est generatio; *et* similiter nomen *Filii* et actus, qui est generari; *et* nomen *Spiritus* Sancti et actus eius qui est processio; ita quod, in talibus, *nulla* debet superinduci conversio, ut si diceretur quod Pater generat Filium et e converso; aut qualiscumque communio, ut si diceretur quod Pater et Filius generant aliquam aliam personam. Et similiter distinctim ad divinam personam pertinet mysterium Incarnationis, quia sola persona Filii est incarnata; et hoc est quod dicit quod *cum* praedictis *discretum est:* quia *perfecta et invariabilis essentia Jesu* secundum naturam Deitatis, est *secundum nos* per unitionem humanitatis; et *quaecumque* alia *substantialia*, idest personalia *mysteria* pertinent ad benignitatem Incarnationis.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 31, **112**: « *demonstratum est* », ita lego et in expositione, minime « demonstrandum est » ut quandoque in ed.

* « Deo-convenientes *Dei-nominationes* » (*θεωνυμίας*): Turturro, cui consentio, *ἐπωνυμίας* - « denominationes » restituit.

* ad n. 32: « hoc dictum esse », al. codd. add. *βλασφημεῖ* (« *blasphemat* et audet ») vel *βλασφημεῖν* (« *blasphemare* et abscindere... audet »). Ariani et maxime Aetius et Eunomius subintelliguntur qui divina regula (*θεσμός*) spreta (*ἀθεσμῶς*) *ex diversitate nominum* diversitatem hypostaticam, *divinam unitatem scindentes* inducere *audebant*, quod est blasphemare: additionem, ex glossa forsan derivatam, deleo.

* : « *totam Thearchiam dicunt esse vitam* ». Turturro restituit: *ξωαρχίαν*, « totam esse dicunt vitae principium »; notat autem *τὴν θεαρχικὴν ζωήν* (2ª var.) explicare *τὴν ζωαρχίαν*, inde vero aliter: *τὴν θεαρχίαν... ζωήν* (3ª var.); cfr. Maximum.

* « In ipso » - *εἰς αὐτόν*, « in ipsum » (causa finalis).

* ad n. 35: Turturro legit: *ἀληθές* et est sensus: « *talem rationem nos putamus nec ipsum* (qui hanc proponit) *idoneum* (esse) *ad persuadendum quod sit veritas* ». Quod valde notandum est.

* ad n. 36: « *Dei-venerationis; θεοσοφίας* = « divinae sapientiae » vel, si mavis, « theosophiae » (cfr. MTh. I, 1) in sensu antiquorum, quae nempe cognitionem quaerit *ad salutem consequendam spiritualem.*

* « Ad excusationem » *πρὸς τὴν ἀπολογίαν*, « *ad defensionem* ». Non dat simplicem responsionem, ut saepe saepius, sed firmiter doctrinam aliquam defendit. Quod iterum valde notandum est ad sinceritatem Dionysii asserendam.

* ad n. 37, **127**: in vers. legitur: « *essentia* » (quae est *οὐσία*) unde monophysitam quis facile iudicabit. Sed in textu habetur *ὕπαρξις* quae primo *existentiam* vel *subsistentiam* designat. Inde sinceritas rursus nobis manifestatur auctoris.

2ª Quoad theologiam unitam et discretam (37):

A) Primam notionem Theologiae unitae et Theologiae discretae, invenio apud Athenagoram qui in sua « *Legatione pro Christianis* » (c. a. 178) probat atheos non esse « asserentes Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum, monstrantes *eorum et in unione potentiam et in ordine discretionem* » (*τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν* - 10: MG. 6, 909 B). Christiani sunt qui desiderio ducuntur « cognoscendi verum Deum et Eius Verbum, quaenam sit Filii ad Patrem unitas, quaenam sit Patris ad Filium communio, quid Spiritus Sanctus, *quaenam sit tantorum unio et discretio unitorum* (*τίς ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις καὶ διαίρεσις ἑνουμένων*) Spiritus, Filii, Patris » (12: MG. 6, 913 C). « Deum dicimus et Filium Verbum Eius et Spiritum Sanctum *unitos secundum potentiam* (*ἑνούμενα μὲν κατὰ δύναμιν*) Patrem, Filium, Spiritum Sanctum » (24: MG. 6, 945 B), ubi D. Maran notam apponit: « Frustra Gesnerus legere mallet *τρία μὲν κατὰ δύναμιν, ἑνούμενα δὲ κατ'οὐσίαν. δύναμις* hoc loco idem est ac *οὐσία* et divinitas » (Iustini Opera ... necnon ... Athenagorae ... Parisiis 1742, pag. 302, nota d). Frustra quidem et periculose: non enim agitur de tribus (distinctis) secundum potentiam, dum Christiani monstrant eorum et in unione potentiam, ex *Rom.* 1, 20 et in ordine discretionem ex *Matth.* 28, 19. Inde effatum: *opera ad extra sunt communia toti Trinitati.*

B) Clemens Alexandrinus (*Strom.* VI, 14 - edit. Potter II, 797) loquitur de *superlativo* quod remanet cogitandum (*ὑπερθετικόν*...) et radix videtur omnium notionum quae formantur per eminentiam et exprimuntur per *super* —, ut habetur in serie hic notata: *ὑπεράγαθον, ὑπέρθεον, ὑπερούσιον, ὑπέρζωον, ὑπέρσοφον.* Tria quae posterius exprimuntur, declarat auctor n. 49, 56, altera dictio quae est *ὑπέρθεον* refertur ad *θέωσιν* et *θεοειδές* de quibus in n. 57, 75. Pulcherrima sunt quae ipse Clemens Alex. docet

tum in *Cohortatione ad Gentes* (I, edit. Potter I, 9; IX, ibid. 71; XI, ibid. 88) tum in *Paedagogo* dum loquitur *de vera pulchritudine* (III, 1, edit. Potter I, 251), tum in *Stromat.* passim. Ex *Stromat.* lib. VI, 14 haec noto maximi momenti: « Similitudo autem non est, ut quidam existimant, secundum figuram humanam, est enim impia haec consideratio; sed nec illa quae secundum virtutem ad primam Causam, est enim haec quoque impia prolatio eorum qui effutierunt eamdem esse virtutem hominis et omnipotentis Dei » [hic tangit opinionem Stoicorum - *Strom.* VII, 14, id. II, 886 - et simul excludit posteriorem doctrinam Neo-platonicorum, philosophicam vel theurgicam, Platonis dicta in Theaeteto XXV - 176 B - ad sua placita detorquentium]. « *Ad Dei ergo fit similitudinem* qui est *in filium adoptatus et in amicitiam Dei cooptatus* » (*Strom.* VI, 14; id. II, 798).

Tali modo efficaciter respondetur desiderio expresso in Theaeteto, sub nova luce contemplatur natura hominis, nova perfectio humana actuatur per gratiam Christi. « Est enim intelligens Verbum Dei, iuxta quod mentis descriptio per visionem est in solo homine (*καθ'ὃν ὁ τοῦ νοῦ εἰκονισμὸς ὁράσει μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ*) in quantum et deiformis et Deo-similis (*θεοειδὴς καὶ θεοείκελος*) fit secundum animam vir bonus... » (*Strom.* VI, 9; id. II, 776).

C) Doctrina Dionysii circa ea quae opponuntur relative « *nulla in istis conversione aut totaliter communione superinducta* » melius intelligitur si opinionem quamdam prae oculis habeamus, cuius meminit Basilius: « Nam si quae circumferunt Sebasteni ficta non sunt ab inimicis (innuit discipulos Eustathii?), sed vere ipsius (*Apolinaris*) scripta sunt, nullum impietatis superandae locum reliquit, *eumdem dicens Patrem et Filium et Spiritum* » (Basilii, *Epist.* 265, n. 2, Eulogio, Alexandro et Harpocrationi Aegypti episcopis exulibus. Opp. III, 409 D). Quae tunc circumferebantur cognoscimus ex epist. 129, n. 1 anno 373 scripta. Meletio episcopo Antiochiae « Quare ubique coniuncte, magis vero *unite alietati intelligere necesse est primam identitatem; secundam et tertiam eamdem dicentes.*

« Quod enim primo est Pater, hoc est secundo Filius et tertio Spiritus Sanctus. Rursus autem quod primo est Spiritus, hoc secundo Filius quatenus etiam Dominus est Spiritus et tertio Pater quatenus videlicet Spiritus est Deus.

« Et ut violentius significetur res non enarrabilis, *Pater paterne Filius est, Filius vero filialiter Pater.* Atque *similiter de Spiritu,* quatenus sane unus Deus Trinitas est » (Opp. III, 220 CD). Haec inveniuntur etiam in quadam epistola quae circumferebatur tamquam a Basilio scripta ipsi Apolinari (v. F. Loofs, *Eustathius von Sebaste und die Chronologie der Basilius-Briefe,* Halle 1898, pag. 72-73 in nota).

LECTIO II (5ª)

Qualis sit unitio et discretio in divinis.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. II; textus nn. 38-48; expositio nn. 128-156).

Intendit exponere, secundum quod possibile est, qualis sit unitio et discretio in divinis, idest aliquid commune toti Trinitati et aliquid distinctum ad Personas pertinens:

A) tradit modum secundum quem exponere intendit (38; **130**),

B) illum modum exponit:

I° - Quantum pertinet ad Deitatem:
- a) exponit duos modos unitionis et discretionis:
  - α) exponit communem modum unitionis - Primum Principium secundum quod est in se (39; **134-135**)
  - β) exponit communem modum discretionis - Processiones (40; **136**)
- b) subdit utrumque:
  - I ponit subdivisionem (41; **138**),
  - II exponit eam:
    - j° - ostendit quomodo in praedicto modo unitionis communi, sit quaedam unitio et discretio:
      - α) quomodo sit propria unitio - Superexcellens Dei Essentia in seipso, secundum essentiam (42; **141-142**),
      - β) quomodo sit discretio - Superexcellens Dei Essentia in seipso, secundum quod una Persona est in alia:
        - I ponit quod intendit (43; **145**)
        - II manifestat per exemplum:
          - j° ponit exemplum sensibile (44; **147**)
          - ij ostendit quod ibi sit unitio (45; **148**)
          - iij quod in eo sit discretio (46; **149-151**)
        - III ostendit exemplum esse deficiens a tantae rei repraesentatione (47, **152**)
    - ij° - exponit quomodo in communi modo discretionis supra signatae, invenitur et discretio et unitio:
      - a) exponit quomodo aliqua discretio pertinet ad discretionem Personarum - Processio secundum quam aliqua Persona procedit ab alia (48; **153-155**)
      - b) quomodo aliqua discretio pertineat ad Essentiae unitatem - Processio secundum quam creatura procedit a Deo (lectio 3ª, 49-52)

II° - Quantum pertinet ad Humanitatem Christi (lectio 3ª, 53)

TEXTUS DIONYSII

§ 4. 38.— « Oportet autem, ut arbitror, magis resumentes, nos perfectum divinae unitionis et discretionis exponere modum, ut nobis conspicuus omnis fiat sermo: varium quidem omne et non planum respuens, discrete autem et plane et ordinate, propria secundum virtutem terminans.

39. — Vocant enim, quod et in aliis dixi, nostrae theologicae traditionis sancti magistri, unitiones quidem divinas quae sunt superineffabilis et superignotae singularitatis occultas et inegressibiles supercollocationes;

§ 4. 38. — [*640* D] *Χρὴ δέ, ὡς οἶμαι, μᾶλλον ἀναλαβόντας ἡμᾶς τὸν παντελῆ τῆς θείας ἑνώσεώς τε καὶ διακρίσεως ἐκθέσθαι τρόπον, ὅπως ἂν ἡμῖν εὐσύνοπτος ὁ πᾶς ἐγγένηται λόγος τὸ μὲν ποικίλον ἅπαν καὶ ἀσαφὲς ἀπαναινόμενος, εὐδιακρίτως δὲ καὶ σαφῶς καὶ εὐτάκτως τὰ οἰκεῖα κατὰ δύναμιν ὁροθετῶν.*

39. — Καλοῦσι γάρ, ὅπερ καὶ ἐν ἑτέροις ἔφην, οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς θεολογικῆς παραδόσεως ἱερομύσται τὰς μὲν ἑνώσεις τὰς θείας τὰς τῆς ὑπεραρρήτου καὶ ὑπεραγνώστου μονιμότητος κρυφίας καὶ ἀνεκφοιτήτους ὑπεριδρύσεις,

40. — discretiones autem bono convenientes, Thearchiae et processiones et manifestationes.

41. — Et dicunt, sancta eloquia sequentes, et dictae unitionis proprias * et rursus discretionis quasdam esse proprias et discretiones et unitiones.

42. — Sicut in unitione divina, idest supersubstantialitate, unitum quidem est principali Trinitati et commune, supersubstantialis essentia, superdea Divinitas, superbona bonitas, quae est super omnia identitas totalis proprietatis existentis super omnia, super principatum unitas; ineffabile, multi luminis * ignorantia, perfecte non intelligibile *, omnium positio, omnium ablatio, quod est super omnem positionem et ablationem;

43. — mansio principalium personarum in se invicem, si ita oportet dicere, et collocatio totaliter superunita.

44. — Quemadmodum lumina luminarium, ut sensibilibus et propriis utar exemplis, existentia in domo una et tota in se invicem totis sunt, et diligentem habent ad se invicem discretionem proprie subsistentem, unita discretione et unitione discreta.

45. — Et quidem videmus, in domo multis existentibus luminaribus, ad unum quoddam lumen unita omnium lumina et una claritate indiscreta resplendentia et nullus, ut arbitror, posset huius luminaris lumen ab aliis ex aëre omnia lumina continenti discernere et videre unum sine altero, totis in totis sine mixtione concretis.

46. — Sed etiam si unum aliquis luminarium educat a domo, coegredietur et proprium universum lumen, nihil aliorum luminum coavellens in seipso aut sui ipsius aliis derelinquens. Erat enim ipsorum, quod dixi, totorum ad tota perfecta unitio, non mixta universaliter et nulla parte confusa.

47. — Et haec totaliter in corpore aëre et ex materiali igne pendente lumine.

Ibi autem supersubstantialem unitionem collocari dicimus, non super solas unitiones quae sunt in corpore, sed et super illas quae sunt in animabus ipsis et in ipsis mentibus, quas habent non mixte et supermundane, tota per tota deiformia et supercoelestia lumina, secundum participationem unitionis ab omnibus supersegregatae * proportionalem participantibus.

§ 5. 48. — Est autem et discretio in supersubstantialibus Theologiis, non quam dixi tantum quod secundum ipsam unitionem immixte et inconfuse collocatur una-

40. — τὰς διακρίσεις δὲ τὰς ἀγαθοπρεπεῖς τῆς θεαρχίας προόδους τε καὶ ἐκφάνσεις,

*41. — καί φασι, τοῖς ἱεροῖς λογίοις ἑπόμενοι [641 A] καὶ τῆς εἰρημένης ἑνώσεως ἴδια * καὶ αὖθις τῆς διακρίσεως εἶναί τινας ἰδικὰς καὶ ἑνώσεις καὶ διακρίσεις.*

42. Οἱονεὶ ἐπὶ τῆς ἑνώσεως τῆς θείας ἤτοι τῆς ὑπερουσιότητος, ἡνωμένον μέν ἐστι τῇ ἑναρχικῇ Τριάδι καὶ κοινὸν ἡ ὑπερούσιος ὕπαρξις, ἡ ὑπέρθεος θεότης, ἡ ὑπεράγαθος ἀγαθότης, ἡ πάντων ἐπέκεινα τῆς ἐπέκεινα ὅλης ἰδιότητος ταὐτότης, ἡ ὑπὲρ ἑναρχίαν ἑνότης, τὸ ἄφθεγκτον, τὸ πολύφωνον, ἡ ἀγνωσία, τὸ παννόητον *, ἡ πάντων θέσις, ἡ πάντων ἀφαίρεσις, τὸ ὑπὲρ πᾶσαν καὶ θέσιν καὶ ἀφαίρεσιν,*

43. — ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἑναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ καὶ ἵδρυσις ὁλικῶς ὑπερηνωμένη καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη

44. — καθάπερ φῶτα λαμπτήρων — ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν — ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνὶ καὶ ὅλα ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἐστὶν ἀκραιφνῆ καὶ ἀκριβῆ τὴν ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει [B] διάκρισιν ἡνωμένα τῇ διακρίσει καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα.

45. — Καὶ γοῦν ὁρῶμεν ἐν οἴκῳ πολλῶν ἐνόντων λαμπτήρων πρὸς ἕν τι φῶς ἑνούμενα τὰ πάντων φῶτα καὶ μίαν αἴγλην ἀδιάκριτον ἀναλάμποντα, καὶ οὐκ ἄν τις, ὡς οἶμαι, δύναιτο τοῦδε τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐκ τοῦ πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρου θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων.

46. — Ἀλλὰ καὶ εἰ τὸν ἕνα τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου συνεξελεύσεται καὶ τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς οὐδέν τι τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεπισπώμενον ἢ τοῦ ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον· ἦν [C] γὰρ αὐτῶν, ὅπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου, καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη,

*47. — καὶ ταῦτα ὄντως ἐν σώματι τῷ ἀέρι καὶ ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτός. Ὅπου γε καὶ τὴν ὑπερούσιον ἕνωσιν ὑπεριδρῦσθαί φαμεν, οὐ τῶν ἐν σώμασι μόνων ἑνώσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς αὐταῖς καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις ἃς ἔχουσιν ἀμιγῶς καὶ ὑπερκοσμίως δι' ὅλων ὅλα τὰ θεοειδῆ καὶ ὑπερουράνια φῶτα κατὰ μέθεξιν ἀνάλογον τοῖς μετέχουσι τῆς πάντων ὑπερηρμένης * ἑνώσεως.*

§ 5. 48. — [641 D] Ἔστι δὲ καὶ διάκρισις ἐν ταῖς ὑπερουσίοις θεολογίαις, οὐχ ἣν ἔφην μόνον ὅτι κατ' αὐτὴν τὴν ἕνωσιν ἀμιγῶς ἵδρυται καὶ ἀσυγχύτως ἑκάστη τῶν ἑναρχικῶν ὑποστά-

quaeque principalium personarum, sed quod et ea quae sunt supersubstantialis Dei fecunditatis, non convertuntur ad se invicem: solus autem fons supersubstantialis Deitatis est Pater, nec Filius est Pater, nec Pater est Filius, custodientibus hymnis propria religione unicuique thearchicarum personarum.

Istae quidem sunt, secundum ineffabilem et unitionem et essentiam, et unitiones et discretiones ».

σεων· ἀλλ' ὅτι καὶ τὰ τῆς ὑπερουσίου θεογονίας οὐκ ἀντιστρέφει πρὸς ἄλληλα. Μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ Πατήρ, οὐκ ὄντος Υἱοῦ τοῦ Πατρὸς οὐδὲ Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ, φυλαττόντων δὲ τὰ οἰκεῖα τῶν ὕμνων εὐαγῶς ἑκάστῃ τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων.

Αὗται μὲν αἱ κατὰ τὴν ἄφθεγκτον ἕνωσίν τε καὶ ὕπαρξιν, ἑνώσεις τε καὶ διακρίσεις.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

128. — Quia in solutione obiectionis supra positae [36; **124 - 125**] dixerat quod Theologia de Divinis Personis quaedam tradit unitive et quaedam discretive, intendit hic exponere qualis sit unitio et discretio in divinis; et primo, exponit secundum quod possibile est; secundo, dicit quod non potest totaliter et perfecte a nobis exponi; ibi [54]: *Sed harum...* [lectio 4ª].

129. — Circa primum duo facit: primo, tradit modum secundum quem exponere intendit; secundo, secundum illum modum exponit; ibi [39]: *Vocant enim...*

130. — Dicit ergo quod ad pleniorem intellectum praemissae solutionis, *oportet*, secundum eius arbitrium, *magis exponere perfectum modum divinae unitionis et discretionis, resumentes* solutionem a principio, ita *ut omnis sermo* noster circa hoc *fiat conspicuus*, idest manifestus. Ad quod consequendum, duo ponit vitanda et tria observanda: vitandum enim est sive respuendum *omne varium* confusum et permixtum. Cum enim aliquis diversa confuse et indistincte dicit, oportet quod nunc de hoc, nunc de illo loquatur et sic in sermone apparet varietas; respuendum est omne *non planum* idest obscurum, quod quidem potest contingere si intelligibilia tradantur absque sensibilium exemplorum manuductione vel si per verba inusitata aliqua manifesta traderentur. Contra haec autem duo, ponit duo observanda: ut scilicet, sermo eius determinet, *secundum virtutem* loquentis, *propria*, idest connaturalia nobis; *discrete*, contra hoc quod dixerat: *varium; et plane*, contra hoc quod dixerat: *non planum;* et addit tertium, scilicet, *ordinate;* oportet enim ad hoc quod doctrina sit manifesta, ut procedatur secundum ordinem disciplinae, a manifestioribus incipiendo et ab his per quorum cognitionem alia cognoscuntur. Promittit etiam se expositurum perfectum modum divinae unitionis et discretionis, quia assignabit modos omnes, secundum quos unitio et discretio possunt accipi in divinis, non autem quod ipsum modum, secundum quod in Deo perfectus est, manifestare possit; hoc enim supra virtutem nostram est, ut infra probabit [lectio 4].

131. — Deinde, cum dicit [39]: *Vocant enim...* prosequitur expositionem unitionis et discretionis divinae: et primo, quantum pertinet ad Deitatem; secundo, quantum pertinet ad Humanitatem Christi; ibi [53]: *Discretum autem est...* [lectio 3ª].

132. — Circa primum, duo facit: primo, exponit duos modos unitionis e discretionis; secundo, subdit utrumque; ibi [41]: *Et dicunt...*

133. — Circa primum, duo facit: primo, exponit communem modum unitionis; secundo, communem modum discretionis; ibi [40]: *discretionis...*

134. — Dicit ergo, primo, quod, sicut *in aliis* suis libris dixerat, scilicet in libro de divinis Hypotyposibus, *sancti magistri nostrae theologicae traditionis* idest christianae doctrinae, scilicet Apostoli et eorum discipuli *vocant unitiones divinas*, quasdam *occultas et inegressibiles supercollocationes divinas quae sunt singularitatis* divinae, *superineffabilis* et *superignotae*.

135. — Ad cuius evidentiam considerandum est, quod, cum omnis multitudo rerum a Principio primo effluat, primum Principium, secundum quod in se consideratur, unum est; secundum autem emanationem qua ab eo procedit multitudo, iam invenitur a quo primum Principium distingui possit, quia ratio multitudinis in distinctione consistit. Considerare igitur primum Principium, secundum quod in se est, hoc est considerare unitionem ipsius et hanc existentiam primi Principii in seipso, *supercollocationem* vocat; et nominat hanc *supercollocationem et occultam et inegressibilem: occultam* quidem quia intantum Deus potest a nobis cognosci,

inquantum participationes suae bonitatis cognoscimus; secundum autem quod est in se, est nobis occultus; *inegressibilem* autem dicit, quia secundum quod in seipso est primum Principium nulli communicatur et sic quasi a seipso non egreditur: et propter hoc et ipsam Divinitatem sic consideratam, per excellentiam distinguentem Ipsam ab omnibus, vocat *singularitatem*, quia singulare est quod est incommunicabile.

136. — Deinde, cum dicit [40]: *discretiones...* exponit, per oppositum, communem modum discretionum; et dicit quod praedicti magistri vocant *discretiones, processiones et manifestationes* Deitatis, quae conveniunt Ei inquantum ipsum bonum, quia de ratione boni est quod ab eo procedant effectus per eius communicationem. Et considerandum quod contra id quod supra dixerat: *occultas et inegressibiles*, satis congrue posuit *processiones et manifestationes*, quia per effectus progredientes ab ipso manifestatur et quodammodo ipsa Deitas in effectus procedit, dum sui similitudinem rebus tradit, secundum earum proportionem, ita tamen, quod sua excellentia et singularitas sibi remanet, incommunicata rebus et occulta nobis. Hae igitur processiones vocantur *discretiones*, quia nisi a primo Principio alia effluerent, non haberet primum Principium a quo discerneretur.

137. — Deinde, cum dicit [41]: *Et dicunt...* subdit utrumque dictorum modorum; et primo, ponit subdivisionem; secundo, manifestat eam; ibi [42]: *Sicut...*

138. — Dicit ergo, primo, quod illi qui sequuntur sacras Scripturas et sequuntur proprias rationes praedictae *unitionis* et iterum praedictae *discretionis*, dicunt quod tam in praedicta unitione communi sunt quaedam propriae *unitiones et discretiones*, quam etiam in praedicta communi discretione.

139. — Deinde, cum dicit [42] *Sicut in unitione divina...* exponit subdivisionem; et primo, ostendit quomodo, in praedicto modo unitionis communi, sit quaedam unitio et discretio; secundo, ostendit quod, etiam in discretione praedicta, est unitio et discretio; ibi [48]: *Est autem...*

140. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo in praedicta unitione sit propria unitio; secundo, quomodo in praedicta unitione sit discretio; ibi [43]: *Mansio principalium...*

141. — Ad intellectum ergo huius partis considerandum est quod, cum supra [135], acceperit rationem unitionis divinae ex eo quod Deus in seipso secundum suam excellentiam consideratur, ista consideratio est duplex. Potest enim considerari ista superexcellens Dei essentia in seipso: vel secundum essentiam et sic est unitum et commune toti Trinitati; vel secundum quod una Personarum est in alia et sic in unitione invenitur discretio.

142. — Hoc est ergo quod dicit: *Sicut in unitione divina, idest supersubstantialitate*, quasi dicat: sic accipio, modo unitionem divinam secundum communem rationem unitionis supra positam, secundum quod ratio unitionis consistit in quadam excellentia Deitatis; in hac, inquam, unitione communi, *est unitum et commune principali Trinitati*, quidquid ad superexcellentiam essentiae divinae pertinet et, per hoc, dat intelligere quod ratio unitatis propriae, quam nunc exponit, nihil est aliud quam esse commune tribus Personis; et exemplificat: sicut *essentia supersubstantialis, Divinitas superdea*, idest super modum deitatis communicatae rebus, et *bonitas superbona, et identitas quae est super omnia*, secundum quam, scilicet, Deus est idem sibi, et *unitas super principatum*, unitas, inquam, *totalis proprietatis existentis* scilicet *super omnia*.

143. — Et hoc dicit quia unum habet rationem principii. Unum autem est unum secundum quod in seipso indivisum est; hoc autem est illud quod retinet proprietatem suae naturae. Quasi dicat quod Ipse, inquantum est unitas, est Principium super omne principium, habens in se suam proprietatem qua supra omnia existit. Ad hanc etiam excellentiam est et quod a nobis ignoratur propter excellentiam sui luminis et quod a nullo intellectu creato est perfecte intelligibilis, idest comprehensibilis et quod de Eo omnia possunt affirmari et omnia negari, secundum modum in praecedenti capitulo expositum, cum tamen Ipse sit super omnem affirmationem et negationem; est enim super omnem intellectum nostrum, qui affirmationes et negationes componit.

144. — Deinde, cum dicit [43]: *Mansio principalium...* exponit quomodo discretio est in communi modo unitionis, quae est superexcellentiae collocationem; et circa hoc, tria facit: primo, ponit quod intendit; secundo, manifestat propositum, per exemplum sensibile; ibi [44]: *quemadmodum...*; tertio, ostendit exemplum esse deficiens a tantae rei repraesentatione; ibi [47]: *Et haec totaliter...*

145. — Dicit ergo, quod *mansio principalium Personarum in se invicem*, idest secundum quod una divinarum Personarum est in alia, *et collocatio* unius in aliam, *si ita* oporteat nominari, cum distinctionem importet, tamen est *totaliter superunita*, idest pertinens ad illam unitionem excellentiae de qua supra dictum est [135,141-142].

146. — Deinde, cum dicit [44]: *Quemadmodum...* manifestat, per exemplum sensibile, quod in praedicta unitione possit esse discretio; in quo quidem exemplo, tria facit: primo, ponit exemplum sensibile, in quo dicit esse simul unitionem et discretionem; secundo, ostendit quod in illo exemplo sit unitio; ibi [45]: *Et quidem videmus...*; tertio, quod in eo sit discretio; ibi [46]: *Sed etiam si unus...*

147. — Dicit ergo primo quod *ut* utamur *exemplis sensibilibus et propriis* nobis, *lumina* plurium *luminarium, existentia in domo una, et tota sunt invicem in se totis* et tamen *habent diligentem*, idest optimam et perfectam *discretionem ad se invicem proprie subsistentem*; et sic plura lumina sunt *unita* cum *discretione et discreta* cum *unitione*.

148. — Deinde, cum dicit [45]: *Et quidem...* ostendit quod praedicta lumina habeant unitionem ad invicem; et dicit quod *videmus, multis luminaribus existentibus in domo* una, *omnium* luminarium *lumina* esse *unita ad unum quoddam lumen*, quia in eadem parte aëris *omnium* luminarium *lumina* resplendent; et hoc est quod subdit: *et una claritate indiscreta*, idest indistincta, secundum locum vel subiectum, *resplendentia; et nullus, ut arbitror, posset lumen huius luminaris*, in *aëre*, secundum quod continet omnia lumina, *discernere ab aliis et videre* alterum eorum *sine altero*, propter hoc quod totum unum lumen est concretum alteri, *sine mixtione*, tollente scilicet discretionem.

149. — Deinde, cum dicit [46]: *Sed etiam si unus...* ostendit quod maneat ibi discretio, quia *si aliquis educat unum* de luminaribus, utpote unam candelarum, simul egreditur cum illo totum *proprium lumen*, quod ex luminari illo in domo erat, quod ex hoc patet quod lumen, in domo, minoratum invenietur; ita tamen, quod lumen egrediens non simul secum avellet aliquod *aliorum luminum*, nec etiam aliquid *sui* cum *aliis* luminibus derelinquat; quod esse non posset, si esset facta mixtio luminum, utpote si aqua cineri aut farinae misceatur, non potest extrahi tota, quin aliquid remaneat farinae aut cineri immixtum et quin etiam de cineribus aut farina deperdatur vel simul egrediatur. Sed quod hoc in luminibus non contingit, ideo est quia *erat totorum* luminum *ad tota, perfecta* coniunctio absque omni mixtione et nulla partium confusione existente.

150. — Est autem hic considerandum quod, de lumine, fuit duplex opinio Physicorum: quidam enim dixerunt lumen esse corpus et secundum hanc opinionem, satis plane videtur procedere exemplum inductum. Sic enim loqui videtur Dionysius de pluribus luminibus ex diversis luminaribus in uno aëre procedentibus, sicut si loqueretur de pluribus corporibus et praecipue propter hoc quod dicit quod habent discretionem subsistentem, subsistere enim est substantiarum tantum, et propter hoc est quod dicit, quod unum lumen egreditur sine altero, in quo videtur designari quidam motus localis, qui est corporum tantum.

151. — Si vero lumen non sit corpus, sed qualitas, secundum opinionem aliorum, non haberent lumina discretionem subsistentem, quin immo, ex diversis luminaribus, sicut ex diversis causis agentibus, fiet unum lumen tantum, intensius in aëre et uno lumine subtracto, cessaret superadditio intensionis, sicut ex pluribus causis calefacientibus, intenditur color in calefactibili et, una causa subtracta, minuitur calor. Haec autem secunda opinio verior est; unde potest dici quod Dionysius hic loquitur de subsistenti discretione luminum et de egressione alicuius eorum per respectum ad luminaria et non secundum se. Tamen considerandum est quod consueverunt tam Philosophi quam etiam sacri Doctores, aliquando, ad propositum manifestandum, exemplis aliquibus uti, secundum aliquas opiniones apud aliquos probabiles, licet ipsi eam non sequantur.

152. — Deinde, cum dicit [47]: *Et haec totaliter...* ostendit quod istud exemplum deficit a tantae rei repraesentatione; et dicit quod *haec* quae dicta sunt de diversis luminibus, *totaliter* accidunt in rebus corporeis et materialibus, scilicet *in corpore aëre* ut in loco, si lumina sint corpora vel ut in subiecto, si lumen est qualitas; *et*, iterum, *lumine* sensibili dependente *ex materiali igne*. Sed in divinis Personis, *dicimus collocari supersubstantialem unitionem, non super solas unitiones quae sunt in corpore, sed et super illas quae sunt in ipsis animabus et in ipsis mentibus* angelicis; *quas* quidem unitiones *habent deiformia et supercoelestia lumina*,

idest ipsi Angeli, *tota per tota non mixte et supermundane*, dum scilicet unus Angelus toti alteri coniungitur per intellectum et affectionem. Et huiusmodi inconfusa unitio in mentibus et animabus, fit *secundum proportionalem participationem* illius *unitionis* quae est in divinis Personis, quae est supersegregata *ab omnibus participantibus*, quia scilicet nullum participantium potest perfecte imitari divinam unitionem.

153. — Deinde, cum dicit [48]: *Est autem discretio...* exponit quomodo in communi modo discretionis supra signatae, invenitur et discretio et unitio, idest aliquid commune toti Trinitati et aliquid distinctum ad Personas pertinens. Dictum est enim supra [40; **136**] quod discretiones divinae vocantur secundum processiones Deitatis. Est autem duplex processio: una quidem secundum quod una Persona procedit ab alia et per hanc multiplicantur et distinguuntur divinae Personae et quantum ad hoc attenditur discretio propria in communi modo discretionis; alia est processio secundum quam creatura procedit a Deo, secundum quam fit multitudo rerum et distinctio creaturarum a Deo, et haec est discretio unita, idest communis toti Trinitati.

154. — Primo, igitur, exponit quomodo aliqua discretio pertineat ad discretionem Personarum; secundo, quomodo aliqua discretio pertineat ad essentiae unitatem, ibi [49]: *Si autem et divina discretio...* [lectio 3ª].

155. — Dicit ergo primo, quod *discretio in supersubstantialibus Theologiis* ad divinas Personas, *non* solum est illa *quam dixi quod* per *ipsam unitionem* communem, quae pertinet ad superexcellentiam Deitatis, *unaquaeque* divinarum *Personarum*, immixtim *et inconfuse collocatur* in altera, *sed* etiam *quod ea quae* pertinent ad fecunditatem Dei supersubstantialem, numquam *convertuntur ad se invicem*, sicut convertebantur ea quae pertinent ad collocationem personalem. Mutuo enim Pater est in Filio et Filius in Patre, non tamen mutuo Pater generat Filium et Filius Patrem; et hoc est quod subdit quod *solus Pater est fons supersubstantialis Deitatis*, ut in fonte, auctoritas intelligatur sive principium non de principio; *nec Filius est Pater nec Pater Filius*, cum divinae laudes conservent secundum fidem christianae religionis, suas proprietates *unicuique* divinarum *Personarum*.

156. — Ultimo epilogando subdit, quod *istae* quae dictae sunt, *sunt unitiones et discretiones* pertinentes ad ipsam divinam *essentiam ineffabilem et* ad ineffabilem Eius *unitionem;* quia quod sequitur de unitione et discretione, pertinet ad creaturas.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 41: « *proprias* » - ἴδια, « *propria* ».

* ad n. 42: « *unitum quidem est...* ». Propono seq. versionem: « *unita et communia sunt uniprincipiali Trinitati: supersubstantialis Existentia, superdivina Deitas, superbona Bonitas, omnibus superior Identitas superioris totius proprietatis, super uniprincipialitatem Unitas, Ineffabilitas, Multivocalitas, Ignoratio, Totaintelligibilitas...* ». Quae dicit de Identitate, plenius habentur apud Pachymeren: « *ἡ πάντων ἐπέκεινα ταὐτότης τῆς ἐπείκενα πάντων ὅλης θεοῦ ἰδιότητος...* » (MG. III, 664 B) h. e. « *Omnibus superior identitas totius proprietatis Dei quae superior* (est) *omnibus* » scilicet boni et sapientis et similium; haec enim sunt Dei proprietas videlicet per excessum ad creaturas » (ibid. 663 B). Ex lectione « multi luminis » arguitur substitutio consonantis: « *πολύφωτον* », forsan ex lapsu oculi in legendo vel manus in scribendo, nam textus certus est (*πολύφωνον*). Alia lectio: « perfecte non-intelligibile » supponit: *πανανόητον*.

* ad n. 47: « supersegregatae » leg. *ὑπερῃρημένης*. Al. *ὑπεῃρμένης* - « omnibus *praestantis* coniunctionis » (Perionius) et melius idearum nexui respondet: agitur enim de unitione *superelevata* quae omnia transcendit.

2ª Quoad doctrinam circa notionem Dei.

Conceptus divinitatis includit iuxta Iamblichum « *unitatem omnimodam et permanentem in se stabilitatem* »: « *τὸ μὲν ἡνωμένον πᾶν, ὅσον ἂν ᾖ καὶ ὁποῖον, καὶ τὸ νομίμως ἱδρυμένον ἐν ἑαυτῷ* » (*de Mysteriis Aegyptiorum* I, 5; edit. Gale, pag. 9). Suspicor Dionysium per hanc notionem perficere conceptum alium theologiae aegyptianae de Deo *Amun* qui est « immobilis, manens in solitudine suae unitatis (*ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ ἑνότητος μένων*) quia nec intelligibilitas illi adnectitur nec aliquid aliud » (*ibid.* VIII, 2; pag. 158). Manifestum est ex tali conceptu omnino privativo, theologiam nostram habere tantum valorem practicum, ut videre est apud Philonem et Plotinum. Ex alia parte, quando de occulto Deitatis dicit Dionysius quod manet in se et divinam existentiam in seipsa vocat *inegressibilem*, item manifestum est per hanc doctrinam excludi emanatismum tum gnosticorum tum neoplatonicorum et theopanismum upanishadicum.

3ª Quoad « unitam discretionem et unitionem discretam » (44):

Primam notionem unitionis perfectionum communium in distinctione vel discretione personarum

inveni in *Expositione fidei* S. Gregorii Thaumaturgi (de authentia, cfr. V. Ryssel, *Gregorius Thaumaturgus Sein Leben und seine Schriften*, Leipzig 1880, pag. 31-33). Ibi enim legitur: « Trinitas perfecta, quae *gloria* et *aeternitate* ac *regno non est divisa neque abalienata* » (v. textum apud Mansi, *Sacrorum Concil. Collectio amplissima* I, Florentiae 1759, col. 1029 CD). Et haec videtur ratio quare Basilius componit terminos novos ut *ὁμότιμος, ὁμόδοξος, ὁμόθρονος* (K. Holl, *Amphilochius von Ikonium in seinem Verhältnis zu den grossen Kappadoziern*, Tübingen u. Leipzig 1904, pag. 126; *Basile de Cesarée, Traité du Saint-Esprit*, Introduction, traduction et notes de B. Pruche, Paris, 1947, pag. 28 ss.) qui et apud Dionysium inveniuntur tali modo formati (22: *ὁμόθεος, ὁμοάγαθος*). Gregorius Nazianzenus in *oratione* XXXI, 28 Gregorii tacite meminit: « ...colamusque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, tres proprietates, unam Deitatem *nec gloria nec honore nec essentia nec regno divisam*, ut quispiam divino Numine afflatus non ita pridem philosophatus est » (MG. 36, 164 CD). Item in *Orat.* XXXVIII, 8: « ...tribus sanctificationibus celebrantur *in unam dominationem ac deitatem* coëuntibus, quemadmodum et alius quidam ante nos pulcherrime et sublimissime philosophatus est » (MG. 36, 320 CD).

Recolenda quae scribit S. Basilius in *Epist.* 38: « sed in his (*tribus hypostasibus*), ineffabilis quaedam et incomprehensibilis deprehenditur *tum communio, tum distinctio* (*καὶ ἡ κοινωνία* - contra Arianos - *καὶ ἡ διάκρισις* - contra Sabellianos) neque hypostaseon differentia naturae coniunctionem divellente, neque essentiae communitate notionum proprietatem confundente. Nec mireris autem *si idem et coniunctum et discretum esse dicimus* et quamdam cogitamus, velut in aenigmate, novam et admirabilem *discretionem coniunctam et coniunctionem discretam* » (*...εἰ τὸ αὐτὸ καὶ συνημμένον καὶ διακεκριμμένον εἶναι φαμὲν... διάκρισίν τε συνημμένην καὶ διακεκριμμένην συνάφειαν*), *Epist.* 38 Gregorio fratri de discrimine essentiae et hypostasis, n. 4. *Opp.* III, pp. 118 E - 119 A.

Eamdem doctrinam invenies apud Gregorium Naz. orat. XXXIX in sancta Lumina (MG. 36, 345 CD; 348 A): ...distinguitur enim indistinctim, ut sic loquar, et distinctim connectitur (*διαιρεῖται γὰρ ἀδιαιρέτως, ἵν'οὕτως εἴπω, καὶ συνάπτεται διῃρημένως*). Tali modo veritas doctrinae catholicae effugit « Sabellii contentionem » quae adhuc virescit per subdolas insidias Sebastenorum (v. Basilii, *Epist.* 129, 1) et « Arii divisionem » quae adhuc virescit per subtiles sermones Eunomii (v. Basilii, *adversus Eunomium* - Opp. I, pag. 207 ss. - Eunomii, *Liber apologeticus* - ibid., pag. 618 ss).

LECTIO III (6ª)

Quomodo sub communi discretionis modo continetur quaedam propria unitio, quae est secundum proportionem creaturarum a Deo, ad totam Trinitatem pertinens.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. II; textus nn. 49-53; expositio nn. 157-169).

Continuat expositionem circa unitionem et discretionem in divinis:

Iº — Quantum pertinet ad Deitatem (cfr. lect. 2ª[am]) et in hac 3ª lectione intendit exponere quomodo sub communi discretionis modo continetur quaedam propria unitio quae est secundum processionem creaturarum a Deo, ad totam Trinitatem pertinens:
- A) proponit quod intendit (49; **158-161**)
- B) manifestat per exempla:
  - jº - ponit exempla (50; **163-164**),
  - ijº - ostendit ea esse deficientia in repraesentatione divina (51; **165**),
  - iijº - obiicit contra praedicta et solvit (52; **166-167**)

IIº — Quantum pertinet ad Humanitatem Christi (53; **168**).

TEXTUS DIONYSII

49. — « Si autem et divina discretio est processio bono conveniens unitionis divinae. et superunitae *, seipsam bonitatem in pluralitatem agentis et multiplicantis, unitae quidem sunt secundum divinam discretionem incomprehensibiles traditiones, substantificationes, vivificationes, sapientificationes et alia dona bonitatis quae est omnium Causa, secundum quae ex participationibus et participantibus laudantur non participabiliter participata. Et hoc commune et unitum et unum est toti Deitati, omnem ipsam totam ab unoquoque participantium participari et a nullo, nulla parte.

49. — Εἰ δὲ καὶ θεία διάκρισίς ἐστιν ἡ ἀγαθοπρεπὴς πρόοδος τῆς [644 A] *ἑνώσεως τῆς θείας ὑπερηνωμένος * ἑαυτὴν ἀγαθότητι πληθυούσης τε καὶ πολλαπλασιαζούσης, ἡνωμέναι μέν εἰσι κατὰ τὴν θείαν διάκρισιν αἱ ἄσχετοι μεταδόσεις αἱ οὐσιώσεις αἱ ζωώσεις αἱ σοφοποιήσεις αἱ ἄλλαι δωρεαὶ τῆς πάντων αἰτίας ἀγαθότητος καθ' ἃς ἐκ τῶν μετόχων καὶ τῶν μετεχόντων ὑμνεῖται τὰ ἀμεθέκτως μετεχόμενα. Καὶ τοῦτο κοινὸν καὶ ἡνωμένον καὶ ἓν ἐστι τῇ ὅλῃ θεότητι τὸ πᾶσαν αὐτὴν ὅλην ὑφ' ἑκάστου τῶν μετεχόντων μετέχεσθαι καὶ ὑπ' οὐδενὸς οὐδενὶ μέρει·*

50. — Quemadmodum punctum in medio circuli ab omnibus in circulo circumpositis lineis et sicut sigilli expressiones multae participant archetypo sigillo et in unaquaque expressionum toto et eodem existente et in nulla secundum nullam partem.

*50. — καθάπερ σημεῖον ἐν μέσῳ κύκλου πρὸς πασῶν τῶν ἐν τῷ κύκλῳ περικειμένων εὐθειῶν· καὶ ὥσπερ σφραγῖδος ἐκτυπώματα πολλὰ μετέχει τῆς ἀρχετύπου **σφραγῖδος καὶ ἐν ἑκάστῳ τῶν** ἐκτυπωμάτων ὅλης καὶ ταὐτῆς οὔσης καὶ ἐν οὐδενί κατ' οὐδὲν μέ*[B]*ρος.*

51. — Excedit autem et haec omnium Causae, Divinitatis imparticipabilitas, eo quod neque tactus eius est, neque alia quaedam ad partes commiscendi communio.

51. — Ὑπέρκειται δὲ καὶ τούτων ἡ τῆς παναιτίου θεότητος ἀμεθεξία τῷ μήτε ἁπτὴν αὐτῆς εἶναι μήτε ἄλλην τινὰ πρὸς τὰ μετέχοντα συμμιγῆ κοινωνίαν.

§ 6. 52. — Quamvis dicat aliquis: non est sigillum in totis expressionibus, totum et idem; huius autem non sigillum est

§ 6. 52. — Καίτοι φαίη τις « οὐκ ἔστιν ἡ σφραγὶς ἐν ὅλοις τοῖς ἐκμαγείοις ὅλη καὶ ταὐτή ». Τούτου δὲ οὐχ ἡ σφραγὶς αἰτία —

causa, omne enim seipsum illud et idem unicuique ingerit; sed participantium diversitas dissimiles facit expressiones unius et eiusdem totius principalis formae, sicut si mollia quidem sint et facile figurabilia et plana et immaculata * et neque contrariae figurae et dura, neque facile fusibilia et instabilia, mundam habebunt et planam figuram permanentem; si, autem aliquid de dicta opportunitate deficiat et haec causa erit imparticipati et non plani et aliorum quaecumque importunitate participationis fiunt.

*πᾶσαν γὰρ ἑαυτὴν ἐκείνη καὶ ταυτὴν ἑκάστῳ ἐπιδίδωσιν — ἡ δὲ τῶν μετεχόντων διαφορότης ἀνόμοια ποιεῖ τὰ ἀπομόργματα τῆς μιᾶς καὶ ὅλης καὶ ταὐτῆς ἀρχετυπίας· οἱονεὶ εἰ μὲν ἁπαλὰ καὶ εὐτύπωτα ᾖ καὶ λεῖα καὶ εὐχάρακτα * καὶ μήτε ἀντίτυπα* [C] *καὶ σκληρὰ μήτε εὐδιάχυτα καὶ ἀσύστατα καθαρὸν ἕξει καὶ σαφῆ καὶ ἐναπομένοντα τὸν τύπον· εἰ δέ τι τῆς εἰρημένης ἐπιτηδειότητος ἐλλείποι, τοῦτο αἴτιον ἔσται τοῦ ἀμεθέκτου καὶ ἀτυπώτου καὶ τοῦ ἀσαφοῦς καὶ τῶν ἄλλων ὅσα ἀνεπιτηδειότητι μετοχῆς γίνεται.*

53. — Discretum autem est a benigna ad nos divina operatione, secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum, et facere et pati quaecumque humanae ipsius contemplationis sunt, electa et semota. Istis enim Pater et Spiritus secundum nullam communicaverunt rationem; nisi aliquis dicat secundum bono convenientem et benignam voluntatem et secundum omnem superpositam et ineffabilem divinam operationem, quam faciebat et secundum nos factus, invariabilis, secundum quod Deus et Dei Verbum. Ita et nos divina et unire verbo et discernere studemus, sicut ipsa et unita sunt et discreta ».

53. — Διακέκριται δὲ τῆς ἀγαθοπρεποῦς εἰς ἡμᾶς θεουργίας τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον καὶ δράσαι καὶ παθεῖν ὅσα τῆς ἀνθρωπικῆς αὐτοῦ θεουργίας ἐστὶν ἔκκριτα καὶ ἐξῃρετα. Τούτοις γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα κατ' οὐδένα κεκοινώνηκε λόγον, εἰ μὴ πού τις φαίη κατὰ τὴν ἀγαθοπρεπῆ καὶ φιλάνθρωπον βούλησιν, καὶ κατὰ πᾶσαν τῆν ὑπερκειμένην καὶ ἄῤῥητον θεουργίαν ἣν δέδρακε καθ' ἡμᾶς γεγονὼς ὁ ἀναλλοίωτος ᾖ θεὸς καὶ θεοῦ Λόγος. Οὕτω καὶ [D] *ἡμεῖς τὰ θεῖα καὶ ἑνοῦν τῷ λόγῳ καὶ διακρίνειν σπεύδομεν, ὡς αὐτὰ τὰ θεῖα καὶ ἥνωται καὶ διακέκριται.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

157. — Postquam exposuit Dionysius quomodo sub communi modo discretionis, qui est secundum processionem, continetur propria discretio, quae est secundum processionem unius Personae ab alia, nunc intendit exponere quomodo sub eodem communi discretionis modo, continetur et quaedam propria unitio, quae est secundum processionem creaturarum a Deo, ad totam Trinitatem pertinens; et circa hoc duo facit: primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat per exempla; ibi [50]: *Quemadmodum...*

158. — Ad evidentiam autem primae partis, considerandum est quod posset aliquis dicere quod processio creaturarum non continetur sub divina discretione, unde licet processio creaturarum communiter ad totam Trinitatem pertineat, non tamen potest dici quod aliqua divina discretio sit communis vel unita in Trinitate. Et ideo vult ostendere quod processio creaturarum est quodammodo divina discretio, non tamen eo modo quo processio divinarum Personarum. Nam in processione divinarum Personarum ipsa eadem divina Essentia communicatur Personae procedenti et sic sunt plures Personae habentes divinam Essentiam, sed in processione creaturarum, ipsa divina Essentia non communicatur creaturis procedentibus, sed remanet incommunicata seu imparticipata; sed similitudo eius, per ea quae dat creaturis, in creaturis propagatur et multiplicatur et sic quodammodo Divinitas per sui similitudinem non per essentiam, in creaturas procedit et in eis quodammodo multiplicatur, ut sic ipsa creaturarum processio possit dici divina discretio, si respectus ad divinam similitudinem habeatur, non autem si respiciatur divina Essentia.

159. — Hoc est ergo quod dicit, quod *si processio* possit dici divina Essentia bonitati *conveniens*, quae est *unitionis divinae superunitae*, idest unitatis essentiae, in qua tres Personae uniuntur, quae est super omnem unitatem, quae quodammodo *seipsam* agit sive ducit ex sua bonitate *in pluralitatem et* multiplicat seipsam, scilicet secundum suam similitudinem, *si*, inquam, talis *processio* ea ratione quod per eam divina unitas quodammodo multiplicetur, dici potest *divina discretio*, tunc consequenter dicendum est quod *traditiones*, idest donationes divinorum donorum, quae sunt incomprehensae ex parte Principii, *sunt unitae*, idest communes toti Trinitati *secundum divinam discretionem*, idest secundum commu-

nem modum divinae discretionis, qui secundum processionem attenditur.

160. — Et quae sint istae traditiones ostendit subdens: *substantificationes* secundum quod dat esse omnibus subsistentibus; *vivificationes* secundum quod dat vitam; *sapientificationes*, secundum quod dat sapientiam *et alia dona* divinae *bonitatis*, *quae est omnium Causa*, *secundum quae* dona divina *participata* per similitudinem, *non participabiliter*, inquantum essentia manet imparticipata, *laudantur ex participationibus*, idest ex donis participatis, ut est esse, sapientia et vita et *participantibus*, quibus scilicet, ista communicantur. Loquitur autem pluraliter de divinis vel propter pluralitatem Personarum vel propter pluralitatem nominum quae ipsi Deo attribuuntur; et *hoc est toti Divinitati commune*.

161. — Et ne intelligatur communitas rationis tantum sicut genus est commune speciebus et species individuis, addidit: *et unitum*, ut ostendat unum numero esse in tribus. Et ne aliquis intelligat unitatem ex multis congregatam, sicut domus unitur ex partibus, addidit: et *unum hoc*, scilicet *omnem ipsam* Divinitatem, idest, secundum quamlibet Personam, *totam participari ab unoquoque participantium* per similitudinem *et a nullo* participantium in *nulla* sui *parte* participari, per commixtionem suae substantiae. Dicit autem *totam* eam *participari*, non tamen totaliter vel perfecte, qui omnibus incomprehensibilis est, ut supra dictum est [72].

162. — Et quia hoc ultimo dictum difficile videbatur et contradictionem implicans, manifestat hic consequenter per exempla, cum dicit [50]: *Quemadmodum...*; et circa hoc tria facit: primo, ponit exempla; secundo, ostendit ea esse deficientia; ibi [51]: *Excedit...*; tertio, obiicit contra praedicta et solvit; ibi [52]: *Quamvis...*

163. — Dicit ergo quod hoc ita est de participatione Deitatis sicut *punctum* quod est *in medio circuli* participatur *ab omnibus lineis in circulo circumpositis* quae scilicet protrahuntur a centro ad circumferentiam, inquantum quaelibet linea sortitur indivisibilitatem secundum latitudinem, ad similitudinem indivisibilitatis puncti, prout imaginamur punctum suo motu facere lineam et tamen punctum secundum situm distinctum est a longitudine lineae.

164. — *Et sicut* etiam, *multae expressiones sigilli participant archetypo sigillo*, idest principali figurae sigilli (dicitur enim archetypum ab « archon », quod est princeps et « typos », quod est figura) *toto et eodem* archetypo *existente in unaquaque expressionum*, secundum similitudinem *et in nulla* earum *secundum nullam* sui *partem* per substantiae commixtionem.

165. — Deinde, cum dicit [51]: *Excedit...* ostendit haec exempla esse deficientia a repraesentatione divina et dicit quod *imparticipabilitas Divinitatis* quae est *omnium Causa*, *excedit haec* praedicta esempla, quia imparticipabilior et minus commixta est Deitas participantibus, quam punctum et sigillum. Non enim est aliquis *tactus* Deitatis ad creaturas, eo scilicet modo quo, ex sigillo et cera, fit unum per contactum; *neque* etiam est *alia quaedam communio* per quam commisceatur partibus rerum, sicut punctum commiscetur lineae, inquantum est terminus eius.

166. — Deinde, cum dicit [52]: *Quamvis...* obiicit contra hoc quod dixerat, quod sigillum totum existit in unaquaque expressionum. Potest enim *aliquis* dicere hoc non esse verum, propter hoc quod aliqua expressio invenitur quae non perfecte recipit formam sigilli.

167. — Sed ipse respondet quod *huius causa non est* ex parte sigilli, quia sigillum unum *et idem* totum se *ingerit unicuique* expressioni, *sed diversitas participantium facit dissimiles expressiones*, idest repraesentationes, *unius et eiusdem principalis formae*, quae totaliter habet formam.

Quomodo autem diversimode recipiatur in diversis, forma unius sigilli, ostendit subdens: *si* enim ea in quibus fit expressio, *sint* intantum *mollia* quod facile possint recipere figuram; *et plana*, idest absque tumorositatibus, ut uniformis in eis fiat impressio; *et immaculata*, ne commixtio alienae materiae expressionem figurae impediat; et *neque sit contraria figura*, utpote si quis unius sigilli figuram imprimere velit in cera iam alio sigillo signata; *et* cum ad recipiendum figuram sint aliqualiter *dura*, ut non sint *facile fusibilia* et calefactibilia aut nimis liquefacta et mollia *et instabilia*, quia sic non remaneret figurae impressio; istis conditionibus existentibus, materiae in quibus fit impressio, *habebunt figuram* sigilli quamdam, absque permixtione alterius figurae impressam *et planam*, idest inturgidam, absque deformitate *et permanentem*. Sed *si aliquid deficiat de dicta opportunitate* figurationis, *haec erit causa* quod figura non participetur vel quod *non plane*, idest uniformiter, participetur *et aliorum* defectuum, quicumque pertinent ad inopportunitatem participationis.

168. — Deinde, cum dicit [53]: *Discretum est autem...*, exponit discretionem quae est secundum Humanitatem Christi et dicit quod *discretum est*, idest ad unam tantum Personam pertinens, *supersubstantiale Verbum*, idest Dei Filium *esse factum secundum nos*, idest hominem similem nobis in natura; *ex nobis*, accepta carne, non de coelo allata, secundum Valentinum; *totaliter*, idest non subtracta anima vel intellectu, secundum Arium et Apollinarium; *et vere*, non phantastice, secundum Manichaeum. Et non solum ipsa Incarnatio *est discretum*, sed etiam actiones et passiones Dei incarnati; *quaecumque sunt* cum quadam electione et segregatione ab aliis attributa Christo, secundum considerationem humanitatis ipsius, ut concipi, nasci, comedere, bibere, dormire, crucifigi et alia huiusmodi; *istis enim Pater et Spiritus secundum nullam rationem communicaverunt*, quia neuter eorum est incarnatus aut mortuus; *nisi* forte *dicat aliquis* quod communicaverunt praemissis, *secundum voluntatem* bonitati divinae *convenientem et benignam* quoad nos: acceptaverunt enim Pater et Spiritus Sanctus Incarnationem Filii et Passionem et alia huiusmodi et similiter communicaverunt *secundum omnem divinam operationem superpositam* creaturis *et ineffabilem* nobis, *quam faciebat* Christus *factus secundum nos*, idest factus homo passibilis, *invariabilis* manens *secundum quod Deus et Dei Verbum*. Non enim sic factus est homo quod Divinitatem amitteret, sed homo existens habebat operationem divinam, quae communis est Sibi et Patri et Spiritui Sancto. Et sic destruitur hic error ponentium unam operationem in Christo, per hoc quod attribuit Christo operationem divinam communem toti Trinitati et operationem propriam Sibi.

169. — Ultimo autem epilogat: quod sic *studemus divina* nostro sermone *et unire et discernere sicut*, secundum rei veritatem, *sunt unita et discreta*.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 49, **159**: « ...et superunitae » - *ὑπερηνωμένως* « superunite ». Sic intelligo: « Si autem et divina discretio est bono-conveniens processus unitionis divinae, *superunite* seipsam ex bonitate multiplicantis et plurificantis... ».

* ad n. 52: « *immaculata* » - *ἀχάραχτα*. Turturro praefert *εὐχάραχτα* cui consonat Ambrosius Florentinus: « suscipiendis lineamentis idonea » vel pressius: « bene-susceptiva impressionis ».

2° De divinae bonitatis diffusione (49).

Pauca notata invenies infra (pag. 59, n. 56) nunc recolas, quaeso, quae Athenagoras dicit in sua *Legatione pro Christianis:* « Nobis autem qui Deum a materia disiungimus (*ἡμῖν δὲ διαιροῦσιν ἀπὸ τῆς ὕλης τὸν θεόν*) ... nonne immerito atheorum nomen impon'tur? » (Legatio 4). Statim memineris doctrinae Anaxagorae, qui sobrius et vigilans inter ebrios et dormientes apparuit, quando posuit « Mentem » tamquam causam pulchritudinis et ordinis in universo (Aristot., *Metaphys.* I, 3-984 b 28) et quidem « impermixtam et puram » (*ibid.* I, 8-989 b 14), « *distinguentem res* » (S. Thomas, *Summ. Theol.* I, q. 47, a. 1). Forsan et Iamblichum invenies, cuius haec sunt verba in libro *de Mysteriis Aegyptiorum* (I, 19): « tum etiam *processus* (*πρόοδος*) ille ab Uno et in Unum recursus (*ἀναγωγή*) omnium... secundorum ad prima intellectualia *conversio* (*ἐπιστροφή*) ... ».

LECTIO IV (7a)

Quod discretiones divinae non possunt sufficienter a nobis manifestari.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. II; textus nn. 54-60; expositio nn. 170-192).

Excusat se a perfecta manifestatione unitionis et discretionis divinae

1° — Ostendit quod discretiones divinae non possunt sufficienter a nobis manifestari:
- A) ponit excusationem a perfecta manifestatione praedictorum (54; **172-173**);
- B) rationem assignat quare in rebus divinis sint quaedam mystica quae intellectum nostrum excedunt:
  - j° - manifestat hoc ex parte Deitatis:
    - a) assignat rationem praedictorum (55; **176-178**);
    - b) manifestat rationem per exempla:
      - I in processionibus creaturarum (56; **180**);
      - II in processionibus Personarum (57; **181-184**);
    - c) probat per similitudinem in aliis causis et causatis (58; **185-186**)
  - ij° - ex parte Humanitatis Christi:
    - a) per sua verba (59; **188**);
    - b) per verba Hierothei:
      - I ostendit unde accepit haec verba quae scripsit (60; **190-192**);
      - II ponit verba ipsius (lectio 5a).

2° — prosequitur de discretione quae est secundum processionem creaturarum quia hoc **maxime** pertinet ad intentionem praesentis libri (lectio 6a).

TEXTUS DIONYSII

§ 7. 54. — « Sed harum quidem et unitionum et discretionum quascumque in eloquiis Deo convenientes causas invenimus, in Theologicis Hypotyposibus, propria de unoquoque tractantes, sicut erat possibile exposuimus, quaedam quidem revolventes vero sermone et reserantes et sanctum et revelatum intellectum in manifestas eloquiorum visiones adducentes, quibusdam autem, sicut mysticis, secundum divinam traditionem super intellectualem operationem uniti *.

55. — Omnia enim divina et quaecumque nobis sunt manifestata, solis participationibus cognoscuntur. Ipsa autem qualiacumque sunt, secundum proprium principium et collocationem, super mentem sunt et omnem substantiam et cognitionem.

56. — Sicut si supersubstantiale occultum, Deum aut vitam aut substantiam aut lumen aut rationem nominemus, nihil aliud intelligimus quam ad nos ex ipso productas virtutes * deificas aut substantificas aut vivificas aut sapientificas; Ipsi autem, secundum absolutionem, ab omnibus intellectualibus operationibus, nos immittimus, nullam

§ 7. 54. — Ἀλλὰ, τούτων μὲν τῶν ἑνώσεών τε καὶ διακρίσεων, ὅσας ἐν τοῖς λογίοις θεοπρεπεῖς αἰτίας εὑρήκαμεν, ἐν [645 A] *ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσιν ἰδίᾳ περὶ ἑκάστου διαλαβόντες, ὡς ἐφικτόν, ἐξεθέμεθα τὰ μὲν ἀνελίξαντες τῷ ἀληθεῖ λόγῳ καὶ ἀναπτύξαντες καὶ τὸν ἱερὸν καὶ τὸν ἀνεπιθόλωτον νοῦν ἐπὶ τὰ φανᾶ τῶν λογίων θεάματα προσαγαγόντες· τοῖς δὲ ὡς μυστικοῖς κατὰ τὴν θείαν παράδοσιν ὑπὲρ νοερὰν ἐνέργειαν* **ἑνωθέντες** **.*

55. — Πάντα γὰρ τὰ θεῖα καὶ ὅσα ἡμῖν ἐκπέφανται ταῖς μετοχαῖς μόναις γινώσκεται· αὐτὰ δὲ ὁποῖα ποτέ ἐστι κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρχὴν καὶ ἵδρυσιν ὑπὲρ νοῦν ἐστι καὶ πᾶσαν οὐσίαν καὶ γνῶσιν.

*56. — Οἷον, εἰ τὴν ὑπερούσιον κρυφιότητα θεὸν ἢ ζωὴν ἢ οὐσίαν ἢ φῶς ἢ λόγον ὀνομάσαιμεν οὐδὲν ἕτερον νοοῦμεν ἢ τὰς εἰς ἡμᾶς ἐξ αὐτῆς προαγομένας δυνάμεις *, ἐκθεωτικὰς ἢ οὐσιοποιοὺς ἢ ζωογόνους ἢ σοφοδώρους· αὐτῇ δὲ κατὰ τὴν πασῶν τῶν νοερῶν ἐνεργειῶν ἀπόλυσιν ἐπιβάλλομεν, οὐδεμίαν ὁρῶντες θέω*[B]*σιν ἢ ζωὴν ἢ οὐσίαν, ἥτις*

videntes deificationem aut vitam aut substantiam, quae diligenter comparabilis sit, ab omnibus segregatae secundum omnem excessum, Causae.

57. — Rursus quod Pater quidem est fontana Deitas, Filius autem et Spiritus Sanctus deigenae Deitatis, si ita oportet dicere, pullulationes * divinae naturae et sicut flores et supersubstantialia lumina, a sanctis eloquiis accepimus. Quomodo autem haec sunt neque dicere neque cogitare est possibile;

§ 8. — sed usque ad hoc omnis nostrae intellectualis operationis virtus est: quod omnis divina paternitas et filiatio data est et nobis et supercoelestibus virtutibus ex Patriarchia ab omnibus segregata et Filiarchia, ex qua et dii et deorum filii et deorum patres, deiformes fiunt et nominantur mentes, spiritualiter videlicet tali paternitate et filiatione perfecta; hoc est: incorporaliter, immaterialiter, intelligibiliter, thearchico Spiritu super omnem intelligibilitatem, immaterialitatem et deificationem supercollocato et Patre et Filio ab omni paternitate et filiatione divina excedendo segregatis.

58. — Neque enim est diligens comparatio causatis et causis, sed habent quidem causata causarum contingentes imagines; ipsae autem causae a causatis segregantur et supercollocantur secundum proprii principii rationem.

Et, ut nostris utar exemplis, delectationes et tristitiae dicuntur effectivae delectandi et tristandi, ipsae autem neque delectantur neque tristantur; et ignis calefaciens et urens, non dicitur calefieri aut uri;

et vivere si quis dicat per se vitam, aut illuminari per se lumen, non recte dicit, secundum meam rationem, nisi secundum alterum ista dicat modum, quoniam abunde ter et substantialiter ea quae sunt causatorum, praeinsunt causis.

§ 9. 59. — Sed quod est omnis Theologiae manifestativum, Iesu secundum nos divina compositio et ineffabilis est verbo omni et ignota menti omni et ipsi primo dignissimo Angelorum.

Et viriliter quidem ipsum substantiam factum esse mystice accepimus; ignoramus autem quomodo ex virgineis sanguinibus altera praeter naturam lege compositus est; quomodo siccis pedibus, corporale pondus habentibus et materiae gravitatem, ambulavit in humida et instabili substantia et alia quaecumque sunt Iesu supernaturalis luminis apparitionis aut naturalis rationis *.

60. — Haec autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt et a nobili duce in Theologicis ipsius Stoichiosibus laudata sunt valde supernaturaliter: quae ille sive a sanctis Theologis accepit sive ex perita eloquiorum

ἀκριβῶς ἐμφερὴς ἐστι τῇ πάντων ἐξῃρημένῃ κατὰ πᾶσαν ὑπεροχὴν αἰτίᾳ.

57. — Πάλιν· ὅτι μὲν ἐστι πηγαῖα θεότης ὁ Πατὴρ ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα, πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων παρειλήφαμεν· ὅπως δὲ ταῦτα ἐστίν, οὔτε εἰπεῖν οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν.

§ 8 Ἀλλὰ μέχρι τούτου πᾶσα τῆς καθ' ἡμᾶς νοερᾶς ἐνεργείας ἡ δύναμις ὅτι πᾶσα θεία πατριὰ καὶ υἱότης ἐκ τῆς πάντων ἐξῃρημενης πατριαρχίας καὶ υἱαρ[C]*χίας δεδώρηται καὶ ἡμῖν καὶ ταῖς ὑπερουρανίαις δυνάμεσιν* [1]*, ἐξ ἧς καὶ θεοὶ καὶ θεῶν υἱοὶ καὶ θεῶν πατέρες οἱ θεοειδεῖς γίγνονται καὶ ὀνομάζονται νόες, πνευματικῶς δηλαδὴ τῆς τοιᾶσδε πατρότητος καὶ υἱότητος ἐκτελουμένης τοῦτ' ἔστιν ἀσωμάτως ἀΰλως, νοητῶς, τοῦ θεαρχικοῦ Πνεύματος ὑπὲρ πᾶσαν νοητὴν ἀΰλίαν καὶ θέωσιν ὑπεριδρυμένου καὶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ πάσης πατριᾶς καὶ υἱότητος θείας ὑπεροχικῶς ἐξῃρημένων.*

58. — Οὐδὲ γάρ ἐστιν ἀκριβὴς ἐμφέρεια τοῖς αἰτιατοῖς καὶ τοῖς αἰτίοις· ἀλλ' ἔχει μὲν τὰ αἰτιατὰ τὰς τῶν αἰτίων ἐνδεχομένας εἰκόνας, αὐτὰ δὲ τὰ αἴτια τῶν αἰτιατῶν ἐξῄρηται καὶ ὑπερίδρυται κατὰ τὸν τῆς οἰκείας ἀρχῆς λόγον.

Καὶ ἵνα τοῖς καθ' ἡμᾶς χρήσωμαι παραδείγμασιν ἡδοναὶ καὶ λύπαι λέγονται ποιητικαὶ τοῦ ἥδεσθαι καὶ λυπεῖσθαι, αὐταὶ [D] *δὲ οὔτε ἥδονται οὔτε λυποῦνται· καὶ τὸ πῦρ θερμαῖνον καὶ καῖον οὐ λέγεται καίεσθαι καὶ θερμαίνεσθαι.*

Καὶ ζῆν εἴ τις φαίη τὴν αὐτοζωὴν ἢ φωτίζεσθαι τὸ αὐτοφῶς οὐκ ὀρθῶς ἐρεῖ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον εἰ μή που καθ' ἕτερον ταῦτα εἴποι τρόπον ὅτι περισσῶς καὶ οὐσιωδῶς προένεστι τὰ τῶν αἰτιατῶν τοῖς αἰτίοις.

§ 9. 59. — [648 A] Ἀλλὰ καὶ τὸ πάσης θεολογίας ἐκφανέστατον ἡ καθ' ἡμᾶς Ἰησοῦ θεοπλαστία καὶ ἄῤῥητός ἐστι λόγῳ παντὶ καὶ ἄγνωστος νῷ παντὶ καὶ αὐτῷ τῷ πρωτίστῳ τῶν πρεσβυτάτων ἀγγέλων.

*Καὶ τὸ μὲν ἀνδρικῶς αὐτὸν οὐσιωθῆναι μυστικῶς παρειλήφαμεν· ἀγνοοῦμεν δὲ ὅπως ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων ἑτέρω παρὰ τὴν φύσιν θεσμῷ διεπλάττετο καὶ ὅπως ἀῤῥόχοις ποσὶ σωματικὸν ὄγκον ἔχουσι καὶ ὕλης βάρος ἐπεπόρευτο τὴν ὑγρὰν καὶ ἄστατον οὐσίαν· καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τῆς ὑπερφυοῦς ἐστιν Ἰησοῦ φυσιολογίας *.*

60. — Ταῦτα δὲ ἡμῖν τε ἐν ἀλλήλοις ἱκανῶς εἴρηται καὶ τῷ κλεινῷ καθηγεμόνι κατὰ τὰς θεολογικὰς αὐτοῦ στοιχειώσεις ὑμνηται λίαν ὑπερφυῶς, ἅπερ ἐκεῖνος εἴτε πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων παρείληφεν, εἴτε καὶ ἐκ τῆς

[1]) Cfr. *Ephes.* 3, 15 et supra n. 14.

perscrutatione perspexit, ex multa circa ipsa luctatione et contritione, sive etiam ex quadam doctus est diviniore inspiratione, non solum discens, sed et patiens divina et ex compassione ad ipsa, si ita oportet dicere, ad indocibilem et mysticam ipsorum perfectus est unitionem et fidem;

et, ut multas et beatas visiones potentis illius deliberationis in minimis apponamus, haec de Iesu dicit in congregatis ab ipso Theologicis Stoichiosibus ».

ἐπιστημονικῆς τῶν λογίων ἐρεύνης συνεώρακεν ἐκ πολλῆς [B] *τῆς περὶ αὐτὰ γυμνασιάς τε καὶ τριβῆς, εἴτε καὶ ἐκ τινὸς ἐμυήθη θειοτέρας ἐπιπνοίας οὐ μόνον μαθὼν ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα· κἀκ τῆς πρὸς αὐτὰ συμπαθείας — εἰ οὕτω χρὴ φάναι — πρὸς τὴν ἀδίδακτον αὐτῶν καὶ μυστικὴν ἀποτελεσθεὶς ἕνωσιν καὶ πίστιν.*

Καὶ ἵνα τὰ πολλὰ καὶ μακάρια θεάματα τῆς κρατίστης ἐκείνου διανοίας ἐν ἐλαχίστοις παραθώμεθα, τάδε περὶ τοῦ Ἰησοῦ φησιν ἐν ταῖς συνηγμέναις αὐτῷ θεολογικαῖς στοιχειώσεσι.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

170. — Postquam Dionysius exposuit modum unitionis et discretionis divinae, excusat se a perfecta horum manifestatione; et dividitur in partes duas: in prima, ostendit quod discretiones divinae et unitiones non possunt sufficienter a nobis manifestari; in secunda, prosequitur de discretione quae est secundum processionem creaturarum, quia hoc maxime pertinet ad intentionem praesentis libri; ibi [65]: *Igitur...* [lectio 6ª].

171. — Circa primum, duo facit: primo, ponit excusationem a perfecta manifestatione praedictorum; secundo, rationem assignat; ibi [55]: *Omnia enim...*

172. — Dicit ergo, primo, quod *in* libro de *Theologicis Hypotyposibus*, ipse exponit, *sicut erat* sibi *possibile, causas* idest rationes praedictarum *unitionum et discretionum, quascumque* invenit in sacris Scripturis, *Deo convenientes,* tractans id quod erat proprium unicuique; ita, tamen, quod *quaedam* revolvit et discussit veridico *sermone* et reseravit, idest aperuit et ulterius reduxit *in manifestas visiones eloquiorum,* idest manifestas auctoritates sacrae Scripturae quae continent visiones et revelationes factas Prophetis et Apostolis; id quod sancte intelligi potuit et manifeste, post discussionem et reserationem.

173. — Non enim sufficit in rebus divinis humano ingenio veritatem discutere et aperire, nisi veritas, quae post discussionem invenitur, sacrae Scripturae concordet et per eam confirmetur. Et cum quaedam sic reseravit, *quibusdam tamen sicut mysticis,* idest occultis, unitus fuit *super operationem intellectualem* et hoc *secundum* quod tradita est a Deo: ordinatum est enim nobis a Deo, ut in his quae super intellectum nostrum sunt, uniamur adhaerentes per fidem.

174. — Deinde, cum dicit [55]: *Omnia enim...* assignat rationem quare in rebus divinis sint quaedam mystica, quae intellectum nostrum excedunt; et circa hoc, duo facit: primo, manifestat hoc ex parte Deitatis; secundo, ex parte Humanitatis Christi; ibi [59]: *Sed quod est...*

175. — Circa primum, tria facit: primo, assignat rationem praemissorum; secundo, manifestat rationem assignatam, per exempla; ibi [56]: *Sicut...*; tertio, probat per similitudinem in aliis causis et causatis; ibi [58]: *Neque enim...*

176. — Dicit ergo, primo, quod *omnia divina* etiam *quae nobis manifestata sunt, cognoscuntur* a nobis *solum participationibus.* Cuius ratio est, quia nihil cognoscitur nisi secundum quod est in cognoscente. Sunt autem quaedam cognoscibilia, quae sunt infra intellectum nostrum, quae quidem habent simplicius esse in intellectu nostro, quam in seipsis, sicut sunt omnes res corporales, unde huiusmodi res dicuntur cognosci a nobis per abstractionem. Divina autem simplicia et perfectiora sunt in seipsis quam in intellectu nostro vel in quibuscumque aliis rebus nobis notis, unde divinorum cognitio dicitur fieri non per abstractionem, sed per participationem.

177. — Sed haec participatio est duplex: una quidem, secundum quod divina in ipso intellectu participantur, prout scilicet intellectus noster participat intellectualem virtutem et divinae Sapientiae lumen; alia vero, secundum quod divina participantur in rebus quae se intellectui nostro offerunt, inquantum scilicet per participationem divinae Bonitatis, omnia sunt bona et per participationem divini Esse seu Vitae, res dicuntur existentes seu viventes. Et secundum utramque istarum participationum divina cognoscimus.

178. — Ostensum est autem supra [49,

158], quod Deus ita participatur a creaturis per similitudinem, quod tamen remanet imparticipatus super omnia per proprietatem suae substantiae. Unde, si divina non cognoscuntur a nobis nisi solis participationibus, consequens est quod *ipsa* divina, qualia sunt et secundum propriam rationem principii et secundum quod divina collocantur in seipsis, *sunt super* omnia, sicut supra omnem *mentem et* supra *omnem substantiam et* supra omnem *cognitionem.*

179. — Deinde, cum dicit [56]: *Sicut si...* manifestat rationem propositam per exempla; et primo, in processionibus creaturarum; secundo, in processionibus divinarum Personarum; ibi [57]: *Rursus...*

180. — Dicit ergo, primo, quod *si* illud *occultum* divinae Essentiae, quod est super omnem substantiam, *nominemus* aut *Deum aut vitam aut substantiam aut lumen aut rationem* vel quocumque alio tali nomine, non per hoc intelligimus id ipsum quod Deus est, sed *nihil aliud* intellectus concipit, nisi *virtutes* quae rebus ex Deo proveniunt, quibus formaliter deificantur vel substantificantur aut vivificantur aut sapientificantur. Sed cum Deus sit super omnes huiusmodi processiones, oportet quod nos immittamus nos in Deum, ad cognoscendum Ipsum secundum remotionem *ab omnibus operationibus intellectualibus,* idest ab omni eo quod cadit in intellectum nostrum et hoc ideo quia nos non possumus per intellectum videre aliquam *deificationem aut vitam* vel *substantiam,* quae perfecte comparari possit illi *Causae* quae est segregata *ab omnibus* rebus *secundum* totalem *excessum.* Non enim cadit in visionem intellectus nostri, nisi aliquod ens creatum et finitum quod omnino deficit ab Ente increato et infinito et ideo oportet quod Deum intelligamus esse supra omne id quod intellectu apprehendere possumus.

181. — Deinde, cum dicit [57]: *Rursus...* manifestat idem in his quae pertinent ad processiones divinarum Personarum et dicit quod ex sacris Scripturis, *accepimus quod Pater est fontana Deitas,* idest quod Pater est fons et principium totius Deitatis et quod *Filius et Spiritus Sanctus, si ita oportet dicere,* sunt quaedam *pullulationes deigenae Deitatis,* idest Patris qui est Deus generans, *pullulationes* inquam non extra divinam naturam sicut creaturae, sed in ipsa divina natura *et* sunt etiam *sicut flores et supersubstantialia lumina.*

182. — Nec est mirum si haec pluraliter dicimus de divinis Personis, quia si in metaphoricis locutionibus accipiatur ipsum signatum metaphorarum, oportet singulariter praedicari de divinis Personis; si vero accipiantur ipsae metaphorae, possunt pluraliter praedicari; per lumen enim metaphorice intelligitur veritas. Possumus ergo dicere quod Filius et Spiritus Sanctus sunt unum lumen, quia sunt una veritas; possumus etiam dicere quod sunt duo lumina, ut sit sensus quod signantur per duo lumina, idest per duos radios ab uno lumine procedentes, sicut per duos flores, quia uterque procedit a Patre. Nec tamen per hoc excluditur quin Spiritus Sanctus procedat a Filio.

183. — Sed *quomodo haec sunt non* possumus *dicere* nec *cogitare,* ut scilicet exprimamus vel cognoscamus qualis sit illa Paternitas vel Filiatio, *sed usque ad hoc* cognoscendum solum se extendit tota *virtus* nostri intellectus, quod *et nobis et supercoelestibus virtutibus,* scilicet Angelis, ex principali Paternitate divina, quae est *segregata ab omnibus* creaturis et similiter ex principali Filiatione, *data est omnis paternitas et filiatio* quae est secundum propagationem in rebus divinis, prout scilicet unus Angelus purgat, illuminat et perficit alium et unus homo alium; *ex qua* scilicet, principali Paternitate et Filiatione, mentes Angelorum Deo conformes et *fiunt* per participationem divinorum donorum *et nominantur* in Scripturis *et dii et deorum filii et deorum patres,* per assimilationem ad Paternitatem principalem et Filiationem.

184. — Et ne videatur deesse communicatio proprietatum Spiritus Sancti, subiungit quod talis paternitas et filiatio in sanctis Angelis perficitur *spiritualiter,* cum exponit spiritualitatem per tria: spirituale enim significat aliquid incorporale et immateriale et intelligibile. Et quamvis haec spiritualitas inveniatur in Angelis, divinus tamen Spiritus est supercollocatus super omnem intelligibilem immaterialitatem Angelorum vel Animarum, sicut et Pater et Filius sunt segregati per modum excessus ab omni paternitate et filiatione quae est in creaturis, secundum participationem rerum divinarum.

185. — Deinde, cum dicit [58]: *Neque enim...* probat quod dixerat, per assimilationem in aliis causis et causatis et dicit quod inter causas et causata, non potest esse *diligens,* idest perfecta *comparatio,* quia causae excedunt sua causata, *sed* est quaedam alia comparatio causatorum ad causas, inquantum *causata habent imagines,* idest simi-

litudines *causarum*. Omnis enim causa producit suum effectum per aliquem modum similitudinis, non tamen causata consequuntur perfectam similitudinem causae; *contingentes*, idest prout contingit secundum suam proportionem. Sed ideo non est perfecta comparatio, quia *causae* separantur *a causatis*, inquantum superponuntur eis, *secundum rationem proprii principii*, idest in illa ratione in qua sunt principia.

186. — Et hoc manifestat per exempla sumpta a rebus quae sunt apud nos: et primo quidem ex passionibus, secundum quod *delectationes et tristitiae* faciunt delectari et tristari non per modum causae efficientis, sed formalis, sicut dicitur quod albedo facit album, sed *ipsae* delectationes et tristitiae *non delectantur neque tristantur*. De eo enim quod delectatur vel tristatur, praedicatur delectatio seu tristitia per participationem, sed non de ipsa delectatione vel tristitia per essentiam et sic causa excedit effectum. Deinde ponit exemplum in causis agentibus cum dicit: *ignis* qui calefacit et urit, *non dicitur calefieri aut uri*, sed esse calidus et sic per suam naturam, calefacere alia. Postea ponit exemplum in causis formalibus, scilicet de per se vita, et per se lumine, ut inde per hoc non intelligatur aliquod lumen aut vita separata, sed ipsae formae participatae, secundum quem modum nec de vita potest dici quod vivat aut de lumine quod illuminetur, secundum rationem praedictam, nisi forte aequivoce, ut intelligatur vita vivere, quia est causa vivendi. Et assignat rationem illorum exemplorum et similium, per hoc quod *ea quae sunt causatorum* per modum participationis, sunt causarum superabundanter *et substantialiter*, sicut vivere est viventis participative, ipsius vero vitae est essentialiter.

187. — Deinde, cum dicit [59]: *Sed quod est...*, manifestat idem circa Humanitatem Christi; et primo, per sua verba; secundo, per verba Hierothei; ibi [60]: *Haec autem...*

188. — Dicit ergo, primo, quod quamvis in omnibus quae de Deo dicuntur, manifestissimum videatur quod ad Incarnationem pertinet, tamen *compositio* qua, divinitus, Iesus compositus est *secundum nos*, idest secundum quod habet naturam nostram, non potest sufficienter exprimi quocumque verbo, nec sufficienter cognosci quacumque mente, etiam ipsius supremi Angeli. *Accepimus quidem* secundum Scripturas, velut quoddam occultum mysterium, quod ipse Iesus est factus substantia *viriliter*, idest hypostasis virilis, sed nescimus sufficienter *quomodo* corpus Eius compactum sit *ex virgineis sanguinibus, lege* quadam *praeter naturam*: factum est enim virtute Spiritus Sancti, quae est omni menti creatae incomprehensibilis. Et etiam non possumus perfecte scire *quomodo ambulavit* super aquam maris, quae est humida et instabilis substantia, *pedibus siccis*, non quidem deposita corporis gravitate per assumptionem dotis agilitatis, ut quidam dixerunt, sed adhuc pedibus habentibus *materiae gravitatem:* hoc enim factum est virtute divina incomprehensibili. Et eadem ratio est in omnibus aliis quaecumque pertinent ad cognitionem Iesu, quae excedit naturale lumen aut naturalem rationem.

189. — *Haec autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt et a nobili duce in Theologicis ipsius Stoichiosibus laudata sunt valde supernaturaliter*. His quae praemiserat ad Incarnationis mysterium necessaria, adiungit quaedam verba Hierothei de laude Christi; et circa hoc duo facit: primo, ostendit unde Hierotheus accepit haec verba quae dixit; quia scilicet: vel habuit haec ex doctrina Apostolorum vel ex studio sanctarum Scripturarum vel ex speciali revelatione ipsi facta; secundo, ponit verba ipsius; ibi [61]: *Omnium causa...* [lectio 5ª].

190. — Dicit ergo, primo, quod praedicta quae pertinent ad laudem Christi, *sufficienter* ipse dixit *in aliis*, scilicet in libro de Divinis Hypotyposibus et sunt etiam, valde excellenter super naturalem modum, laudata a quodam Hierotheo, qui fuit nobilis dux, idest magister, discipulus Apostolorum et hoc in quodam libro suo quem intitulavit *de Theologicis Stoichiosibus*, idest divinis obscuris commentis; et ponit consequenter tres modos quibus ea quae sequuntur, Hierotheus acquirere potuit: unus modus est quod *accepit* ea, addiscendo *a sanctis theologis*, idest ab Apostolis; alius modus est quod ipse, proprio studio, inspexit ea, ex sapienti et subtili discussione sanctarum Scripturarum. Quae quidem subtilis discussio in duobus consistit: quorum primum subdit dicens: *ex multa luctatione circa ipsa*, in quo assiduitas studii designatur: tunc enim aliquis multum luctatur cum Scriptura, quando aliquis, inspecta difficultate Scripturae, nititur ad videndum difficultatem; secundum subdit, dicens: *et contritione* in quo designatur diligens Scripturae expositio, quod enim conteritur, usque ad minima dividitur; tunc ergo aliquis Scripturam sacram conterit, quando subtiles sensus in ea latentes, exquirit.

191. — Tertius modus habendi est, quod doctus est ista quae dixit *ex quadam inspiratione diviniore*, quam communiter fit multis, *non solum discens, sed et patiens divina*, idest non solum divinorum scientiam in intellectu accipiens, sed etiam diligendo, eis unitus est per affectum. Passio enim magis ad appetitum quam ad cognitionem pertinere videtur, quia cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis et non secundum modum rerum cognitarum, sed appetitus movet ad res, secundum modum quo in seipsis sunt, et sic ad ipsas res, quodammodo afficitur.

192. — Sicut autem aliquis virtuosus, ex habitu virtutis quam habet in affectu, perficitur ad recte iudicandum de his quae ad virtutem illam pertinent, ita qui afficitur ad divina, accipit divinitus rectum iudicium de rebus divinis. Et ideo subdit quod *ex compassione ad* divina, idest ex hoc quod diligendo divina coniunctus est eis (si tamen dilectionis unio, compassio dicit debet, idest simul passio), *perfectus est* Hierotheus, idet institutus, *ad unitionem et fidem ipsorum*, idest ut eis quae dixit, uniretur per fidei unitionem; dico: *indocibilem*, idest quae humano magisterio doceri non potest; *et mysticam*, idest occultam, quia excedit naturalem cognitionem. *Et, ut* in paucis comprehendamus *multas et beatas visiones*, idest revelationes *potentis deliberationis*, idest virtuosae discussionis *illius*, scilicet Hierothei, licet multa alia dixerit, *haec* tamen, quae sequuntur, *dicit* ad laudem *Iesu* Christi, in libro supra nominato.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 54, **173**: « uniti »; alia lectio *ἐπιβαλόντες*, « intendentes » vel « *nos applicantes* », quam praefert Turturro: cfr. 56 - *ἐπιβάλλομεν*, « nos immittimus », 88 - *ἐπιβαλεῖν*, « nos immittere ». Ratio eius est quia « nos non valemus normalibus operationibus intellectualibus penitus perspicere in mysterio divino, unde aliquando necessaria est extasis quae nos Deo coniungit (cap. I, § 1 - 3, **7-9**). Nunc autem hanc unionem transcendentem auctor attribuit theologis et sanctis (cap. I, § 5; 22-23, **82-83**), exempli gratia S. Paulo et Hierotheo, quos magistros suos vocat. Valde mirum est ipsum de se loqui tamquam inspirato, dum e contra affirmat et declarat se doctrinam exponere tum Librorum sacrorum, tum sui Magistri ».

Sed notandum quod unio de qua loquitur cap. I, § 1 non fit per extasim; *per fidem* enim *divinae veritati adhaeremus*, unde ulterius cognitio theologica evolvitur iuxta doctrinam quam Dionysius habet a Clemente Alexandrino (*Strom.* I, 1, edit. Potter, I pag. 325; *ibid.* IV, 1 - pag. 564). Cognitio autem quae habetur per remotionem nos ducit ad « ultimum ad quod pertingere possumus » et sic Dionysius loquitur de unione cap. I, § 5 (22-23, **82-83**).

Quia vero duplex est cognitio divinorum (*Epist.* 9, § 1; MG. III, 1105 D), inde est quod quaedam nobis clarescunt, quibusdam vero per fidem « secundum divinam traditionem » nempe *symbolum fidei, uniti* manemus, qua cognoscimus absque visione (cap. I, § 4; 15, **64-67**). Lectio *ἐνωθέντες* - « uniti » praeferenda videtur.

* ad n. 56, **180**: *δυνάμεις* - « virtutes »; alia lectio: *μεθέξεις* - « participationes » quam praefert Turturro. At non bene video quare dicat « *δυνάμεις* hic explicare *μεθέξεις* » dum manifestum est contrarium omnino. Lectio enim « *δυνάμεις* » obscura valde et periculosa est, si hypostases ponantur ut placuit Philoni Gnosticis et quibusdam neo-platonicis, unde prima videtur. Recolas, quaeso, quae dicit Clemens Alexandrinus in *Cohortatione ad Gentes:* « Si enim nobis est magister ille qui omnia implevit *sanctis virtutibus* (*δυνάμεσιν ἁγίαις*): opificio, salute, beneficio, legislatione, prophetia, doctrina, nunc magister omnia continet et Verbo universus factus est Athenae et Hellas » (11; edit. Potter I, pag. 86-87). Inde Dionysius pressius determinat doctrinam theologiae discretae per relationem ad « *dona* » Dei (37) vel « *processiones et manifestationes* » (40): sunt « virtutes » quae ex Ipso ad nos producuntur. Ex hoc bene potest intelligi effatum: « actio divina *ad extra* est formaliter immanens et *virtualiter* transiens ». « Virtutes » Dionysii et ut videtur Clementis Alexandrini sunt istae *virtualitates* quae fundant characterem positivum perfectionum metaphysicarum.

* ad n. 57, **181**: « pullulationes »; cfr. *de sententia Dionysii* XVIII, 3; edit. Opitz - Athanasius Werke II, 1, pag. 59-60 et in nota cit. Origenis, *de Princip.* II, 2 (MG. 11, 186 C): « origo et fons Filii vel Spiritus Sancti Pater est » et fragmentum ex *Com. Iohannis* LXIX, ubi Pater appellatur « radix et fons » Filii. Basilius in epist. 38, 5 scribit: ... « ita ut *hypostaseon* quidem *proprietates*, ceu *flos* quidam eorum quae in iride apparent, *in singulis personis... effulgeant* » (Opp. III, 119 E).

* ad n. 59, **188**: « et alia quaecumque sunt Iesu supernaturalis *luminis apparitionis aut naturalis rationis* ». Coniicio interpretem latinum *φωτοφανείας* (« luminosae apparitionis ») legisse post *ὑπερφυοῦς* et inde: *ἢ φυσιολογίας* (« *aut* naturalis rationis »). Lectionem communem ita vertunt: « et alia quaecumque excellentem Iesu naturam signant » (Ambrosius); « aliaque perfecerit quae praestantem insignemque Iesu naturam attingunt » (Perionius); « aliaque perfecerit quae supernaturalem Iesu naturam indicant » (Cordier); « et il en va de même plus généralment pour tous les secrets de la nature mer-

veilleuse de Jésus » (M. de Gandillac). Hanc propono: « et alia quaecumque *pertinent ad supernaturalem tractationem de natura Iesu* »; *φυσιολογία* enim in sensu antiquorum est consideratio vel tractatio de natura: inde, ni fallor, « supernaturalis » huic considerationi vel tractationi de natura Iesu coniungitur, ex eo quod ipsa *humana natura* prout est « *θεοπλαστία* » est « ineffabilis » et « ignota ». Praesuppositum psychologicum et ethicum Apollinaristicum funditus evertitur.

2ª QUOAD « HIEROTHEUM » (60, **190-192**):

In diversis diversa legi, at singulorum opiniones exponere supervacaneum. Quae sentio, breviter dicam, inquirendo et proponendo, potius quam determinando.

Ante omnia, duplicem inversionem psychologicam excludo: unam, qua Dionysius esset Severus absconditus et Severus esset Dionysius patefactus; alteram, qua Hierotheus esset Dionysius absconditus et Dionysius esset Hierotheus patefactus. Hae sunt involutiones cuiusdam spiritus recentioris.

Bene notat Mullerus Hierotheum esse *nomen symbolicum*, quod iam Pachymeres signavit ad verba cap. III, § 3-94: « *a sacro et divino* homine, hoc est enim « *vere* Hierotheo » (H. F. Müller, *Dionysios, Proklos, Plotinos. Ein historischer Beitrag zur neuplatonischen Philosophie.* Münster i. W. 1926, pag. 37-38). Ex alia parte, consentio cum Hiplero affirmante Hierotheum « repraesentari in scriptis dionysianis tamquam *figuram historicam* » (art. *Hierotheos* in *Kathol. Kirchenlexikon*, cit. *ibid.*, pag. 38, n. 1).

Quis est iste homo qui in *de divinis Nominibus* est « Hierotheus » et in *de Ecclesiastica Hierarchia* apparet tamquam « Hierarcha »? Agitur enim, ut puto, de una eademque persona maximi valoris, quae est « non solum *discens* sed et *patiens divina* » (60).

Si ponamus « scholam Hierothei » (J. Langen, *die Schule des Hierotheus*, Intern. theol. Zeitschrift, 1 - 1893 - pag. 590 ss.) esse scholam Basilii, apud Annesim in Ponto (Basilii, *Epist.* 2, 3-5, Opp. III, 72 E-74 B) quae communia inveniuntur in doctrina theologica et spirituali Dionysii, Gregorii Nazianzeni et Gregorii Nysseni facilius et melius explicantur per communem magistrum. « Magnus Sol » (92) vocatur Hierotheus, sicut ille qui *divina sapit* a Clemente Alexandrino dicitur « sol splendens » (*Strom.* VI, 13; edit. Potter II, 792). Ex *psal.* 18, 6 Gregorius Nazianzenus Solis laudem applicat in hunc modum: « Basilio autem pulchritudo virtus fuit, *magnitudo theologia* (*μέγεθος δὲ ἡ θεολογία*), cursus motus perpetuus et usque ad Deum ascensionibus ferens (*τὸ ἀεικίνητον καὶ μέχρι θεοῦ φέρον ταῖς ἀναβάσεσι*) potentia doctrinae seminatio et distributio » (*Orat.* 43, in laudem Basilii Magni, 66). Si autem ad ea quae de figura spirituali dici possunt, adderentur quaedam capita doctrinae theologicae huius doctoris propria, forsan « symbolum » Dionysii aliquo modo posset corporificari. Sane, « theologicae Stoichioses » (59) inter opera nota Basilii non adnumerantur. Non ambigo; difficultatem maximam agnosco, impossibilitatem absolutam non video. Ipse Basilius quaedam valde attendenda innuit dum suos discipulos alloquitur *de Fide:* « Alia simplicitas eorum qui in pace pietatem confitentur et alii sudores eorum qui *adversus falsae cognitionis antitheses* (*πρὸς τὰς ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*) se opponunt » (*de Fide* 2; Opp. II, Paris. 1722, 225 B). Desiderium discipulorum adimplens, *facile compendium fidei* nunc illis tradit.

Inde, sese excusans, dicit: « nobis autem quod vos urgeatis, nec facultas est nec otium omnia colligendi quae ubique in divina Scriptura dicta sunt de Patre et Filio et de Spiritu Sancto, sed tamen si pauca ex omnibus apponamus, conscientiae vestrae sufficere arbitramur ad nostrae sententiae ex Scripturis (*πρός τε τὴν τοῦ ἡμετέρου ἐκ τῶν γραφῶν φρονήματος*) manifestationem et ad vestram ipsorum aliorumque idem a nobis desiderantium informationem » (n. 3; ibid. 227 A).

Quae scripsit fusiori calamo et altiori methodo cognovimus; quae in nocturnis diurnisve conversationibus et *collationibus* dixit ignoramus. Quaedam pertinentia ad « thesaurum familiae » in lucem postea prodierunt, ut de Commentarii in Isaiam prophetam *notis*, scripsit Humbertclaudius, eiusdem libri authentiam basilianam vindicans.

Si ea quae Dionysius dicit de Hierotheo cap. seq. et maxime n. 88, 92 vana non sunt, concessum nobis quoque sit cogitare verisimile esse maiora capita doctrinae theologicae, quae inveniuntur in operibus S. Basilii et in Corp. Dionys. reperiuntur, ipsum magnum doctorem coelestium rerum collegisse ad usum quorumdam discipulorum « *quasi* praecipiens » illis aliisve instructioni iuvenum studentium praefectis minutatim explicare (88). Si enim « finis Christianismi est *imitatio Christi* (*ὅρος Χριστιανισμοῦ μίμησις Χριστοῦ*) *iuxta humanitatis mensuram, prout convenit unusquisque vocationi* » (*Regulae fusius tract.* XLIII, Opp. II, 389 E - 390 A) expedit iis *qui recens advenerunt* statim scripturarum sententias ediscere, « ut perficiatur pietas et *ut humanis traditionibus non assuescat* » unusquisque (*Regulae brevius tract.* XCV; ibid., 449 A). Inter hos discipulos, qui doctrinam *Scripturis consonam* (*ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀκόλουθον* - *ibid.*) ediscunt et docent, habemus quemdam Dionysium cuius « animae alas divino unguento » Basilius inunxit (*Epist.* 10; Opp. III, 92 B) et Timotheum (*Epist.* 291, ibid., 429 E), cuius meminit *Historia Lausiaca* Palladii (XLVIII, edit. Lucot, Paris. 1912, pag. 329).

Aliqua subiungenda videntur circa tres modos quibus Hierotheus doctrinam acquisivit: « theologi » hic non sunt « Apostoli » (**189-190**) sed illi quos scriptores et patres Ecclesiae vocant, sicut Basilius in *libro de Spiritu Sancto*, cap. XXIX citat Irenaeum, Clementem Romanum, Dionysium Romanum, Dionysium Alexandrinum, Origenem, Iulium Africanum, Athenogenem, Gregorium Magnum (« thaumaturgum »); « luctatio » est *exercitium* (*γυμνασία*) et « contritio » est *trituratio* (*τριβή*), sicut Basilius laborem maximum monstrat, initio *hom. II in Hexaemeron;* « inspiratio » est illa *experientia*, de qua loquitur Basilius, quando scribit: « quemadmodum mellis natura non aeque sermone ac ipso gustus sensu exhiberi inexpertis potest, sic neque caelestis verbi *bonitas* documentis clare exponi potest, nisi, *dogmatibus veritatis diutius examinatis, bonitatem Domini possimus nostra ipsorum*

experientia apprehendere » (*hom. in psal.* XXXIII, 6; Opp. I, 149 A).

Recolas, quaeso, quae leguntur in quodam fragmento Aristotelis et intelligere poteris progressum spiritualem per christianam Religionem et valorem experientiae in ordine ad doctrinam: « Qui initiatur non habet apprehendere, sed perfici per interiorem impressionem » - *οὐ μαθεῖν, ἀλλὰ παθεῖν* (frag. 15 Rose - cit. Iaeger, *Aristotele*, trad. Calogero, Firenze 1935, pag. 212; N. Turchi, *Le religioni misteriche del mondo antico*, Milano 1948, pag. 40). Dionysius ex doctrina magistri non oppositionem ponit, sed *vivam synthesim* exprimit: « *οὐ μόνον μαθὼν ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα* » - *non solum* discens, *sed et* patiens divina. S. Thomas utitur hac « *auctoritate* » in *Summa Theologiae* I, 1, 6, ad 3.

Ex alia parte, Porphyrius in laudem Plotini meminit vigoris eius in sermone: « *τὰ πολλὰ ἐνθουσιῶν καὶ ἐκπαθῶς φράζων* (*Vita Plotini*, 14). Hoc testimonium Porphyrii de Plotino « qui loquitur multoties ex quodam divino instinctu percitus et ardenter » non ego reiiciam, at quare Müller velit ex hoc explicare quae Dionysius dicit de Hierotheo (*op. cit.*, pag. 39) me latet omnino.

LECTIO V (8ª)

Verba Hierothei de Christi Deitate et Incarnatione.

SYNOPSIS

(Lect. V; cap. II; textus nn. 61-70); expositio nn. 193-207).

Ponit verba Hierothei de Christo:

1° — ponit ea quae pertinent ad laudem Deitatis Christi:
- a) comprehendit in summa laudem Deitatis Christi (61; 195);
- b) explicat in speciali:
  - j° - ostendit praedictam Deitatem esse causam eorum quae ad essentiam rerum pertinent (62-66; 197-202);
  - ij° - idem ostendit per comparationem ad ea quae sunt exemplum essentiarum rerum (67-69; 203-206);

2° — ponit ea quae pertinent ad laudem Humanitatis Christi (70; 207).

TEXTUS DIONYSII

§ 10. 61. — « Omnium Causa et adimpletiva est Iesu * Deitas;

62. — quae partes totalitati consonas salvat et neque pars est neque totum et totum et pars, sicut omnium * et partem et totum in seipsa coaccipiens et superhabens et praehabens.

63. — Perfecta quidem est in imperfectis, sicut perfectionis princeps, imperfecta autem in perfectis, sicut superperfecta et praeperfecta.

64. — Forma, formam faciens in carentibus forma, sicut formae princeps; sine forma in formis, sicut super formam.

65. — Substantia, totius * substantiis immaculate superveniens et supersubstantialiter ab universa substantia segregata.

66. — Tota principia et ordines determinans et super omnem principatum et ordinem collocata *.

67. — Et mensura est existentium et aevum super aevum et ante aevum;

68. — et plena in minus habentibus, superplena in plenis.

69 — Indicibilis, ineffabilis, super mentem, super vitam, super substantiam, supernaturaliter habet supernaturale, supersubstantialiter supersubstantiale.

70. — Unde, quoniam et usque ad naturam a benignitate venit, et vere substantia factus est et vir superdeus existitit — propitiatione autem sint a nobis haec super mentem et rationem laudata — quamvis et in istis habet supernaturale et supersubstantiale,

*§ 10. 61. — [C] « Ἡ πάντων αἰτία καὶ ἀποπληρωτικὴ τοῦ Ἰησοῦ * θεότης*

*62. — ἡ τὰ μέρη τῇ ὁλότητι σύμφωνα διασώζουσα καὶ οὔτε μέρος οὔτε ὅλον οὖσα καὶ ὅλον καὶ μέρος ὡς πᾶν * καὶ μέρος καὶ ὅλον ἐν ἑαυτῇ συνειληφυῖα καὶ ὑπερέχουσα καὶ προέχουσα.*

63. — Τελεία μέν ἐστιν ἐν τοῖς ἀτελέσιν, ὡς τελετάρχις, ἀτελὴς δὲ ἐν τοῖς τελείοις ὡς ὑπερτελὴς καὶ προτέλειος.

64. — εἶδος εἰδοποιὸν ἐν τοῖς ἀνειδέοις ὡς εἰδεάρχις, ἀνείδεος ἐν τοῖς εἴδεσιν ὡς ὑπερ εἶδος.

*65. — Οὐσία ταῖς ὅλαις * οὐσίαις ἀχράντως ἐπιβατεύουσα καὶ ὑπερούσιος * ἁπάσης οὐσίας ἐξῃρημένη·*

*66. — τὰς ὅλας ἀρχὰς καὶ τάξεις ἀφορίζουσα καὶ πάσης ἀρχῆς καὶ τάξεως ὑπεριδρυμένη *.*

67. — Καὶ μέτρον ἐστὶ τῶν ὄντων καὶ αἰὼν καὶ ὑπὲρ αἰῶνα καὶ πρὸ αἰῶνος·

68. — πλήρης ἐν τοῖς ἐνδεέσιν· ὑπερπλήρης ἐν τοῖς πλήρεσιν.

69. — ἄῤῥητος ἀφθεγκτος, ὑπὲρ νοῦν ὑπὲρ ζωὴν [D] *ὑπὲρ οὐσίαν· ὑπερφυῶς ἔχει τὸ ὑπερφυές, ὑπερουσίως τὸ ὑπερούσιον.*

70. — Ὅθεν ἐπεὶ καὶ ἕως φύσεως ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐλήλυθε καὶ ἀληθῶς οὐσιώθη καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν — ἴλεω δὲ εἴη τὰ πρὸς ἡμῶν τὰ ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον ὑμνούμενα — κἂν τούτοις ἔχει τὸ ὑπερφυὲς καὶ ὑπερούσιον οὐ μόνον ᾗ ἀναλλοιώτως [649A] *ἡμῖν καὶ ἀσυγχύτως κεκοινώνηκε μηδὲν πεπονθὼς εἰς τὸ ὑπερπλῆρες αὐτοῦ πρὸς τῆς ἀφθέγκτου κενώσεως, ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ πάντων καινῶν καινότατον, ἐν τοῖς φυσικοῖς ἡμῶν ὑπερφυὴς ἦν, ἐν τοῖς κατ' οὐσίαν ὑπερούσιος, πάντα τὰ ἡμῶν ἐξ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ὑπερέχων ».*

non solum secundum quod invariabiliter et inconfuse nobis communicavit, nihil passus ad superplenum ipsius ab ineffabili exinanitione, sed quoniam et, quod est omnibus novis magis novum, in naturalibus nostris supernaturaliter erat, in substantialibus supersubstantialiter, omnia nostra super nos habens ».

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

193. — Deinde cum dicit [61]: *Omnium causa...* ponit verba Hierothei de Christo; et primo, ponit ea quae pertinent ad laudem Deitatis Christi; secundo, ea quae pertinent ad laudem Incarnationis Eius; ibi [70]: *Unde...*

194. — Circa primum, duo facit: primo, comprehendit in summa, laudem Deitatis Christi; secundo, explicat in speciali; ibi [62]: *quae partes...*

195. — Dicit ergo, primo, quod *Deitas Iesu* Christi *est causa omnium*, inquantum per ipsam omnia reducuntur in esse; *et* est etiam *adimpletiva* omnium, inquantum per ipsam omnia suis perfectionibus replentur.

196. — Deinde, cum dicit [62]: *quae partes...* exponit, per singula, causalitatem praemissam. Ubi considerandum est quod, primo, ostendit praedictam Deitatem esse causam eorum quae ad essentiam rerum pertinent; secundo, eorum quae sunt exemplum essentiarum rerum; ibi [67]: *Et mensura...*

197. — Circa primum, considerandum est quod, in rerum essentiis, talis quidem processus et ordo considerantur: nam, primo, sunt rerum principia; secundo, substantia rei, ex principiis constituta; tertio, determinatio rei ad propriam speciem quae est per formam; quarto, ex forma consequitur res perfectionem, non solum in esse specifico, sed etiam quantum ad propriam operationem et finem: quinto, res diversae quae singulae quamdam perfectionem habent in seipsis, quodam ordine adunatae, aliquod totum perficiunt.

198. — Procedit ergo Hierotheus ad ostendendum causalitatem Deitatis Christi divinam, retrogirando, per viam resolutionis, eam incipiens a toto: et dicit [62] quod *Deitas Iesu* conservat *partes consonas*, idest proportionatas *totalitati*, in quo consistit perfectio totius; *et neque est pars neque totum et* est *totum et pars.* Est quidem *totum et pars* Christi Deitas, sicut in seipsa non divisim, sed simul *accipiens omnium et partem et totum*, quia quidquid est perfectionis, in quocumque toto vel parte, totum praeexistit in Deo. *Est* autem *neque totum neque pars*, quia non eodem modo habet perfectionem totius et partis, sicut totum et pars, sed supereminentius et prius.

199. — Secundo, ostendit causalitatem Deitatis Christi quantum ad perfectionem rerum; ibi [63]: *Perfecta...* et dicit quod Deitas Christi dicitur *perfecta*, per comparationem ad imperfectionem, inquantum est principalis causa omnis perfectionis; sed si comparetur ad res perfectas, dicitur non perfecta, non quasi deficiens a perfectione, sed supereminentius et prius perfectionem habens.

200. — Tertio, ostendit idem circa formas; et dicit [64] quod Deitas Christi comparata ad ea quae carent forma, potest dici *forma* effective, inquantum *est forma formam faciens;* comparata vero ad formas, potest dici *sine forma*, non per defectum, sed per excessum, quia superat omnem formam.

201. — Quarto, ostendit idem quantum ad substantias; et dicit [65] quod Deitas Christi potest dici causaliter *substantia*, inquantum supervenit *totis substantiis*, idest omnibus et unicuique secundum totum, per modum cuiusdam participationis; sed tamen supervenit *immaculate*, quia non participatur per commixtionem substantiae, sed per modum similitudinis; *et*, iterum, est *segregata ab* omni *substantia*, inquantum *supersubstantialiter* existit.

202. — Quinto, ostendit idem quantum ad principia; et dicit [66] quod Deitas Christi, determinat omnia *principia* (diversorum enim diversa sunt principia) et determinat ordinem principiorum ad principiata, sed tamen, *est supercollocata* super omnem *ordinem et super omnem principatum.*

203. — Deinde, ostendit idem per comparationem ad ea quae sunt exemplum rei; et primo, quantum ad mensuram durationis rerum et dicit [67] quod Deitas Christi *est mensura existentium*, quasi determinans unicuique mensuram sui esse vel quia unumquodque intantum habet esse, inquantum appropinquat Ei; *et* etiam est *aevum* quod

dicitur mensura essendi, sicut tempus est mensura durationis et tamen est *super aevum*, inquantum est mensura superexcedens totum creatum.

204. — Secundo, ostendit causalitatem Eius, quantum ad perfectionem supervenientem qua rerum capacitas impletur, sicut intellectus impletur speciebus intelligibilibus; et dicit [68] quod Deitas Christi, comparata ad deficientia quae dicuntur minus existentia, dicitur *plena*, quasi plenitudinis causa et comparata ad ea quae sunt plena, dicitur *superplena*, quasi excedens super omnem plenitudinem.

205. — Tertio, ostendit eam per comparationem ad intellectum et locutionem quae sunt extra rem et dicit [69], quod est *indicibilis* et *ineffabilis*, quia neque sermone complexo, neque incomplexo, sufficienter exprimi potest; et est *super mentem* et *super* omnem *vitam*, quia excedit omnem cognitionem et omnem actum vitae.

206. — Et quia multa supernaturalia attribuerat Deitati Christi, consequenter ostendit quod non habet ea defectivo modo, sed supereminenti; et hoc est quod dicit, quod habet id quod est *supernaturale*, *supernaturaliter* et id quod *supersubstantiale*, *supersubstantialiter*. Absolvere enim a peccatis est supernaturale, sed purus homo non habet hoc supernaturaliter sicut habet Filius Dei et similiter dicendum est de aliis huiusmodi.

207. — Deinde, cum dicit [70]: *Unde...* laudat Humanitatem Christi et dicit quod Deitas Christi est tanta et excellens; inde est quod Ipse per suam benignitatem venit *usque ad naturam* nostram *et vere factus est substantia*, idest hypostasis nostrae naturae et cum *Superdeus* esset, factus est *vir*, idest homo. Haec quae dicuntur secundum propitiationem Ipsius, per quam humanam naturam assumpsit, debent laudari *super mentem et* super *rationem*. *Quamvis* enim acceperit propria nostrae naturae, tamen in ipsis rebus humanis habuit *supernaturale et supersubstantiale*, idest: uno modo, inquantum communicavit nobis, assumens nostram naturam absque variatione divinae naturae et absque commixtione ipsius et confusione ad humanam naturam, ita quod per exinanitionem ineffabilem, de qua Apostolus loquitur ad Philipp. 2 [7], *nihil passus est ad superplenum Ipsius*, idest nihil diminutum est de plenitudine suae Deitatis; non enim dicitur exinanitus per diminutionem Deitatis, sed per assumptionem nostrae naturae deficientis; alio modo, quia, *quod est* inter omnia nova *magis novum* et mirabile, Ipse *erat in naturalibus nostris supernaturaliter* et *in substantialibus* nostris *supersubstantialiter*, *omnia* humana, quae ex nobis accepit, supra *nos habens;* quia caro Eius maioris virtutis est et dignitatis quam alterius et anima Eius dignior omni anima et actus Eius et operationis fuerunt unificae, ex virtute Deitatis, ad invicem.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 61: τοῦ Ἰησοῦ, « Iesu »; al. τοῦ Ὑιοῦ, « *Filii* », quae est lectio Maximi (MG. IV, 228 C) et Pachymeris (MG. III, 673 B). Praeferenda videtur, quia melius intelligitur doctrina exposita.

* ad n. 62: « sicut omnium » (ὡς πάντων), alia lectio: ὡς πᾶν, « sicut *universum* » hoc est mundum, tum quoad suas partes, tum in quantum est « *totum* ».

* ad n. 65: « *totius* substantiis »; lect. com. ταῖς ὅλαις οὐσίαις - « *totis* substantiis ».

* « *substantialiter* » (ὑπερουσίως), al. ὑπερούσιος - « supersubstantialis ».

* ad n. 66: « collocata »; al. ὑπεριδρυμένη - *supercollocata*, ut habetur et in expositione (**202**).

2ª Quoad doctrinam:

Manifestum est hanc doctrinam Christologicam habere duplicem characterem: cosmicum, nempe (61-69) et soteriologicum (70) et ex triplici fonte manare: in primis, ex *prologo evangelii S. Ioannis*... [1] et Deus erat Verbum... [3] Omnia per Ipsum facta sunt... [10] et Verbum caro factum est; deinde, ex *epist. S. Pauli ad Colos.* (I): ... [16] in Ipso condita sunt universa ... omnia per Ipsum et *in Ipsum* creata sunt [17] et Ipse est ante *omnia* et omnia in Ipso *consistunt* ». Quae omnia contemplantur in delineatione hypostatica « Sapientiae » iuxta tradita in *libro Sapientiae* (VII): [21] (:) « ...omnium Artifex ... Sapientia. [22] Est enim in Illa, spiritus *intellectualis* ... multiplex (πολυμερές) ... incoinquinatus... [27] et cum sit una omnia potest et in se permanens omnia innovat ».

Hanc eamdem pulcherrimam doctrinam invenies passim expositam a scriptoribus et patribus Ecclesiae.

Quod dicit de Filio, in n. 67: « *mensura* (μέτρον) est existentium » in memoriam revocat verba Platonis: « Deus profecto nobis rerum omnium maxime sit *mensura* (μέτρον) multoque magis quam quivis ut ferunt, homo » (*Leg.* IV, 8; 716 C; cfr. Clemens Alex., *Stromat.* II, 22; Potter I, 499). Cum autem Filium appellat « *aevum* » (αἰών) statim occurrit Clemens Alex. qui, in suo *hymno eucharistico*, vocat Dominum: « *aevum* infinitum » (αἰὼν ἄπλετος, *Paedag.* III, in fine cap. 12 - edit. Potter I, 312) quod est

« Zervan Akarana » Magusaeorum et theologiae mithraicae.

In quodam fragmento Heracliti legitur: « *Αἰὼν παῖς ἐστι παίζων, πεσσεύων· παιδὸς ἡ Βασιληίη* » - « *Aevum* est puer ludens, calculos in alea movens; pueri est regnum » (Hippolyti, *Refut.* IX, 9 edit. Duncker, Gottingae 1859, pag. 444-445). Origo huius notionis iuxta Tannery in hymno aegyptiorum ad solem Râ quaerenda videtur, in quo Sol " puer quotidie oriens " vocatur et in hoc sensu *solari* pulcherrima de isto frag. heracliteo C. Mazzantini scribit (*Eraclito*, frammenti et testimonianze, Torino, 1945, pag. 117-120, 163[59], 241-243), cui consentio, si agatur de " puero " et de " sole ", eo vel magis quod ibi quaedam notio theologica haud spernenda latet: nam *Prov.* 8, 30 de *Sapientia* loquitur quae tamquam " puer " a Deo alitur, unde Calmet, interpretationem Aquilae *pontici* probans, notat: « se veluti *infantem recens natum* repraesentat qui prope Patrem suum manet atque videns illum agentem et coram eodem *ludens* oblectatur » (*Commentarium literale in omnes ac singulos tum Veteris tum Novi Testamenti libros*, IV, Venetiis 1730, pag. 575).

Recentiores haud immerito hanc interpretationem *Prov.* 8, 30 reiciunt (G. Girotti, *I Sapienziali*, Torino 1938, pag. 44). Remanet vero possibilitas alicuius influxus heraclitaei in *interpretationem* Aquilae *pontici*, quae historica significatione non caret. Unum autem elementum explicatione indiget tum quoad originem tum quoad sensum: agitur nempe de *Aevo* et *Αἰών* adhuc sua obscuritate involutum apparet, quae, iuxta vires, auferenda est si velimus plenius intelligere notionem theologicam tum Clementis Alex. tum Hierothei.

Origo huius notionis iuxta F. Cumont, non est quaerenda in Alexandria, ubi celebrabatur festum nativitatis *aevi* a virgine (v. Epiph., *haer.* LI, cap. 22 in addit. quam invenies in edit. Oehler, Berolini 1861, II, 1, pag. 632-633... « *ταύτῃ τῇ ὥρα σήμερον ἡ Κόρη, τουτέστιν ἡ Παρθένος ἐγέννησε τὸν Αἰῶνα* » - « hac ipsa hora hodie Core [*puella*] idest virgo genuit *Aevum* »), sed in doctrina Magorum, cuius iam meminit Eudemus Rhodius discipulus Aristotelis (F. Cumont, *Les Religions Orientales dans le Paganisme romain*, Paris 1929[4], pag. 277, n. 46).

Haec erat doctrina Magusaeorum Anatoliae, unde in mysteria Mithrae penetravit, constituendo illam theologiam mithraicam, quae in summitate hierarchiae divinae ponebat *aevum infinitum*, ex quo omnia (cfr. id, *Textes et Monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra*, Bruxelles, 1899, I, pag. 294). Nec defuit influxus in Gnosticismum Valentinianum, qui « aevum perfectum » (*τέλειον αἰῶνα*) ponebat, ex quo omnia (v. Irenaei *contra haereses* I, 1; Epiphanii *haeres.* XXXI, 11, ex Irenaeo et cfr. 5 ubi refert quosdam vocare ipsum: « *aevum senectutis expers et semper florens*, (*αἰῶνα ἀγήρατον, ἀεὶ νεάζοντα*).

Tum doctrina Magusaeorum tum theologia mithraica cultum unaquaeque ex parte sua fundabat hostilem Christianismo. Et haec forsan est ratio quare « Filii Deitas » vocatur « aevum » ab auctore *Syllabarii theologici* a Dionysio citati. Sed aliud in considerationem adducit, id quod S. Basilius scribit in quodam epistola ad Epiphanium circa quaestiones quas posuerunt de Magusaeis. « ... magorum ab Abrahamo genealogias nemo hactenus nobis narravit, sed *Zarnuam quemdam generis sui auctorem* esse (*Ζαρνοῦάν τινα ἑαυτοῖς ἀρχηγὸν τοῦ γένους*) ferunt (*Epist.* 258, 4; Opp. III, pag. 395 A). Ille Zarnua est *Zervan* (Aevum) hypostatice cogitatum tamquam stirpis principium. Inde forsan necessitas vocandi Filii Deitatem « *aevum super aevum et ante aevum* ».

Contra Magusaeos scripsit et Theodorus de Mopsuestia ad chorepiscopum Mastabium, opus tribus libris confectum, cuius meminit Photius in *Bibliotheca* 81: in primo ponebat doctrinam de *Zuruam* (= Zervan) et de eius sobole Ormisda (= Ahura Mazda *seu* Hormezd) et Satana (quo nomine certe intelligendus est Angra-Mainyu *seu* Ahriman, ab Eudemo Rhodio appellatus « malus daemon »); in aliis duobus, doctrinam fidei exponebat incipiens a creatione et de ipsa gratia breviter. In tertio libro notat Photius hunc Theodorum fortiter praeannuntiare haeresim Nestorii, unde putat auctorem esse Theodorum de Mopsuestia (cfr. F. Cumont, *Textes et Monuments* I, pag. 18-19). Inde forsan eruitur tertia ratio huius appellationis, nam hoc saltem intelligimus Zervanismum, in determinatis circumstantiis loci et temporis, *quaestiones vivas et problemata actualia* suscitasse apud scriptores christianos et ministros Christi, tum quoad doctrinam theologicam tum quod praxim pastoralem.

Quae supra adnotavi de *doctrina christologica* (cap. I, lect. 2, n. 14, **60-62**; pagg. 22-23) sufficiant et pro n. 70 huius lectionis. Tantum adiiciam quae in epistola S. Athanasii ad Epictetum Episcopum Corinthi leguntur et ipse Epiphanius in expositione et confutatione haeres. LXXVII posuit: « Quinam inferi illud eructarunt *consubstantiale Deitati Verbi esse corpus ex Maria?* Aut *Verbum in carnem et ossa et capillos et in totum corpus esse mutatum* (*μεταβέβληται* [quod excluditur per *ἀμεταβόλως* - absque mutatione]) *et a natura descivisse sua?* (*ἠλλάγη τῆς ἰδίας φύσεως*; [quod excluditur per *ἀναλλοιώτως* - invariabiliter]). « Quis autem in Ecclesia aut a Christianis unquam audivit *Filium gestasse corpus, impositione non natura?* (*θέσει* [quia nempe homines « carni » de qua loquitur Ioannes 1, 14, *imponunt* valorem quem habet « corpus » hominis] *καὶ οὐ φύσει*;) aut quis tam impius fuit ut diceret et sentiret *Deitatem Ipsius, Patri consubstantialem, circumcisam et imperfectam ex perfecto factam fuisse?* (*καὶ ἀτελὴς ἐκ τελείου γέγονε*) *et quod cruci affixum erat non fuisse corpus, sed ipsam substantiam opificem naturae?* (*ἡ δημιουργὸς οὐσία*...). « Quis haec audiens: *non ex Maria, sed ex sua ipsius substantia Verbum corpus passibile sibi efformavit*, haec loquentem christianum dixerit?... Aut cui hoc in mentem venerit dixeritque: *qui ait ex Maria esse dominicum corpus, is non amplius Trinitatem sed quaternitatem in Deitate cogitat?* Quasi vero qui ita sentiunt dicant carnem quam ex Maria Salvator inducit ex substantia esse Trinitatis » (v. Epiphanii *haeres.* LXXVII, cap. 4, edit. Oehler II, 1 pag. 340). Haec ultima consideratio erroris videtur novum valorem dare termino *ἀσυγχύτως* - inconfuse: agitur enim de communione (*κεκοινώνηκε*).

LECTIO VI (9ª)

De discretione divina quae attenditur secundum processionem creaturarum.

SYNOPSIS

(Lect. VI; cap. II; textus nn. 71-77; expositio nn. 208-221).

Prosequitur de discretione quae est secundum processiones creaturarum:

1° — exponit quomodo ista discretio est cum unitione:
- a) dicit de quo est intentio (71; **211**);
- b) manifestat quomodo possit esse divina discretio cum unitione:
  - j° - in ipso bono (72; **213-215**);
  - ij° - in ente (73; **216**);
  - iij° - in uno (74; **217**);
  - iv° - in ipso nomine deitatis (75; **218-219**);
- c) assignat rationem dictorum (76; **220**);

2° — promittit de istis quae ad hanc discretionem pertinent se determinaturum (77; **221**).

TEXTUS DIONYSII

§ II. 71. — « Igitur de istis quidem satis est; ad verbi autem intentionem procedamus, communia et unita discretionis divinae * Nomina, secundum quod est nobis possibile, revolventes.

72. — Et ut plane de omnibus consequenter praedeterminemus, discretionem divinam esse dicimus, sicut dictum est, bono convenientes Thearchiae processiones. Donans enim omnibus existentibus et superfundens totorum bonorum participationes, unitive quidem discernitur et in pluralitatem agitur singulariter et multiplicatur ex uno inegressibiliter.

73. — Postea *, quoniam existens est Deus supersubstantialiter, dat autem esse existentibus et deducit totas substantias, multiplicari dicitur unum existens illud, quia ex ipso multa existentia deducuntur. Manet autem nihil minus illud unum in multiplicatione et unitum in processione et plenum in discretione, eo quod ab omnibus existentibus supersubstantialiter segregatum est et quod ab ipso unitive tota deducantur et quod non minoratur effusio non minorabilium ipsius distributionum.

74. — Sed et unum existens et omni parti et toti et uni et multitudini unum tradens, unum est simpliciter supersubstantialiter, neque pars existens multitudinis, neque ex partibus totum, et ita neque

*§ 11. 71. — Τούτων μὲν οὖν ἅλις· ἐπὶ δὲ τὸν τοῦ λόγου σκοπὸν προΐωμεν τὰ κοινὰ καὶ ἡνωμένα τῆς διακρίσεως τῆς θείας * ὀνόματα κατὰ τὸ ἡμῶν ἐφικτὸν ἀνελίττοντες.*

72. — [B]. Καὶ ἵνα σαφῶς περὶ πάντων ἑξῆς προδιορισώμεθα, διάκρισιν θείαν φαμὲν ὡς εἴρηται τὰς ἀγαθοπρεπεῖς τῆς θεαρχίας πρόοδους. Δωρουμένη γὰρ πᾶσι τοῖς οὖσι καὶ ὑπερχέουσα τὰς τῶν ὅλων ἀγαθῶν μετουσίας, ἡνώμενος μὲν διακρίνεται, πληθύνεται δὲ ἑνικῶς καὶ πολλαπλασιάζεται ἐκ τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοιτήτως·

*73. — οἷον *, ἐπειδὴ ὤν ἐστιν ὁ θεὸς ὑπερουσίως δωρεῖται δὲ τὸ εἶναι τοῖς οὖσι καὶ παράγει τὰς ὅλας οὐσίας, πολλαπλασιάζεσθαι λέγεται τὸ ἓν ὂν ἐκεῖνο τῇ ἐξ αὐτοῦ παραγωγῇ τῶν πολλῶν ὄντων, μένοντος δὲ οὐδὲν ἧττον ἐκείνου καὶ ἑνὸς ἐν τῷ πληθυσμῷ καὶ ἡνωμένου κατὰ τὴν πρόοδον καὶ πλήρους ἐν τῇ διακρίσει τῷ πάντων εἶναι τῶν ὄντων ὑπερουσίως ἐξῃρημένου, καὶ τῇ ἑνιαίᾳ τῶν ὅλων προσαγωγῇ καὶ τῇ ἀνελαττώτῳ χύσει τῶν ἀμειώτων αὐτοῦ μετα[C]δόσεων.*

*74. — Ἀλλὰ καὶ ἓν ὢν καὶ παντὶ μέρει καὶ ὅλῳ καὶ ἑνὶ καὶ πλήθει τοῦ ἑνὸς μεταδοὺς, ἓν ἐστιν ὡσαύτως ὑπερουσίως, οὔτε μέρος ὂν τοῦ πλήθους οὔτε ἐκ μερῶν ὅλον· καὶ οὕτως οὔτε ἓν ἐστιν οὔτε ἑνὸς μετέχει *· πόῤῥω*

unum est, neque unum habet *. Longe autem ab istis unum est super unum quod est in existentibus * et multitudinem deducens et perficiens et continens.

75. — Rursus, ex ipsius deificatione deiformi * uniuscuiusque secundum virtutem multis diis factis, videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio, est autem nihilominus princeps Deus et superdeus supersubstantialiter unus Deus, indivisibilis, in divisibilibus unitus sibi ipsi et multis immixtus et non multiplicatus.

Et hoc supernaturaliter intelligens, communis noster et ducis ad divinam illuminationem manuductor, qui est multus in divinis, qui est lumen mundi, haec dicit motus a Deo, in sanctis litteris eius:

" etenim si sunt dicti dii, sive in coelo sive in terra — sicut quidem sunt dii multi et domini multi — sed nobis quidem unus Deus Pater ex quo omnia et nos in ipso et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et nos per ipsum ".

76 — Etenim in divinis unitiones discretiones superant et praeprincipantur et nihilominus sunt unita et post unius inegressibilem et unitivam discretionem.

77. — Istas communes et unitas totius Deitatis discretiones sive bono convenientes processiones, nos ex Dei nominationibus manifestantibus ipsas in eloquiis laudare, secundum quod est possibile, tentabimus. Hoc, quemadmodum dictum est, praecognito: omnem beneficam Dei nominationem, in quacumque ponitur thearchicarum Personarum, in tota ipsam accipi thearchica totalitate, inobservanter ».

*δὲ τούτων ἕν ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἓν τοῖς οὖσιν ἓν * καὶ πλῆθος ἀμερές, ἀπλήρωτον ὑπερπλῆρες, πᾶν ἓν καὶ πλῆθος παράγον καὶ τελειοῦν καὶ συνέχον.*

*75. — Πάλιν τῇ ἐξ αὐτοῦ θεώσει τῷ κατὰ δύναμιν ἑκάστου θεοειδεῖ * θεῶν πολλῶν γιγνομένων, δοκεῖ μὲν εἶναι καὶ λέγεται τοῦ ἑνὸς θεοῦ διάκρισις καὶ πολλαπλασιασμός, ἔστι δὲ οὐδὲν ἧττον ὁ ἀρχίθεος καὶ ὑπέρθεος ὑπερουσίως εἷς θεὸς ἀμέριστος ἐν τοῖς μεριστοῖς ἡνωμένος ἑαυτῷ καὶ τοῖς πολλοῖς ἀμιγὴς καὶ ἁπλήθυντος.*

Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος [D] *ἐπὶ τὴν θείαν φωτοδοσίαν χειραγωγός, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τὸ φῶς τοῦ κόσμου τάδε φησὶν ἐνθεαστικῶς ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ γράμμασι·*

« Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶν λεγόμενοι θεοὶ εἴτε ἐν οὐρανῷ εἴτε ἐπὶ γῆς — ὥσπερ » οὖν « εἰσὶν θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί — ἀλλ' ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ Πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς [652 A] *εἰς αὐτόν *· καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ * »*[1].

76. — Καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν θείων αἱ ἑνώσεις τῶν διακρίσεων ἐπικρατοῦσι καὶ προκατάρχουσι καὶ οὐδὲν ἧττόν ἐστιν ἡνωμένα καὶ μετὰ τὴν τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοίτητον καὶ ἑνιαίαν διάκρισιν.

77. — Ταύτας ἡμεῖς τὰς κοινὰς καὶ ἡνωμένας τῆς ὅλης θεότητος διακρίσεις εἴτουν ἀγαθοπρεπεῖς προόδους ἐκ τῶν ἐμφαινουσῶν αὐτὰς ἐν τοῖς λογίοις θεωνυμιῶν ὑμνῆσαι κατὰ τὸ δυνατὸν πειρασόμεθα, τούτου καθάπερ εἴρηται προδιεγνωσμένου τὴν πᾶσαν ἀγαθουργικὴν θεωνυμίαν, ἐφ' ἧπερ ἂν κεῖται τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων, ἐπὶ τῆς ὅλης αὐτὴν ἐκληφθῆναι θεαρχικῆς ὁλότητος ἀπαρατηρήτως.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

208. — Postquam Dionysius exposuit divinae discretionis et unitionis modum, hic prosequitur de illo modo qui principaliter pertinet ad materiam huius libri, scilicet de discretione divina quae attenditur secundum processionem creaturarum; quae quidem discretio unita est et communis toti Trinitati, ut supra dictum est [*lect.* 3ª, 49, **158-161**].

209. — Circa hoc, ergo, duo facit: primo, exponit quomodo ista discretio est cum unitione; secundo, promittit de istis quae ad hanc discretionem pertinent, in sequentibus se determinaturum; ibi [77]: *Istas...*

210. — Circa primum, tria facit: primo, dicit de quo est intentio; secundo, manifestat propositum; ibi [72]: *Et ut plane...*; tertio, assignat rationem dictorum; ibi [76]: *Etenim...*

211. — Dicit ergo, primo [71] quod, de illis quae pertinent ad laudem Christi, sufficiant ad praesens quae dicta sunt tam ab ipso, quam a Hierotheo; sed procedendum est ulterius ad ea quae pertinent *ad intentionem verbi* quod intendit in hoc opere, ut scilicet discutiamus, *secundum* nostram possibilitatem, nomina pertinentia ad illam discretionem divinam, quae attenditur secundum processionem creaturarum; quae quidem *nomina communia* sunt toti Trinitati et non solum communia, **sed etiam** *unita*.

[1] I *Cor.* 8, 5-6; nota *ὥσπερ οἱ* in textu Dionysii: « sicut *de facto* sunt », unde non est additio, sed *explicatio historica* praecedentis affirmationis concessivae (*εἴπερ*).

Est enim animal commune homini et equo, non tamen eadem numero animalitas est in utroque; sed bonitas et essentia et huiusmodi sic sunt communia toti Trinitati, quod unum numero sunt in tribus.

212. — Deinde, cum dicit [72]: *Et ut plane...* manifestat quomodo possit esse divina discretio cum unitione; et hoc manifestat in quatuor: primo, quidem, in ipso bono; secundo, in ente; ibi [73]: *Postea...*; tertio, in uno; ibi [74]: *Sed et unum...*; quarto, in ipso nomine Deitatis; ibi [75]: *Rursus...* Haec enim quatuor maxime videntur Deo convenire: primo, quidem, tam propter eorum communitatem, non enim determinatur ad genus vel speciem quod infinitati divinae naturae convenire videtur, quam etiam propter usum nominis, quod omnes supposito rerum Principio attribuunt.

213. — Dicit ergo primo [72] quod *discretionem divinam dicimus esse processiones* Deitatis, quae conveniunt Ei secundum rationem boni, *sicut* supra *dictum est* [40, **136**]. Et ideo incipiamus, primo, a bono ut consequenter in aliis manifestius ostendamus quod de bono ostensum fuerit. Nam bonum universaliter se habet ad omnes processiones: quidquid enim Deus creaturae communicat, ex sua bonitate communicat. Alia vero nomina, aliquas processiones speciales designant. Sic, ergo, quod in universali manifestatum fuerit, planius videri poterit in specialibus.

214. — Considerandum est autem quod multitudo procedit ex uno tripliciter: uno quidem modo, per divisionem sicut unum totum dividitur in multas partes, sed talis multitudo tollit plenitudinem et adunationem quae erat in toto. Alio modo, per modum communitatis sicut ex uno genere proveniunt multae species et ex una specie multa individua, sed istud unum sic multiplicatum non est unum singulare, sed commune. Tertio modo, multiplicatur apud nos aliquod unum per effusionem sicut ex uno fonte proveniunt multi rivuli, sed hoc fit cum quadam egressione, inquantum scilicet, aqua a fonte egrediens, se in multos rivulos diffundit.

215. — In existentia autem omnium bonorum participantium sapientiae, vitae et huiusmodi, ipsa quidem bonitas *discernitur*, idest distinguitur, dum distincta bona ab ea proveniunt, sed hoc fit *unitive*: nihil enim diminuitur de plenitudine, qua omnia bona adunantur in Ipsa; *et* iterum *in pluralitatem agitur singulariter*, idest in pluralitatem plurificatur in suis effectibus non sicut aliquod universale, sed singulare in seipsa manens; *et* iterum *multiplicatur* per diffusionem *ex uno, inegressibiliter*, quia nihil de substantia Eius egreditur. Et hoc ideo est, quia discretio et multiplicatio et diffusio attenditur secundum quasdam similitudinas divinae bonitatis; ipsa autem divina bonitate manente, secundum suam essentiam, indistincta et una et in se collocata.

216. — Deinde, cum dicit [73]; *Postea...* manifestat idem in ente et dicit quod quia *Deus est supersubstantialiter* ens, quantum ad suam existentiam, sed tamen *dat esse* omnibus *existentibus* et producit universaliter *substantias* rerum, propter hoc, *illud* ens *unum* supersubstantiale quod Deus est, *dicitur multiplicari* in sua, scilicet, similitudine; et quamquam *ex ipso multa existentia deducuntur*, sed tamen nihilominus, huiusmodi ens *manet unum*, secundum suam existentiam, *in multiplicatione* quae fit per eius similitudinem; *et* manet *unitum*, idest adunatum *in processione; et* manet *plenum* et integrum *in* distinctione. Et hoc ideo, quia Ipsum, in sua substantia, *est supersubstantialiter segregatum ab omnibus* entibus; *et* quia omnia producuntur *ab ipso unitive*, idest secundum unam virtutem, quae producendo diversa non dividitur; *et* quia *diffusio* donorum Eius, quae distribuit rebus, minorari non potest nec *minoratur*. Non enim est dicendum quod sic uni bona communicet quod non possit amplius communicare: in nullo enim plenitudo bonitatis Eius, per huiusmodi communicationem, diminuitur.

217. — Deinde, cum dicit [74]: *Sed et unum existens...* ostendit idem quantum ad unum et dicit quod Deus, cum sit *unum* et det *unum* esse *parti et toti* et communi unitati *et multitudini*, inquantum omnis multitudo aliqualiter participat unum, Ipse, inquam, sic *existens unum* et dans unitatem, *supersubstantialiter est unum simpliciter*, sicut bonum et ens; quia non est aliquid eorum quibus dat esse unum. Non enim est sicut unum quod est *pars multitudinis*, cum nihil Ei ex aequo connumerari possit; neque etiam est unum, sicut aliquod *totum ex partibus* constitutum; *et* sic non *est unum* eo modo quo alia, *neque habet unum* quasi participans ipso; sed tamen *unum est*, elongatum *ab istis* quae hoc sunt unum, in quantum *est super unum* quod invenitur *in existentibus* creatis; *et* hoc est unum quod producit *multitudinem* rerum in esse *et* perficit, attribuendo rebus proprias perfectiones *et* con-

tinet, conservando omnia in suo esse et in suo ordine.

218. — Deinde, cum dicit [75]: *Rursus...* ostendit idem in ipso nomine Deitatis; et dicit quod *videtur esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio* inquantum multi dii fiunt ex hoc quod Deus aliquas creaturas deificat per conformitatem ad Deum *secundum virtutem uniuscuiusque* deificatorum; non quod perfecte ei conformari possint aut quod per existentiam dii dicantur. Et quamquam sint et dicantur multi dii beatificati, *nihilominus* tamen *est* unus principalis *Deus* qui est super omnem deitatem communicatam, *supersubstantialiter* existens *unus Deus*. Et cum Ipse existat in omnibus, *indivisibilis* manet *in* rebus *divisibilibus* existens quibus esse communicat et est *unitus* in seipso et multitudini non admiscetur *et non* multiplicatur secundum quod in se consideratur.

219. — *Et hoc supernaturaliter intelligens* beatus Paulus qui fuit *manuductor*, idest instructor ad divinam illuminationem tam ipsius Dionysii quam etiam *ducis* eius, idest Hierothei (*qui*, scilicet Paulus, multa de *divinis* cognovit et *qui est lumen mundi*, sicut ipse in se dicit impletum, Act. 13 [47] quod dicitur Esai. 49 [6]: « posui te in lucem gentium ») *haec dicit in* suis *sanctis* Epistolis, scilicet I Corinth. 8 [5-6], *motus* per inspirationem *a Deo*, quia « *etsi sunt qui dicantur dii sive in coelo sive in terra... nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia et nos in illo; et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et nos per ipsum* ». Ex hac enim auctoritate, patet quod multitudo deificatorum et in coelestibus sicut sunt angeli et in terra sicut sancti homines, non praeiudicat unitati Deitatis, quae communis est Patri et Filio.

220. — Deinde, cum dicit [76]: *Etenim...* assignat rationem dictorum. Ideo enim processio praedicta et multiplicatio et discretio unitatem divinam non tollit, quia *in divinis unitiones superant discretiones et principantur eis*; unitiones enim attenduntur secundum ipsam divinam Essentiam, discretiones autem secundum similitudines Dei rebus impressas, quae multum deficiunt a suo Principio *et* ideo divina *nihilominus* remanent *unita*, postquam illud unum quod est Deus, discernitur per diversas similitudines, *discretione inegressibili*, quia nihil egreditur de divina Essentia *et unitiva*, quia talis discretio unitatem divinam non tollit.

221. — Deinde, cum dicit [77]: *Istas communes...* promittit se de huiusmodi in sequentibus acturum et dicit quod tentabit, secundum suam possibilitatem, cum laude Dei, exponere praedictas *discretiones* quae sunt unitae et *communes* toti Deitati *sive* etiam nominentur *processiones convenientes* bonitati divinae. Intendit autem eas manifestare ex divinis nominibus quae in Scripturis traduntur, quae demonstrant huiusmodi processiones, sicut cum dicimus Deum vivum vel sapientem, demonstratur processio vitae et sapientiae a Deo in creaturas. Hoc tamen praecognosci debet, quia, ut dictum est [n. 49, **158-161**] quaecumque *Dei* nominatio ad Eius beneficientiam pertinens, de *quacumque* divinarum Personarum dicatur, de omnibus Personis, absque dubio, accipienda est.

OBSERVATIONES

I° Quoad textum:

* ad n. 71: discretionis *divinae*, minime: « discretionis *divina nomina* »; cfr. in expositione (**211**): « ad illam discretionem divinam ».

* ad n. 73: « postea »; melius: « exempli gratia... » (*οἷον, ἐπειδή...* proponit Turturro, cui consentio).

* ad n. 74: « neque unum est neque unum habet ». Turturro bene notat: « cum Deus non sit totum in partibus, *non est unum;* cum non sit pars totius, *non participat unum* ». Ergo illa lectio *οὐδὲ τὸ ἓν ἔχει* (*neque unum habet*) quae vel substituit *οὔτε ἑνὸς μετέχει* (*neque unum participat*) vel additur, glossa est superflua. Ita lego: « neque unum est neque unum participat ».

* : « Longe autem ab istis unum est *super unum quod est in existentibus et multitudo impartibilis* (*καὶ πλήθος ἀμερές*) *inexplebilis superplenitudo* (*ἀπλήρωτον ὑπερπλῆρες*), *omne unum* (*πᾶν ἕν*) et multitudinem deducens... ». Aliter: *ἓν ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἓν, τοῖς οὖσιν ἕν*, - « quid unum est, *supra unum quod rebus unum est* » (Cordier); dura lectio excluditur per aliam lectionem: *ἓν ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἓν τοῖς οὖσιν ἕν*, sicut in textu positum est.

Iamblichus ex Theologia Aegyptiorum ponit « *unum impartibile..., in quo est primum intelligens et primum intelligibile, quodque solo silentio colitur* » (« *τὸ ἓν ἀμερές..., ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν καὶ τὸ πρῶτον νοητόν, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται* » (*de Mysteriis* VIII, 3, edit. Gale, pag. 158-159). Schola theurgica Pergamensis fundata ab Aedesio cappadoce († 353) cultum perfe-

ctiorem quocumque alio, ex hac doctrina constituere conata est.

• ad n. 75: « *ex ipsius deificatione deiformi* »; alia lectio plenior: « *τῇ ἐξ αὐτοῦ θεώσει, τῷ κατὰ δύναμιν ἑκάστου θεοειδεῖ, θεῶν πολλῶν γιγνομένων* » *deificentia ab Ipso, per deiformitatem iuxta capacitatem uniuscuiusque, dum multi dii fiunt* ».

• : In textu expositionis (**219**) pono: « *haec dicit* » loco: « et dixit ».

• : Verba S. Pauli: « et nos in Ipso » vel: « et nos in Illo », melius redduntur per: « *et nos in Illum* » agitur enim de causa finali: *καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν*,

• : Alicubi invenitur quaedam « additio theologica », unde *alia lectio* plenior habetur cum ista additione, « *καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον ἐν ᾧ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς ἐν αὐτῷ* » - *et unus Spiritus Sanctus in quo omnia et nos in Ipso* » (cfr. 121, 151, 155, 447-448). Perpulchre, S. Gregorius Nazianzenus in *oratione* XXXIX, 12 [MG. 36, 347 A]: « Nobis quippe unus Deus Pater ex quo omnia et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia et unus spiritus Sanctus *in quo omnia.* In quibus hae particulae: *ex quo, per quem* et *in quo* non naturas secant... verum unius et inconfusae naturae proprietates exprimunt ». Utrobique, memorata et explicata puto contra opinionem Eunomii qui verbis Apostoli abutens hanc formulam fidei concinnaverat: « credimus in unum Deum Patrem omnipotentem ex quo sunt omnia. Et in unum unigenitum Filium Dei, Deum Verbum et Dominum nostrum Iesum Christum per quem sunt omnia. Et in unum Spiritum Sanctum Paracletum *in quo universae gratiae distributio, iuxta proportionem prout expedit, unicuique datur sanctorum* » (Eunomii *liber apologeticus* 5, Basilii *Opera* I, 619 DE; cfr. *Adversus Eunomium* I, 4; ibid. 212 C). Eunomius doctrinam ab Origene proposita (*De Principiis* I, 3, 5; MG. 11, 150 B) ad suam opinionem flectit. Circa *θέωσιν* (causalitatem efficientiae notat) et *θεοειδές* (causalitatem formalem intrinsecam designat) vide quae supra n. 37 B) notantur, pag. 41.

2° QUOAD « MAGISTERIUM S. PAULI »:

• Quaedam observanda occurrunt circa ea quae Dionysius dicit de *S. Paulo.* Pluries ipsius meminit; noto quae maioris momenti videntur: DN. II, 11 (75); III, 2 (88); VII, 1 (299): una vice (88) scribit se « *post divinum Paulum* » doctum fuisse a Hierotheo; duobus vicibus affirmat Paulum « qui multum sapit divina et est *lumen mundi* » (*Matth.* 5, 14), esse « *communem manuductorem nostrum* (*ἡμῶν* nempe, ut videtur, Dionysii qui haec scribit et Timothei ad quem scribit) *et directoris* (h. e. Hierothei, ut manifestum), ad sacram Scripturam intelligendam » (75). Ita intelligo *φωτοδοσίαν* iuxta ea quae Dionysius scribit in CH. I, 2 - MG. III, 121 A et est « divina luminis donatio quae est principium novae cognitionis » et habet suam historiam in populo electo (CH. IX, 3 - ibid. 260 C) et in animabus (ibid. 261 A) cuius ipse Dionysius nunc tandem particeps factus est (ibid.); item dicitur Paulum esse « vere divinum virum, communem nostrum et directoris *solem* » (299). Langen putat *μετὰ Παῦλον τὸν θεῖον* (88) esse glossam perturbantem contextum, at non video quare hoc dicatur, maxime si recolitur quod scribit Gregorius Nyssenus in elogio funebri fratris sui: « *καὶ μετὰ τοῦτον, Βασίλειος* » (MG. 46, 792 A) - « *et post hunc* [agitur de S. Paulo], *Basilius* ». Ut manifestum est, agitur non de successione in tempore, sed de spirituali influxu per mentis contactum; unde idem Gregorius prius dixerat: « solummodo tempus dat illi (Basilio, nempe) *alterum locum* post apostolos » (*τὰ δεύτερα μετὰ τοὺς ἀποστόλους*...). Quae verba aliquo modo videntur illustrare effatum illud quo Dionysius exprimit suam reverentiam erga « magistrum » et suum amorem erga « amicum », considerando eius dicta « *ὥσπερ τινὰ δεύτερα λόγια καὶ τῶν θεοχρήστων ἀκόλουθα* » (88), « tamquam altera quaedam Scriptura, a Deo dictis consentanea ». Et revera doctrina theologica evolvitur e doctrina a Deo revelata in Scriptura et est ei conformis.

CAPUT TERTIUM

Quae orationis virtus, et de beato Hierotheo, et de reverentia et de tractatu theologico.

LECTIO UNICA (10ª)

Praemittitur quoddam prooemium ad totum opus.

SYNOPSIS

(Lect. un.; cap. III; textus nn. 78-94; expositio nn. **222-260**).

2 - A) — Praemittit quoddam prooemium ad totum opus sequens:
- I° — Ostendit necessarium esse ut ab oratione incipiat:
  - a) proponit quod intendit (78, **225-229**);
  - b) manifestat propositum per rationem:
    - j° - ponit rationem ad principale propositum (79; **231**);
    - ij° - manifestat quoddam quod proposuerat (80; **232-233**);
    - iij° - probat quoddam in hac ratione assumptum (81-83; **234-237**);
  - c) manifestat per exempla:
    - j° - ponit exempla duo (84-85; **239-243**);
    - ij° - concludit propositum (86; **244**);
- II° — Excusat se quod post Hierotheum, ipse conatus est eadem tractare de quibus ille tractaverat:
  - a) ponit unde accusabilis alicui videri posset (87; **246**);
  - b) se excusat:
    - j° - excusat se ab irriverentia:
      - α) prima excusatio (88; **248-251**);
      - β) secunda excusatio (89; **252**);
      - γ) tertia excusatio (90; **253**);
    - ij° - ostendit reverentiam suam ad Hierotheum:
      - α) ostendendo magnitudinem eius:
        - I in perfectione vitae et doctrinae (91; **254-256**);
        - II in eruditione simplicium (92; **257**);
      - β) recognoscendo propriam humilitatem (93; **258-259**);
- c) concludit intentionem suam, in hoc opere conscribendo (94; **260**).

TEXTUS DIONYSII

C. III, § 1. 78. — « Et primam, si videtur, perfectam et totarum Dei processionum manifestativam, boni nominationem inspiciemus, boni principem et superbonam invocantes Trinitatem, quae est manifestativa totarum providentiarum, benigne ab ipsa donatarum *.

79. — Oportet enim nos orationibus primum ad ipsam, sicut boni Principem, pro-

C. III. § *1. 78.* — [*680* B] *Καὶ πρώτην, εἰ δοκεῖ, τὴν παντελῆ καὶ τῶν ὅλων τοῦ θεοῦ προόδων ἐκφαντορικὴν ἀγαθωνυμίαν ἐπισκεψώμεθα, τὴν ἀγάθαρχικὴν καὶ ὑπεράγαθον ἐπικαλεσάμενοι Τριάδα, τὴν ἐκφαντορικὴν τῶν ὅλων ἑαυτῆς ἀγαθωτάτων * προνοιῶν.*

*79. — Χρὴ γὰρ ἡμᾶς ταῖς εὐχαῖς πρῶτον ἐπ' αὐτήν, ὡς ἀγαθαρχιάν, προσανάγεσθαι **

duci * et magis ipsi propinquantes, in hoc doceri optima bona circa Ipsam collocata.

80. — Etenim Ipsa quidem universis adest, non autem omnia Ipsi adsunt. Cum autem Ipsam invocamus castissimis quidem orationibus et revelata mente * et ad divinam unitionem aptitudine, tunc et nos Ipsi adsumus.

81. — Ipsa enim neque in loco est ut et absit a quodam aut ex aliis ad alia transeat;

82. — sed et dicere in omnibus existentibus Ipsam esse relinquitur ab infinitate quae est super omnia et comprehendit omnia.

83. — Nos igitur ipsos orationibus extendamus ad divinorum bonorum radiorum altiorem respectum;

84. — sicut si multi luminis catena, ex coelesti summitate pendente, ad anteriora autem descendente, semper ipsam mutatis manibus ad anterius capientes, trahere quidem ipsam deorsum videremur, revera autem non deponeremus illam et sursum et deorsum praesentem, sed nos ipsi sursum ageremus ad altiores multorum luminum radiorum splendores.

85. — Aut sicut si navem ascendissemus et teneremus quosdam funes ex quadam petra ad nos extensos et sicut nobis ad auxilium datos, non ad nos petram, sed nosipsos vere et navem ad petram adduceremus;

sicut e converso, si quis stans in navi impingat, aget nihil contra petram stantem et immobilem, sed seipsum ab illa separabit * et quanto amplius impinget, amplius ab illa impingetur *.

86. — Propter quod et ante omne et magis Theologiam ab oratione incipere est utile, non sicut trahentes ubique praesentem et nusquam virtutem, sed sicut divinis memorationibus et invocationibus nosipsos ipsi tradentes et unientes.

§ 2. 87. — Et hoc forsitan excusatione * dignum, quod cum nobilis dux noster Hierotheus Theologicas Stoichioses supernaturaliter congreget, nos quasi illae non sufficiant et alias et praesentem Theologiam conscripsimus.

88. — Etenim, si ille consequenter tractare omnia theologica negotia dignatus esset et particularibus revolutionibus * transisset universae Theologiae capitulum, non nos ad tantum aut furoris aut pravitatis perveniremus quod aut arbitraremur nos immittere Theologiis perspicacius illo et divinius, aut bis eadem dicentes vana loqueremur; praeterea et iniuriam faceremus et

καὶ μᾶλλον αὐτῇ πλησιάζοντας ἐν τούτῳ μυεῖσθαι τὰ πανάγαθα δῶρα τὰ περὶ αὐτὴν ἱδρυμένα·

*80. — καὶ γὰρ αὕτη μὲν ἅπασι πάρεστιν, οὐ πάντα δὲ αὐτῇ πάρεστι. Τότε δὲ ὅταν αὐτὴν ἐπικαλώμεθα πανάγνοις μὲν εὐχαῖς ἀνεπιθολώτῳ * δὲ νῷ καὶ τῇ πρὸς θείαν ἕνωσιν ἐπιτηδειότητι, τότε καὶ ἡμεῖς αὐτῇ πάρεσμεν·*

81. — αὐτὴ γὰρ οὔτε ἐν τόπῳ ἐστὶν ἵνα καὶ ἀπῇ τινος ἢ ἐξ ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταβῇ.

82. — Ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν αὐτὴν εἶναι λέγειν, ἀπολείπεται τῆς ὑπὲρ πάντα καὶ πάντων περιληπτικῆς ἀπειρίας.

83. — [C] Ἡμᾶς οὖν αὐτοὺς ταῖς εὐχαῖς ἀνατείνωμεν ἐπὶ τὴν τῶν θείων καὶ ἀγαθῶν ἀκτίνων ὑψηλοτέραν ἀνάνευσιν,

84. — ὥσπερ εἰ πολυφώτου σειρᾶς ἐκ τῆς οὐρανίας ἀκρότητος ἠρτημένης, εἰς δεῦρο δὲ καθηκούσης καὶ ἀεὶ αὐτῆς ἐπὶ τὸ πρόσω χερσὶν ἀμοιβαίαις δραττόμενοι, καθέλκειν μὲν αὐτὴν ἐδοκοῦμεν τῷ ὄντι δὲ οὐ κατήγομεν ἐκείνην ἄνω τε καὶ κάτω παροῦσαν, ἀλλ' αὐτοὶ ἡμεῖς ἀνηγόμεθα πρὸς τὰς ὑψηλοτέρας τῶν πολυφώτων ἀκτίνων μαρμαρυγάς.

85. — Ἢ ὥσπερ εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες καὶ ἀντεχόμενοι τῶν ἔκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων καὶ οἷον ἡμῖν εἰς ἀντίληψιν ἐκδιδομένων, οὐκ ἐφ' ἡμᾶς τὴν πέτραν ἀλλ' ἡμᾶς αὐτοὺς τῷ ἀληθεῖ καὶ τὴν ναῦν ἐπὶ τὴν πέτραν προσήγομεν·

*ὥσπερ καὶ τὸ ἔμπαλιν, εἴ τις τὴν παραλίαν πέτραν ἑστὼς [D] ἐπὶ τῆς νηὸς ἀπώσεται, δράσει μὲν οὐδὲν εἰς τὴν ἑστῶσαν καὶ ἀκίνητον πέτραν, ἑαυτὸν δὲ ἐκείνης ἀποχωρήσει * καὶ ὅσῳ μᾶλλον αὐτὴν ἀπώσεται, μᾶλλον αὐτῆς ἀκοντισθήσεται. **

86. — Διὸ καὶ πρὸ παντὸς καὶ μᾶλλον θεολογίας, εὐχῆς ἀπάρχεσθαι χρεών, οὐχ ὡς ἐφελκομένους τὴν πανταχῆ παροῦσαν καὶ οὐδαμῇ δύναμιν, ἀλλ' ὡς ταῖς θείαις μνείαις καὶ ἐπικλήσεσιν ἡμᾶς αὐτοὺς ἐγχειρίζοντας αὐτῇ καὶ ἑνοῦντας.

*§ 2. 87. — [681] Καὶ τοῦτο δὲ ἴσως ἀπολογίας * ἄξιον ὅτι τοῦ κλεινοῦ καθηγεμόνος ἡμῶν Ἱεροθέου τὰς θεολογικὰς στοιχειώσεις ὑπερφυῶς συναγαγόντος, ἡμεῖς ὡς οὐχ ἱκανῶν ἐκείνων, ἄλλας τε καὶ τὴν παροῦσαν θεολογίαν συνεγραφάμεθα.*

*88. — Καίτοι γε εἰ μὲν ἐκεῖνος ἐξῆς διαπραγματεύσασθαι πάσας τὰς θεολογικὰς πραγματείας ἠξίωσε καὶ μερικαῖς ἀνελίξεσι * διῆλθεν ἁπάσης θεολογίας κεφάλαιον, οὐκ ἂν ἡμεῖς ἐπὶ τοσοῦτον ἢ μανίας ἢ σκαιότητος ἐληλύθειμεν ὡς ἢ ὀπτικώτερον ἐκείνου καὶ θειότερον οἰηθῆναι ταῖς θεολογίαις ἐπιβαλεῖν ἢ δὶς τὰ αὐτὰ περιττῶς λέγοντας εἰκαιολογῆσαι, προσέτι καὶ ἀδικῆσαι καὶ διδάσκαλον*

magistro et amico existenti et nos ex eius eloquiis post divinum Paulum introducti *, nobilissimam ipsius contemplationem et manifestationes nobis ipsis arripientes.

Sed quoniam ille prudenter revera inducens divina, conspicaces nobis diffinitiones exposuit et in uno multa comprehendentes, praecipiens * nobis et quicumque sunt secundum nos magistri animarum noviter quae perficiuntur, sicut est possibile, reserare et discernere, commensurato nobis sermone, conspicaces et unitivas intellectualissimae virtutis illius viri convolutiones;

et multoties nos ipse ad hoc hortatus es et librum ipsum sicut superexcedentem remisisti,

ideo et nos hunc quidem sicut perfectarum deliberationum * magistrum his qui sunt super multos determinamus, sicut quaedam secunda eloquia et christorum * Dei sequentia; his autem qui sunt secundum nos, iuxta proportionem nostram nos divina trademus. Si enim perfectorum est fortis cibus, isto cibare alios quantae sit perfectionis?

89. — Recte igitur a nobis et hoc dictum est, visionem quidem et intelligibilium eloquiorum per se inspectivam et conspicacem doctrinam, provecta indigere virtute; scientiam autem verborum ad hoc ferentium et disciplinam, subiectis sanctificatoribus et sanctificatis convenire.

90. — Quamvis et hoc a nobis observatum est valde studiose, quod discretis ab ipso divino duce, secundum planam manifestationem, nec totaliter manum apposuimus aliquando ad eamdem propositi eiusdem eloquii manifestationem.

91. — Quoniam et apud ipsos Deo acceptos * nostros hierarchas, quando et nos, ut nosti, et ipse et multi sanctorum nostrorum fratrum, convenimus ad visionem corporis vitae principis et quod Deum susceperat; aderat autem et frater Domini Iacobus et Petrus, summa et provectissima Theologorum summitas; postea visum est, post visionem, ut universi hierarchae laudarent, sicut unusquisque erat sufficiens, infinitae virtutis bonitatem thearchicae infirmitatis, omnes alios sanctos magistros post Theologos, ut nosti, superabat, totus excedens, totus extasim patiens a seipso et ad laudata communionem patiens et a cunctis a quibus audiebatur et videbatur et cognoscebatur et non cognoscebatur, Deo acceptus * esse et divinus laudator iudicatus.

Et quid tibi de theologizatis ibi, dicam? Etenim si non et meipsum oblitus sum, multoties novi a te et partes quasdam audiens illorum hymnorum a Deo motorum. Ita tibi fuit studium non otiose divina exequi.

*καὶ φίλον ὄντα, καὶ ἡμᾶς τοὺς μετὰ Παῦλον τὸν θεῖον, ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντας * τὴν κλεινοτάτην αὐτοῦ καὶ θεωρίαν καὶ ἔκφανσιν ἑαυτοῖς ὑφαρπάζοντας.*

*Ἀλλ' ἐπειδὴ τῷ ὄντι τὰ θεῖα πρεσβυ[B]τικῶς ὑφηγούμενος ἐκεῖνος, συνοπτικοὺς ἡμῖν ὅρους ἐξέθετο καὶ ἐν ἑνὶ πολλὰ περιειληφότας, ὡς οἷον * ἡμῖν καὶ ὅσοι καθ' ἡμᾶς διδάσκαλοι τῶν νεοτελῶν ψυχῶν ἐγκελευόμενος ἀναπτύξαι καὶ διακρῖναι τῷ ἡμῖν συμμέτρῳ λόγῳ τὰς συνοπτικὰς καὶ ἑνιαίας τῆς νοερωτάτης τἀνδρὸς ἐκείνου δυνάμεως συνελίξεις·*

καὶ πολλάκις ἡμᾶς καὶ αὐτὸς εἰς τοῦτο προέτρεψας καὶ τήν γε βίβλον αὐτὴν ὡς ὑπεραίρουσαν ἀνταπέστειλας·

*ταύτῃ τοι καὶ ἡμεῖς τὸν μὲν ὡς τελείων καὶ πρεσβυτικῶν διανοιῶν * διδάσκαλον τοῖς ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς ἀφορίζομεν ὥσπερ τινὰ δεύτερα λόγια καὶ τῶν θεοχρήστων * ἀκόλουθα· τοῖς καθ' ἡμᾶς δὲ ἡμεῖς ἀναλόγως ἡμῖν τὰ θεῖα παραδώσομεν. Εἰ γὰρ τελείων ἐστὶν ἡ στερεὰ τροφὴ τὸ ταύτην ἑστιᾶν ἑτέρους ὁπόσης ἂν εἴη τελειότητος;*

89. — Ὀρθῶς οὖν ἡμῖν [C] καὶ τοῦτο εἴρηται τὸ τὴν μὲν αὐτοπτικὴν τῶν νοητῶν λογίων θέαν καὶ τὴν συνοπτικὴν αὐτῶν διδασκαλίαν πρεσβυτικῆς δεῖσθαι δυνάμεως· τὴν δὲ τῶν εἰς τοῦτο φερόντων λόγων ἐπιστήμην καὶ ἐκμάθησιν τοῖς ὑφειμένοις καθιερωταῖς καὶ ἱερωμένοις ἁρμόζειν.

90. — Καίτοι καὶ τοῦτο ἡμῖν ἐπιτετήρηται λίαν ἐμμελῶς ὡς τε τοῖς αὐτῷ τῷ θείῳ καθηγεμόνι κατὰ ἔκφανσιν σαφῆ διηκρινημένοις μηδ' ὅλως ἐγκεχειρηκέναι ποτὲ πρὸς ταυτολογίαν, εἰς τὴν αὐτὴν τοῦ προτεθέντος αὐτῷ λογίου διασάφησιν·

*91. — ἐπεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις * ἡμῶν ἱεράρχαις — ἡνίκα καὶ ἡμεῖς ὡς οἴσθα καὶ αὐτὸς καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνελήλυθαμεν, παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυ[D]τάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας, ὡς ἕκαστος ἦν ἱκανός, τὴν ἀπειροδύναμον ἀγαθότητα τῆς θεαρχικῆς ἀσθενείας — πάντων ἐκράτει μετὰ τοὺς θεολόγους, ὡς οἶσθα, τῶν ἄλλων ἱερομυστῶν ὅλος ἐκδημῶν, ὅλος ἐξιστάμενος ἑαυτοῦ καὶ τὴν πρὸς τὰ ὑμνούμενα [684 A] κοινωνίαν πάσχων καὶ πρὸς πάντων ὧν ἠκούετο καὶ ἑωρᾶτο καὶ ἐγιγνώσκετο καὶ οὐκ ἐγιγνώσκετο θεόληπτος * εἶναι θεῖος ὑμνολόγος κρινόμενος.*

Καὶ τί ἄν σοι περὶ τῶν ἐκεῖ θεολογηθέντων λέγοιμι; καὶ γάρ, εἰ μὴ καὶ ἐμαυτοῦ ἐπιλέλησμαι, πολλάκις οἶδα παρά σου καὶ μέρη τινὰ τῶν ἐνθεαστικῶν ἐκείνων ὑμνῳδιῶν ἐπακούσας· οὕτω σοι σπουδὴ μὴ ἐκ παρέργου τὰ θεῖα μεταδιώκειν.

§ 3. 92. — Et, ut mystica illa, ut sicut multis non dicenda et sicut cognita tibi praetermittamus, quando multis oportebat communicare et quos est possibile, ad sanctorum cognitionem quae est secundum nos adducere, quomodo excedebat multos magistrorum sanctorum et temporis tritione et mentis puritate et demonstrationum diligentia et reliquis locutionibus sanctis. Quare numquam ad ita magnum solem contra inspicere conati sumus.

93. — Ita enim nobisipsis consentimus et scimus quod neque sufficienter intelligere intelligibilia divinorum capimus, neque quae sunt dicibilia Dei cognitionis dicere et eloqui. Longe autem existentes deficimus a divinorum virorum scientia ad theologicam veritatem, quoniam ad hoc omnino propter abundantem reverentiam venimus ut neque totaliter audiamus * aut dicamus aliquid de divina Philosophia nisi secundum mentem acceperimus, sicut non oportet contingentem divinorum cognitionem negligere;

et hoc nobis persuaserunt non solum secundum naturam desideria mentium amabiliter semper cupientia quam capere possunt supernaturalium contemplationum, sed et ipsa divinarum legum optima dispositio,

prohibens quidem ea quae sunt super nos multum scrutari et sicut super dignitatem et sicut impossibilia;

omnia autem quaecumque a nobis desiderantur et data sunt, discere attente praecipiens et aliis tradere benigne.

94. — Igitur istis et nos persuasi et ad possibilem divinorum inventionem non pigritantes aut formidantes, sed et non valentes nobis meliora contemplari, sine auxilio relinquere non patientes, ad conscribendum nosipsos deposuimus, novum quidem introducere nihil audentes, sed subtilioribus et particularibus singulorum inquisitionibus, ea quae sunt dicta vere * a Hierotheo conspicaciter, discernentes et manifestantes ».

§ 3. 92. — 'Αλλὰ ἵνα τὰ ἐκεῖ μυστικὰ καὶ ὡς τοῖς πολλοῖς [B] *ἄῤῥητα καὶ ὡς ἐγνωσμένα σοι παραλείψωμεν ὅτε τοῖς πολλοῖς ἐχρῆν κοινωνῆσαι καὶ ὅσους δυνατὸν ἐπὶ τὴν καθ' ἡμᾶς ἱερωγνωσίαν προσαγαγεῖν, ὅπως ὑπερεῖχε τοὺς πολλοὺς τῶν ἱερῶν διδασκάλων καὶ χρόνου τριβῇ καὶ νοῦ καθαρότητι καὶ ἀποδείξεων ἀκριβείᾳ καὶ ταῖς λοιπαῖς ἱερολογίαις, ὥς τε οὐκ ἄν ποτε πρὸς οὕτω μέγαν ἥλιον ἀντωπεῖν ἐνεχειρήσαμεν.*

93. — Οὕτω γὰρ ἡμεῖς ἑαυτῶν συνῃσθήμεθα καὶ ἴσμεν ὡς οὔτε ἱκανῶς νοῆσαι τὰ νοητὰ τῶν θείων χωροῦμεν οὔτε ὅσα τὰ ῥητὰ τῆς θεογνωσίας ἐξειπεῖν καὶ φράσαι. Πόῤῥω δὲ ὄντες ἀπολειπόμεθα τῆς τῶν θείων ἀνδρῶν εἰς θεολογικὴν ἀλήθειαν ἐπιστήμης, ὅτι πάντως ἂν εἰς τοῦτο διὰ περισσὴν εὐλάβειαν ἐληλύθαμεν, εἰς τὸ μηδόλως ἀκούειν ἢ λέγειν τι περὶ τῆς θείας φιλοσοφίας, εἰ μὴ κατὰ νοῦν εἰλήφαμεν ὡς οὐ χρὴ τῆς [C] *ἐνδεχομένης τῶν θείων γνώσεως ἀμελεῖν.*

Καὶ τοῦτο ἡμᾶς ἔπεισαν οὐ μόνον αἱ κατὰ φύσιν ἐφέσεις τῶν νοῶν, ἐρωτικῶς ἀεὶ γλιχόμεναι τῆς ἐγχωρούσης τῶν ὑπερφυῶν θεωρίας, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ τῶν θείων θεσμῶν ἡ ἀρίστη διάταξις·

τὰ μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀποφάσκουσα πολυπραγμονεῖν καὶ ὡς ὑπὲρ ἀξίαν καὶ ὡς ἀνέφικτα·

πάντα δὲ ὅσα ἐν ἡμῖν ἐφίεται καὶ δεδώρηται μανθάνειν προσεχῶς ἐγχελευομένη καὶ ἑτέροις ἀγαθοειδῶς μεταδιδόναι.

94. — Τούτοις οὖν καὶ ἡμεῖς πειθόμενοι καὶ πρὸς τὴν ἐφικτὴν τῶν θείων εὕρεσιν μὴ ἀποκαμόντες ἢ ἀποδειλιάσαντες, ἀλλὰ καὶ τοὺς μὴ δυναμένους εἰς τὰ ἡμῶν κρείττονα θεωρεῖν ἀβοηθήτους καταλιπεῖν οὐ καρτεροῦντες, ἐπὶ τὸ συγγράφειν ἑαυτοὺς καθήκαμεν καινὸν μὲν οὐδὲν εἰσηγεῖσθαι τολμῶντες, λεπτοτέραις δὲ καὶ ταῖς κατὰ μέρος ἕκα[D]*στον ἐξετάσεσι τὰ συνοπτικῶς εἰρημένα τῷ ὄντως * Ἱεροθέῳ διακρίνοντες καὶ ἐκφαίνοντες.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

222. — Postquam Dionysius praemisit quaedam necessaria ad sequentem doctrinam, hic incipit prosequi suam intentionem et primo praemittit quoddam prooemium ad totum opus sequens (Cap. 3°); secundo incipit tradere doctrinam de divinis Nominibus, quam intendit (Cap. 4°).

223. — Circa primum, duo facit: primo ostendit necessarium esse ut ab oratione incipiat; secundo, excusat se quod, post Hierotheum, ipse conatus est eadem tractare de quibus ille tractaverat et quomodo reverentiam ad magistrum servat; ibi [87]: *Et hoc forsitan...* Et haec duo tanguntur in titulo capituli, qui talis est: *Quae orationis virtus,* quantum ad primam partem capituli; *et de beato Hierotheo et de reverentia et tractatu theologico,* quantum ad secundam partem.

224. — Circa primum, tria facit: primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum per rationem; ibi [79]: *Oportet...*; tertio, per exempla; ibi [84] *Sicut si...*

225. — Dicit ergo primo [78] quod *si* hoc conveniens videbitur, inter alias divinas nominationes, nunc debemus considerare

ipsam *nominationem boni,* idest secundum quam Deus nominatur bonus.

226. — Et ad huiusmodi nominationem accipiendam, considerandum est quod Platonici, materiam a privatione non distinguentes, ponebant eam in ordine non-entis, ut dicit Aristoteles in I Physicorum [1]. Causalitas autem entis non se extendit nisi ad entia. Sic igitur secundum eos causalitas entis non se extendebat ad materiam primam, ad quam tamen se extendit causalitas boni. Cuius signum est quod ipsa maxime appetit bonum. Proprium autem est effectus ut convertatur per desiderium in suam causam. Sic igitur bonum est universalior et altior causa quam ens, quia ad plura se extendit eius causalitas.

227. — Et quamvis Dionysius hoc tangere videatur in sequenti capitulo, tamen aliam rationem huius ordinis considerasse videtur. Intendit enim in hoc libro agere de divinis Nominibus manifestantibus processiones creaturarum a Deo, secundum quod est Causa rerum. Id autem quod habet rationem causae, primo et universaliter est bonum. Quod apparet duplici ratione: primo quidem, quia bonum habet rationem finis; finis autem, primo, habet rationem causae. Nam forma est causa inquantum facit materiam esse actu; materia autem fit actu primo quando ab agente incipit. Secundo, quia agens agit sibi simile, non inquantum est ens quocumque modo, sed inquantum est perfectum. Perfectum enim, ut dicitur in IV Meteorologicorum [2]), est quod potest sibi simile facere. Perfectum autem habet rationem boni.

228. — Sic igitur, quidquid Deus facit creaturis, sive esse sive vivere et quodcumque aliud totum ex bonitate divina procedit et totum ad bonitatem pertinet creaturae. Et ideo dicit quod nominatio est perfecta, inquantum omnia comprehendit et est manifestativa omnium divinarum *processionum.*

229. — Ad hoc autem quod de processione boni tractemus oportet nos, orando, invocare sanctam *Trinitatem,* quae est principium omnis *boni et* est super omnem bonitatem. Sicut enim Ipsa, ex sua benignitate, dat omnia dona ab ea provisa ita Ipsa sola sufficienter manifestare potest: opera enim artis in artifice optime cognoscuntur.

230. — Deinde, cum dicit [79]: *Oportet enim...* manifestat propositum per rationem, dicens quod *oportet nos* ad cognoscendas divinas processiones divinae bonitatis, Trinitatem, orando, invocare; et circa hoc, tria facit: primo, ponit rationem ad principale propositum; secundo, manifestat quoddam in ratione suppositum; ibi [90]: *Etenim...*; tertio, probat quoddam in hac ratione assumptum; ibi [81]: *Ipsa enim...*

231. — Dicit ergo [79] quod *oportet nos produci,* idest extendi, per orationes, *ad ipsam* Trinitatem, *sicut* ad principium omnis *boni* processionis, quia per hoc quod nos oramus, Ei appropinquamus; et quanto *magis* propinquamus Ei, tanto magis possumus addiscere dona bonitatis Eius, quae *circa Ipsam* collocantur, quasi ab Ea per similitudinem bonitatis derivata; quanto enim aliquis magis appropinquat alicui rei, magis cognoscit quae circa ipsam sunt.

232. — Deinde cum dicit [80]: *Etenim Ipsa...* quoddam quod proposuerat manifestat, scilicet quod per orationem nos appropinquamus Sanctae Trinitati, et dicit quod *ipsa quidem* Sancta Trinitas omnibus *adest,* inquantum omnibus sua dona communicat, sed *non omnia Ipsi adsunt,* inquantum deficiunt a participatione Eius. Sed quando nos *invocamus Ipsam, tunc adsumus* Ei, appropinquantes ad Ipsam.

233. — Sed ad hoc quod oratio nos faciat Ei propinquos, tria requiruntur: primo, quod sensualitas sit munda ab omnibus carnalibus et mundanis affectionibus, quibus illecti retrahimur inferius et hoc tangit cum dicit: *castissimis orationibus*; secundo, ut intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum, quod accidit illis qui spiritualia non supra corporalia capere volunt, ut qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis, propter quod etiam impedimur ab ascensu in Deum et quantum ad hoc, dicitur: *revelata mente;* tertio, ut voluntas nostra per caritatem et devotionem sit ordinata in Deum, et hoc est quod subdit: *et* apti *ad divinam unitionem.*

234. — Deinde, cum dicit [81]: *Ipsa enim...* probat quod supposuerat, scilicet quod Deitas universis adest; quod quidem probat duabus rationibus. Deitas enim non *est in loco* ut diffinita vel circumscripta loco. Omne autem quod alicubi adest, alibi non existens, aut quod sic transit ad quaedam ut alia deserat, est in loco ut circumscriptum vel definitum. Non ergo hoc de Deitate dici potest. Manifestum est autem quod alicui praesens est, ad minus sibi ipsi; ergo omnibus adest.

[1]) C. 9: 191, b, 35-192, a, 2; S. Th. lect. 15, n. 2.
[2]) C. 3: 380, a, 13-15; Continuatio expos. S. Th. lect. 4, n. 1. Cfr. *De anima* III, 4: 415, a, 26-29; S. Th. lect. 7, n. 374.

235. — Secundam rationem ponit ibi [82]: *Sed et dicere...* Omne infinitum quod *est super omnia et comprehendit omnia*, adest omnibus; sed Trinitas est huiusmodi; ergo *relinquitur* quod ipsa adsit omnibus.

236. — Et ex hoc potest accipi quod nulla creatura sit ubique, cum ex infinitate Dei hoc per consequentiam relinquatur quod Deus sit ubique.

237. — Ultimo [83] autem, concludit principale intentum, quod debemus nos per orationem extendere *ad altiorem* considerationem *radiorum* divinae bonitatis.

238. — Deinde, cum dicit [84]: *Sicut...* manifestat propositum per exempla: et primo, ponit exempla duo ad propositum manifestandum; secundo, concludit principale propositum, ibi [86]: *Propter quod...*

239. — Primum exemplum est quod imaginemur catenam *multi luminis* quae pendeat a *summitate* coeli et descendat usque ad terram, coram facie nostra. Si acciperemus illam catenam et semper mutaremus manus versus superius, *videremur* quidem *trahere* catenam *deorsum*, sed secundum veritatem non deiiceremus eam, cum ipsa esset praesens *sursum et deorsum*, sed *nos ipsi* elevaremur in maiorem splendorem illius luminosae catenae.

240. — Secundum exemplum ponit ibi [85]: *Aut sicut...* et dicit quod *si* ascenderemus in *navem et teneremus quosdam funes*, qui extenderentur ab aliqua *petra* exteriori *ad nos*, qui essent nobis *ad auxilium* dati, *non* traheremus *ad nos petram, sed* secundum rei veritatem et *nos ipsos et navem* duceremus *ad petram;* et *e* contrario *si* aliquis *stans in navi impingat* ad petram quae stat iuxta mare, *nihil* ageret *contra petram*, quae est stans et immobilis, *sed seipsum separabit ad illa* et tanto magis *quanto* magis *impinget* ad eam.

241. — Ad hoc autem quod ista exempla ad propositum adaptentur, considerandum quod circa orationem secundum quinque opiniones oportet diversimode iudicare: *a*) quidam enim sustulerunt totaliter Dei Providentiam, ponentes omnia a casu accidere et haec fuit opinio Epicureorum; *b*) quidam vero posuerunt Dei Providentiam circa res incorporales et universales, sed a rebus humanis divinam Providentiam subtraxerunt et haec fuit opinio quorumdam Peripateticorum; *c*) quidam vero extenderunt divinam Providentiam usque ad omnia, sed dixesunt ex divina Providentia res omnes necessarios eventus habere, totaliter a rebus contingentiam auferentes et haec fuit opinio Stoicorum ponentium, secundum inevitabilem causarum seriem quam fatum nominabant, omnia ex necessitate contingere; *d*) quarta fuit opinio quorumdam Aegyptiorum qui dixerunt Providentiam Dei mutabilem esse; *e*) quinta fuit opinio quorumdam Platonicorum dicentium quod divina Providentia immutabilis est, sed sub ea res aliquae mutabiliter et contingenter continentur.

242. — Primae igitur tres opiniones totaliter orationis fructum evacuant. Si enim Deo nulla cura est de rebus vel saltem non est Ei cura de rebus humanis aut si omnia ex necessitate eveniunt, frustra Deo preces funduntur. Quarta autem opinio fructum orationis non tollit, sed ei plus debito tribuit, scilicet immutare divinam Providentiam. Unde, sola quinta opinio rectum iudicium de oratione habet, quam Dionysius hic sequitur ut scilicet per orationem nos ipsos trahamus mutabiles existentes ad divinae Providentiae participationem, non autem credamus nos divinam Providentiam posse mutare.

243. — Catena ergo luminis ab immobili coeli summitate dependens vel funes qui ab immobili petra extensi sunt, significant ordinem divinae Providentiae ab immobilitate divinae Sapientiae procedentem. Quod autem dicit catenam ubique praesentem in coelo et in terra et deinde omnibus adesse, significat providentiam Eius ad omnia se extendere contra primam opinionem. Quod autem dicit de immutabilitate lapidis et quod catena luminis ad nos trahi non potest, significat divinam Providentiam immobilem esse, contra quartam positionem vel opinionem. Quod autem dicit quod nosipsi sursum ducimur per catenam immobilem et petrae appropinquamus per funem aut ab ea separamur per impulsionem, significat mobilitatem nostram ad sequendum divinae Providentiae fructum, contra tertiam positionem.

244. — Ultimo [86], concludit propositum, quod scilicet, *ante omnia*, maxime autem theologica negotia, *utile est* nos *incipere ab oratione, non* ita quod nos per orationem trahamus divinam *virtutem*, quae *ubique* praesens est et *nusquam* concluditur, *sed sicut* per divinam commemorationem et invocationem *nos ipsos* trahentes *et* Ei *unientes*.

245. — Praemissa orationis necessitate, procedit Dionysius ad sui excusationem; et primo, ponit unde accusabilis alicui videri posset; secundo, se excusat; ibi [88]: *Etenim...*

246. — Dicit ergo primo [87], quod hic videtur accusatione dignus, quod cum Hierotheus qui fuit *nobilis* magister eius adunaverit, subtiliter loquendo, quosdam tractatus de rebus divinis, Dionysius scripsit et alios tractatus de rebus divinis et praesentem librum ac si tractatus Hierothei non sufficerent, quod ad quamdam irreverentiam pertinere videtur.

247. — Deinde, cum dicit [88]: *Etenim...* procedit ad sui excusationem; et circa hoc, tria facit: primo, excusat se ab irreverentia; secundo, ostendit reverentiam suam ad Hierotheum; ibi [91]: *Quoniam...*; tertio, concludit intentionem suam in hoc opere conscribendo; ibi [94]: *Igitur istis...*

248. — Excusat autem tripliciter: prima excusatio est quod ea quae Hierotheus in unum dixerat, ipse ex mandato Hierothei et ad petitionem Timothei per singula tractavit; et hoc est quod dicit [88]: quod *si* Hierotheus *dignatus esset tractare* per ordinem *omnia* quae pertinent ad theologicam considerationem et tractatum totius Theologiae, quem scilicet quasi in quodam genere et summa peregit, voluisset percurrere perscrutando in particulari, Dionysius non pervenisset *ad tantum* furorem vel pravitatem, *quod* vellet scribere de divinis.

249. — Quod autem ad furorem vel pravitatem pertinuisset, ostendit altero duorum modorum, quorum unus est quod Dionysius arbitraretur se elevare ad considerationes theologicas *perspicacius* quam Hierotheus et magis divine; alius modus est quod ipse non crederet se altiora dicere et tunc sequerentur duo inconvenientia: quorum unum est quod eadem repetendo quae Hierotheus dixisset, inutiliter scriberet et sic incurreret vaniloquium; aliud inconveniens est quod, quasi furtive arripiendo sibi nobilissimam contemplationem et manifestationem divinorum ipsius Hierothei, faceret ei *iniuriam*, cum tamen ipse fuerit magister eius et amicus et Dionysius fuerit introductus ad theologicam cognitionem, maxime *ex* verbis Hierothei, tamen *post* doctrinam Pauli.

250. — Sed Hierotheus exposuit quasdam determinationes *conspicaces*, idest ex magna difficultate et intelligentia acceptas *et comprehendentes multa in uno* universali, secundum rei veritatem *prudenter* homines ad *divina inducens;* et praecepit Dionysio et aliis ei similibus *qui sunt magistri animarum quae* de novo instruuntur, quod secundum eorum possibilitatem manifestarentur et distinguerentur ab eis universales determinationes profundae contemplationis *illius viri*, in quibus multa involvebat in uno et hoc faceret *sermone* eis *commensurato*, non ita universali sicut usus fuerat Hierotheus. Ipse etiam Timotheus *multoties* exhortatus est Dionysium *ad hoc* ipsum complendum et *librum* Hierothei ei remiserat, sicut eius capacitatem excedentem.

251. — Quia ergo ista ita sunt, ideo nos *determinamus* praedictum librum esse [*magistrum perfectarum* considerationum, non aptum quibuscumque, sed his tantum qui sua capacitate multitudinem excedunt, ita quod ille liber habet quamdam secundam auctoritatem ab eloquiis Scripturae canonicae, cui nulla auctoritas adaequari potest; ita quod verba illius libri consequenter se habent ad verba *christorum Dei*, idest ad verba sanctorum Apostolorum, qui dicuntur christi, propter plenitudinem spiritualis gratiae et propter sacerdotii dignitatem. Et sic cum ille liber tam altus conveniat tantum perfectis, *nos* secundum *nostram proportionem trademus divina his qui sunt secundum nos*, idest imperfectis, nobis similibus. Non enim sufficimus ad perfectam doctrinam perfectis tradendam, quia *si* solidus *cibus*, idest perfecta doctrina, *perfectorum* tantum *est*, ut dicitur Hebr. 5 [14], quia ipsi soli doctrinam perfectam capere possunt, maioris *perfectionis* est tali cibo *alios cibare*. Maius enim est perfectam doctrinam alios docere, quam eam ab aliis capere posse. Considerandum est autem quod quanto aliquis intellectus est altior et perfectior, tanto plura in uno potest comprehendere. Infirmitas autem intellectus requirit ut singula singulariter explicentur. Et ideo doctrinam Hierothei, in paucis multa comprehendentem, dixit perfectam.

252. — Secundam excusationem ponit, ibi [89]: *Recte igitur...* et dicit quod *recte* dici potest, ad suam excusationem, quod ad hoc quod aliquis per se inspiciat intelligentiam eloquiorum divinorum, quae sunt eloquia sanctae Scripturae et ipsa perspicua eorum doctrina in se considerata, requirit perfectam virtutem. Sed quod aliquis habeat *scientiam* et considerationem *verborum* introducentium ad praemissam considerationem et doctrinam et quod ista verba addiscat, potest convenire etiam imperfectioribus et doctoribus quos vocat sanctificatores et doctis quos vocat sanctificatos. Sicut igitur per se inspicere et docere scientiam divinorum perfectam ad Hierotheum pertinebat qui perfectus fuit, ita habere scientiam expo-

nendi praedictam doctrinam et addiscere huiusmodi expositionem, ad minores pertinet, inter quos Dionysius se computat.

253. — Tertia excusatio ponitur ibi [90]: *Quamvis...* et dicit quod etiam hoc *studiose* Dionysius observavit, *quod* ipse *totaliter manum* non apposuit nec etiam ad manifestandum verba Hierothei in illis quae Hierotheus distinguere voluit *secundum planam manifestationem.*

254. — Deinde, cum dicit [91]: *Quoniam...* ostendit reverentiam quam ad Hierotheum habet; et primo, ostendendo magnitudinem eius; secundo, recognoscendo propriam humilitatem: ibi [93]: *Ita enim...* Ex his enim duobus sequitur quod aliquis alium in reverentia habeat, quod de illo magna sentit et de se parva. Commendat autem Hierotheum dupliciter: primo quidem, quantum ad hoc quod fuit subtilissimus et totus divinus; secundo, quantum ad hoc quod parvulis in Christo lac utiliter noverat dare; ibi [92]: *Et ut mystica...*

255. — Dicit ergo primo [91] quod ipse Dionysius simul cum Timotheo et ipso Hierotheo et multis aliis sanctis fratribus, convenerunt apud Apostolos ad videndum corpus eius qui est principium totius vitae et *quod* suscepit *Deum.* Et potest intelligi de corporali visione Christi, de qua facit mentionem Apostolus I Corinth. 15 [6...]. Corpus enim Christi est corpus Dei qui est vitae Princeps et illud corpus per unitionem Deum suscepit, unde et templum dictum est, secundum illud Ioan. 2 [21]: « *Hoc autem dicebat de templo corporis sui* ». Potest etiam intelligi quod convenerunt ad videndum corpus beatae Virginis Mariae in Eius morte, quod etiam suscepit Deum, incarnatione. Et in illo conventu, *aderat* etiam *Iacobus frater Domini et Petrus* qui erat summum caput omnium Apostolorum.

256. — *Post visionem* autem praedictam, *visum est* omnibus *ut universi* Apostoli et Episcopi, qui ibi aderant, laudarent infinitam *bonitatem* divinae *infirmitatis*, idest humanitatis, *sicut* unicuique erat possibile. Et tunc Hierotheus *superabat omnes magistros post* Apostolos, quibus nullus alius comparari potest; et illa laude, erat *totus excedens* omnia sensibilia et mundana et quasi extra seipsum positus, his quae laudabat per quamdam unitionem coniunctus videbatur et sic ab omnibus, quicumque audiebant et videbant sive ante eum cognovissent sive non, *iudicatus* est *Deo acceptus et divinus laudator. Et quid* potest dici de his quae ipse *ibi* theologizavit, quae tam sublimia fuerunt? Quae, ut Dionysius dicit, *si* ab eius mente non excidit, *multoties* recognovit *quasdam partes* illarum divinarum laudum, quas Hierotheus protulerat, Deo inspirante, dum eas a Timotheo prolatas audivit. Tantum enim fuit Timotheus in studio circa divina, ut ea quae audivit, etiam curavit memoria retinere.

257. — Deinde, cum dicit [92]: *Et ut mystico...* commendat eum de eruditione simplicium; et dicit quod, ut omittat loqui de illis occultis ibi dictis quia Timotheo nota erant, hoc dicendum est quod, *quando oportebat* divina *communicare* multitudini et reducere quos poterat ad cognoscendum sancta, cognitione proportionata imperfectis, *excedebat* Hierotheus *multos sanctorum magistrorum et temporis tritione* quia plurimum temporis terebat sive expendebat in docendo *et mentis puritate* quia non obvolvebatur phantasiis aut erroribus quibus impediretur a recto iudicio veritatis *et demonstrationum diligentia*, idest efficacia verborum in demonstrando veritatem *et reliquis locutionibus sanctis*, idest in aliis quae requiruntur ad sanctas locutiones. Unde concludit quod numquam fuit suus conatus ut respiceret *contra* tantum *solem*, scilicet Hierotheum, se ei praeferendo aut aequando.

258. — Deinde, cum dicit [93]: *Ita enim...*, ostendit quam humilia de se sentiat; et dicit quod ita est conscius sibi quod ipse non est sufficiens ad intelligendum divina non solum quae sunt supra intellectum humanum, sed etiam multa quae sunt intellecta aliis hominibus; et similiter reputat se insufficientem ad dicendum et manifestandum ea quae de divina cognitione ab aliis dici possunt; et multo longe reputat se deficere a scientia theologicae veritatis, quam perfectiores habuerunt. Et hoc ideo introducit, quia *ad hoc* deductus est *propter* perfectam *reverentiam* quam habet ad maiores et ad divinam Philosophiam; quia totaliter non audet cogitare aut dicere aliquid de divina sapientia, *nisi* ea quae *secundum* suam *mentem* capere potest et illa etiam audit et dicit, quia *non oportet negligere* divinorum cognitionem quam contingit aliquem posse habere.

259. — Et ad hoc dupliciter persuasus est: primo quidem, ex naturali desiderio *mentium* quae semper cum quodam amore cupiunt contemplationem rerum *supernaturalium quam capere possunt*, quia per hoc maxime perficiuntur; secundo, quia *optima dispositio divinarum legum* prohibet *multum scrutari ea quae sunt* supra *nos*, tum quia

sunt supra *dignitatem* nostram, tum quia impossibile est nobis adipisci, ut patet in Ecclesiastico, 3 [22], ubi dicitur: « *altiora te ne quaesieris* ». Sed ea quae *a nobis desiderantur et data sunt* nobis ut ea capere possimus, praecipit lex divina nos *attente discere et aliis benigne tradere*, secundum illud Sap. 7 [13]: « *quam sine fictione didici et sine invidia communico* ». Et hoc etiam ex pluribus aliis Scripturae locis habetur.

260. — Deinde, cum dicit [94]: *Igitur...* concludit suam intentionem et dicit quod persuasus est ex praemissis et non revocatur ab inveniendo veritatem *divinorum*, secundum scientiae possibilitatem, neque propter pigritiam neque propter formidinem pusillanimitatis. Iterum, non poterat animus eius pati ut *sine auxilio* dimitteret eos, qui non poterant maiora contemplari quam ipse. Propter omnia haec, disposuit se *ad* scribendum hoc opus, ita tamen quod *nihil novum* auderet introducere, *sed ea quae conspicaciter a Hierotheo dicta sunt* in quadam universali intelligentia, vult distinguere et manifestare, per quasdam inquisitiones magis particulares et subtiles, descendendo ad singula. Et loquitur per similitudinem corporalium, in quibus quanto aliquod totum in plures partes dividitur, subtiliores partes efficiuntur.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 78: « *benigne... donatarum* » - *ἀγαθωτάτων* = « optimarum ». Quia lectio certa videtur, huius optimismi vel rationem non vidit vel periculum timuit, ut suppono.

* ad n. 79: « *produci* »; **231**: « extendi »; *προσανάγεσθαι - elevari.*

* ad n. 80: « *revelata mente* » - *ἀνεπιθολώτῳ, non obfuscata.*

* ad n. 85: « separabit » - *ἀποχωρίσει.* Al. *ἀποχωρήσει* - « sed seipse ab illo [saxo] *repellet* » (Perionius) seu *elongabitur.*

* : « impingetur »; melius: « eo longius ab eo [saxo] *removebitur* » (Perionius) - *ἀκοντισθήσεται.*

* ad n. 87, **245**: « *excusatione dignum* » - *ἀπολογίας, defensione* dignum quia primo *accusabilis* postea vero *excusabilis* iudicatur.

* ad n. 88: « *revolutionibus* » - *ἀνελίξεσι, explicationibus* vel *expositionibus.*

* : « *introducti* », *στοιχειωθέντας - fundati:* de valore huius termini, infra tractatur (pag. 80).

* : « *praecipiens nobis* » - *ὡς οἷον... ἐγκελευόμενος, tamquam velut* praecipiens nobis et (aliis) quicumque... Ut observant grammatici *ὡς* cum participio causali denotat rationem subiectivam, quae nempe fundatur in cogitatione subiecti; *οἷον* autem denotat rationem obiectivam, quae nempe fundatur in re et extra intentionem subiecti. Unio duorum temperamentum ambarum intentionum ponit.

* : *perfectarum deliberationum magistrum* - perfectarum et *provectarum* (*πρεσβυτικῶν*, quae ad seniorem pertinent; cfr. 89: *provecta* virtute) *facultatum intellectualium* ». M. de Gandillac: « ce maître des *raisons* parfaites et *accomplies* », sed multo melius infra (89): « il faut la puissance d'un vieillard », maturitate mentis non annorum computatione.

* : *christorum Dei sequentia;* alia lectio: *τῶν θεοχρήστων ἀκόλουθα* - « *a Deo dictis* consentanea » et optime dat sensum doctrinae Patrum.

* ad n. 91: « *Deo acceptos...* » « *Deo acceptus* » *θεολήπτοις* - « apud *a Deo arreptos* » et *θεόληπτος* - « *a Deo arreptus* ».

* ad n. 93: « audiamus » (*ἀκούειν*), minime: *audeamus.* Hinc in expositione (**258**) corr. « et illa etiam *audit* et dicit, *quia* »; minime: « *audet;* et dicit quod ». Dionysius « dicit » quae « audit »: est communicatio doctrinae *traditae* « *de mente in mentem* per verbum corporale quidem, immaterialius vero extra scriptionem » (EH. I, 4; MG. III, 376 C). *Sensum* doctrinae quem accepit *in mente* audiendo, hunc vicissim fideliter tradit loquendo, « *quia* (*ὡς*, declarativum) non licet (*οὐ χρή*) negligere *acceptam* divinorum cognitionem ». Al. *simplicius:* « ut ne omnino quidem vel audiremus vel diceremus, quicquam de divina philosophia, nisi intellexissemus non esse divinarum rerum, quae contingere possit, negligendam scientiam » (Perionius).

* ad n. 94: *dicta vere* a Hierotheo, *εἰρημένα τῷ ὄντως Ἱεροθέῳ* - dicta *a vere Hierotheo* (cfr. pag. 60).

2ª Quoad « optimismum » metaphysicum (78; cfr. 347, **780**).

Fundamentum habes in *Gen.* 1, ubi quinquies legitur *καλόν* - 4. 8. 10. 12. 18. - h. e. « pulchrum » quod est bonum; bis, *καλά* - 21. 25 - et una vice *καλὰ λίαν* - 31 - « pulchra *valde* » (CH. II, 3 - 141 C - ubi habetur tractatio *de intelligibilibus et sensibilibus*).

Inde effatum Clementis Alexandrini (*Strom.* VI, 17 - edit. Potter II, 819): *ἄμεινον εἶναι πολλῷ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι* - « *multo melius est esse quam non esse* » et aliud principium eiusdem doctoris in *Cohortationes ad Gentes* I (edit. Potter I, 6-7): « *Hoc igitur Verbum Christus* non solum ut olim essemus causa fuit, nam Ille tum erat in Deo, sed idem etiam bene esse nobis dedit et iam nuper hominibus apparuit qui solus uterque Deus et Homo est, ut omnimodam nobis felicitatem daret »; ubi notanda sunt verba: « *τοῦ εἶναι... καὶ τοῦ εὖ εἶναι... ὁ μόνος ἄμφω θεός τε καὶ ἄνθρωπος ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος ἀγαθῶν* » - dat « *esse* et *bene esse* » vere igitur est « nobis *omnium bonorum causa* ». Hinc fluit duplex character Christologiae antiquorum: cosmicus et soteriologicus, ut supra notavimus (pag. 64). Gregorius Nazianzenus, in *festo Nativitatis Domini*, eadem habet: Verbum caro factum est « *ἵν' ὁ τὸ εἶναι δοὺς καὶ τὸ εὖ εἶναι*

χαρίσεται » - « ut qui dat *esse*, elargiatur et *bene esse* » (*Orat.* XXXVIII, 3; MG. 36, 313 C). Quae valde notanda sunt ut rectam interpretationem textus Dionysii habeamus (101; item CH. XIII, 4; EH. I, 3; *Epist.* 9, 3), dum H. Koch putat hanc « Lieblingswendung » *derivatam esse a Proclo*, (*Pseudo-Dionysius Areopagita in seinen Beziehungen zum Neuplatonismus und Mysterienwesen*, Mainz, 1900, pag. 242, n. 1).

3ª Quoad « Apologiam » pro seipso (87-94).

Ridicula et contradictoria apparet Apologia Dionysii omnibus illis qui « magistros animarum noviter quae perficiuntur » (88) putant esse praeceptores fidelium nuper baptizatorum. Rem non ita se habere patet ex Phaedro Platonis XXXI (250 E-251 A) ubi ὁ ἀρτιτελής (supra, adest ὁ μὴ νεοτελής) est qui *incipit veram pulchritudinem inspicere*, ita ut tandem anima fiat *alaris* (XXXII). Quae bene consonant cum doctrina a Dionysio tradita in *Epist.* 9, 2 (MG. III, 1108 BC): « ipsa creatio mundi visibilis *stat ad defensionem* invisibilium Dei, sicut Paulus dicit (*Rom.* 1, 20) et *vera ratio*. Ideo et illi per quos Deus loquitur (θεολόγοι) alia civiliter et legaliter considerant, alia purificative et incontaminate: haec quidem humaniter et mediane, haec autem supercosmice et perfective et aliquando legibus rerum visibilium, aliquando normis rerum invisibilium, *secundum quod convenit mentibus et animabus quae Sacris Litteris sese subiiciunt* » (κατὰ τὸ προσῆκον τοῖς ὑποκειμένοις ἱεροῖς γράμμασι καὶ νοῖς καὶ ψυχαῖς).

Haec omnino clara sunt scientibus doctrinam Clementis Alexandrini (*Strom.* I, 28, edit. Potter I, 424) qui, evolvens et perficiens quamdam divisionem Philonis, distinguit in sacra Scriptura partes *historicam et legalem* quae pertinent ad tractationem moralem, cui respondit consideratio civilis et legalis; aliae vero partes sunt: *contemplatio naturalis*, quae a Dionysio vocatur consideratio humaniter et mediane procedens per leges rerum visibilium; *species theologica*, cuius est consideratio supercosmice et perfective procedens per normas sacras rerum invisibilium. Inde habetur gradualis ascensus et, dum *in symbolo fidei* considerantur quae ad creationem pertinent per contemplationem naturae, *animae* discunt « parva mysteria », quando vero quae Dei sunt inspiciuntur, *mentes* transeunt ad « magna mysteria » (cfr. *Gorgia* 52 - 497 C).

Dionysius supra dixerat se post divinum Paulum, a Hierotheo *fundatum* fuisse (« ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντας »). Quod bene notandum est: nam secundum doctrinam Basilii, « *accurata* doctrina fidei (τὸ ἀκριβὲς τῆς πίστεως) *perficitur*, cum in cordibus *proficientium ad cognitionem* (τῶν προκοπτόντων ἐπὶ τὴν γνῶσιν), *fit distinctum quod proprium est Dei*. Quapropter iis quidem *qui introducuntur ad cognitionem* (τοῖς εἰσαγομένοις εἰς γνῶσιν) simpliciter dicitur *domus Dei;* iis autem *qui fundati sunt* (τοῖς στοιχειωθεῖσι), ulterius dicitur cuius Dei sit domus, nempe *Dei Iacob*, cui intimitatem ad Se (τὴν πρὸς ἀυτὸν οἰκειότητα) largitus est » (*In Isaiam prophetam* II, 70; Opp. II, 429 DE). « Qui *adhuc proficit*, tunc ediscit domum Dei Iacob, nimirum ea quae inferiora sunt, quaeque captum ipsius non superant (τὰ ὑποδεέστερα καὶ ἑαυτῷ ἐφικτά); sed tandem aliquando *Deum* etiam *Israelis* docebitur, cum *via et ordine* (ὁδῷ καὶ τάξει) sint ei *perfectiores traditiones* (τῶν τελειωτέρων παραδόσεων) dispensandae » (ibid. 430 A). Actio ergo Hierothei in Dionysium non est introductionis sed *fundationis* illius qui iam introductus est et proficit in cognitione Dei. In hac fundatione, *non amplius agitur de cognitione Dei iuxta communes notiones, sed de illa altiori doctrina quae cognitionem Dei praestat secundum ea quae Dei propria sunt*, tum quoad esse tum quoad agere. Hinc manifestatur sensus tum tituli « θεολογικαὶ στοιχειώσεις », tum termini « νεοτελεῖς ».

Animae νεοτελεῖς videntur esse illi qui « *parvis* ante magna *initiati* mysteria » et « secundum regulam veritatis » hoc est lumine doctrinae de creatione naturam visibilem cognoscentes, inde praeparantur ad altiora (*Strom.* IV, 1, edit. Potter I, 564) per illam scientiam, ut Dionysius dicit (89), quae ducit ad considerationem intelligibilium veritatum. Et haec est ratio quare ex una parte « *Syllabarium theologicum* » Hierothei est vere cibus perfectarum mentium et fructus spiritus *provecti* « *prae prudentia cani* » ut verbis Origenis utar (*de Principiis* IV, 11); ex alia vero parte, quae Dionysius explicat et docet iuxta synthesim sui Magistri et Amici, animas parvis ante magna initiatas mysteriis elevant ad altissimum verticem, quo magna theologiae mysteria *absconduntur* superlucida silentii caligine (*Myst. Theol.* I, 1). Ni fallor, quae scribit S. Thomas in prologo Summae Theologiae huic sollicitudini Dionysii respondent: « quia catholicae veritatis doctor non solum *provectos* debet instruere, sed ad eum etiam pertinet *incipientes* erudire, secundum illud Apostoli (I *Cor.* 3, 2) *tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam*, propositum nostrae intentionis in hoc opere est ea quae ad christianam religionem pertinent eo modo tradere secundum quod congruit ad eruditionem incipientium ». Statim cogitat quis haec legens: si tanta sunt quae tradit ad eruditionem incipientium, quanta erant quae ad provectorum intentionem effundebat ille vere « magnus Sol ». Si quis serio cogitet quid erat Basilius pro discipulis suis et inde, ut supponimus, pro schola theologica Annesi, haud difficulter intelliget et quae Dionysius scribit pro sui defensione.

Basilius, « ab infantia et ab ipsa nativitate est *Deo consecratus* » (Θεῷ καθιερῶμενος), ut notat Gregorius Nazianzenus (*Orat.* XLIII, 73), « atque ad Iesu pectus positus, illinc vim dicendi et sententiarum profunditatem (τὸ βάθος τῶν νοημάτων) haurit » (*ibid.* 76). Maxima laetitia eius volumina et lucubrationes. « Nec scriptoribus materia ulla alia et copia post eum, praeter ipsius scripta, suppetit. Silentur vetera quaecumque in divinorum oraculorum explanatione a quibusdam elaborata sunt, *nova praedicantur atque is apud nos eruditissimus habetur qui libros ipsius quam maxime intelligit ac lingua versat, auribusque instillat* » (*ibid.* 66).

Quae Dionysius dicit de *Hierotheo-magistro* his consentiunt. Sed est et aliud considerandum de *Hierotheo-hierarca* (91) et de *Hierotheo-pastore* (92). Vere pastor bonus hic Hierotheus qui omnes alios excellit « *usu temporis* » in cura pastorali exercenda et

in doctrina sana gregem pascendo, quam « *mentis puritate* » haurit ex sacra Scriptura et Spiritus Sancti illustrationibus et omnibus tradit « *diligentia demonstrationum* » (ἀποδείξεων ἀκριβείᾳ). Unam parvulam notam huic apponam: S. Basilius mihi apparet tamquam doctor τῆς ἀκριβείας, sicut S. Gregorius Magnus quam saepissime utitur adverbio « *subtiliter* » ita ut vere sit homo romanus. Facile esset plura colligere maxime ex homiliis S. Basilii, at liceat missa facere, ne videar pro causa mea et festucas colligere.

Non est insuper praetermittenda difficultas quae oritur ex n. 91. S. Thomas duas interpretationes ponit (**255**): « et potest intelligi de corporali visione Christi » et haec est interpretatio Ioannis Scoti in *epistola ad Carolum Magnum* (MG. IV, 751 CD); « potest etiam intelligi quod convenerunt ad videndum corpus Beatae Virginis Mariae in Eius morte » et iuxta P. Halloix (ibid. 751 AB) est « *antiquissima et communissima sententia*... Sic enim intellexit *Iuvenalis* patriarcha hierosolymitanus... Sic et *Andreas cretensis*... Sic et *Sanctus Maximus* martyr... Sic et *Sanctus Ioannes Damascenus* in oratione *de Dormitione Deiparae*... et uno verbo, *Graeci omnes*. E Latinis autem *S. Gregorius Turonensis*... *S. Ildefonsus*... *Albertus Magnus*... aliique quamplurimi, *antiqui et novi* ».

Recentiores aliter sentiunt et unusquisque habet opinionem suam, unde longum esset singula eorum dicta referre. Quaedam dicam breviter quae saltem verisimilitudinem habent.

Primo, nobis quaerendum est quid sit « τὸ θεοδόχον σῶμα », ut expressio litterarae christianae? Iisdem verbis usus est *S. Gragorius Nyssenus* ad designandum Corpus Christi *tum in sua realitate physica tum in praesentia reali eucharistica*. Sic v. gr. *in Cant.* hom. XIII dicit: « Virgo non cognovit quomodo in suo corpore formavit τὸ θεοδόχον... σῶμα (MG. 44, 1053 AB; cfr. ibid. 1056 A: πρὸς τὸν θεοδόχον ἄνθρωπον et *in Orat. Cath.* cap. 37: ἡ θεοδόχος σάρξ - MG. 45, 80 B). Corpus Christi in Eucharistia explicite vocatur θεοδόχον, *in Orat. Cath.* cap. 37: τοῦ θεοδόχου σώματος (MG. 45, 93 C), τὸ θεοδόχον σῶμα (ibid. 96 D).

Iuxta haec, iam anno 1936 in ephemeride *Revue des sciences philos. et théol.*, articulo supra citato, proponebam interpretationem quamdam huius textus dionysiani in quo agitur *de quodam solemniori et novo actu liturgico*, in particulari vero *de festo Nativitatis Domini*, cuius « propugnator » et « fundator » in Oriente fuit Basilius Magnus (K. Holl, *Ampilochius von Ikonium in seinem Verhältnis zu den grossen Kappadoziern*, Tübingen 1904, pag. 108).

Hanc interpretationem video confirmatam per ea quae scribit M. Jugie in suo opere: *La Mort et l'Assomption de la Sainte Vierge - Etude historico-doctrinale* (Città del Vaticano 1944), pag. 100: « ...supposito quod debeamus conservare lectionem σῶμα, *credimus pseudo-Dionysium designasse Corpus Iesu in Eucharistia*. Adunatio de qua loquitur *intelligenda est de adsistentia cuidam Missae solemni, post cuius celebrationem sermones habiti fuerunt*. Plus quam una vice pseudo-Dionysius loquitur de *contemplatione* mysteriorum sacrorum et clarissime Eucharistiam identificat cum ipso Iesu ». Quae linea subducta notavi confirmant interpretationem a me datam, saltem quoad actum liturgicum. Dicere vellem: per haec acceptatur... sed, ut videtur, obstat terminus *contemplatio* ab ipso auctore linea subducta notatus, unde intelligi datur alia via ad eamdem interpretationem auctorem pervenisse. Quod melius est, absque dubio; eo vel magis quod lectio σῆμα (sepulchrum [Christi] vel *signum* [Crucis]) ab aliquibus criticis *supposita* ad solvendam difficultatem, hanc maiori obscuritate perfundit.

Rationem quae me impulit ad determinandam celebrationem liturgicam in festo Nativitatis Domini, inveni in themate his verbis indicato :... « laudarent... infinitae virtutis bonitatem thearchicae infirmitatis » (91) vel: « hymnis celebrarent infinite-potentem bonitatem thearchicae *infirmitatis* » (ἀσθενείας). In *Historia Euthymiaca* serius confecta, ubi ponitur *sermo Iuvenalis* ad imperatorem Marcianum et imperatricem Pulcheriam, tempore quo ipse Iuvenalis Constantinopoli aderat (451-453), similiter et in *homilia II de Dormitione Mariae* S. Ioannis Damasceni (MG. 96, 752 A), legitur: εὐσθενείας - « fortitudinis ». Attamen, quia prima lectio invenitur et in versione syriaca, ut videre est apud Stiglmayr (*Das Aufkommen der pseudo-Dionysischen Schriften und ihr Eindrigen in die christliche Literatur bis zum Lateran concil* 649, Feldkirch 1895, pag. 16 n. 2... « die unbegrenzte Kraft *der Schwäche* des Urgöttlichen... ») inde manifestum videtur ἀσθενείας primaevam esse lectionem.

Et Maximus in scholio ad h. l. pulcherrime interpretatur: « thearchicam *infirmitatem* hic vocat voluntariam *condescensionem* Filii usque ad corpus, absque peccato » (MG. IV, 236 C). Ipse quidem interpretationem assumptionalem suspicatur, dum scribit: « θεοδόχον σῶμα *forte* (τάχα) corpus sanctae Matris Dei (θεοτόκου) vocat, quae tunc obdormiit ». At si *interpretatio liturgica* praeferenda videtur, festum Nativitatis Domini in primis laudat Eius ad nos « *condescensionem* » (συγκατάβασιν).

Hinc in sua apologia, Dionysius huius novi facti liturgici meminit eo quod tunc *perfectam consonantiam ecclesiarum Orientis et Occidentis* admiratus est. Haec est ratio, ni fallor, quare meminit *Iacobi et Petri:* si horum apostolorum praesentia intelligatur spiritualiter, ut decet, tunc forsan multa clarescunt in textu. Quia, ut mihi persuasio est, Dionysius non est stirpis aryae ex paganismo conversus ad fidem christianam, sed est semita et « israëlita » e diaspora asiana vel pontica in « Israel Dei » seu Ecclesiam Christi ingressus. Ierusalem tunc erat civitas cuius nefas oblivisci, ibi mira valde contemplatus fuerat (sic intelligenda videtur narratio *Epist.* 7, 2 - iuxta epistol. Cyrilli Hierosolymitani ad Constantium imperatorem restituenda, de qua si placet videas in ephemeride *Humanitas* 1947, pag. 355-363: *Il metodo di Dionigi il Mistico nella ricerca della verità* - dum *actualis redactio* iam videt Dionysium sub alia luce; cfr. P. de Labriolle, *La réaction payenne, Etude sur la polémique antichrétienne du Ier au VIe siecle*, Paris 1934, pag. 204-220: *Les débats autour de Phlégon de Tralles*). Nunc vero Ierusalem *novam* cognoscit et amat et *symbolum* ponit in Iacobo « fratre Dei » hoc est Iesu. Similiter Petrus est divina Christi auctoritas in Ecclesia: et ipse adest, quia inter « vertices montium in quibus

Dei domus aedificatur » (Basil., *in Isaiam prophetam* II, 66; Opp. II, 427 E), Petrus est « prima et suprema summitas ». Dum celebratur festum Nativitatis Domini, Eiusque ad nos condescensionis, his gaudet Dionysius.

Ultimo, vellem aliquid adnotare *de interpretatione assumptionali*, quae nempe textum intelligit de « *dormitione* » et « *assumptione* » Virginis Mariae Quae sapientissimi viri et in examine critico documentorum acutissimi invenerunt et determinaverunt, supervacat vel repetere vel examinare: utrumque excedit vires offerentis « *pelles et caprarum pilos* » ut verbis Hieronymi utar.

Notulam quamdam refero ex opere *Ierusalem* quae sic sonat: libri *de Transitu Mariae* publicatio sub nomine *Melitonis* episcopi ecclesiae Sardensis, quae *haud longe distat ab Epheso*, favere videbatur illis qui locum Gethsemani patrocinabantur, sicut et *praesentia Timothei, qui fuit primus episcopus Ephesiorum*, in *Historia Euthymiaca*, ad idem tendit (Abel et Vincent, *Ierusalem* II, chap. XXXI - *Le tombeau de la Sainte Vierge*, pag. 809, n. 2). Multa occurrunt quae videri possunt apud auctores probatos (M. Jugie, in opere supra citato, pag. 85-98, 111-116, 159-167, 175-178. O. Faller, *De priorum saeculorum silentio circa Assumptionem B. Mariae Virginis*, Romae 1946, pag. 23-24, 44-62, 68). Unum tantum quaero: an Timotheus DN. III, 2 (non tamen explicite notatus, quia αὐτός supponit tituli operis actualis authentiam) tali modo inter discipulos Pauli computatus, areopagitizaverit Dionysium et modificaverit interpretationem liturgicam, quam voco, in interpretationem assumptionalem, prout videre est in *Historia Euthymiaca*, vel e converso. Quaestio non appareat inutilis illis, quibus datum est habere clavem aenigmatis dionysiani.

Ut dictum est, τὸ θεοδόχον σῶμα, intellectum iuxta terminorum usum a S. Gregorio Nysseno adhibitum, est « *Corpus Christi* » sive in sua realitate physica sive in reali praesentia eucharistica. Hic supponimus, ut patet, primaevam compositionem Epistolarum Dionysii factam esse *quando* tali termino recte utebatur, dum e contra numquam invenire est vel ὁμοούσιος vel θεοτόκος, quae tamen pacifica sunt in *Henotico* Zenonis (482). Omnes norunt pravum intellectum Pauli Samosateni quoad primum et Apollinaris quoad alterum, unde facilis suppositio Dionysium suas Epistolas primaevas tunc scripsisse *ubi* adhuc hae quaestiones acriter urgebantur (cfr. pag. 312-313): ipse enim vere est homo pacis.

Nunc autem haec leguntur in *epistola Cyrilli ad clericos Constantinopolitanos mutuis dissidiis inter se conflictantes:* « quoniam vero (*de libello quodam agitur blasphemiis Nestorii referto*) cavillatur scripturam hoc est sacram synodum vocem inusitatam depromisse dum sanctam Virginem *Theotocon* nominavit, interrogetur et ipse vicissim cum suis, ubinam *Christotocon* aut *Theodocon* (θεοδόχον), [*idest Dei susceptricem*] usquam scriptum compererint ».

« Inter alia namque et hoc quoque ad verbum interserit: « *τὴν θεοδόχον τῷ θεῷ μὴ συνθεολογῶμεν παρθένον* », nesciens quid dicit. Si enim Deum non peperit neque Christum Deum in utero habuit, quomodo adhuc est *Theodochos?* (θεοδόχος;). Quin et ipsum Patrem *Theotocon* (θεοτόκον) appellat » (Mansi, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio* IV, Florentiae 1760, col. 1008 AB). Recolantur quae supra posita sunt de *Quaternitate* a quibusdam supposita vel imaginata (v. pag. 65) et facile intelligetur quare hic dicatur « *virginem θεοδόχον non esse Deo connumerandam* ». Solus Pater, quia Filium genuit, est θεοτόκος.

His suppositis, quisquis tali opinione imbutus legerit suo tempore textum Dionysii, inter vetustos codices alicuius monaci vel monasterii, quam facillime τὸ θεοδόχον σῶμα intellexit *de Corpore Beatae Virginis Mariae* in sua « *Dormitione* »: inde Iacobus et Petrus facti sunt personae *physice* praesentes, Timotheus *discipulus Pauli* et Dionysius exurrexit *Areopagita*.

Redactio *actualis* Corporis Dionysiani complexam compositionem revelat, quae sola codicum collatione et accurata inquisitione manifestabitur. Pulcherrima manet primaeva constructio syntheseos, sub multiplici stratificatione textus. *Apologia* autem *Dionysii pro seipso* viva et ex intimo corde deprompta apparet.

Unde quando Ipatius *episcopus ephesinus*, in collatione catholicorum cum severianis habita Constantinopoli anno Domini DXXXI tempore Iustiniani imperatoris, suis contradicentibus opponebat: « illa testimonia quae vos Dionysii *Areopagitae* dicitis, unde potestis ostendere vera esse sicut suspicamini?... unde nunc potestis ostendere quia *illius sunt*, nescio » (Mansi, VIII, 821 DE), ipse quidem, ut episcopus *ephesinus*, sciebat quare hoc dicebat at dubitare posset quis an *plene* perpenderit quae dicebat.

Hodie res non melius se habent. D. Ph. Chevallier peracute quaerit: « *Dionysius estne christianus?* » at respondit voce Bossuetii: « non est minus christianus quam Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus... » [*Etudes Carmélitaines* XXVI (1947) 1, pag. 308].

ORDO CAPITUM

2 - B) — Tradit doctrinam de divinis Nominibus (Cap. 4°-13°; lectiones 54).

In hoc libro intendit exponere divina Nomina, quibus manifestantur Processiones Dei in creaturas:

I° — Principium commune harum processionum Bonum est, quia quidquid a Deo in creaturas procedit, hoc creaturae suae propter suam bonitatem communicat et ideo primo agit de Bono et etiam de his quae ad considerationem boni pertinent; Cap. 4° (23 lectiones).

II° — Si singulae Processiones considerentur, quas divina Nomina manifestant tria videmus ex divina Bonitate esse rebus attributa:

a) ut in se sint et perficiantur; si autem ipsae res in se considerentur,
   - j° - primum et communius quod in eis invenitur est esse et secundum hunc ordinem de divinis Nominibus prosequitur, tractando: de Ente; Cap. 5° (3 lect.);
   - ij° - secundo, vivere et ideo agit: de Vita; Cap. 6° (2 lect.);
   - iij° - tertio, cognoscere, unde loquitur: de Sapientia; Cap. 7° (5 lect.);
   - iv° - quarto, iustum esse vel virtuosum et ideo agit: de Virtute et Iustitia; Cap. 8° (5 lectiones).

b) ut ad invicem comparentur:
   - j° - secundum aliquid intrinsecum, prout una res dicitur alteri similis vel aequalis, eadem vel diversa; Cap. 9° (4 lectiones),
   - ij° - secundum aliquid extrinsecum; Cap. 10° (3 lect.).
   - iij° - hanc autem ordinationem rerum sequitur pax et ideo agit de Pace; Cap. 11° (4 lectiones).

c) ut ordinentur in finem, et circa hanc ordinationem considerandum:
   - j° - Providentia Gubernantis et ordinantis in finem; Cap. 12, (1 lect.)
   - ij° - Ipse Finis ad quem res per Providentiam et Gubernationem perveniunt; Cap. 13, (4 lectiones).

CAPUT QUARTUM

De Bono, Lumine, Pulchro, Amore, Extasi et Zelo; et quod Malum neque existens, neque ex existenti, neque in existentibus est.

ORDO LECTIONUM

I° — De Bono (lect. 1ª-12ª):
- A) Determinat de bono:
  - 1° - De ipso bono:
    - a) qualiter bonum sit in Deo (lectio 1°);
    - b) qualiter creaturis communicatur:
      - j° - quomodo inveniatur in Angelis (»);
      - ij° - quomodo in animabus rationalibus (»);
      - iij° - quomodo in aliis creaturis corruptibilibus (lectio 2ª);
      - iv° - quomodo inveniatur in materia prima (»);
      - v° - quomodo in corporibus coelestibus (»);
  - 2° - De aliquibus quae important rationem appetibilis:
    - a) de Lumine:
      - j° - de Lumine sensibili (lectio 3ª);
      - ij° - de Lumine intelligibili (lectio 4ª);
    - b) de Pulchro:
      - 1) Pulchrum attribuitur Deo (lectio 5ª);
      - 2) Quomodo pulchrum de Deo dicatur (»):
        - *a*) secundum excessum (»);
        - *b*) secundum causam:
          - j° ponit causalitatem pulchri (»);
          - ij° exponit:
            - α) quantum ad rationem causandi, (»);
            - β) quantum ad diversitatem causatorum:
              - I proponit in generali (lectio 6ª);
              - II prosequitur in speciali:
                - 1 - quantum ad ens unum, ordinem, quietem et motum;
                - 2 - de motibus mentium et animarum, exponitur quales sint (lectio 7ª);
          - iij° concludit causalitatem pulchri et boni (lectio 8ª);
- B) De actu circa tale obiectum seu de Amore:
  - 1° per verba propria:
    - a) determinat de amore divino:
      - j° - de ipso amore (lectio 9ª);
      - ij° - de extasi, quae est effectus amoris (lectio 10ª);
      - iij° - de zelo, qui est quaedam species amoris (»);
    - b) quomodo Deus et amor et amabilis dictus (lectio 11ª);
  - 2° per verba Hierothei (lectio 12ª).

LECTIO I (11ª)

Qualiter bonum sit in Deo et qualiter communicetur Angelis et animabus rationalibus.

SYNOPSIS
(Lect. I; cap. IV; textus nn. 95-107; expositio **261-291**).

Determinat de bono
- A) Qualiter bonum sit in Deo:
  - 1° quomodo attribuatur Deo (95; **269**)
  - 2° inducit exemplum (96; **270-271**)
- B) Qualiter creaturis communicetur:
  - 1° Quomodo inveniatur in Angelis:
    - a) secundum se:
      - j° - quantum ad eorum naturam:
        - I quomodo habent esse (97; **276**)
        - II quomodo, vivere (98; **277**)
        - III quomodo, intelligere (99; **278**).
      - ij° - quantum ad eorum conservationem (100; **279**)
      - iij° - quantum ad ordinem in finem (101; **280**).
    - b) secundum quod considerantur sub propria regula:
      - j° - ponit ea quae pertinent ad eos secundum quod continentur in ordine (102; **282-285**).
      - ij° - secundum quod sunt in hierarchia (103; **286**)
      - iij° - secundum quod communiter Angeli nominantur (104; **287-288**)
  - 2° Quomodo divina Bonitas relucet in animabus rationalibus:
    - j° - ponit ea quae pertinent ad eorum naturam (105; **289**),
    - ij° - ponit ordinem earum ad Angelos (106; **290**),
    - iij° - tangit ordinem animarum ad Deum (107; **291**).

TEXTUS DIONYSII

C. IV, § 1. 95. — « Si igitur oportet *, iam sermone ad ipsam eamus boni nominationem, quam excellenter attribuunt Theologi superdeae Deitati et ab omnibus determinant ipsam, sicut reor, thearchicam essentiam, bonitatem dicentes; et quoniam ea quae est * bonum ut substantiale bonum, ad omnia existentia extendit bonitatem.

96. — Etenim sicut noster sol, non ratiocinans aut praeeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia, partecipare lumine ipsius secundum propriam rationem valentia, ita quidem et bonum, super solem, sicut super obscuram imaginem segregate archetypum *, per ipsam essentiam omnibus existentibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios.

97. — Propter ipsos substiterunt * intelligibiles et intellectuales omnes et substantiae et virtutes et operationes;

C. IV. § *1. 95.* — [*693* B] *Εἶεν δὴ οὖν *, ἐπ' αὐτὴν ἤδη τῷ λόγῳ τὴν ἀγαθωνυμίαν χορῶμεν ἣν ἐξῃρημένως οἱ θεολόγοι τῇ ὑπερθέῳ θεότητι καὶ ἀπὸ πάντων ἀφορίζουσιν, αὐτὴν ὡς οἶμαι τὴν θεαρχικὴν ὕπαρξιν, ἀγαθότητα λέγοντες· καὶ ὅτι τῷ * εἶναι ἀγαθὸν ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν εἰς πάντα τὰ ὄντα διατείνει τὴν ἀγαθότητα.*

*96. — Καὶ γὰρ ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος, οὐ λογιζόμενος ἢ προαιρούμενος, ἀλλ'αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα τὰ μετέχειν τοῦ φωτὸς αὐτοῦ κατὰ τὸν οἰκεῖον δυνάμενα λόγον, οὕτω δὴ καὶ τἀγαθόν, ὑπὲρ ἥλιον, ὡς ὑπὲρ ἀμυδρὰν εἰκόνα τὸ ἐξῃρημένως * ἀρχέτυπον, αὐτῇ τῇ ὑπάρξει *, πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀναλόγως ἐφίησι τὰς τῆς ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας.*

97. — Διὰ ταύτας ὑπέστεσαν αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ[1] *πᾶσαι καὶ οὐσίαι καὶ δυνάμεις καὶ ἐνέργειαι*[2],

[1]) Cfr. ARIST. *de Anima* III, 4; 430 A.
[2]) Cfr. CH XI, 2; 284 D.

98. — Propter istos sunt et vivunt et vitam habent indeficientem et imminorabilem, a corruptione universa, morte et materia et generatione mundae existentes et ab instabili et fluxa et aliquando aliter ferente variatione elevatae.

98. — διὰ ταύτας εἰσὶ καὶ [C] *ζωὴν ἔχουσι τὴν ἀνέκλειπτον καὶ ἀμείωτον ἁπάσης φθορᾶς καὶ θανάτου καὶ ὕλης καὶ γενέσεως καθαρεύουσαι καὶ τῆς ἀστάτου καὶ ῥευστῆς καὶ ἄλοτε ἄλλως φερομένης ἀλλοιώσεως ἀνῳκισμέναι·*

99. — Et sicut incorporales et immateriales intelliguntur et sicut mentes supermundane intelligunt et existentium proprie illuminantur rationibus, et rursus ad cognata * propria deferunt.

99. — καὶ ὡς ἀσώματοι καὶ ἄϋλοι νοοῦνται καὶ ὡς νόες ὑπερκοσμίως νοοῦσι καὶ τοὺς τῶν ὄντων οἰκείως ἐλλάμπονται λόγους καὶ αὖθις εἰς τὰ συγγενῆ τὰ [696 A] οἰκεῖα διαπορθμεύουσι.

100. — Et mansionem ex bonitate habent et collocatio ipsis inde est et continentia et custodia et cibus * bonorum.

*100. — Καὶ τὴν μονὴν ἐκ τῆς ἀγαθότητος ἔχουσι καὶ ἵδρυσις αὐταῖς ἐκεῖθέν ἐστι καὶ συνοχὴ καὶ φρουρὰ καὶ ἑστία * τῶν ἀγαθῶν,*

101. — Et ipsam desiderantes et esse et bene esse habent et ad ipsam, sicut est possibile, figuratae et boniformes sunt et sequentibus communicant, sicut divina lex inducit dona ad ipsos ex bono venientia.

101. — καὶ αὐτῆς ἐφιέμεναι καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι ἔχουσι καὶ πρὸς αὐτὴν ὡς ἐφικτὸν ἀποτυπούμεναι καὶ ἀγαθοειδεῖς εἰσι καὶ ταῖς μετ'αὐτὰς κοινωνοῦσιν ὡς ὁ θεῖος θεσμὸς ὑφηγεῖται τῶν εἰς αὐτὰς ἐκ τἀγαθοῦ διαφοιτησάντων δώρων.

§ 2. 102 — Inde ipsis supermundani ordines, ad se invicem unitiones, in se invicem captiones, inconfusae discretiones, subiectorum ad meliores sursum agentes virtutes, circa secundas providentiae provectiorum, propriorum uniuscuiusque virtutis custodiae et circa seipsas intransmutabiles convolutiones, circa desiderium boni identitates et summitates et quaecumque alia dicta sunt a nobis in tractatu *de Angelicis Proprietatibus et Ordinibus*.

§ 2. 102. — Ἐκεῖθεν αὐταῖς αἱ ὑπερκόσμιοι τάξεις αἱ πρὸς ἑαυτὰς ἑνώσεις αἱ ἐν ἀλλήλαις χορήσεις αἱ ἀσύγχυτοι διακρίσεις αἱ πρὸς τὰς κρείττους ἀναγωγικαὶ [B] *τῶν ὑφειμένων δυνάμεις αἱ περὶ τὰ δεύτερα πρόνοιαι τῶν πρεσβυτέρων αἱ τῶν οἰκείων ἑκάστης δυνάμεως φρουραὶ καὶ περὶ ἑαυτὰς ἀμετάπτωτοι συνελίξεις αἱ περὶ τὴν ἔφεσιν τἀγαθοῦ ταὐτότητες καὶ ἀκρότητες καὶ ὅσα ἄλλα εἴρηται πρὸς ἡμῶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων·*

103. — Sed et quaecumque coelestis Hierarchiae sunt Angelis convenientes mundationes, supermundanae illuminationes et perfectiva totius perfectionis angelicae, ex omnium causa et fontana sunt bonitate.

103. — ἀλλὰ καὶ ὅσα τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐστὶν αἱ ἀγγελοπρεπεῖς καθάρσεις αἱ ὑπερκόσμιοι φωταγωγίαι καὶ τὰ τελεσιουργὰ τῆς ὅλης ἀγγελικῆς τελειότητος ἐκ τῆς παναιτίου καὶ πηγαίας ἐστὶν ἀγαθότητος,

104. — Ex qua et boniforme ipsi donatum est et manifestare in ipsis occultam bonitatem et esse Angelos sicut enuntiativos divini silentii et sicut lumina clara interpretativa Eius quod est in abditis praepositos et praemissos *.

*104. — ἐξ ἧς καὶ τὸ ἀγαθοειδὲς αὐταῖς ἐδωρήθη καὶ τὸ ἐκφαίνειν ἐν ἑαυταῖς τὴν κρυφίαν ἀγαθότητα καὶ εἶναι ἀγγέλους, ὥσπερ ἐξαγγελτικὰς τῆς θείας σιγῆς καὶ οἷον φῶτα φανὰ τοῦ ἐν ἀδύτοις * ὄντος ἑρμηνευτικὰ προβεβλημένας.*

105. — Sed et post illas claras et admirabiles * mentes, animae et quaecumque sunt bona animarum, sunt propter superbonitatem bonam, intellectuales ipsas esse, habere substantialem vitam inconsumptibilem, ipsum esse et posse *,

*105. — Ἀλλὰ καὶ μετ' ἐκείνους τοὺς ἱεροὺς * [C] καὶ ἁγίους νόας, αἱ ψυχαὶ καὶ ὅσα ψυχῶν ἀγαθὰ διὰ τὴν ὑπεράγαθόν ἐστιν ἀγαθότητα· τὸ νοερὰς αὐτὰς εἶναι, τὸ ἔχειν τὴν οὐσιώδη ζωὴν ἀνώλεθρον, αὐτὸ τὸ εἶναι καὶ δύνασθαι *

106. — extensas * ad angelicas vitas, per ipsas sicut bonos duces * ad omnium bonorum principatum sursum agi et inde emanantium illuminationum in participatione fieri, secundum illorum proportionem;

*106. — πρὸς τὰς ἀγγελικὰς ἀνατεινόμενα * ζωάς, δι' αὐτῶν ὡς ἀγαθῶν καθηγεμόνων ἐπὶ τὴν πάντων ἀγαθῶν ἀγαθαρχίαν ἀνάγεσθαι, καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἐκβλυζομένων ἐλλάμψεων ἐν μετουσίᾳ γίνεσθαι κατὰ τὴν σφῶν ἀναλογίαν,*

107. — et deiformi dono * secundum virtutem partecipare et quaecumque alia a nobis in sermone *de Anima* sunt numerata ».

*107. — καὶ τῆς τοῦ ἀγαθοειδοῦς δωρεᾶς * ὅση δύναμις μετέχειν, καὶ ὅσα ἄλλα πρὸς ἡμῶν ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς ἀπηριθμηται.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

261. — Praemisso prooemio, iam accedit ad prosequendum principalem intentionem. Et ut sequentium capitulorum intentio, numerus et ordo pateat, considerandum est quod, sicut in 1° [nn. 28, 104] et 2° cap. [nn. 71, 208] dictum est, in hoc libro intendit exponere divina Nomina quibus manifestantur processiones Dei in creaturas.

Principium autem commune omnium harum processionum bonum est, ut in 3° cap. [nn. 78, 225-229] dictum est, quia quidquid a Deo in creaturas procedit, hoc creaturae suae propter suam bonitatem communicat. Et ideo primo, agit in hoc 4° cap. de Bono et etiam de his quae ad considerationem Boni pertinent.

262. — Si autem singulae processiones considerentur, quas divina Nomina manifestant, tria videmus ex divina Bonitate esse rebus attributa: primo quidem, ut in se sint et perficiantur; secundo, ut ad invicem comparentur; tertio, ut ordinentur in finem.

263. — Si autem ipsae res in se considerentur: primum et communius, quod in eis invenitur, est esse; secundo, vivere; tertio, cognoscere; quarto iustum esse vel virtuosum. Et secundum hunc ordinem, de divinis Nominibus prosequitur: primo quidem post bonum, de ente in 5° capitulo; secundo, de vita in 6°; tertio, de sapientia in 7°; quarto, de virtute et iustitia in 8°.

264. — Comparatio autem rerum ad invicem attenditur secundum duo: primo, secundum aliquid intrinsecum, prout una res dicitur alteri similis vel aequalis, eadem vel diversa, propter convenientiam in substantia, quantitate aut qualitate et de his agit in 9° capitulo; secundo vero, secundum aliquid extrinsecum, sive secundum quod continentur sub una parte sive secundum quod continentur sub una mensura et de his agit in 10°, ubi agitur de Omnipotente et Antiquo dierum; hanc autem ordinationem sequitur pax et tranquillitas ordinis, unde in 11° agitur de pace.

265. — Sed circa ordinem rerum in finem, duo sunt consideranda, scilicet providentia gubernantis et ordinantis in finem et de hoc agitur in 12° capitulo, ubi agitur de Rege regum et Domino dominorum; et ipse finis ad quem res per providentiam et gubernationem perveniunt et hoc pertinet ad 13° capitulum, in quo agitur de perfecto et uno.

266. — Ad sciendam vero continentiam huius 4° capituli, considerandum est quod opposita sunt eiusdem considerationis; malum autem opponitur bono, unde in cap. de bono determinat etiam de malo [*lectiones* 13-23]. Rursus, quia actus per obiectum cognoscitur, ad eamdem considerationem reducitur actus et obiectum; bonum autem est proprium obiectum amoris, unde in hoc cap. boni, agit etiam de amore et de extasi, quae est effectus amoris, ut patebit, et de zelo qui quamdam amoris intensionem signat [*lectiones* 9-12]. Item, cum bonum sit quod omnia appetunt, quaecumque de se important appetibilis rationem, ad rationem boni pertinere videntur; huiusmodi autem sunt lumen et pulchrum, de quibus etiam in hoc cap. agit [*lectiones* 3-8]. Et hanc intentionem capituli exprimit titulus qui talis est: *de bono, lumine, pulchro, amore, extasi et zelo.*

267. — Primo, igitur, in hoc capitulo determinat de bono [*lectiones* 1-2]; et primo, ostendit qualiter bonum sit in Deo; secundo, qualiter creaturis communicetur, ibi [97]: *Propter ipsos...*

268. — Circa primum, duo facit: primo ostendit quomodo attribuatur Deo; secundo inducit exemplum, ibi [96]: *Etenim...*

269. — Dicit ergo primo [95] quod post praemissa *iam oportet* sermonem dirigere de hoc nomine « Bonum » quod in sacra Scriptura *excellenter* attribuitur supremae *Deitati*, quae in bonitate distinguitur ab omnibus aliis rebus, ut patet per illud Lucae 18 [19]: « *Nemo bonus nisi solus Deus* ». Et hoc, propter duo: primo, quidem, quia ipsa divina Essentia est ipsa bonitas, quod in aliis rebus non contingit: Deus enim est bonus per suam essentiam, omnia vero alia per participationem; unumquodque enim bonum est, secundum quod est res actu; Deo autem proprium est quod sit suum esse, unde ipse solus est sua bonitas.

Item, res aliae, etsi inquantum sunt, bonae sint, tamen perfectam bonitatem consequuntur per aliquod superadditum supra eorum esse; sed Deus in ipso suo esse, habet complementum suae bonitatis. Item, res aliae sunt bonae per ordinem ad aliquid aliud, quod est ultimus finis; Deus autem non ordinatur ad aliquem finem extra se. Sic igitur, primum quod est proprium divinae bonitatis est quod ipsa bonitas est

essentia divina; secundum proprium eius est quod *extendit bonitatem ad omnia*, quae per participationem dicuntur derivari ab Eo quod per essentiam dicitur.

270. — Deinde cum dicit [96]: *Etenim...* manifestat per exemplum quod dixerat de diffusione bonitatis et dicit quod *sicut noster sol* materialis *illuminat omnia* quae possunt participare per suam proportionem lumen eius, *per* suum *esse* naturale, non ratiocinando vel praeeligendo unum alteri, *ita et bonum* quod est Deus, quod est *archetypum*, idest principale exemplar vel figura, per excellentiam separatum *super solem, sicut* supra quamdam *obscuram* et deficientem *imaginem, per* suam *essentiam proportionaliter immittit omnibus existentibus, radios* suae *bonitatis* quantum ad omnia quae ab bonitatem pertinent.

271. — Considerandum est autem quod non replicavit in Deo: *non ratiocinans aut praeeligens* quod de sole dixerat; sed sicut de sole dixerat quod per ipsum suum esse illuminat, ita de Deo subdit quod per suam essentiam omnibus bonitatem tradit. Esse enim solis non est eius intelligere aut velle, etiam si intellectum et voluntatem haberet et ideo quod facit per suum esse, non facit per intellectum et voluntatem. Sed divinum esse est eius intelligere et velle et ideo quod per suum esse facit, facit per intellectum et voluntatem. Et ideo signanter dixit quod Deus segregatur a sole, *sicut archetypum* supra *obscuram imaginem.*

272. — Deinde, cum dicit [97]: *Propter istos...* ostendit quomodo bonitas inveniatur in creaturis a Deo diffusa: et primo, quomodo inveniatur in Angelis; secundo, quomodo inveniatur in animabus rationalibus, ibi [105]: *Sed et post illas...*; tertio, quomodo inveniatur in aliis creaturis corruptibilibus, ibi [108]: *Sed et de ipsis...* [lectio 2ª]; quarto, quomodo inveniatur in materia prima, ibi [111]: *Si autem et super omnia...* quinto, quomodo inveniatur in corporibus coelestibus, ibi [112]: *Sed quod nos...*

273. — Circa primum duo facit: primo ostendit quomodo invenitur bonum in Angelis secundum se; secundo, prout considerantur sub propria regula et ordine; *ibi* [102]: *Inde ipsis...*

274. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quomodo bonum invenitur in Angelis, quantum ad eorum naturam; secundo, quantum ad eorum conservationem; ibi [100]: *Et mansionem...*; tertio, quantum ad ordinem in finem; ibi [101]: *Et ipsam desiderantes...*

275. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quomodo ex divina Bonitate habent esse; secundo, quomodo vivere; ibi [98]: *Propter istos sunt...* tertio, quomodo intelligere; ibi [99]: *Et sicut incorporales...*

276. — Dicit ergo primo [97], quod *propter* radios, idest diffusionem divinae Bonitatis, productae sunt in esse subsistenti, coelestes creaturae in quibus invenitur substantia, virtus et operatio, ut in cap. XI° *Coelestis Hierarchiae* [1]) dicitur. Et dicuntur *intelligibiles*, inquantum sunt actu secundum suam naturam et *intellectuales*, inquantum actu intelligunt; quamvis Platonici in substantiis separatis distinguerent intelligibilia ab intellectualibus. Nam intellectus per participationem intelligibilis fit intelligens et ideo intelligibile est magis abstractum et altius. Et secundum hoc, posset dici quod intelligibiles substantias, supremos Angelos vocat, intellectuales autem inferiores. Licet melius sit quod intelligantur *intelligibiles*, inquantum intelliguntur et *intellectuales*, inquantum intelligunt.

277. — Deinde, cum dicit [98]: *Propter istos...* prosequitur de vita Angelorum et dicit quod *propter* diffusionem divinae Bonitatis, Angeli non solum habent esse, sed et vivere, eminentiori vita quam nos; non enim deficit per mortem sicut vita nostra, quando prolongatur. Hoc enim accidit in viventibus inferioribus, quia subiacent generationi et corruptioni et varietati quae est secundum qualitatem et quantitatem, per quam res instabiles redduntur et defluentes et diversimode se habentes; et hoc accidit rebus inferioribus, quae habent materiam; sed Angeli supra omnia ista sunt elevati et depurati.

278. — Deinde, cum dicit [99]: *Et sicut incorporales...* prosequitur de intellectu eorum: et primo, quomodo sint intelligibiles et dicit quod *intelliguntur sicut incorporales et immateriales.* Corpora enim sunt sensibilia et imaginabilia, non tamen intelligibilia actu; similiter, nulla forma in materia existens est actu intelligibilis, sed potentia tantum. Ideo Angeli sunt intelligibiles actu, inquantum sunt incorporei et immateriales. Secundo, ostendit quomodo intelligant et dicit quod *intelligunt supermundane*, idest supra modum quo nos intelligimus, *sicut* quaedam *mentes* et intellectus separati. Forma enim immaterialis ex hoc quidem quod est in mente, intelligitur, sed per hoc quod est mens subsistens, intelligit. Tertio, dicit

[1]) § 2; MG III, 284 D.

quid intelligant et unde; et dicit quod *illuminantur* a Deo de *rationibus* intelligibilibus per rationes intelligibiles *existentium*, quia per rationes intelligibiles eis a Deo inditas, rerum cognitionem habent, non colligendo rationes intelligibiles ex rebus, sicut nos. Quarto, dicit quod *propria* intellecta *deferunt ad* ea quae sunt proxima sui generis, inquantum superiores manifestant sua intellecta inferioribus.

279. — Deinde, cum dicit [100]: *Et mansionem...* ponit ea quae pertinent ad conservationem et ponit quinque per similitudinem corporalium rerum: Res enim corporales habent mansionem in loco, secundum quod substantiae; angeli *habent mansionem* vel habitationem per operationem intellectus et voluntatis in his quae intelligunt et amant, secundum illud Apostoli, Philip. 3 [20]: « *nostra conversatio in coelis est* ». Habitatio autem corporalis indiget fundamento in quo firmetur, et similiter mansio, quae est secundum intellectum, fundatur in prima Veritate intelligibili et mansio, quae est secundum voluntatem, in ultimo fine; et ideo dicit quod *ex bonitate* divina non solum est eis mansio, sed etiam *collocatio* vel « fundamentum », secundum aliam translationem [1]). Rursus, corporalia inferiora continentur sub ordine superiorum, ita et Angeli continentur sub ordine divinae Providentiae; solus autem Deus est qui continet et continetur et ideo subdit: *et continentia.* Item, corporalia, inquantum sunt corruptibilia, indigent custodia ne corrumpantur; Angeli autem non sunt mutabiles secundum substantiam, sed secundum voluntatem et ideo indigent custodiri a Deo ne eorum voluntas ab ordine divino avertatur et hoc est quod subditur: *et custodia.* Item, viventia corporalia indigent refectione per quam sustententur et similiter Angeli conservantur in esse per hoc quod intellectus et affectus ipsorum satiatur divina fruitione et intelligibilium consideratione; ideo quinto, subditur: *et cibus bonorum.*

280. — Deinde, cum dicit [101]: *Et ipsam desiderantes...* prosequitur de ordine in finem. Divina enim Bonitas convertit omnia ad seipsam, ut supra dictum est [269] et ideo sequitur quod propter divinam Bonitatem, Angeli ipsam desiderant, non tamquam carentes eo quod desiderant, sicut imperfecti, sed sicut habentes *esse et bene esse*, quantum ad ipsos et configurati divinae Bonitati et deiformes effecti, inquantum inferioribus communicant divina dona, quae ad eos de Summo Bono veniunt et hoc, *sicut lex divina inducit.* Est enim lege divina sancitum, ut bona quae a Deo accipimus, inferioribus communicemus et sic conformamur Bonitati eius, ex qua omnia bona profluunt.

281. — Positis his quae Angeli a divina Bonitate consequuntur ad eorum naturam pertinentia, hic [102: *Inde ipsis...*] primo, ponit ea quae pertinent ad eos, secundum quod continentur in ordine; secundo, ea quae pertinent ad eos, secundum quod sunt in hierarchia, ibi [103]: *Sed et quaecumque...*; tertio, ea quae conveniunt eis, secundum quod communiter Angeli nominantur, ibi [104]: *Ex qua...*

282. — Dicit ergo primo, quod ex divina Bonitate sunt praemissis substantiis *ordines supermundani*, prout quidam dicuntur esse in ordine Seraphim, quidam in ordine Cherubim et de aliis similiter.

283. — Considerandum est autem quod ad ordinem tria concurrunt: primo quidem distinctio cum convenientia; secundo, cooperatio; tertio, finis. Dico autem distinctionem cum convenientia, quia ubi non est distinctio, ordo locum non habet; si autem quae distinguuntur in nullo convenirent, unius ordinis non essent. Oportet ergo, Angelos, qui sunt unius ordinis, ad invicem uniri, inquantum sub uno ordine continentur et hoc est quod dicit: *ad se invicem unitiones.* Tamen quaedam uniuntur in ordine tantum absque continuitate vel contactu, sicut domus in civitate et civitates in regno, sed unitiones Angelorum in ordine, sunt cum quodam contactu sive etiam continuitate et ideo subdit: *in se invicem captiones*, quia scilicet unus Angelus alium in se capit per intellectum et affectum. Talis tamen unio non tollit distinctionem quae est secundum proprietatem substantiae uniuscuiusque et ideo subdit: *inconfusae discretiones.*

284. — Sicut autem uniuscuiusque substantiae est propria operatio sic cuiuslibet ordinis est accipere aliquam cooperationem corum quae sub ordine continentur, ad quam cooperationem tria requiruntur: primo quidem, ut inferiora se elevent versus superiora ut eis subdantur et ab eis iuventur et hoc est quod dicit quod ex divina Bonitate, sunt eis *virtutes subiectorum*, idest inferiorum substantiarum, *sursum agentes*, idest elevantes eas *ad meliores*, idest superiores. Secundo, ut superiora inferioribus provideant et hoc est quod subdit: *provi-*

[1]) Ioan. Scoti.

dentia provectiorum, idest superiorum, *circa secundas*, idest circa inferiores. Et ne aliquis sic superioribus intendat vel inferioribus quod sui obliviscatur, subdit tertium, ut unusquisque sit solicitus ad custodiam propriae virtutis et hoc est quod dicit: *custodiae propriorum virtutis uniuscuiusque*, idest eorum quae proprie pertinent ad virtutem uniuscuiusque, ut scilicet unusquisque in suo gradu se custodiat.

285. — Sicut enim omnis ordinis est aliqua operatio, sic et finis. Est autem eorum quae sunt in ordine, duplicem finem accipere: unum scilicet qui est in ipsis ordinatis, inquantum sunt ordinata ad invicem, quod consistit in habitudine unius ad alterum; et hunc finem tangit cum dicit: *et intransmutabiles convolutiones*, idest circumitus *circa seipsas*. Circa quod considerandum est quod cum motus circularis sit uniformis per totum, in quolibet sui habet principium et finem in potentia, non in actu; motus autem rectus diversificatur secundum principium et finem et distantiam ad utrumque. Sic ergo intelligibiles operationes Angelorum, ratione uniformitatis, convolutiones dicuntur: habent enim intelligibiles operationes Angelorum id quod perfectionis est in circulatione scilicet uniformitatem, sine eo quod imperfectionis est, scilicet mutatione; et ideo nominat *intransmutabiles convolutiones* circa se, secundum quod unus Angelus alium intelligit et amat. Secundus finis est bonum quod est supra ordinem et secundum hoc, sicut dux est finis exercitus sic Deus est finis Angelorum sub ordine contentorum; et hunc finem tangit cum dicit: *circa desiderium boni* idest Dei, *identitates*, quia omnes in hoc conveniunt vel quia semper, eodem modo, circa hoc se habent; *et summitates*, quia omnia eorum desideria ad hoc summum desiderium referuntur; vel « sublimitates », secundum aliam litteram [1]), quia sublimius coeteris, Deum desiderant. Et non solum ista sunt eis a Bonitate divina ad rationem ordinis pertinentia, sed etiam *quaecumque alia dicta sunt* in libro Angelorum Hierarchiae, in quo tractatur *de Angelicis proprietatibus et ordinibus*.

286. — Deinde, cum dicit [103]: *Sed et quaecumque*... enumerat ea quae pertinent ad rationem hierarchiae et dicit quod etiam *ex omnium causa et bonitate* divina, quae est fons omnis bonitatis, proveniunt Angelis *quaecumque* actiones *coelestis hierarchiae sunt* eis *convenientes*. Est autem considerandum quod cum hierarchia sit sacer Principatus, principis autem sit dirigere, actio hierarchiae erit dirigere ad sacra; et secundum hoc sunt triplices hierarchiae actiones, scilicet: *mundationes*, idest purgationes; *supermundanae illuminationes*; et ea quae sunt *perfectiva totius angelicae perfectionis*. Mundat autem, sive purgat unus Angelus alium, non quidem a macula culpae, quia nulla est in eis, sed a nescientia, ut ipse dicit in VI.° *coelestis Hierarchiae* [2]). Superiores enim Angeli, clarius Deum vident quam inferiores et ampliori ab Ipso, lumine replentur ad plura mysteria cognoscenda. Purgatio ergo pertinet ad ablationem nescientiae; illuminatio ad communicationem luminis; perfectio ad cognitionem eorum quae per lumen cognoscuntur.

287. — Quia vero, licet superiores substantiae distinguantur secundum ordines et hierarchias, conveniunt tamen in hoc quod Angeli dicuntur, consequenter exponit rationem huius nominis, cum dicit [104]: *Ex qua*... Circa quod considerandum est quod sicut lux solis in ipso sole videri non potest a nobis propter excellentiam lucis, videtur autem vel in nubibus vel in montibus irradiatis a sole et sic nubes vel montes manifestant nobis solis claritatem, ita ipsa Bonitas, prout est in summo rerum vertice a nobis prospici non potest propter excellentiam claritatis, sed inquantum Eius similitudo in Angelis invenitur magis propinque nobis, manifestatur nobis quodammodo in ipsis claritas divinae Bonitatis; et hoc est quod dicit, quod *ex* divina Bonitate datum est supremis substantiis *boniforme*, idest conformitas ad divinam Bonitatem et quod propter hoc, manifestatur in ipsis Dei Bonitas occulta. Sic igitur, uno modo, manifestant divinam *Bonitatem*, secundum quod in ipsis relucet similitudo divinae Bonitatis, et secundum hoc possunt dici manifestatores Dei.

288. — Sed super hoc, dicuntur Angeli, idest nuntii, inquantum Deum manifestant per propriam actionem; et hoc dupliciter: primo quidem, per modum locutionis; et hoc est quod dicit: sicut *enuntiativos divini silentii*. Manifestum est enim, quod conceptio cordis vel intellectus absque voce est cum silentio, sed per sensibiles voces, illud silentium cordis enuntiatur. Sicut autem voces exteriores sunt nobis magis manifestae et minus simplices quam interiores conceptus cordium, ita quicumque modi manifestationum, sunt nobis magis noti et minus

[1]) Ioan. Scoti.

[2]) § 3; MG III, 209 C. Cfr. supra n. 47 et infra n. 327.

simplices, quam divini verbi conceptio. Sic ergo, dum Angeli nobis aliquid de divina Sapientia manifestant sive sensibiliter colloquendo sive secundum congruam apparitionem sive secundum intelligibilem locutionem, quia et sibi invicem colloquuntur, semper sunt enuntiatores *divini silentii*. Secundo vero, per modum illuminationis; et hoc est quod subdit, quod angelicae substantiae sunt nobis propositae sicut *lumina clara interpretativa Eius*, luminis scilicet divini *quod est in abditis*, idest absconsum a nobis. Hoc autem secundum necessarium est, postquam alicui aliquid enuntiatur, quod enuntiationem intelligat. Ad hoc ergo quod ea quae nobis per Angelos enuntiantur intellectu capere possimus, ipsi claritate sui luminis intellectum nostrum adiuvant ad capiendum occulta Dei.

289. — Deinde, cum dicit [105]: *Sed et post illas*... ponit quomodo divina Bonitas relucet in animabus rationalibus et dicit quod *propter* Bonitatem Dei quae est *super* omnem *bonitatem, animae et quaecumque* ad animam pertinent, bonitatem habent, secundo tamen gradu, *post illas* sanctas *et admirabiles* Angelorum *mentes*; et ponit, primo, tria quae pertinent ad eorum naturas, scilicet: quod sunt *intellectuales* et quod habent *vitam substantialem*, idest ut per se subsistere possint et quod *esse* eorum *et posse* sit *inconsumptibile*, inquantum sunt immortales et incorruptibiles.

290. — Secundo [106], ponit ordinem earum ad Angelos; et ponit tria, scilicet: quod extenduntur *ad angelicas vitas*, inquantum scilicet de eorum similitudine aliquid participant; et iterum, per illos Angelos, *sicut per* quosdam *bonos duces*, elevantur *ad* Summum Principem *omnium bonorum:* sic enim subditi in rebus humanis ad duces imitandos et eis serviendum subsunt, ut per eos ad summum Principem ordinentur; *et inde*, idest ab Angelis fiunt animae participes, *secundum* suam *proportionem, illuminationum* a Deo *emanantium*, sicut et in rebus humanis, directiones et praecepta a Rege ad populum, per duces perveniunt.

291. — Tertio [107], tangit ordinem animarum ad Deum; et dicit quod participant animae *deiformi dono* gratiae, secundum propriam virtutem et non solum hoc habent animae ex divina Bonitate, sed etiam *quae cumque alia sunt enumerata a nobis in sermone « de Anima »*. Fecit enim librum « de Anima » quem non habemus.

OBSERVATIONES

I^a^ QUOAD TEXTUM:

* ad n. 95: « si igitur oportet » - *εἶεν*... « age, ergo » (Perionius, Corderius); « *Qu'il en soit donc* comme on a dit » (M. de Gandillac).

* : ea quae est bonum - *τῷ εἶναι ἀγαθόν*, « *per esse* bonum ».

* ad n. 96: « segregate archetypum, per ipsam essentiam ». M. de Gandillac: « *L'archétype transcendant considéré dans sa propre substance* »; legendo: « *τὸ ἐξῃρημένον ἀρχέτυπον αὐτῇ τῇ ὑπάρξει* » aliter omnino intelligitur textus. Pachymeres habet *ἐξῃρημένως* (748 B) et intelligit... « ipsâ existentiâ et ipso esse bonum ». Est quaedam pulchra correspondentia: « Sol... *τῷ εἶναι*... Ipsum Bonum... *αὐτῇ τῇ ὑπάρξει* ». Versionem propono: « ita et Ipsum Bonum, transcendens solem sicut archetypum separatim transcendit debilem imaginem, ipsa sua existentia omnibus entibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios » (cfr. n. 113 et Plat. *Rep.* VI, 19; 508 B).

* ad n. (98), **277**: corr. *depurati;* minime: « deputati » *καθαρεύουσαι*.

* ad n. 99: leg. ad *cognata;* minime: « ad cognita »...; *εἰς τὰ συγγενῆ*, « proxima sui generis » (**278**).

* ad n. 100, **279**: « *cibus* bonorum »; rursus legit *ἐστίασιν*, pro: *ἑστία*: quod pulcherrime interpretatur Pachymeres (749 BC): « ara » et « rerum divinarum firmitas », referens verba Philonis (*de Cherubim et flammeo gladio*, edit. Francofurti 1691, 112 C); aliter legit et vertit n. 327, 386.

* ad n. 104, **288**: « ... sicut enuntiativos... praepositos et praemissos »; n. 97 subiectum adest: « intelligibiles et intellectuales substantiae », inde text. graec. melius sic: « Ex qua et boniforme ipsis (*substantiis*) donatum est et *manifestare in ssipsis Bonitatem absconditam* et esse angelos, tamquam *enuntiativas* divini silentii (cfr. 212) et *emissas* velut lumina clara interpretativa Eius qui est in abditis » - *ἐν ἀδύτοις* - in adytis, h. e. recondita parte sanctuarii. Unde non recte, ut videtur: « de révéler la bonté *latente en eux*... comme des lumières révélatrices situées par l'Inaccessible pour le manifester *au seuil même* de son sanctuaire » (M. de Gandillac).

* ad n. 105, **289**: « post illas claras et admirabiles » (105), « ... *sanctas* et admirabiles » (**289**); (*graec.*): « post illas *sacras* (*ἱερούς*) *et sanctas* (*ἁγίους*) mentes ».

* : *in exposit.* corr. *intellectuales* (*νοεράς*), loco: « intelligibiles ».

* : in textu graeco sic distinguendae sunt partes orationis: « intellectuales ipsas esse, habere substantialem vitam inconsumptibilem, *ipsum esse et posse extensa* (*ἀνατεινόμενα*) ad angelicas vitas, per ipsos... elevari ». Quod bene notavit M. de Gandillac: « c'est grâce à lui qu'elles sont douées d'intellection, que la vie appartient à leur essence et demeure en soi impérissable et qu'elles peuvent approcher de la vie propre aux anges, conduits... ». S. Thomas legit:

« *inconsumptibile* » et refert ad seq. verba « esse et posse ». Forsan ex I. Scoto: « *insolubile* ».

* ad n. 106, **290**: « extensas »; alia lectio: *ἀνατεινόμενα* - extensa, ut referatur ad « esse et posse » quae extenduntur...; cfr. EH. I, 1: « amore pulchrarum rerum *extenso ad Ipsum* (Christum) et nos extendenti » (372 B).

* : per ipsas (mentes) vel: per ipsos (Angelos *Custodes*) tamquam bonos directores.

* ad n. 107 leg. « *et boniformi dono* » (*ἀγαθοειδοῦς δωρεᾶς*), minime: « et deiformi *bono* » ut aliquando in edit.

2ª Quoad libertatem Dei (96).

Vigilanter in expositione sua Angelicus Doctor erroneam interpretationem vitare nos docet (**271**), dum ipsa verba Dionysii ex suo ipso modo loquendi intelligenda nos admonet (cfr. pag. 166).

3ª Quoad « theologiam solarem »:

Hic sunt gigantes qui « divinis nefarie contra divina *utuntur* » (*Epist.* 7, 2 - MG. III, 1080 A): hinc « contra Deum pugna » (29), inde certamen pro Deo, cuius veritas dum « *hymnis* » celebratur prout decet divinum encomium (Aphtonios, apud Spengel, *Rhetores Graeci* II, pag. 35 et Theonius, *ibid.*, pag. 109), invicte custoditur per reverentiam sacrae doctrinae in Scripturis tradita (2) et clarescit in animabus credentibus (149) per notiones metaphysicales (*Epist.* 7, 2; 1080 B) nobis magis notis.

Methodus Dionysii difficillime permittit cognoscere in concreta realitate historica, hostes christianae veritatis quos impugnat, nam ipse totus est in hac veritate firmanda (*Epist.* 6; 1077 A); attamen in Ecclesia Christi non desunt qui putent pulchram « esse victoriam, *in cultum vel placitum* (*εἰς θρησκείαν ἢ δόξαν*) invehi », quae quidem respiciunt tum religionem tum philosophiam vel melius theologiam quae cultui *fundamentum* praebet.

Quia vero Dionysius fundamentum talis cultus evertit, hinc « parricida » (*Epist.* 7, 2; 1080 A) vocatur, « nefarie iis quae ad Hellenas pertinent contra Hellenas *utens* » (*ibid.*), non quasi ipse sit indigena computatus, sed *propter usum philosophiae* ad evertenda fundamenta societatis, quod *nefas est*, iuxta commune praeceptum a pseudo-Aristotele in *Rhetorica* datum, a Celso et Porphyrio adamussim observatum, unde « rationale non est *evertere consuetudinem nobis a patribus tradita* » - *ἐκ πατέρων παραδεδόμενον ἡμῖν ἔθος ἀνατρέπειν οὐκ εὔλογον* (apud Clem. Alexandr., *Cohortatio ad Gentes* X, edit. Potter I, 72). *Actualis* usus contra divina (*χρῶνται* - utuntur) ex una parte et contra Hellenas ex alia parte (*χρωμένῳ* - utenti) non est fictio literaria, sed videtur reflectere quamdam *vivam* realitatem historicam.

Quaenam sit haec viva conditio doctrinalis pugnae, eruitur forsan ex verbis Dionysii qui *Iranismum* cognoscit et *Hellenismum* non ignorat. Scit quae ad cultum Mithrae pertinent: « *etiamnum* (*εἰσέτι*) magi *celebrant* mysteria (*τελοῦσιν*) triplicis Mithrae » (*Epist.* 7, 2; 1081 A). Nunc omnibus notum est haec referri « *Soli invicto* Mithrae » qui repraesentatur cum duobus *dadophoris* Caute qui tenet *faculam erectam* et Cautopate qui tenet *faculam depressam*. « Et quia haec duo sunt nomina Mithrae in lingua persica, ... hic agitur de notione conformi doctrinae religiosae babylonensi unde Mithra est Sol et alii duo repraesentant, iuxta Macrobium, duo extrema momenta cursus eius. Isti tres significare videntur tria principalia momenta vitae: infantiam, maturitatem, senectutem. Solidum fundamentum huius interpretationis astralis habetur ex hoc quod Caute saepe repraesentatur cum « gallo » qui auroram nuntiat ... duae faculae prope sunt arborem fructibus onustam (aestas) et pinum (hyems). Unus ergo est symbolum aurorae et veris (vita augescit), alter autem occasus et hyemis (vita extinguitur) hoc est mortis » (N. Turchi, *Le religioni misteriche* ... pag. 108-109).

Interpretatio Dionysii habet valorem, ut ita dicam, veteris apologeticae quorumdam hebraeorum omnia iudaizantis, sed notitia est obiectiva et « triplicis Mithrae mysteria » non sunt ornamentum archeologicum. De cetero, quando tractat de « Antiquo dierum » (388-391) videtur innuere se non ignorare doctrinam theologiae mithraicae de *Zervan Akarana* (392-398). Quando autem in hoc capitulo tractat *de Bono* (95-183) et *de Malo* (184-256), aperte tangit radices huius theologiae a Magusaeis ex Mazdeismo excultae de *Ahura-Mazda* et *Angra-Mainyu* (v. pag. 65).

Si introductio in cognitionem Dei fit per notiones communes, ut ulterius procedi possit ad considerationem eorum quae propria sunt Eius, Dionysius debet venari has notiones et inventas purificare si contingat eas taliter detortas fuisse ut nullo modo possint acceptari in synthesi christiana. Nam ut iam Clemens Alexandrinus praemonuerat « *animas* dicimus oportere prius *purgari a malis et improbis dogmatibus per rectam rationem* » - *διὰ τοῦ λόγου τοῦ ὀρθοῦ* (*Strom.* VII, 4; edit. Potter II, 844).

Hinc notiones quas in *Hellenismo* venatur, Dionysius *diligenter* inspicit et ex suo modo loquendi posset quis forsan aliquid suspicari de conditione harum notionum in illo momento, quo auctor cogitat, loquitur, scribit. Quandoque, ne confusio oriatur, explicite suam doctrinam subtrahit ab omni illicito contactu: sic v. gr. postquam pulcherrimam theologiam solarem exposuit (113-123) declarat se non loqui « *iuxta doctrinam antiquitatis* », sed principio S. Pauli innixus (124).

Secundum hanc doctrinam « *Sol est deus et demiurgus universi, qui particulariter mundum visibilem gubernat* ». « Antiqua et splendida fabula » (Pachymeres - MG. III, 757 C) et « nugae » (*ἴθλος* - ibid., sed in scholio Maximi *ἥλιον:* ... « stultum nominabant *solem*, sicut in comoedia dicitur » - MG. IV, 249 C - forsitan ex falsa lectione), talis est « doctrina antiquitatis » non ut puto ratione temporis, sed carentia realis valoris, unde et in praesenti vetus est: « quod autem antiquatur et senescit prope interitum est » (*ad Hebr.* VIII, 13).

Ex libris, quos legere potui et pro modulo meo intelligere, Plotini († 269), Porphyrii († 300), Iamblichi († 330), Sallustii, Iuliani, Syriani, Hermiae, Procli (412-485), Asclepii, Damascii et Simplicii, hoc unum colligere datum est: prae ceteris eminentius et efficacius doctrinam solarem excoluisse Iulianum Imperatorem qui non solum theologiam

quamdam invexit, sed et cultum solis, « *religioni solari* et militari » Mithrae, ut verbis P. Messina utar, coniunxit. Inde facilius impetere potuit « fabulosam et puerilem » Christianismi « inventionem », scribens « *contra Galilaeos* », in fine vitae suae (363), at influxus tantus fuit ut Cyrillus Alexandrinus impulsus sit ad novam confutationem redigendam et publicandam, « *adversus libros athei Iuliani* » post a. 433.

Sed si quis attentius legat verba Cyrilli, *initio sui operis posita*, faciliter iudicabit esse clangorem buccinae triumphalis et quidem iuste. Alibi, fateor libenter in hoc capitulo IV° (n. 96, 113-124) est silentiosa pugna militum acriter decertantium pro Deo. Septuaginta annis (363-433) multa mutantur, serius adhuc maior diversitas; unde propius accedendum puto (380-390), quia tanti non sum ut intelligere possim, per lusum rhetoricum vel per fictionem literariam, tam vividum conatum psychologicum obtineri posse, quasi spiritus parturientis veritatem. Ni fallor, maior est difficultas explicandi compositionem unius partis in hoc capitulo (95-183), quam critice stabiliendi redactionem alterius partis (184-256): nam hic *dialectice* proceditur, ibi *psychologice*. Damnum ex « *Contra Galilaeos* » emergens maius esse videtur eo quod vis destructiva huius operis condensatur allatis viribus Celsi et Porphyrii. Attamen post labores Origenis in *Contra Celsum* et Eusebii in *Praeparatione Evangelica*, pondus defensionis levius evadit, ut videre est in opere Cyrilli Alexandrini, qui, ni fallor, librum suum libris confecit, instar Eusebii.

At maxima pernicies et subtile venenum latet in operibus Iuliani et Sallustii: ibi enim vis constructiva spiritus positive conatur aliquam synthesim promere quae efficax sit ad vitam ordinandam « iuxta consuetudinem a patribus traditam ». Quae quidem synthesis non solum contrariatur fidei christianae, sed ipsam positive excludit. Inde maxima difficultas oritur quia non agitur tantum de defensione fidei, sed de construenda aliqua synthesi quae, communes notiones Hellenismi assimilando, *liberet* spiritum a pugna contra Deum et Deo mentes subiiciat. Iulianus Imperator est miles Mithrae ut legitur in dialogo « *Caesares* » seu « *festum Saturnalium* » quem ipse scripsit ad amicum (Sallustium): « Tibi autem, dedi recognoscere *Mithram ut patrem*. Eius *praecepta serva*, dum vivis praeparans tibi ipsi anchorale et tutum refugium, quando vero hinc abire debeas, *cum bona spe* statuens tibi ipsi *benevolum deum ut ductorem* » (336 C; edit. Hertlein I, 432). Sunt verba Hermae quae animum Iuliani clare manifestant. Et in *oratione* VII, « magnus Sol » h. e. Mithra eum alloquitur, exhortando ad pugnam:

« Habens igitur *armaturam* quam ad nos tulisti, discede accipiens a me hanc faculam ut tibi et in terra luceat *lux magna... immutabiliter* nostris obediens legibus... *Memento* igitur te habere *animam immortalem* et *progeniem nostram*, nobis autem obedientem te *futurum deum* et nobiscum te *visurum Patrem nostrum* » (234 ABC; edit. Hertlein I, 303-304).

Hoc « memento », si cor hominis ad sensibilia et intelligibilia simul proclivis penetret et possideat, actum est de fide christiana, ut patet. « Illum Iesum, *quem nec vos nec patres vestri vidistis*, putatis quod debeat esse *deum Verbum*. Illum autem quem ab aeterno totum genus humanum *oculis advertit* et *vidit* et *adorat, adorans* autem *bene agit, magnum Solem* dico, *simulacrum vivens, animatum, intelligens et beneficum intelligibilis Patris* [sic lego: *πατρός*, non *παντός* h. e. « mundi intelligibilis »] (*obliti estis et spernitis*). Si aliqualiter mihi exhortanti aures praebetis, brevi, *levate vos ad veritatem. A via* enim *recta non aberrabitis...* » (*Epist.* 51; 434 CD; edit. Hertlein II, 558). Et si quae Iulianus speculatur circa theologiam solarem in « *Hymno ad Solem Regem* », Sallustio amico dicato, alta et difficilia sunt, ipse Sallustius, in opere « *de diis et mundo* » conficit *Manuale theologicum* ad usum fidelium, iuxta consuetudinem a patribus traditam (v. E. Passamonti, *La dottrina dei miti di Sallustio* in *Rendiconti della reale Accademia dei Lincei*, Classe di scienze morali, storiche e filosofiche, Serie V, vol. 1 [Roma 1892] pag. 673 ss. *Le dottrine morali e religiose di Sallustio, ibid.*, pag. 712 ss.).

Gregorius Nazianzenus et, ut videtur, Basilius Magnus, *mortuo Iuliano*, erexerunt illam quae « Columna infamis » dicitur (A. Rostagni, *Giuliano l'Apostata, Saggio critico con le operette politiche e satiriche tradotte e commentate*, Torino 1920, pag. 95), at cogitare nequeo quomodo *Steliteutica* I et II sint sufficiens antidotum animis curandis aptum et efficax. Qui unam et alteram orationem invectivam *legebat*, audiebat libenter clangorem buccinatorum, liberationem a spirituali oppressione *multitudini* christianorum fidelium nuntiantem, sed tum theorice tum practice, aliquid positive solidius necessarium erat. Nam, etsi ironice dictum, revera, « *magna mens* » (*Orat.* IV - Stel. I, 1: MG. 35, 531 A) Iulianus et *seductio* erroris *maior* et *maxima difficultas* liberandi animas ab errore deceptas.

Inde planum est — pro me certum, pro aliis ipsi iudicent — magistros christianae doctrinae in schola Annesi impulsos esse ex quadam historica necessitate ad hanc operam navandam. Hoc explicite probari nequit, sed si attentius legatur *summam theologiae solaris* quam Iulianus ponit initio « *Hymni ad Solem Regem* » (*Oratio* IV, 132 C - 133 C; edit. Hertlein I, 171-172), haud difficulter inveniet in *opposita theologia solari* Dionysii, antidotum aptum et efficax. Hoc factum explicari non potest, ut videtur, per communem doctrinam platonicam, sive ex platonismo medio ut quidam putant sive ex neo-platonismo ut aliis placet haustam et utrobique diversimode elaboratam. Nam *notiones communes* pluribus *modis* disponuntur et quando unus modus veritatis clare et distincte opponitur alicui erroris modo, *plenius intelligitur ille modus veritatis si ponatur in conditione historica erroris cui opponitur*.

Pluries Gregorius Nazianzenus notionem platonicam exponit, at nemo est qui non videat differentiam huius expositionis. Non agitur tantum de communi quodam thesauro, e quo unusquisque haurit necessaria ad opus perficiendum, sed de modo particulari quo unusquisque utitur notione communi.

In orationibus Gregorii Nazianzeni, usus analogicus notionis platonicae est veluti scala qua ad superna mens ascendit: « Nam quod rebus sensibilibus est sol, hoc iis quae animo et ratione intelliguntur est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat, hic invisibilem... » (*Orat.* XXI, 1: MG.

35, 1083 A). Item alibi perpulchre: « Idem in sensibilibus est sol quod Deus in intellectibilibus, inquit profanus quispiam [Plat., *Rep.* VI, 19; 508 C]. Ut enim hic mentem, ita ille oculos illustrat, atque ut hic res eas omnes quae animo et ratione intelliguntur pulchritudine vincit, ita etiam ille eas quae oculorum sensu percipiuntur » (*Orat.* XXVIII, 30: MG. 36, 70 A). « Laus Solis » quae sequitur, modo oratoris per interrogationes ducta, est hominis admirantis opera Dei. Et mystice tandem evolvit notionem: « Hoc in intelligibilibus quod sol in sensibilibus; eo se magis contemplandum nobis praebens, *quo accuratius animos purgaverimus;* eo rursus magis amandum *quo magis contemplati fuerimus;* eo denique magis cognoscendum *quo magis amaverimus,* sese Ipse speculans et comprehendens, ac perexigue ad externa diffundens » (*Orat.* XL, 5: MG. 36, 363 B).

Modus quo Dionysius utitur analogia solari est magis concretus et videtur aliquam conditionem historicam in concreto respicere.

Liceat pauca referre ex « *Hymno ad Solem Regem* » quae capita syntheseos theologiae solaris continere videntur:

1° — « *Divinus* (θεῖος) hic et *optimus* (πάγκαλος) *mundus* a coeli summitate ad imam terram, indissolubili (ἀλύτου) Dei providentia contentus (συνεχόμενος), *ab aeterno factus est ingenite* (ἐξ αἰδίου γέγονεν ἀγεννήτως) et, in reliquum tempus, aeternus a nullo alio *custoditus* (φρουρούμενος) quam immediate a *quinto corpore,* cuius vertex est radium Solis, altero veluti gradu a *mundo intelligibili* (τοῦ νοητοῦ κόσμου), ultimo autem ab *omnium Rege circa quem sunt omnia* ».

2° — « *Hic* igitur sive liceat Eum appellare " Quod mentem transcendit ", sive " Ideam entium " — quod quidem, dico mundum (τὸ ξύμπαν) intelligibilem — sive " Unum " quia Unum videtur utcumque primum, sive quod Plato solet nominare " Ipsum Bonum " (τἀγαθόν), *haec* igitur *uniformis Causa omnium* (μονοειδὴς τῶν ὅλων αἰτία) explicans omnibus entibus *pulchritudinem et perfectionem, unionem et potentiam ineluctabilem,* iuxta *in ipsa* manentem substantiam primo-operantem, medium e mediis intellectualibus et demiurgicis causis (*μέσον ἐκ μέσων τῶν νοερῶν καὶ δημιουργικῶν αἰτιῶν*) *Solem* deum maximum (θεὸν μέγιστον) apparere fecit *ex seipso, quoad omnia similem sibi,* sicut divinus Plato putat dicens:

" Hunc me vocare Boni Filium (τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον) dicito, quem Ipsum Bonum (τἀγαθόν) in hac secum genuit comparatione consimilem (ἀνάλογον) ut quemadmodum Ipsum in loco intelligibili (ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ) ad intellectum et ea quae intelliguntur (πρός τε νοῦν καὶ τὰ νοούμενα) se habet, sic et Iste in loco visibili ad visum se habeat et ea quae videntur " (*Rep.* VI, 19; 508 BC; vers. *Ficini*).

3° — « *Lux* autem Eius habet hanc, ut puto, proportionem (ἀναλογίαν) ad visibile, quam *veritas* ad intelligibile. Hic mundus (ξύμπας), quia factus progenies primi et maximi Ipsius Boni *ideae,* subsistens ab aeterno circa stabilem (μόνιμον) substantiam Eius, accepit etiam dominium in diis intellectualibus (ἐν τοῖς νοεροῖς θεοῖς), distribuens ipse intellectualibus haec quorum Ipsum Bonum est causa [diis] intelligibilibus » (τοῖς νοητοῖς).

4° — « *Ipsum Bonum,* vero, *intelligibilibus diis,* ut puto, *est causa pulchritudinis, substantiae, perfectionis, unionis,* continens haec et circumfulgens boniformi (ἀγαθοειδεῖ) potentia.

« Haec autem et *intellectualibus* [*diis*] *Sol* dat, constitutus ab Ipso Bono ut sit *eorum caput et rex,* etiam si [*dii intellectuales*] una cum illo processerunt et simul subsisterunt, unde, ut puto, et *intellectualibus diis praesidens boniformis causa* (ἀγαθοειδὴς αἰτία) *bonorum, omnibus omnia secundum mentem dirigat.*

« Sed et *tertius apparens hicce discus* manifeste est sensibilibus causa salutis et quot diximus intelligibilibus diis [*esse causam*] Magnum Solem (τὸν μέγαν Ἥλιον), tot et apparens hic manifestis » [*diis est causa*]; (*Orat.* IV, 132 C - 133 C; edit. Hertlein I, 171-172).

Si quis nunc attentius perlegat *orationes in festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi* Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, inveniet veritatem christianae fidei pulcherrime vindicatam *ab hoc errore.* Sed et quae supra dicit Dionysius (91) optime intelliguntur pro affirmanda *realitate historica* Iesu Christi triplici testimonio sancita: *liturgico, ecclesiastico,* « *theologico* ». Quae vero in hoc cap. docet, plenius et intimius explicantur *hac suppositione facta:* nam introductio fit per assumptionem notionum communium et explicatio datur *consona* veritati revelatae. « *Ipsum Bonum* » (τἀγαθόν - 96) est « *exemplar* » (ἀρχέτυπον) *super* Solem, qui est « *debilis* imago » et « *tenuissima echo* Ipsius Boni », etsi « *magnus et totus splendens et semper lucens Sol* » (117). *Notio Platonis* assumitur et per *principium creationis* eruitur a congerie fictionum theologicarum. « Ipsum Bonum » est qui dat « *esse et bene esse* » omnibus. « Potentiae intermediae » evanescunt et Ipsum Bonum vere et plene est « Rex circa quem omnia sunt », ut videre est infra (282-284).

Unum adhuc adiiciendum liceat: qualecumque iudicium quis proferat de doctrina Dionysii, quidquid cogitet quis de eius sinceritate et charactere, cuiuscumque temporis sit auctor, nemo est qui non videat quam irreverenter et rustice Müller scripserit: ... « beginnt er div. nom. 4 sofort *mit seinen Expectorationen* über das Gute... » (*op. cit*, pag. 40). Apud nos, mos est « in dulcedine societatis quaerere veritatem » iuxta praeceptum S. Alberti Magni qui et ipse de gente theutonica erat, sed alio spiritu fulciebatur *humano* nempe, iuxta praeceptum antiquorum: « amare quidem utrosque, persuaderi vero a certioribus » (Aristot., *Metaphys.* XII, 8, 6; 1073 B).

4ª De Compositione « spiritualium » (97).

« *Intelligibiles et intellectuales...* substantiae » sunt Spiritus Angelici; « in his enim quae sunt sine materia, idem *est intellectus et quod intelligitur* » (Arist., *de Anima* III, 4; 430 A). « Substantiae, potentiae operationes » indicant eorum compositionem, ut docet Dionysius ipse in CH. XI, 2 (284 D) et meminit infra (214). Hac ipsa distinctione utuntur Porphyrius in *epistola ad Anebonem* et Iamblichus (*de Mysteriis* II, 1), tamquam communiter recepta.

LECTIO II (12ª)

Qualiter bonum inveniatur in aliis creaturis corruptibilibus.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. IV; textus nn. 108-112; expositio nn. **292-303**).

Qualiter bonum creaturis communicetur:
3° - Quomodo bonum inveniatur in aliis creaturis corruptibilibus:
  a) in animalibus (108; **292**)
  b) in plantis (109; **293**)
  c) in rebus inanimatis (110; **294**)
4° - Quomodo, in materia prima (111; **295-298**).
5° - Quomodo, in corporibus coelestibus (112):
  a) ponit ea quae pertinent ad spheras coelestes (**300**)
  b) ponit ea quae pertinent ad stellas fixas (**301**)
  c) ponit ea quae pertinent ad planetas (**302**)
  d) prosequitur de sole et luna (**303**).

TEXTUS DIONYSII

108. — « Sed et de ipsis irrationalibus animabus aut animalibus, si oportet dicere, quaecumque aëra secant et quaecumque in terra vadunt et quaecumque in terra extenduntur et in aquis vitam aut ambigue * sortita et quaecumque sub terrā coopertă vivunt et pulvere affecta * et simpliciter quaecumque sensibilem habent animam aut vitam et haec omnia propter bonum * animata sunt et vivificata;

*108. — Ἀλλὰ καὶ περὶ αὐτῶν, εἰ χρὴ φάναι, τῶν ἀλόγων ψυχῶν ἢ ζώων ὅσα τὸν ἀέρα τέμνει καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς βαίνει καὶ ὅσα εἰς γὴν ἐκτέταται καὶ τὰ ἐν ὕδασι τὴν ζωὴν ἢ ἀμφιβίως * λαχόντα καὶ ὅσα ὑπὸ γῆν ἐγκεκαλυμμένα ζῇ καὶ ἐγκεχωσμένα * καὶ [D] ἁπλῶς ὅσα τὴν αἰσθητικὴν ἔχει ψυχὴν ἢ ζωὴν καὶ ταῦτα πάντα διὰ τἀγαθὸν ἐψύχωται καὶ ἔζώωται.*

109. — et plantae omnes nutritivam et motivam habent vitam ex bono *;

*109. — Καὶ φυτὰ δὲ πάντα τὴν θρεπτικὴν καὶ κινητικὴν ἔχει ζωὴν ἐκ τἀγαθοῦ *·*

110. — et quaecumque inanimata et non vivens substantia propter bonum * est et propter ipsum, substantialem obtinuit habitum.

*110. — καὶ ὅση ἄψυχος καὶ ἄζωος οὐσία διὰ τἀγαθόν * ἐστι καὶ δι' αὐτὸ τῆς οὐσιώδους ἕξεως ἔλαχεν.*

§ 3. 111. — Si autem et super omnia existentia est, sicut quidem est, bonum * et carens forma format et in ipso solo non-existens, substantiae excessus et non-vivens, excedens vitā et sine mente existens, excellens sapientiă et quaecumque in bono non formatorum sunt excedentis formationis; et, si fas est dicere, bonum * quod est super omnia existentia et ipsum non existens desiderat et certat aliquo modo in bono * et ipsum esse, quod est vere substantiale, secundum ab omnibus ablationem.

*§ 3. 111. — [697 A] Εἰ δὲ καὶ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα ἐστίν — ὥσπερ οὖν ἐστι — τἀγαθὸν καὶ τὸ ἀνείδεον εἰδοποιεῖ καὶ ἐν αὐτῷ μόνῳ καὶ τὸ ἀνούσιον οὐσίας ὑπερβολή· καὶ τὸ ἄζωον ὑπερέχουσα ζωή· καὶ τὸ ἄνουν ὑπεραίρουσα σοφία, καὶ ὅσα ἐν τἀγαθῷ τῆς τῶν ἀνειδέων ἐστὶν ὑπεροχικῆς εἰδοποιΐας· καί, εἰ θεμιτὸν φάναι, τἀγαθοῦ * τοῦ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ αὐτὸ τὸ μὴ ὂν ἐφίεται καὶ φιλονεικεῖ πως ἐν τἀγαθῷ καὶ αὐτὸ εἶναι, τῷ ὄντως ὑπερουσίῳ κατὰ τὴν πάντων ἀφαίρεσιν.*

§ 4. 112. — Sed, quod nos in medio praetercurrens effugit et coelestium princi-

§ 4. 112. — [B] Ἀλλ' ὅπερ ἡμᾶς ἐν μέσῳ παραδραμὸν διαπέφευγε, καὶ τῶν οὐρανίων ἀρ-

piorum et terminationum causa est bonum * et non augmentabilis et non minorabilis et tamen invariabilis huius substantiae et sine sono, si ita oportet dicere, maximae coeli-volutionis motuum * et stellarum ordinationum et pulchritudinum et luminum et collocationum et quorumdam astrorum transitivi multi-motus et duorum luminarium, quae eloquia vocant "*magna*", ab eisdem ad eadem circularis * restitutionis, secundum quae a nobis dies definiti et noctes et menses et anni mensurati, circulares * motiones temporis et eorum quae sunt in tempore determinant et numerant et ordinant et continent ».

*χῶν καὶ ἀποπερατώσεων αἰτία τἀγαθὸν * τῆς ἀναυξοῦς καὶ ἀμειώτου καὶ ὅλως ἀναλλοιώτου ταύτης οὐσίας καὶ τῶν ἀφύφων, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῆς παμμεγέθους * οὐρανοπορίας κινήσεων καὶ τῶν ἀστρώων τάξεων καὶ εὐπρεπειῶν καὶ φώτων καὶ ἱδρύσεων καὶ τῆς ἑνίων ἀστέρων μεταβατικῆς πολυκινησίας, καὶ τῆς τῶν δύο φωστήρων* [1], οὓς τὰ λόγια καλεῖ μεγάλους, ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἰς τὰ αὐτὰ περιοδικῆς * ἀποκαταστάσεως καθ' ἃς αἱ παρ' ἡμῖν ἡμέραι καὶ νύκτες ὁριζόμεναι καὶ μῆνες καὶ ἐνιαυτοὶ μετρούμενοι τὰς τοῦ χρόνου καὶ τῶν ἐν χρόνῳ κυκλικὰς * κινήσεις ἀφορίζουσι καὶ ἀριθμοῦσι καὶ τάττουσι καὶ συνέχουσι* [2].

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

292. — Determinatis his quae rationales creaturae de divina Bonitate participant, hic [108] accedit ad irrationales creaturas; et primo, prosequitur ea quae pertinent ad animalia irrationalia et dicit: *si oportet* loqui non solum de nobilibus creaturis, sed etiam de ignobilibus, ut puta *de irrationalibus animabus aut animalibus*, sciendum est quod quaedam eorum *aëra secant* volando, ut aves; quaedam vero habent motum *in terra* et hoc dupliciter: quaedam enim *vadunt*, idest ambulant, ut animalia quadrupedia; quaedam vero *in terra extenduntur*, idest per sui corporis extensionem moventur, ut reptilia; quaedam sunt *sortita vitam in aquis*, ut pisces; *aut ambigue*, sicut quaedam animalia, quae, nunc in aquis, nunc in terra, vivunt; quaedam vero *vivunt sub terra*, ut talpae; *et pulvere affecta*, ut quidam vermes qui sub pulveribus inveniuntur. Tam ista quam quaecumque alia universaliter habent substantiam et *vitam sensibilem*, quod sunt et quod sic vivunt, ex divina Bonitate habent.

293. — Deinde, cum dicit [109]: *Et plantae...* prosequitur de plantis; et dicit quod *omnes plantae* ex divina Bonitate habent vitam, non quidem sensibilem, sed quae attenditur secundum nutritionem et motum augmenti et decrementi.

294. — Deinde, cum dicit [110]: *Et quaecumque...* prosequitur de inanimatis; et dicit quod omnis *substantia* inanimata *et non vivens* ex divina Bonitate habet quod sit et quod *substantialem* obtineat *habitum*, idest quod se habeat ut subsistens, per quod excedit accidens.

295. — Deinde, cum dicit [111]: *Si autem...* prosequitur de materia prima. Circa quod considerandum est quod Plato correxit errorem antiquorum naturalium, qui non distinxerunt inter materiam et formam in rebus generabilibus et corruptibilibus, ponentes primam materiam esse aliquod corpus in actu, ut ignem aut aërem aut aliquod huiusmodi. Intellexit enim Plato formae corporali subesse materiam quae in sui essentia non habet aliquam speciem; sed tamen materiam a privatione non distinxit, ut Aristoteles dicit in I Physicorum [3]). Unde tam ipse quam sui sectatores materiam appellabant « non-ens », propter privationem adiunctam. Et hoc modo loquendi etiam Dionysius utitur, quamvis secundum Aristotelem necessarium sit materiam a privatione distinguere, quia materia quandoque invenitur sub forma, quandoque sub privatione; unde privatio adiungitur ei per accidens.

296. — Item, considerandum est, secundum Platonicos, quod quanto aliqua causa est altior, tanto ad plura se extendit eius causalitas [4]). Unde oportet quod id quod est primum subiectum in effectibus, idest materia prima, sit effectus solius primae Causae quae est bonum, causalitate secundarum causarum usque ad hoc non pertingente. Omne autem causatum convertitur in suam causam per desiderium, unde materia prima desiderat bonum, secundum quod desiderium nihil aliud esse videtur quam privatio et ordo ipsius ad actum.

[1]) *Gen.* 1, 16; *Psal.* 135, 7-9.
[2]) Cfr. *Gen.* 1, 14.
[3]) C. 9: 191, b, 35-192, a, 2; S. Th. lect. 15, n. 2.
[4]) Cfr. PROCLUS, *The Elements of Theology* — a revised text with Translation, Introduction and Commentary by E. R. DODDS (Oxford 1933, pag. 54, *prop.* 57; pag. 66, *prop.* 70; in Expositione libri *de Causis* prop. 1, lect. 1, Angelici Doctoris.

297. — Rursus, considerandum est quod sicut materia prima dicitur informis per defectum formae, sic informitas attribuitur ipsi primo Bono, non per defectum, sed per excessum; et sic, secundum quamdam remotam assimilationem, similitudo Causae primae invenitur in materia prima.

298. — Secundum hoc ergo Dionysius dicit quod Deus, cum sit *super omnia existentia, format* res, inquantum est *bonum et carens forma* per excessum; et hoc manifestat per singula: *in ipso* enim *solo* Deo invenitur quod est *excessus substantiae*; quia, inquam, excellenter subsistit; et hoc dicitur *non-existens* ut alia; similiter, cum sit *excedens vitã*, dicitur *non-vivens;* et, cum sit *excellens sapientiã*, dicitur *sine mente* et similiter de omnibus aliis *quaecumque sunt in bono*, scilicet Deo, de numero *non formatorum*, per negationem dicta et deinde sunt *excedentis formationis*, quia illae formae in eo sunt per excessum; *et, si fas est dicere*, illud *bonum quod est super omnia existentia et non-existens*, ut dictum est, *desiderat ipsum non-existens*, idest materia prima, inquantum desiderat formam quae est similitudo divini esse *et certat aliquo modo in bono*, idest ut primo Bono assimiletur, quae quidem communicatio nihil aliud est quam inclinatio ipsius ad formam; et communicat ut sit id, scilicet ens et bonum *quod vere* idest essentialiter praedicatur de substantiali bono, quod nominatur *secundum ablationem ab omnibus* per nomina negativa, non propter defectum, ut materia prima, sed propter excessum.

299. — Deinde, cum dicit [112]: *Sed quod nos...* prosequitur de corporibus coelestibus de quibus tractare effugerat et primo *in medio*. Requirebat enim consequentia ordinis ut inter substantias incorporeas incorruptibiles et substantias corporeas corruptibiles, tractaretur de substantiis corporeis incorruptibilibus, sed propter adiunctionem animarum ad corpora corruptibilia, praedictum ordinem praetermisit.

300. — Circa corpora autem coelestia, primo ponit quae pertinent ad ipsas spheras coelestes; et ponit tria: primo, habitudinem ipsorum ad inferiora, nam sunt corpora coelestia principia activa respectu corporum generabilium et corruptibilium et terminus discretivus uniuscuiusque eorum praefigitur secundum corpora coelestia; et hoc est quod dicit, quod *bonum* divinum *est causa coelestium principiorum et terminationum*. Secundo, ponit quod pertinet ad modum substantiae eorum; circa quod, sciendum est quod quidam antiqui, credentes corpora coelestia naturae igneae, posuerunt ea cibari et nutriri vaporibus ex terra et aquis resolutis et, per hunc modum, conservari coelestia corpora, sicut conservatur ignis per appositionem lignorum; et ad hoc removendum, dicit quod *bonum* divinum *est causa* huius, scilicet coelestis corporis, *non augmentabilis*, scilicet per aliquam appositionem *et non minorabilis* per aliquam consumptionem *et tamen invariabilis* quia secundum suam substantiam alterari non possunt. Tertio, ponit quod pertinet ad motus ipsorum, ex quibus Pythagorici dicebant sonos quosdam harmonicos provenire. Sed hoc ipse excludens, dicit quod bonum est causa *maximae* revolutionis *motuum coeli*, quae est *sine sono, si ita oportet dicere*; aliqui enim contrarium dixerunt.

301. — Deinde, ponit ea quae pertinent ad stellas fixas, in quibus quatuor sunt consideranda: primo, ordinationes earum ad invicem, secundum distantiam et propinquitatem et situm, prout ex eis diversae figurae constituuntur; secundo, pulchritudo earum quae est per claritatem, figuram et quantitatem; tertio, lumina earum, secundum quod per suos radios effectum in istis inferioribus habent; quarto, collocationes earum, secundum quod, in sphera sua, immobiliter figuntur.

302. — Deinde, ponit quod pertinet ad quinque planetas, scilicet Saturnum, Iovem, Martem, Mercurium, Venerem et dicit quod divinum Bonum est causa *motus multi transitivi* horum *astrorum*. Vocat autem motus horum astrorum transitivos, quia non servant eamdem figuram secundum situm neque ad se invicem neque ad alias stellas fixas, sed transeunt de figura in figuram, cum quandoque inveniantur in ariete, quandoque in tauro aut in aliquo alio signo. Attribuit autem eis multitudinem motuum, quia id quod apparet sensibiliter de motu uniuscuiusque eorum, oportet quod resultet ex multis motibus; cum quandoque tardius sensibiliter moveri videantur; quod invariabilitas coelestium corporum non patitur.

303. — Ultimo, prosequitur de luminaribus, idest de sole et luna; et dicit quod divinum Bonum est causa *circularis* motus *duorum luminarium*, idest solis et lunae quae vocat sacra Scriptura: *magna* [*Gen.* 1 [16]], secundum quod motus circulares restituuntur *ab eisdem* signis *ad eadem*. Et secundum haec luminaria, distinguuntur *a nobis dies et noctes* et mensurantur *anni et menses, de-*

terminant, idest distinguunt *et numerant* idest mensurant *et ordinant* secundum prius et posterius *et continent* secundum certam illuminationem, *circulares motiones temporis* et omnium quae moventur in tempore. Dicit autem circulos temporis, secundum quod de mane redeunt ad mane et de vere ad ver. Manifestum est autem quod per distinctionem annorum et mensium et dierum et motuum distinguimus ea quae aguntur in uno tempore ab his quae aguntur in alio et per eadem etiam scimus quantitatem temporis et actionis, secundum quod pluribus aut paucioribus diebus, mensibus et annis durat. Scitur etiam quid prius vel posterius agatur, ex hoc quod illo die, mense, vel anno est actum. Principium etiam et terminationem uniuscuiusque durationis, secundum certum diem et mensem et annum distinguuntur et per hoc dicuntur continere omnia quae aguntur in tempore.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 108: « ambigue » - ἀμφιβίως, amphibie; agitur de *vita amphibia*.

* : « *et pulvere affecta* ac obruta » - ἐγκεχωσμένα, *defossa;* superfluit unum aut alterum, leg. cum S. Thoma in expositione (292): « et pulvere affecta » ita tamen ut simul uniantur: « sub terrā coopertă (*vel* abscondita) et defossă ». Sic Plinius: « animalia quae semper *defossa* vivunt, ut talpae ».

* : « propter Bonum »: διὰ τἀγαθόν, « propter *Ipsum* Bonum » (sic leg. et n. 109, 110, 111, 112); διά (cfr. *Ioan.* 6, 57) non commodi vel favoris sed *efficientiae* (δι'ὅν ζῆν - *Cratyl.* XIV - 396 A: « *per quem* vita semper viventibus omnibus inest » - vers. *Ficini*).

* ad n. 112 « *maxime* coeli-volutionis *motivum* » (certe mendosum); in expositione (300): « *maxime* revolutionis motuum coeli » - τῆς παμμεγέθους οὐρανοπορίας κινήσεων, « motuum coelestis curriculi vastissimi » (Cordier); « de l'*immense route* du ciel » (M. de Gandillac); unde in vers. leg. « *maximae* coeli-volutionis *motuum* » et non: *maxime* coeli volutionis *motivum;* in exposit. vero: « *maximae* »...

* : « circularis restitutionis » - περιοδικῆς ἀποκαταστάσεως, « de la *trajectoire* periodique » (M. de Gandillac).

* : « circulares motiones temporis » - κυκλικὰς κινήσεις, « les mouvements cycliques » (M. de Gandillac). In expositione (303) « *circulos et* motiones temporis » leg. iuxta versionem: « *circulares* motiones temporis ». Si non est mendum typ. vel lecturae cod. forsan digraphia ex expos. seq. « dicit autem *circulos temporis* ».

2ª Quoad doctrinam cosmologicam (111).

Facile quis intelligit Dionysium exponere doctrinam de creatione iuxta tradita in cap. 1 *Genesis* et suo modo illustrare opus sex dierum, vitans erroneas vel periculosas positiones Philonis in *de Mundi Opificio*, per solidam S. Basilii doctrinam in *Hexaemeron* unde hausit subtilem sensum realitatis concretae.

Difficultas maxima latet in n. 111, ubi, ut in pluribus, « τὸ ἀνείδεον εἰδοποιεῖ » intelligitur ut *subiectum agens:* « *carens forma format* » vel: « c'est *l'informe* qui donne forme » (M. de Gandillac), dum e contra Ambrosius intelligit ut *obiectum:* « Summum illud Bonum *eius quod est informe* forma formans est ».

Quid sentiendum sit, Dionysius ipse nos docet: nam in nn. 141 et 184 eamdem fere doctrinam habet, iisdem verbis expressam. Sic. n. 184, dicit: « Sicut dictum est, etiam non-ens desiderat Ipsum et contendit aliquo modo esse in Ipso et *Ipse est formator etiam informium* (καὶ αὐτό ἐστι τὸ εἰδοποιὸν καὶ τῶν ἀνειδέων) et *de Ipso etiam non-ens supersubstantialiter dicitur et est* ». Quod ultimum optime explicatur n. 141: « ... etiam non-ens participat Pulchrum et Bonum; *tunc enim et ipsum est pulchrum et bonum, quando in Deo supersubstantialiter laudatur per ablationem omnium* » (κατὰ τὴν πάντων ἀφαίρεσιν).

Ut patet ex n. 184 et iam vidit Maximus in scholio (MG. IV, 253 C), « non-ens » differenter intelligendum est et, ni fallor, iuxta duplicem sensum quo Aristoteles dicit « *materiam* » *esse* « *non-ens per accidens* », « privationem » vero « *per se* » (I *Physicorum*, cap. 9, n. 1: 191, b, 35-192, a, 2).

Basilius *hom. II in Hexaemeron* notat vers. illud « *terra autem erat invisibilis et incomposita* » (*Gen.* 1, 2) a veritatis adulteratoribus intelligi de « *materia* » quam quidam « ingenitam » ponebant, aequantes Deo « τὴν ἄποιον τὴν ἀνείδεον τὴν ἐσχάτην ἀμορφίαν » (materiam) « qualitatis ac *formae expertem*, extremam informitatem » (Opp. I, 13 C). Excluso quod materia sit ὁμότιμος τῷ θεῷ « *aequalis honoris* cum Deo », inde manifestat originem huius erroris ex eo quod Deus concipitur ad modum artificis humani qui semper *praesupponit* materiam, concludens: « simul atque cogitavit qualemnam mundum esse oporteret, τῷ εἴδει αὐτοῦ τὴν ἁρμόζουσαν ὕλην συναπεγέννησε - *materiam formae ipsius convenientem simul-produxit* » (ibid. 14 B). Hoc supposito, facile intelligitur « non-ens »-« materia » [« informe » - 111] desiderare Ipsum qui est « formator etiam *informium* » (184) unde actio Eius dicitur « productiva formae » εἰδοποιεῖ τὸ ἀνείδεον (111), non quasi Ipse sit *forma informans*, sed quia « *facit formam* » qua materia informis formatur. Inde Dionysius vocat *actionem creatricem* Dei « ὑπεροχικὴν εἰδοποίαν » - « *eminentem* formationem ». Sic et in ordine gratiae Verbum assumens « *naturam humanam* », ut explicat Maximus (MG. IV, 149 C; 152 A), dicitur ἐξ ἡμῶν εἰδοποιούμενον - « ex nobis formam sibi fecisse », contra Apollinarem qui in « *Demonstratione Incarnationis divinae secundum similitudinem hominis* » hoc negaverat. Unde « εἰδοποΐία » *plene* est actio quae *facit formam cum materia ipsi convenienti*, agitur enim de *formis rerum sensibilium*. Per hanc actionem creatricem Dei, mundus est effectus qui ducit intellectum nostrum ad cognitionem Causae per viam affirmationis et *per viam negationis* vel « *ablationis* » (κατὰ τὴν ἀφαίρεσιν): a linea ontologico-cosmica fit transitus ad lineam psychologico-gnoseologicam. Et illud « non-ens » quod est cum « materia » scilicet « privatio » (στέρεσις) consideratur a Dionysio tamquam *desiderium* huius cognitionis, *in homine*. Hic, *anima Plotini exultat* et qui mirabiliter « μὴ ὄν » vocavit Ipsum Bonum (*En.* VI, 9, 5), tamquam illud quod « transcendit substantiam » (ἐπέκεινα οὐσίας) secundum doctrinam Platonis (*Rep.* VI, 19; 509 B), mirabilius sensum huius nominis divini considerat: non enim dicuntur huiusmodi nomina κατὰ στέρεσιν (*Epist.* 1, 1065 A), *privative*, sed « *eminenter* » (ὑπεροχικῶς). At, eo ipso, « *aliquo modo* », illa « privatio » quae est « *ablatio* », dum ianuam aperit, lumine et ipsa perfunditur, facta « pulchra et bona », *ex parte hominis qui tali modo Deum eminenter cognoscit*. Sensus ergo n. 111, talis esse videtur: « Si autem est super omnia entia — sicut revera est — Ipsum Bonum producit formam eius quod est informe » [nempe *materiae*].

Ratio huius est quia solus Deus est infinitae potentiae, unde subiungit: « et *in Ipso solo*, insubstantiale (est) excessus substantiae; invitale (est) eminens vita; amentale (est) excellens sapientia et quot (sunt) in Ipso Bono, sunt (*propria*) eminentis formationis informium » [quia nempe ex opere cognoscitur Causa quae eminenter-virtualiter agit in mundo]. « Et si licet dicere, etiam ipsum non-ens » [quod est *privatio*] desiderat Ipsum Bonum quod est super omnia entia et contendit et ipsum esse aliquo modo in Ipso Bono realiter supersubstantiali, secundum ablationem omnium » [quando nempe Deus vocatur « non-ens » *eminenter*].

3ª Quoad similitudinem Causae primae in materia prima (111; 297).

« Regula magistralis » habetur contra Materialismum, per quam ordinatim fit ascensus a Scientiae experimentalis elementis theoricis et practicis ad intellectum metaphysicum causarum naturalium, iuxta doctrinam expositam (cfr. 141; 355).

« *Et particula boni doni non te praetereat* » (*Eccli.* 14, 14) qui, in causa materiali sistens, naturae vocem audis humanitus loquentis, ne theologiam absque reali notione veri Dei construere velis et inde nefarie contra Deum pugnes.

LECTIO III (13ª)

De Lumine sensibili.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. IV; textus nn. 113-124; expositio nn. **304-320**).

1° - ostendit quomodo nomen luminis solaris, metaphorice Deo attribuitur:
- A) ostendit quod nomen solaris luminis Deo attribuitur ratione similitudinis (113; **306**).
- B) manifestat similitudinem:
  - 1) quantum ad processum rerum in esse a divina Bonitate:
    - a) ponit quae pertinent ad divinam Bonitatem:
      - j° - universalem causalitatem Eius (114; **308**),
      - ij° - quid consequantur substantiae ex divina Bonitate (115; **309**)
      - iij° - quam habitudinem habet divina Bonitas ad res productas (116; **310**).
    - b) ostendit quomodo invenitur similitudo in sole:
      - j° - quantum ad universalitatem causandi (117; **311**),
      - ij° - quantum ad effectus (118; **312**)
      - iij° - quantum ad rationem mensurae (119; **313**).
  - 2) quantum ad ordinem rerum in Ipsam:
    - a) ponit quae pertinent ad divinam Bonitatem:
      - j° - ostendit ex qua causa omnia ordinantur in Deum (120; **316**)
      - ij° - quae sit ratio ordinis (121; **317**),
      - iij° - ostendit modum ordinis (122; **318**).
    - b) ostendit quomodo praedictorum similitudo inveniatur in sole (123; **319**)
- C) excludit errorem (124; **320**)

2° - ostendit quomodo intelligibile lumen Deo attribuatur (125; lectio 4ª).

TEXTUS DIONYSII

113. — « Quid dicat quidem aliquis de seipso, secundum se, solari radio? Ex bono * enim est illud lumen et imago bonitatis; propter quod et luminis nominatione laudatur bonum, sicut in imagine archetypum manifestatum.

*113. — Τί δὲ ἄν τις φαίη περὶ αὐτῆς καθ' αὕτην τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος; ἐκ τἀγαθοῦ * γὰρ τὸ φῶς καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος· διὸ καὶ φωτω[C]νυμικῶς ὑμνεῖται τἀγαθὸν * ὡς ἐν εἰκόνι τὸ ἀρχέτυπον ἐκφαινόμενον.*

114. — Sicut enim super omnia existentis * bonitas divinitatis, a supremis et provectissimis substantiis usque ad ultimas transit et adhuc super omnes est neque superioribus pertingentibus ad ipsius excessum neque inferioribus ambitum transeuntibus;

*114. — Ὡς γὰρ ἡ τῆς πάντων ἐπέκεινα * θεότητος ἀγαθότης ἀπὸ τῶν ἀνωτάτων καὶ πρεσβυτάτων οὐσιῶν ἄχρι τῶν ἐσχάτων διήκει καὶ ἔτι ὑπὲρ πάσας ἐστὶ μήτε τῶν ἄνω φθανουσῶν αὐτῆς τὴν ὑπεροχὴν μήτε τῶν κάτω τὴν περιοχὴν διαβαινουσῶν,*

115. — sed et illuminat illuminari valentia omnia et creat et vivificat et continet et perficit,

115. — ἀλλὰ καὶ φωτίζει τὰ δυνάμενα πάντα καὶ δημιουργεῖ καὶ ζωοῖ καὶ συνέχει καὶ τελεσιουργεῖ,

116. — et mensura est existentium et aevum et numerus et ordo et ambitus et causa et finis;

116. — καὶ μέτρον ἐστὶ τῶν ὄντων καὶ αἰὼν καὶ ἀριθμὸς καὶ τάξις καὶ περιοχὴ καὶ αἰτία καὶ τέλος,

117. — ita quidem et divinae Bonitatis manifesta imago, magnus iste et totus splendens et semper lucens Sol, secundum multam * resonantiam boni * et omnia quaecumque

*117. — οὕτω δὴ καὶ ἡ τῆς θείας ἀγαθότητος ἐμφανὴς εἰκὼν ὁ μέγας οὗτος καὶ ὁλόλαμπὴς καὶ ἀείφωτος ἥλιος κατὰ πολλοστὸν * ἀπήχημα τἀγαθοῦ * καὶ πάντα ὅσα*

participare ipso possunt, illuminat et superextentum habet lumen, ad omnem extendens visibilem mundum et sursum et deorsum, propriorum radiorum splendores et si aliquid ipsi non participat, hoc non infirmitatis aut parvitatis est illuminativae ipsius distributionis, sed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem. Siquidem multa sic se habentia, radius transiens sequentia illuminat et nihil est visibilium ad quod non pertingat secundum proprii splendoris excedentem magnitudinem.

μετέχειν αὐτοῦ δύναται, φωτίζει καὶ ὑπερηπλωμένον [D] *ἔχει τὸ φῶς εἰς πάντα ἐξαπλῶν τὸν ὁρατὸν κόσμον ἄνω τε καὶ κάτω τὰς τῶν οἰκείων ἀκτίνων αὐγάς· καὶ εἴ τι αὐτῶν οὐ μετέχει τοῦτο οὐ τῆς ἀνδρανείας ἢ τῆς βραχύτητός ἐστι τῆς φωτιστικῆς αὐτοῦ διαδόσεως, ἀλλὰ τῶν διὰ φωτοληψίας ἀνεπιτηδειότητα, μὴ ἀναπλουμένων εἰς τὴν φωτὸς μετουσίαν. Ἀμέλει πολλὰ τῶν οὕτως ἐχόντων ἡ ἀκτὶς διαβαίνουσα τὰ μετ' ἐκεῖνα φωτίζει καὶ οὐδέν ἐστι τῶν ὁρατῶν [700 A] οὗ μὴ ἐφικνεῖται κατὰ τὸ τῆς οἰκείας αὐγλης ὑπερβάλλον μέγεθος.*

118. — Sed ad generationem visibilium corporum confert et ad vitam ipsa movet et nutrit et auget perficit et mundat et renovat;

118. — Ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν γένεσιν τῶν αἰσθητῶν σωμάτων συμβάλλεται καὶ πρὸς ζωὴν αὐτὰ κινεῖ καὶ τρέφει καὶ αὔξει καὶ τελειοῖ καὶ καθαίρει καὶ ἀνανεοῖ·

119. — et mensura est et numerus horarum dierum et omnis temporis nostri lumen. Ipsum enim est illud lumen, quamvis tunc informe * erat, quod divinus dixit Moyses et quod ipsam determinavit primam nostrorum dierum trinitatem.

119. — καὶ μέτρον ἐστὶ καὶ ἀριθμὸς τῶν ὡρῶν ἡμερῶν καὶ παντὸς τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τὸ φῶς· αὐτὸ γάρ ἐστι τὸ φῶς, εἰ καὶ τότε ἀσχημάτιστον ἦν, ὅπερ ὁ θεῖος ἔφη Μωσῆς [1] καὶ αὐτὴν ἐκείνην ὁρίσαι τὴν πρώτην τῶν καθ' ἡμᾶς ἡμερῶν τριάδα.

120. — Et sic omnia ad seipsam Bonitas convertit et Princeps congregatrix est dispersorum, sicut principalis et vivifica Deitas;

120. — Καὶ ὥσπερ πάντα πρὸς ἑαυτὴν ἡ ἀγαθότης ἐπιστρέφει καὶ ἀρχισυναγωγός ἐστι τῶν ἐσκεδασμένων ὡς ἐναρχικὴ καὶ ἑνοποιὸς θεότης,

121. — et omnia Ipsam ut principium ut continentiam ut finem desiderant: et bonum * est, ut eloquia dicunt, ex quo omnia subsistunt et sunt sicut ex causa perfecta deducta; et in quo omnia consistunt, sicut in omnipotenti plantatione * custodita et contenta; et ad quod omnia convertuntur, quemadmodum ad proprium singula finem;

121. — καὶ πάντα αὐτῆς ὡς ἀρχῆς ὡς συνοχῆς ὡς τέλους ἐφίεται· καὶ τἀγαθόν ἐστιν — ὡς τὰ λόγιά [2] φησιν — ἐξ οὗ τὰ πάντα ὑπέστη καὶ ἐστίν, ὡς ἐξ αἰτίας παντελοῦς παρηγμένα, καὶ ἐν ᾧ τὰ [B] *πάντα συνέστηκεν, ὡς ἐν παντοκρατορικῷ πυθμένι * φρουρούμενα καὶ διακρατούμενα, καὶ εἰς ὃ τὰ πάντα ἐπιστρέφεται, καθάπερ εἰς οἰκεῖον ἑκάστῳ πέρας,*

122. — et quod desiderant omnia, intellectualia quidem et rationalia cognitive; sensibilia autem sensibiliter; expertia vero sensus, naturali motu vivifici desiderii; carentia autem vita et tantum existentia, aptitudine ad solam substantiae participationem;

122. — καὶ οὗ ἐφίεται πάντα τὰ μὲν νοερὰ καὶ λογικὰ γνωστικῶς τὰ δὲ αἰσθητικὰ αἰσθητικῶς τὰ δὲ αἰσθήσεως ἄμοιρα τῇ ἐμφύτῳ κινήσει τῆς ζωτικῆς ἐφέσεως, τὰ δὲ ἄζωα καὶ μόνον ὄντα τῇ πρὸς μόνην τὴν οὐσιώδη μέθεξιν ἐπιτηδειότητι,

123. — secundum eamdem manifestae imaginis rationem et lumen congregat et convertit ad seipsum omnia videntia, quae moventur, quae illuminantur, quae calefiunt, quae totaliter a fulgoribus eius continentur; propter quod et " ilios * " appellatur, quoniam omnia indestructibilia * facit et congregat dispersa et omnia sensibilia ipsum desiderant aut sicut videre aut sicut movere aut sicut illuminari et calefieri et totaliter contineri a lumine concupiscentia.

*123. — κατὰ τὸν αὐτὸν τῆς ἐμφανοῦς εἰκόνος λόγον καὶ τὸ φῶς συνάγει καὶ ἐπιστρέφει πρὸς ἑαυτὸ πάντα τὰ ὄντα τὰ ὁρῶντα τὰ κινοῦμενα τὰ φωτιζόμενα τὰ θερμαινόμενα τὰ ὅλως ὑπὸ τῶν αὐτοῦ μαρμαρυγῶν συνεχόμενα· διὸ καὶ ἥλιος ὅτι πάντα ἀολλῆ * ποιεῖ * καὶ συνάγει τὰ διεσκεδασμένα. Καὶ πάντα αὐτοῦ τὰ αἰσθητὰ ἐφίεται ἢ ὡς τοῦ ὁρᾶν ἢ ὡς τοῦ κινεῖσθαι καὶ φωτίζεσθαι καὶ θερμαίνε[C]σθαι καὶ ὅλως συνέχεσθαι πρὸς τοῦ φωτὸς ἐφιέμενα.*

124. — Et non dico, secundum antiquitatis rationem quod deus existens Sol et creator huius universitatis proprie procurat manifestum mundum *, sed quod „*in-*

*124. — Καὶ οὐ δήπου φημὶ κατὰ τὸν τῆς παλαιότητος λόγον ὅτι θεὸς ὢν ὁ ἥλιος καὶ δημιουργὸς τοῦ δε τοῦ παντὸς * ἰδίως ἐπιτροπεύει τὸν ἐμφανῆ * κόσμον, ἀλλ' ὅτι « τὰ*

[1]) *Gen.* I, 3.
[2]) *Rom.* 11, 36; I *Cor.* 8, 6; *Colos.* I, 16 (Cfr. n. 75, 151, 155).
[3]) PLAT. *Cratyl.* XXIV; 409 A.

visibilia [eius, videlicet] *Dei* *, *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur et sempiterna ipsius virtus et Divinitas* " ».

*ἀόρατα » τοῦ θεοῦ * « ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης »* [1].

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

304. — Postquam prosecutus est ea quae pertinent ad nomen Boni, hic prosequitur ea quae pertinent ad nomen Luminis; et primo, ostendit quomodo nomen luminis solaris metaphorice Deo attribuitur; secundo, quomodo attribuitur Ei intelligibile lumen; ibi [125]: *Sed haec quidem...* [lectio 4ª].

305. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quod nomen solaris luminis Deo attribuitur; secundo, manifestat similitudinem; ibi [114]: *Sicut enim...*; tertio, excludit errorem; ibi [124]: *Et non dico...*

306. — Dicit ergo primo [113], quod sicut praedicta ex divina Bonitate habent esse et bene esse, ita et radius solaris per se consideratus, est ex Bonitate Dei et est quaedam *imago*, idest expressa similitudo divinae Bonitatis. Inde est quod ipsum *Bonum*, quod est Deus, *laudatur nominatione* solaris *luminis*, eo quod manifestatur Bonitas divina in tali lumine, *sicut archetypum*, idest principalis figura vel principale exemplar *in* impressa *imagine*.. Dicitur enim Malach. 4 [2]: « *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiae* ».

307. — Deinde, cum dicit [114]: *Sicut enim...* manifestat praemissam similitudinem; et primo, quantum ad processum rerum in esse a divina Bonitate; secundo, quantum ad ordinem rerum in finem; ibi [120]: *Et sic omnia...*

308. — Primo, ergo, ponit ea quae ad divinam Bonitatem pertinent, secundum quod res ab Ipsa procedunt; et circa hoc, ponit tria: primo quidem, universalem causalitatem ipsius et dicit quod *bonitas Divinitatis super omnia existentis transit*, causando, *a supremis* et perfectissimis *substantiis usque ad ultimas*. Posset autem aliquis credere quod transiret per omnia sicut eis permixta et in eis conclusa et ad hoc excludendum, subdit quod, quamvis per omnia transeat tradendo similitudinem suam rebus, *adhuc* tamen *super omnes est*, per suae substantiae singularitatem. Posset etiam aliquis credere quod, quamvis excedat omnes substantias, tamen supremae substantiae usque ad eam attingant per modum quo corpus inferius attingit suum superius; et ad hoc excludendum, subdit quod superiores substantiae non pertingunt *ad excessum* divinae Bonitatis. Posset iterum aliquis credere quod quaedam, quae sunt infima in rebus, non sunt a Deo creata propter eorum imperfectionem, sicut Manichaei posuerunt corpora corruptibilia non esse creata a Deo et ad hoc excludendum, subdit quod inferiora non transeunt *ambitum* causalitatis Eius.

309. — Secundo; ibi [115]: *Sed et illuminat...*, postquam posuerat quod causalitas Eius se extendit ad omnes substantias, ostendit quid substantiae ex divina Bonitate consequuntur; et dicit quod divina Bonitas *illuminat omnia* quae *illuminari* possunt, scilicet rationales substantias; universaliter autem omnes substantias *creat*, dans eis esse; *et vivificat* omnia quae vivunt *et continet*, idest conservat; *et perficit*, dans eis suas perfectiones.

310. — Tertio; ibi [116]: *et mensura...* ostendit quam habitudinem habeat divina Bonitas ad res iam productas; et dicit, primo, quod habet habitudinem mensurae. *Est* enim *mensura existentium*, quia ex hoc potest sciri quantum unumquodque existentium habeat de nobilitate essendi, quod appropinquat Ei vel distat ab Eo, sicut si dicamus albedinem esse mensuram omnium colorum, quia unusquisque color est tanto nobilior, quanto albedini propinquior. Specialiter autem descendit ad quasdam speciales mensuras: mensura autem durationis motus et mutabilium rerum est tempus; esse vero immobilium rerum non mensuratur tempore nisi per accidens, ratione motus adiuncti, sed propria mensura essendi est aevum; duratio autem uniuscuiusque esse praefigitur et mensuratur a Deo et secundum hoc Deus dicitur omnium existentium *aevum*. Invenitur etiam, inter species quantitatis, aliqua mensura quae est numerus et haec etiam mensura attribuitur Deo qui est *numerus* rerum omnium; et determinatio multitudinis earum, quod ad rationem numeri pertinet, a divina sapientia procedit. Rationem autem tam temporis quam numeri sequitur ordo, quia una species numeri naturaliter est alia prior et tempus est etiam numerus motuum secundum prius et

[1]) *Rom.* 1, 20.

posterius. Unde consequenter dicit, quod Deus est *ordo* omnium, inquantum omnia quae ab Ipso sunt, ordinata sunt. Est etiam inter species quantitatis, aliqua mensura quae est locus: locus quidem mensurat ambiendo corpus localiter, et hunc etiam Deo attribuit, qui immediate omnia ambit. Non solum autem habet ad res productas habitudinem mensurae, sed etiam habitudinem causae agentis et finis et ideo subiungit: *et causa et finis*.

311. — Deinde, eum dicit [117]: *ita quidem...* ostendit quomodo inveniatur similitudo Dei quantum ad praemissa; et, primo, quantum ad universalitatem causandi: et dicit quod, sicut praedicta conveniunt divinae Bonitati, ita *sol iste* sensibilis, qui est maximus, transcendens omnia corpora coelestia secundum quantitatem *et totus splendens*, non habens aliquas nebulas sicut luna *et semper lucens*, ad differentiam lunae cuius lumen augetur et diminuitur et quandoque deficit; et quod aliquando eclipsari videtur, non est propter defectum luminis in ipso, sed quando lumen eius ad nos non pertingit propter interpositionem lunae; *iste* inquam *sol*, tamquam *manifesta imago divinae Bonitatis*, *secundum multam resonantiam* ad divinam Bonitatem, *illuminat quaecumque possunt partecipare* lumine eius et tamen *lumen* eius est *superextentum*, quia nihil potest pertingere ad aequalitatem luminis eius et extendit *splendores radiorum* suorum *ad* totum istum corporeum et *visibilem mundum*, tam *sursum* quam *deorsum*, quia non solum ista inferiora, sed etiam superiora corpora coelestia illuminantur ab ipso; *et si* est *aliquid* quod *non participat* lumine eius, *hoc non est* propter debilitatem vel parvitatem illuminantis virtutis in ipso, sicut est in candela quae propter parvitatem vel debilitatem sui luminis usque ad modicum spatium illuminat, *sed* quod aliqua a sole non illuminantur, est *propter* defectum eorum quae non possunt extendere se ad participandum lumen solis, propter hoc quod non sunt opportuna vel apta ad accipiendum lumen. Sed tamen solaris radius multa talia corpora illuminari non valentia praetermittens, *illuminat sequentia*, sicut praetermittens nubem aliquam illuminat quae sub nube sunt *et* breviter *nihil est visibilium ad quod non pertingat* solis causalitas, *secundum excedentem magnitudinem* sui *proprii splendoris*.

312. — Secundo; cum dicit [118]: *Sed ad generationem...* ostendit similitudinem quantum ad effectus quos Deus facit in omnibus rebus. Dictum est enim quod divina Bonitas dat esse omnibus per creationem, sed in hoc aliquam similitudinem Eius habet sol, qui dat esse per generationem. *Confert* enim *ad generationem* sensibilium corporum, sicut quoddam universale agens et causa non univoca. Dictum est etiam quod Deus vivificat res et in hoc assimilatur Ei sol, quod *movet* inferiora corpora *ad vitam*. Manifestum est enim quod ex radiis solis viventia generantur, non solum quae generantur sine semine, sed etiam in his quae semine generantur virtus solis operatur. *Auget* etiam quaedam quae ad actum vitae pertinent, scilicet nutrimentum et augmentum, quae ex virtute solaris luminis causantur, sicut et ceteri motus corporales. *Perficit* etiam corpora sensibilia solaris radius, inquantum eius virtute ad statum perfectum perducuntur et etiam si qua per elongationem solis corruptionem aliquam et vetustatem incurrunt, sole appropinquante purgantur et renovantur, sicut arbores et omnes plantae in vere pullulant et crescunt.

313. — Tertio; ibi [119]: *et mensura est...*, quantum ad rationem mensurae, ostendit similitudinem et dicit quod sol *est mensura et numerus horarum* et *dierum* totius *nostri temporis*, quod maxime mensuratur et numeratur per motum solis. Et ne aliquis ferat instantiam de tribus primis diebus qui leguntur Gen. 1 [3-13], ante quartum diem, quo factus dicitur esse sol, subiungit quod, cum Moyses dixit quod primo die Deus dixit: [3]« *Fiat lux et facta est lux* » et [4] « *divisit lucem a tenebris et tenebras vocavit noctem et lucem diem* », illa lux fuit lux solis, quae tamen fuit primo creata, sed postea fuit formata et perfecta quarto die, quando factus legitur sol; et sic, radius solaris determinavit et distinxit et primos tres dies et nostri temporis dies.

314. — Deinde, cum dicit [120]: *Et sic omnia...* exponit praemissam similitudinem, quantum ad ordinem rerum in divinam Bonitatem; et primo, ponit id quod pertinet ad divinam Bonitatem; secundo, ostendit huius similitudinem in sole; ibi [123]: *Secundum eamdem...*

315. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit ex qua causa contingat quod omnia, ordinentur in Deum sicut in finem; secundo; quae sit ratio ordinis; ibi [121]: *et omnia...*; tertio, modum ordinis; ibi [122]: *et quod desiderant...*

316. — Causam autem huius ordinis assignat dicens, quod divina *Bonitas omnia*

convertit ad seipsam: hoc enim ipsum quod res ordinantur in Deum, ab Ipso habent. Sunt enim res quasi dispersae et segregatae, secundum quod ad diversos fines proprios ordinantur, sed inquantum communicant in ordine ad ultimum finem, sic congregantur. Divina igitur Bonitas, inquantum omnia ad seipsam convertit, est principaliter congregativa omnium *dispersorum*, sicut quaedam *Deitas* principaliter *vivifica*.

317. — Deinde, cum dicit [121]: *et omnia...* assignat rationem ordinis: intantum enim omnia convertuntur in Ipsum, inquantum *omnia desiderant* Ipsum triplici ratione, scilicet: *ut principium* activum; et *ut continentiam*, idest conservantiam rerum; et *ut finem*; ista est triplex ratio desiderii. Desideramus enim Deum *ut principium* quia ex Eo provenit nobis bonum; *ut continentiam* quia ex Eo conservatur nobis bonum; *ut finem* quem adipisci intendimus. Et haec tria manifestat: quod enim sit principium, patet ex hoc quod, sicut Scriptura dicit, *omnia subsistunt et sunt ex* Ipso, *deducta* ab Eo *sicut ex* quadam *causa perfecta*. Et quod Ipse sit continens omnia et conservans, patet per hoc quod *omnia in Ipso consistunt custodita* ab exterioribus nocivis *et contenta* per conservationem propriae virtutis, *sicut in* quadam *omnipotente plantatione*. Sicut enim arbores conservantur per hoc quod sunt in terra plantatae ita omnia conservantur in hoc quod sunt firmata in omnipotenti Dei virtute. Quod etiam desiderant omnia divinam Bonitatem ut finem, ostendit consequenter cum dicit quod *ad* Ipsum *convertuntur omnia*, sicut *singula* ad proprios fines.

318. — Deinde, cum dicit [122]: *et quod desiderant...* ostendit modum ordinis; et dicit quod Bonum divinum *desiderant intellectualia quidem*, ut Angeli *et rationalia*, ut homines, *cognitive*; haec enim solum cognoscere possunt Ipsum Bonum quod est Deus. Sed *sensibilia* Ipsum desiderant, inquantum desiderant aliquod sensibile bonum quod est similitudo Summi Boni. Sed plantae quae sunt expertes *sensus*, desiderant Bonum divinum *naturali motu* vitalis *desiderii*, quia et ipsum bonum est ad quod naturali inclinatione tendunt per opera vitae in similitudinem aliquam Summi Boni. Ea vero quae carent *vita*, ut inanimata corpora, quae sunt *tantum existentia*, desiderant Bonum divinum per aptitudinem ad participandum a Deo esse subsistens, ut ipsa aptitudo eorum intelligatur esse desiderium.

319. — Deinde, cum dicit [123]: *secundum eamdem mensuram...*, ostendit quomodo praedictorum similitudo in sole inveniatur; et dicit quod, sicut praedicta conveniunt divinae Bonitati, ita non principaliter, sed *secundum rationem imaginis*, *lumen* solare *congregat et convertit* ad se *omnia*. Ea enim quae vident, desiderant lumen solis ad videndum et ea *quae moventur* et *quae illuminantur* et *quae calefiunt* desiderant lumen solis, ut ad hoc necessarium; et similiter, quocumque modo aliqua contineantur, idest dependeant vel causentur *a fulgoribus* solis et ideo nominatur in graeco « *ilios* », scilicet quia *facit omnia* corpora esse *indestructibilia et congregat dispersa*, inquantum ea quae sunt in seipsis separata, communiter *ipsum desiderant*: *aut* ad hoc ut videant *aut* ad hoc quod moveantur *aut* ad hoc quod illuminentur aut ad hoc quod calefiant aut qualitercumque *contineri a* virtute luminis desiderant.

320. — Deinde, cum dicit [124]: *Et non dico...* removet errorem; et dicit quod praedicta non dixit secundum opinionem antiquorum, qui dicebant *quod deus* erat *Sol*, quod *Sol* erat *creator* totius universi sensibilis et quod gubernat totum mundum sensibilem, sed secundum quod *invisibilia* Dei manifestantur *per ea quae facta sunt*, ut Apostolus dicit; Rom. I [20].

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 113: « ex bono » - *ἐκ τἀγαθοῦ*, « ex *Ipso Bono* ».

*: « laudetur bonum » « *Ipsum Bonum* »; similiter n. 117, 121.

* ad n. 114: « ...super omnia existentis Bonitas divinitatis » - « Bonitas *Deitatis quae omnia transcendit* » (*τῆς πάντων ἐπέκεινα θεότητος*); in expositione (308): « super omnia *existentia* » leg. « *existentis* ».

* ad n. 117: « secundum *multam* resonantiam *boni* » - *κατὰ πολλοστὸν ἀπήχημα τἀγαθοῦ*, « secundum *tenuissimam* resonantiam *Ipsius Boni* ».

* ad n. 118: in expositione (312): « non unica » leg. « non *univoca* » ut patet ex cit. Aristotelis in n. 118 implicita: « homo hominem generat et Sol » (*Physic.* II, 2, 194, b, 13; cfr. *de Anima* III, 3: 427, a, 25-26), quae valde placent Iuliano (*Orat.* IV; 131 C).

* ad n. 119: " *informe* " minus recte, ut videtur, nam « *ἀσχημάτιστον* » est potius *infiguratum, indeterminatum in sua delineatione exteriori* (indefinitum).

* ad n. 121: « plantatione »; cfr. n. 385 cum glossa marginali.

* ad n. 123: rectius esset legere: " *helios* " quam " *ilios* ", sed haec ultima est pronunciatio *in vulgari eloquio;* nescio tamen an tunc temporis in usu fuerit.

—: « omnia *indestructibilia* facit » - *ἀολλῆ ποιεῖ* (cfr. *Cratyl.* XXIV, 409 A: « ex eo quod *congregat* in unum homines cum exoritur » - vers. *Ficini*), unde: « facit *unita* et colligit dispersa »; unde « *indestructibilia* » nescio. Suspicor intellexisse tamquam adiect. deriv. a verbo *ὄλλυμι* (*destruo*) cum *α* priv. sed absque omnino fundamento, sicut *πολλοστόν* (117) ut *πολύν* legisse videtur.

* ad n. 124: minime: « creator huius *luminis* proprie procurat *universum* mundum »; leg. « creator huius *universitatis* (*τοῦ δὲ τοῦ παντός*) proprie procurat *manifestum* (*τὸν ἐμφανῆ*) mundum ».

*: « invisibilia *Eius, videlicet* Dei ». Dionysius: *τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ* - « invisibilia *Dei* », aliqualiter aptans verba Pauli quae sunt: « invisibilia *Eius* » (*Rom.* I, 20). In vers. uniuntur verba Pauli et Dionysii per voc. « *videlicet* »: ambo superfluunt, sed reverenter conservare decet.

2ª Quoad « praeconium Solis »

Maximus in *scholiis* veretur ut quis « praeconium Solis » male audiat, unde primo (117) advertit: « *recte* autem divinus Dionysius... statim *medicinam fecit* » (*ἐθεράπευσεν*), per illam additionem: « secundum tenuissimam resonantiam » (MG. IV, 248 A). Rursus (118) lectorem monet: « intellige secure, *neque pervertaris* » *καὶ μὴ διαστρέφου* (ibid. 248 D). Tertio, tandem (123-124): « negat solem esse deum quamvis multa dixerit quae contraria esse videntur, (dictione) facile perversa ». Pachymeres in *paraphrasi* (MG. III, 756 C) meminit « *medicinae* » appositae (*ἐθεράπευσεν*), cetera omittens. In *expositione* S. Thomae, nullam anxietatem invenies, licet versio latina: « secundum *multam* resonantiam », videatur imaginem amplificare. Ni fallor, Angelicus Doctor interius perscrutando « Praeconium Solis » perpulchram doctrinam admiratus est: « solare lumen » refertur *theologice* et quodammodo *mystice* ad Auctorem gratiae (306).

Maximus, vero, exterius considerans antiquorum errores (124) lectorem monet ut doctrinam traditam *secure* intelligat; facile quis supponere potest eum latere rationem huius solaris praeconii. Dionysius cognoscit « lucem intelligibilem » (126), at in *Gen.* I, 3 non ut Philo (*de Mundi Opificio* - edit. Francofurti 1691) videt « supercoelestem stellam » et « fontem sensibilium stellarum » (6 D); potius cum Basilio (*in Hexaemeron*, hom. VI, 2) considerat « naturam lucis » et « primigeniam lucem », cuius « vehiculum » inde factum est « corpus solare » (Opp. I, 51 C). Gregorius Nazianzenus (*Orat.* XLIV, 4: MG. 36, 610 D, 611 A) putat lucem illam fuisse incorpoream nec a sole productam. Unde Deus « formam materia priorem protulit, forma enim Solis lumen est, ac postea materiam induxit, solem hunc nimirum, diei oculum, fabricatus ». Dionysius e contra lucem illam appellat « *indefinitam* », non vero « *informem* » et inde propius accedere videtur ad mentem Basilii, ni fallor. Ex collatione harum notionum, suspicari forsan quis posset vitam intellectualem huius scholae Ponticae quae tot mirabiles et divinas mentes protulit: omnes unius familiae spiritualis; unaquaeque dives in sensu divinarum rerum.

Notio platonica (*Rep.* VI, 19; 508 B), purificata per doctrinam creationis, pulcherrime evolvitur et en « Praeconium solis » a Dionysio oppositum non solum Hymno Iuliani ad Regem Solem, sed et Religioni solari Mithrae. A Iuliano sol laudatur tamquam « communis pater omnium hominum, nam recte dicitur: homo hominem generat et Sol » (*Orat.* IV, 131 C; Arist., *Physic.* II, 2, 194 B) et Dionysius « *diligentius* » notionem aristotelicam explicat et « *securius* » intelligit (118).

Dicet forsan aliquis hunc esse iocum literarium, sed « Praeconium Solis » ex seipso talem suppositionem excludit. Si enim bene perpendantur omnia, vis quaedam oritur « medicinalis » ex verbis Dionysii, quae nec Maximum vel Pachymeren latuit. Cuinam errori « Praeconium solis » opponatur iam ex iis quae de Theologia solari dicta sunt haud difficulter intelligi potest. Militis non est ludere, sed pugnare. Si milites *Mithrae*-Solis pugnant contra Deum, milites *Christi* arma sumant pro Deo qui *Creator est et solis*. Hinc intelligitur et prolixitas huius solaris praeconii et eiusdem *pastoralis*, ut ita dicam, *efficacia*, ad modum *medicinae homeopathicae:* « magnus sol » qui « totus-splendens et semper-lucens » est « imago manifesta divinae Bonitatis » et *creatura* Eius, unde « secundum *tenuissimam* resonantiam Ipsius Boni » (117) nos, beneficiis suis nobis iuxta legem Creatoris largiter datis, vocat ad cultum veri Dei. Et ita bene concludit per verba S. Pauli (124) quae doctrinam « Sapientiae » distinctim repetit: « a magnitudine enim speciei et creaturae *cognoscibiliter* (vel « analogice » - *ἀναλόγως* - proportionaliter) poterit Creator horum videri » (vel « *contemplari* » - *Sap.* 13, 5).

LECTIO IV (14ª)
De Lumine intelligibili.

SYNOPSIS
(Lect. IV; cap. IV; textus nn. 125-131; expositio nn. 321-332).

Ostendit quomodo intelligibile lumen Deo attribuitur
A) Continuat se ad praecedentia (125; 322)
B) prosequitur intentum:
  1° - tangit causalitatem luminis:
    a) tangit de causalitate luminis intelligibilis in Angelis (126; 325).
    b) in animabus rationalibus:
      j° - ponit duo quae facit divinum lumen (127; 327):
        α) expellit ignorantiam et errorem
        β) tradit sanctum lumen.
      ij° - exponit modum utriusque:
        α) primi (128; 329):
          I mundat oculos intellectuales
          II movet ad bene agendum
          III aperit conclusos.
        β) secundi (129; 330):
          I traditur secundum determinatam mensuram
          II circulatio cognitionis luminis veritatis et desiderii
          III extensio ad anteriora.
  2° - ostendit quomodo Deus se habeat ad ea in quibus lumen causatur (130; 331)
  3° - ostendit quis est finis diffusionis huius luminis (131; 332).

TEXTUS DIONYSII

§ 5. 125. — « Sed haec quidem in symbolica Theologia, nunc autem intelligibilem boni * luminis nominationem laudare nos convenit *.

126. — Et dicendum quod lumen intelligibile Bonus dicitur, propter hoc quod omnem quidem supercoelestem mentem implet intelligibili lumine,

127. — omnem autem ignorantiam et errorem expellit ab omnibus quibus ingignitur * animabus et omnibus illis sanctum lumen tradit,

128. — et intellectuales ipsarum oculos mundat a circumposita ipsis faece ex ignorantia et movet et aperit, multa gravitate tenebrarum conclusos;

129. — et tradit prius quidem mensuratam claritatem, postea illis sicut gustantibus lumen et magis desiderantibus, magis seipsum immittit et abundanter superfulget, quoniam dilexerunt multum et semper extendit ipsas ad anteriora, secundum ipsarum ad respectum * proportionem.

§ 6. 130. — Igitur lumen intelligibile dicitur quod est super omne lumen bonum, sicut radius fontanus et superemanans luminis effusio, omnem supermundanam et circamundanam et mundanam mentem, ex plenitudine ipsius illuminans et intellectuales ipsarum totas virtutes renovans et omnes excedens *, eo quod superextendatur; et omnia comprehendens *, eo quod superiaceat; et simpliciter omnem illuminativae virtutis dominationem, sicut principaliter lucens et superlucens et in seipsa coassumens et superhabens et praehabens,

131. — et intellectualia et rationalia omnia congregans et indestructibilia * faciens: etenim sicut ignorantia divisiva est eorum qui in errorem inducti sunt, ita intelligibilis luminis praesentia congregativa et unitiva est eorum qui illuminantur et perfectiva et adhuc conversiva ad vere existens, a multis opinionibus convertens et varias visiones aut, ut magis proprie dicatur, phantasias ad unam, veram et mundam et uniformem congregans cognitionem et uno et unitivo lumine complens ».

*§ 5. 125. — Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν τῇ συμβολικῇ θεολογίᾳ. Νῦν δὲ τὴν νοητὴν τἀγαθοῦ * φωτωνυμίαν ἡμῖν ὑμνητέον *,*

126. — [D] καὶ ῥητέον ὅτι φῶς νοητὸν ὁ ἀγαθὸς [1] λέγεται διὰ τὸ πάντα μὲν ὑπερουράνιον νοῦν ἐμπιμπλάναι νοητοῦ φωτός,

*127. — πᾶσαν δὲ ἄγνοιαν καὶ πλάνην ἐλαύνειν ἐκ πασῶν αἷς ἂν ἐγγένηται * ψυχαῖς καὶ πάσαις αὐταῖς φωτὸς ἱεροῦ μεταδιδόναι,*

128. — καὶ τοὺς νοεροὺς αὐτῶν ὀφθαλμοὺς ἀνακαθαίρειν τῆς περικειμένης αὐταῖς ἐκ τῆς ἀγνοίας ἀχλύος, καὶ ἀνακινεῖν καὶ ἀναπτύσσειν τῷ πολλῷ βάρει τοῦ σκότους συμμεμυκότας·

*129. — καὶ μεταδιδόναι πρῶτα μὲν αἴγλης μετρίας· εἶτα [701 A] ἐκείνων ὥσπερ ἀπογευομένων φωτὸς καὶ μᾶλλον ἐφιεμένων, μᾶλλον ἑαυτὴν ἐνδιδόναι καὶ περισσῶς περιλάμπειν ὅτι ἠγάπησαν πολύ [1]· καὶ ἀεὶ ἀνατείνειν αὐτὰς ἐπὶ τὰ πρόσω, κατὰ τὴν σφῶν εἰς ἀνάνευσιν * ἀναλογίαν.*

*§ 6. 130. — Φῶς οὖν νοητὸν λέγεται τὸ ὑπὲρ πᾶν φῶς ἀγαθὸν ὡς ἀκτὶς πηγαία καὶ ὑπερβλύζουσα φωτοχυσία πάντα τὸν ὑπερκόσμιον καὶ περικόσμιον καὶ ἐγκόσμιον νοῦν ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτῆς καταλάμπουσα καὶ τὰς νοερὰς αὐτῶν ὅλας ἀνανεάζουσα δυνάμεις, καὶ πάντας περιέχουσα * τῷ ὑπερτετάσθαι καὶ πάντων ὑπερέχουσα * τῷ ὑπερκεῖσθαι· καὶ ἁπλῶς πᾶσαν τῆς φωτιστικῆς δυνάμεως τὴν κυρείαν ὡς [B] ἀρχίφωτος καὶ ὑπέρφωτος ἐν ἑαυτῇ συλλαβοῦσα καὶ ὑπερέχουσα καὶ προέχουσα,*

*131. — καὶ τὰ νοερὰ καὶ τὰ λογικὰ πάντα συνάγουσα καὶ ἀολλῆ * ποιοῦσα. Καὶ γὰρ ὥσπερ ἡ ἄγνοια διαιρετικὴ τῶν πεπλανημένων ἐστίν, οὕτως ἡ τοῦ νοητοῦ φωτὸς περιουσία συναγωγὸς καὶ ἑνωτικὴ τῶν φωτιζομένων ἐστὶ καὶ τελειωτικὴ καὶ ἔτι ἐπιστρεπτικὴ πρὸς τὸ ὄντως ὂν ἀπὸ τῶν πολλῶν δοξασμάτων ἐπιστρέφουσα καὶ τὰς ποικίλας ὄψεις, ἢ κυριώτερον εἰπεῖν, φαντασίας, εἰς μίαν ἀληθῆ καὶ καθαρὰν καὶ μονοειδῆ συνάγουσα γνῶσιν καὶ ἑνὸς καὶ ἑνωτικοῦ φωτὸς ἐμπιμπλῶσα.*

[1]) MAT. 19, 17; PLAT. *Tim.* VI, 29 E.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

321. — Postquam ostendit quomodo nomen sensibilis luminis in divinam praedicationem transferatur per quamdam similitudinem, nunc ostendit quomodo intelligibile lumen Ei attribuatur; et primo continuat se ad praecedentia; secundo, prosequitur intentum; ibi [126]: *Et dicendum...*

322. — Dicit ergo primo quod *haec* quae dicta sunt per praedicationem sensibilis luminis de Deo et de similitudine eius ad Ipsum, dicta sunt *in* libro de *symbolica Theologia*, sed *nunc* oportet considerare quomodo laudetur bonum divinum, nomine intelligibilis *luminis*. Non enim est intentio huius libri, tractare de nominibus sensibilium translatis in Deum, sed de nominibus intelligibilibus.

323. — Deinde, cum dicit [126]: *Et dicendum...* prosequitur intentum, scilicet de intelligibili lumine, quod signat in Deo causalitatem intelligibilis luminis; unde circa hoc, tria facit: primo tangit causalitatem luminis; secundo, ostendit quomodo Deus se habeat ad ea in quibus lumen causatur; ibi [130]: *Igitur...*; tertio, ostendit quis est finis diffusionis huius luminis; ibi [131]: *et intellectualia...*

324. — Circa primum, duo facit: primo, tangit de causalitate intelligibilis luminis in Angelis; secundo, in animabus rationalibus; ibi [127]: *omnem...*

325. — Dicit ergo primo quod Deus, qui est per essentiam suam *bonus*, nominatur *intelligibile lumen*; Ioan. 8 [12]: « Ego sum lux mundi », *propter hoc, quidem, quod implet omnem supercoelestem mentem*, idest angelicam, *intelligibili lumine*, quod nihil est aliud quam cognitio veritatis. In hoc autem quod dicit: *implet*, designat perfectam veritatis cognitionem, Angelis a Deo datam.

326. — Deinde, cum dicit [127]: *omnem autem...* ostendit causalitatem luminis in animabus; et primo, ponit duo quae facit divinum lumen in animabus; secundo, assignat modum utriusque; ibi [128]: *et intellectuales...*

327. — Duorum autem quae facit divinum lumen in animabus, primum est: quod *ab omnibus animabus quibus* innascitur, *expellit omnem ignorantiam et errorem*. Ignorantia pertinet ad remotionem veritatis, sed error ad

[1]) Cfr. LUC 7, 47; quod valde notandum ut diligentius doctrinae spiritualis tum Dionysii tum consequenter S. Thomae sensus et valor percipiantur.

inhaesionem falsitatis; dicit autem: *ingignitur*, ut alludat ei quod dicitur IIª Petri, 1 [19]: « *donec dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris* ». Unde patet quod hoc de Angelis non dixit, in quibus ignorantia et error locum non habent, licet in eis sit aliquorum nescientia, a qua purgantur, ut dicit Dionysius VIIº cap. *coelestis Hierarchiae*[1]). Non enim omnis nescientia ignorantia dici potest, sed solum nescientia eorum ad quae quis natus est et debet scire. Secundum est: quod *tradit sanctum lumen*; et nota quod dicit: *sanctum lumen*, tum quia a Deo immittitur, tum quia ad Deum cognoscendum nos ordinat. Et notandum quod non fuit usus verbo impletionis, sed simplicis traditionis, ad ostendendum quod cognitio veritatis est imperfecta in animabus in comparatione ad illam plenitudinem quam Angeli a Deo possident.

328. — Deinde, cum dicit [128]: *et intellectuales...* exponit modum utriusque; et primo, primi; secundo, secundi; ibi [129]: *et tradit...*

329. — Circa primum, considerandum est quod corporalis tenebra, tria facit in corporibus: primo enim reddit ea squalida et sordida ex eo quod non studiose purgantur quae in tenebris sunt; secundo, tenebrae reddunt animalia immobilia, unde plerisque animalium naturale est ut in nocte quiescant et in die moveantur, quia per lucem diriguntur in motu, videntia quo vadunt; tertio, tenebrae corporales concludunt, ut in tenebris aliquis non praeparet se ad aliquid agendum et naturaliter aliquam pigritiam ingerunt.

Et haec tria facit etiam spiritualis tenebra, idest ignorantia veritatis: primo enim, contrahuntur ex ea sordes non solum errorum in intellectu, sed etiam pravarum affectionum in affectu et inordinatio actionum in actu, dum mala quae ignorat homo nec vitat nec purgat; secundo, tenebra reddit homines otiosos, qui, dum habent ignorantiam boni quod est finis et viae qua ad ipsum pervenitur, non se movent ad finem consequendum; tertio, reddit eos conclusos, quia dum non cognoscunt bonum, non aperitur eorum affectus per desiderium ad capiendum ipsum intra se.

Sed haec tria removet intelligibile lumen, idest cognitio veritatis: et quantum ad primum, dicit quod intelligibile lumen *mundat intellectuales oculos ipsarum*, scilicet animarum, *a faece*, idest immunditia, *circumposita ipsis*, idest superveniente eis *ex ignorantia;* quantum ad secundum, dicit: *et movet*, scilicet ad bene agendum; et quantum ad tertium, dicit: *et aperit*, idest apertos reddit ad recipiendum per desiderium, *conclusos*, idest qui prius erant conclusi tenebris aggravantibus, idest tarditatem quamdam ad bonum immittentibus. Quia ergo conclusi erant, indigebant aperitione; quia aggravati, indigebant motione.

330. — Deinde, cum dicit [129]: *et tradit...*, ostendit modum et ordinem quomodo traditur sanctis animabus lumen intellectuale; et dicit primo quod quidem traditur unicuique lumen intelligibile, secundum determinatam mensuram, secundum illud Ephes. 4 [7]: " *unicuique data est gratia, secundum mensuram donationis Christi* "; et quia spiritualia gustata desiderium excitant quae prius ignorata contemnebantur, post primam receptionem luminis, gustata iam cognitione luminis veritatis, *magis* desideratur, *et magis desiderantibus magis* immittitur: effectus enim divinae gratiae multiplicantur, secundum multiplicationem desiderii et dilectionis, secundum illud Luc. 7 [47]: « *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* »; sic enim quaedam circulatio attenditur, dum ex lumine crescit desiderium luminis et ex desiderio aucto crescit lumen. Circulatio autem secundum suam naturam perpetua est et sic *semper* divinum lumen *extendit* animas *ad anteriora* per profectum, non tamen in omnibus aequaliter, sed *secundum proportionem ipsarum ad respectum* luminis: quaedam enim diligentius respiciunt ad lumen immissum, quae magis desiderant et magis proficiunt.

331. — Deinde, cum dicit [130]: *Igitur...*, ostendit quomodo Deus se habeat ad ea in quibus lumen intelligibile causat; et ponit tres habitudines, scilicet: diffusionis et excessus et comprehensionis. Quantum ad primum ergo dicit quod supersubstantiale *Bonum*, licet sit *super omne lumen* et sensibile et intelligibile, tamen nominatur *lumen intelligibile*, inquantum est quidam *radius* et fons omnis intellectualis luminis: et ne intelligatur fons in se solo consistens, subdit quod est *effusio luminis* desuper manans; et ut sciatur ad quos manat, subdit quod ex sua plenitudine illuminat *omnem mentem supermundanam*, quantum ad Angelos assistentes et *circamundanam* quantum ad ministrantes, quorum ministerio mundus iste gubernatur, *et mundanam*, quantum ad animas; et non solum a principio illuminat mentes, naturalem cognitionem eis praebendo, sed etiam renovat omnes *intellectuales virtutes ipsarum*, novum lumen superfundendo gratiae et gloriae et novarum revelationum. Secundo, ponit id quod pertinet ad excessum et dicit quod lumen divinum excedit *omnes* mentes, licet in eas diffundatur, quia semper superexcessus est per suam substantiam. Tertio, ponit id quod pertinet ad comprehensionem, et dicit quod Deus *omnia* comprehendit quae sunt in praedictis mentibus, inquantum superiacet eis, sicut causa superior praehabet in se quod in effectibus inferioribus invenitur; unde, ad hoc exponendum, subdit quod ipse Deus, universaliter, *omnem dominationem*, seu potestatem *illuminativae virtutis*, idest quidquid pertinet ad cuiuscumque cognitionem vel ad quamcumque virtutem docendi, Deus *in* se *coassumens*, idest simul assumens, non per diversas virtutes diversa cognoscens, sicut nos colores visu et sonos auditu cognoscimus, sed secundum unam virtutem cognoscit omnia; *et* superhabet, quia excellentius unumquodque cognoscit quam ab aliquo cognoscatur; *et* praehabet, quia non acquirit cognitionem virtutis vel virtutem docendi ab aliquo, sed omnes ab Ipso; et hoc competit Ei, inquantum est principalis *lucens*, ut principium luminis et inquantum est *super* omnia *lucens*.

332. — Deinde, cum dicit [131]: *et intellectualia...*, ostendit finem et fructum causalitatis luminis; et dicit quod, per illuminationem congregat *omnia intellectualia*, idest Angelos *et rationalia*, idest homines *et* facit ea *indestructibilia*, quia dum uniuntur in veritate, in ea conservantur. Et hoc, consequenter, exponit ex opposito: *sicut* enim *ignorantia est divisiva eorum qui in errorem* inducuntur, *ita praesentia intellectualis luminis*, per quod cognoscitur veritas, congregat eos *qui illuminantur*, ad invicem et unit eos in una veritate cognita; manifestum est enim quod circa unum non contingit nisi uno modo verum dicere, sed multipliciter errare a veritate contingit. Et ideo illi qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia, sed illi qui ignorant, dividuntur per diversos errores. Est etiam praesentia luminis *perfectiva*, inquantum constituit in fine rei cognitae, quae est veritas *et* est etiam *conversiva*, idest revocativa ad veritatem, *convertens* homines *a multis opinionibus* quae non habent firmitatem veritatis; et non solum ab opinione ad certam scientiam transfert, sed etiam a veritate ad uniformitatem; et hoc est quod subdit, quod *congregat varias visiones* vel *ut magis proprie dicatur phantasias ad unam veram cognitionem*, per oppositum falsitatis. Et non solum convertit ad lumen veritatis sed etiam replet ipso *lumine* veritatis, quod in se est unum et aliorum unitivum.

[1]) § 3; MG III, 209 C. Cfr. supra nn. 47, 286.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 125: « boni » - *τἀγαθοῦ*, « Ipsius Boni », ut supra notatum est.

* : « laudare *nos convenit* - *ἡμῖν ὑμνητέον* », « nunc autem spiritale Ipsius Boni a luce dictum nomen *nobis laudandum est* » (Perionius): hinc peculiaris character huius christianae theologiae per adiectivum verbale ab auctore signatur.

* ad n. 127: « quibus ingignitur - *αἷς ἄν ἐγγένηται* (quod suppositionem innuit): « quibus *insitus sit* » (Perionius); « quibus sese *insinuaverit* » (Ambrosius).

* ad n. 129: « ad respectum » - *εἰς ἀνάνευσιν*: indicat actionem attollendi oculos in altum; respondit desiderio a Plotino expresso: « *νεύσαντες πρὸς αὐτὸ καὶ τὸ εὖ ἐνταῦθα* » (*En.* VI, 9, 9) - « *quatenus ad Illum ipsi vergimus hic profecto bonum consistit nostrum* » (Ficinus).

* ad n. 130: « et omnes *excedens* eo quod superextendatur et omnia *comprehendens* eo quod superiaceat » - *καὶ πάντας περιέχουσα* (*comprehendens*) *τῷ ὑπερτετάσθαι καὶ πάντων ὑπερέχουσα* (*excedens*) *τῷ ὑπερκεῖσθαι*: oscitantis lectione facta est permutatio verborum; ... « omnesque *transiliens et continens* quum superne extenta sit et cunctis *excellens* quum superemineat » (Ambrosius).

* ad n. 131: « et indestructibilia » - *ἀολλῆ*, « *unita* » ut supra notatum est (123).

2ª QUOAD COSMICAM DENOMINATIONEM SPIRITUUM IN TRIADICA DISPOSITIONE (130).

Duplex difficultas oritur ex illa denominatione qua « mens » dicitur « supercosmica », « pericosmica », « encosmica »: una circa sensum huius denominationis; altera circa usum historicum.

Maximus (MG. IV, 249 D - 252 A) exponit de ordinibus angelicis: mentes supercosmicae sunt illi ordines supremi qui super omnes mundos constituti sunt; mentes « pericosmicae » vel, ut Maximus habet, « epicosmicae » sunt ordines angelici qui occupantur circa *liturgiam* h. e. servitium et ministerium mundorum; mentes « encosmicae » sunt Angeli custodes.

Pachymeres (MG. III, 760 B) consentit quoad mentes « supercosmicas » sed dissentit quoad alias: « pericosmicae » sunt Angeli Custodes in *liturgiam* et ministerium missi, sicut ipse Dionysius habet in

CH. IX, 2, dum ordinem Angelorum « pericosmicum » (MG. III, 260 A) vocat; mentes « encosmicae » sunt *humanae*, quae de plenitudine Eius acceperunt (*Ioan.* I, 16).

S. Thomas in expositione (331) consentit cum Pachymere quoad mentes « supercosmicas » et « pericosmicas », nec dissentit ab ipso quoad tertias, sed universalius explicans, profundius intelligit, dum exponit mentem « encosmicam » esse animam humanam. Tres termini iam supra (25, 98) habentur ad designandum Deum et ibi in vers. « pericosmicus » est « circamundanus » (non « circummundanus »; et sic lego 130), « encosmicus » est « mundanus », sed in *expositione:* « idest *in mundo* »; bene. Pleniorem sensum huius denominationis tum quoad Angelos tum quoad homines dabit usus historicus. Iamblicus in *de Mysteriis* VIII, 8 citat opus quod fecit « de diis » et Gale acute notat: « interim oblitus est Noster susceptae personae, seque huius responsionis auctorem manifeste declarat, dum ad hoc suum opus nos mittit » (pag. 310). Ibi « accuratius » exponitur quinam dii sint *elevantes* et secundum quales suas potentias; quomodo *fatum solvant et per quales hieraticos ascensus;* qualis sit ordo naturae cosmicae et quomodo *perfectissimus Actus intellectualis* » [Deum intellige Actum purum] « huic dominetur ».

Breviter in *de Mysteriis* VIII, 8 recolit quomodo « etiam in diis manifestis sint quaedam substantiae intellectualia principia per quae *animabus* fit liberatio a mundorum generatione. Si quis autem duos tantum ordines deorum relinquat *pericosmicorum* et *supercosmicorum*, animabus erit *absolutio per supercosmicos* ». Hinc fluit quaedam theoria theurgica cultus quam Iamblicus exponit in *de Mysteriis* passim et maxime lib. V, cap. 19. Iuliano placent doctrinae huius « amici Dei » (*Orat.* IV; 157 D) et eas unificat in cultu Solis non tantum « manifesti », sed pressius « intellectualis » qui est « Rex » inter « medios deos » sive « pericosmicos » sive « intellectuales » secundum varias denominationes. Sed quaedam magis apta communi captui hominum inveniuntur in « *Manuale theologico* » Sallustii *περὶ θεῶν καὶ κοσμοῦ* ubi « de diis et mundo » tractans, in cap. VI distinguit « deos *ipercosmicos* » et « deos *encosmicos* » et illi quidem « faciunt *substantias* deorum aut *mentem* aut *animas* et propter hoc tres ordines constituunt; hi autem vel *faciunt* vel *animant* vel *ordinant* vel *custodiunt* mundum.

Usus terminorum implicat universalem conceptionem naturae et vitae quae absolute incompossibilis evadit cum doctrina christiana: inde necessitas purificandi coelum a quacumque « Potentia intermedia » ut limpidius splendeat notio « Divini Principii » qui efficienter dat *esse* et *vivere* et *intelligere* (CH. IV, 1; MG. III, 177 CD). Et haec est ratio fundamentalis quae manifeste ostendit doctrinam Angelorum non esse substitutio vel purificatio theoriae praedictae, sed habere in se specialem valorem ex doctrina revelata. Consideratio quidem huius doctrinae destruit errores antiquorum « de diis et mundo », expressio vero per terminos communes faciliorem reddit assimilationem novae doctrinae.

Sic v. gr. in *Catechesi* XXIII[a], *mystagogica* V[a] *de sacra Liturgia* Cyrilli Hierosol. n. 6 [MG. 33, 1114 B] mentio fit: 1° Angelorum, 2° Archangelorum, 3° Virtutum, 4° Dominationum, 5° Principatum, 6° Potestatum, 7° Thronorum, 8° Cherubim, 9° Seraphim. Christianae fidei cultus per oppositionem ad cultum antiquae societatis praebet considerationi theologicae materiam quae ordinanda est modo convenientiori captui hominum, eos liberando a captivitate erroris et a pugna contra Deum. Hinc facilius intelligitur doctrina Dionysii distinguentis « mentes ipercosmicas » et « pericosmicas »: sub iisdem verbis latet diversa doctrina. Quod manifestissime apparet per ea quae dicit de « mente encosmica » nam hic iam non amplius agitur de diis manifestis, ut apud Sallustium, nec de Angelis Custodibus, ut sentit Maximus, sed de Homine qui per corpus est « cosmicus » unde eius Anima fit « encosmica » et ut ita dicam clauditur « *in mundo* ». Dionysius loquitur de « mente encosmica » et manifestum est hic agi de anima humana quae cum corpore constituit « compositum » (*τὸ σύνθετον* - EH. III, 3, 12; MG. III, 444 A). An sit compositum substantiale, ita ut anima uniatur corpori ut forma et ulterius prout est « mens » vel spiritus habeat suas operationes « intellectuales » valde difficilis et laboriosa est inquisitio. Quod ita sit, videtur sequi ex duplici consideratione quam tribuit animae et menti, maxime in EH. ubi agit de cognitione « mysteriorum »: cap. II, 3, 1-2 (quae animas introducit ad considerationem baptismatis); 3-8 (tradit altiorem doctrinam perfectis qui intelligibilia mente percipiunt). Ubi agitur de eucharistia eadem « distinctio unita » invenitur: III, 3, 1 (prima consideratio introductiva); 2-15 (altera consideratio seu « contemplatio mentalis »). Item quando tractat de chrismate: IV, 3, 1 (continet « elevationem introductivam »); 2-12 (altiorem contemplationem tradit).

Corpora sunt *ὁμόζυγα καὶ ὁμοπόρευτα* (EH. VII, 1; MG. III, 553 A) et quia « sanctis animabus *copulata* cum iisdem simul et *ambularunt* et descripta sunt » [*tempore baptismatis*] « atque *una certarunt* pro divinis sudoribus » (Cordier), resurgendo beatitudinem consequentur. Haec *ὅλικὴ ἀνάστασις* (ibid.) dum expellit errores circa corpus tamquam inutile (ibid. 2; 553 BC), innuit « *coniugium cum propriis suis animabus* » esse substantiale: hinc « resurrectio » dicitur « totalis » (cfr. 292). Sub apparente Platonismo (cfr. *Phaedr.* XXXVI, 256 A) latet nova et pulcherrima doctrina de Homine: « *Mens in mundo* » non subiacet « mundorum generationi »; perfectio animae quae est « mens encosmica » est a Bono (127-129; **327-330**) et « teoptica facultate intellectuali » (29, **105**) Deum contemplat (cfr. pag. 33). Et haec forsan est ratio quare Maximus duplicem expositionem adnectit huic denominationi cosmicae in triadica dispositione: « ipercosmicus est *spiritualis;* pericosmicus est *animalis* (*ψυχικός*, cfr. I *Cor.* 2, 14); encosmicus est *carnalis* ». Haec est consideratio *ascetica* quae in homine semina vitae honestae et perfectae colit, ut fructus faciant. Altera consideratio est *socialis:* « ipercosmicus est *qui theologiam* rectam constituit; pericosmicus qui *contemplationem naturalem;* encosmicus qui *virtutem practicam* » (MG. IV, 252 A). Pachymeres eadem habet (MG. III, 760 B). Sunt glossae marginales, quae manifestant activitatem et valorem « *mentis in mundo* ».

LECTIO V (15[a])

De Pulchro et quomodo Deo attribuatur.

SYNOPSIS

(Lect. V; cap. IV; textus nn. 132-141; expositio nn. **333-356**).

Agit de pulchro

A) praemittit quod pulchrum attribuitur Deo (132; **334**)

B) ostendit modum quo Ei attribuitur:
- 1° - ostendit quod differenter Deo et creaturis tribuitur pulchrum et pulchritudo (133; **336**);
- 2° - quomodo attribuitur creaturis (134; **337**);
- 3° - quomodo attribuitur Deo:
  - a) quomodo Ei attribuatur pulchritudo (153; **339**);
  - b) quomodo Ei attribuatur pulchrum:
    - j° - ostendit quod dicitur secundum excessum:
      - α) proponit excessum (136; **343**):
        - I in genere = superlativus;
        - II extra genus = super...;
      - β) exponit:
        - I quare dicitur pulcherrimus (137; **345-346**);
        - II quare dicitur superpulcher (138; **347**);
    - ij° - ostendit quomodo pulchrum de Deo dicitur secundum causam:
      - α) ponit causalitatem pulchri (139; **349**);
      - β) exponit:
        - 1) quantum ad rationem causandi:
          - j) assignat secundum quam rationem pulchrum dicitur causa (140):
            - *a*) causa efficiens (**352**):
              - I dans esse,
              - II movens,
              - III conservans,
            - *b*) causa finalis (**353**),
            - *c*) causa exemplaris (**354**).
          - ij) infert quoddam corollarium ex dictis (141; **355-356**)
        - 2) quantum ad diversitatem causatorum (142; lectio 6[a]).

TEXTUS DIONYSII

§ 7. 132. — « Hoc bonum * laudatur a sanctis theologis et sicut pulchrum et sicut pulchritudo et sicut dilectio et sicut diligibile et quaecumque aliae convenientes sunt pulchrificae et gratiose * habitae pulchritudinis nominationes *.

§ 7. 132. — [C] *Τοῦτο τἀγαθὸν * ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων καὶ ὡς καλὸν καὶ ὡς κάλλος καὶ ὡς ἀγάπη καὶ ὡς ἀγαπητὸν καὶ ὅσαι ἄλλαι εὐπρεπεῖς εἰσι τῆς καλλοποιοῦ καὶ κεχαριτωμένης * ὡραιότητος θεωνυμίαι *.*

133. — Pulchrum autem et pulchritudo non sunt dividenda in causa quae in uno tota comprehendit.

133. — Τὸ δὲ καλὸν καὶ κάλλος οὐ διαιρετέον ἐπὶ τῆς ἐν ἑνὶ τὰ ὅλα συνειληφυίας αἰτίας·

134. — Haec enim in existentibus, in participationes et participantia dividentes: pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudinem, pulchritudinem autem participationem, pulchrae facientis tota pulchra, causae.

134. — ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ὄντων ἁπάντων εἰς μετοχὰς καὶ μετέχοντα διαιροῦντες καλὸν μεν εἶναι λέγομεν τὸ κάλλους μετέχον· κάλλος δὲ τὴν μετοχὴν τῆς καλλοποιοῦ τῶν ὅλων καλῶν αἰτίας.

135. — Supersubstantiale vero pulchrum, pulchritudo quidem dicitur propter traditam ab Ipso omnibus existentibus, iuxta proprietatem uniuscuiusque, pulchritudinem et sicut universorum consonantiae et claritatis causa, ad similitudinem * luminis, cum fulgore immittens universis pulchrificas fontani radii ipsius traditiones et sicut omnia ad seipsum vocans unde et cállos dicitur et sicut tota in totis congregans.

136. — Pulchrum autem sicut pulcherrimum simul et superpulchrum;

137. — et semper existens * secundum eadem et similiter pulchrum et neque factum neque destructum neque auctum neque minoratum; neque in aliqua parte quidem pulchrum, in aliqua autem turpe; neque aliquando quidem, aliquando autem non; neque ad hoc quidem pulchrum, ad aliud autem turpe; neque hic quidem, illic autem non, sicut quibusdam quidem existens pulchrum, quibusdam autem non pulchrum; sed sicut ipsum secundum seipsum cum seipso uniforme et semper existens pulchrum,

138. — et sicut omnis pulchri fontanam et pulchritudinem excedenter in seipso praehabens; etenim, simplici et supernaturali totorum pulchrorum natura, omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam praeextiterunt.

139. — Ex pulchro isto, omnibus existentibus est esse secundum propriam rationem singula pulchra et propter pulchrum omnium concordiae et amicitiae et communiones et pulchro omnia uniuntur,

140. — et est principium omnium pulchrorum, sicut effectiva causa et movens tota et continens amore propriae pulchritudinis; et finis omnium sicut finalis causa, etenim pulchri causa cuncta fiunt; et exemplaris, quoniam secundum ipsum cuncta determinantur;

141. — propter quod et idem est bono pulchrum, quoniam bonum et pulchrum secundum omnem causam cuncta desiderant et non est aliquid existentium quod non participet pulchro et bono; audebit autem et hoc dicere sermo, quod et non-existens participat pulchro et bono; tunc enim et ipsum pulchrum et bonum, quando in Deo secundum omnium ablationem supersubstantialiter laudatur ».

135. — Τὸ δὲ ὑπερούσιον καλόν, κάλλος μὲν λέγεται διὰ τὴν ἀπ'αὐτοῦ πᾶσι τοῖς οὖσι μεταδιδομένην οἰκείως ἑκάστῳ καλλονήν, καὶ ὡς τῆς πάντων εὐαρμοστίας καὶ ἀγλαΐας αἴτιον, δίκην φωτὸς ἐναστράπτον ἅπασι τὰς καλλοποιοὺς τῆς πηγαίας ἀκτῖνος αὐτοῦ μεταδόσεις καὶ ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν — ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται[1] *— καὶ ὡς ὅλα ἐν ὅλοις εἰς ταὐτὸ συνάγον.*

136. — Καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρ[D]καλον,

*137. — καὶ « ἀεὶ * ὂν κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως καλὸν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθίνον οὐδὲ τῇ μὲν καλὸν τῇ δὲ αἰσχρὸν οὐδὲ τοτὲ μὲν τοτὲ δὲ οὔ· οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλὸν πρὸς δὲ τὸ αἰσχρόν· οὔτε ἔνθα μεν ἔνθα δὲ οὔ, [704 A], ὡς τισὶ μὲν ὂν καλὸν τισὶ δὲ οὐ καλόν· ἀλλ'ὡς αὐτὸ καθ'ἑαυτὸ μεθ'ἑαυτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὂν »*[2] *καλόν,*

138. — καὶ ὡς παντὸς καλοῦ τὴν πηγαίαν καλλονὴν ὑπεροχικῶς ἐν ἑαυτῷ προέχον· τῇ γὰρ ἁπλῇ ὑπερφυεῖ τῶν ὅλων καλῶν φύσει πᾶσα καλλονὴ καὶ πᾶν καλὸν ἑνοειδῶς κατ' αἰτίαν προυφέστηκεν.

139. — Ἐκ τοῦ καλοῦ τούτου πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ εἶναι κατὰ τὸν οἰκεῖον λόγον ἕκαστα καλὰ καὶ διὰ τὸ καλὸν αἱ πάντων ἁρμογαὶ καὶ φιλίαι καὶ κοινωνίαι καὶ τῷ καλῷ τὰ πάντα ἥνωται·

140. — καὶ ἀρχὴ πάντων τὸ καλὸν ὡς ποιητικὸν αἴτιον καὶ κινοῦν τὰ ὅλα καὶ συνέχον τῷ τῆς οἰκείας καλλονῆς ἔρωτι, καὶ πέρας πάντων καὶ ἀγαπητὸν ὡς τελικὸν αἴτιον — τοῦ καλοῦ γὰρ ἕνεκα πάντα γίγνεται — καὶ παραδειγματικὸν ὅτι κατ' αὐτὸ πάντα ἀφορίζεται·

141. — διὸ καὶ ταὐτόν ἐστι τἀγαθῷ τὸ καλὸν [B] ὅτι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν πάντα ἐφίεται καὶ οὐκ ἔστι τι τῶν ὄντων ὃ μὴ μετέχει τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ. Τολμήσει δὲ καὶ τοῦτο εἰπεῖν ὁ λόγος ὅτι καὶ τὸ μὴ ὂν μετέχει τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ· τότε γὰρ καὶ αὐτὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ὅταν ἐν θεῷ κατὰ τὴν πάντων ἀφαίρεσιν ὑπερουσίως ὑμνηται.

[1] PLAT. *Cratyl.* XXIX, 416 C.
[2] PLAT. *Sympos.* XXIX; 211 AB.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

333. — Postquam Dionysius tractavit de lumine, nunc agit de pulchro, ad cuius intellectum praeexigitur lumen; et circa hoc, duo facit, primo: praemittit quod pulchrum attribuitur Deo; secundo, ostendit modum quo Ei attribuitur; ibi [133]: *Pulchrum autem...*

334. — Dicit ergo, primo, quod hoc supersubstantiale *bonum* quod est Deus *laudatur a sanctis Theologis* in sacra Scriptura *sicut pulchrum*; Cant. I [15]: « ecce tu pulcher es, dilecte mi »; *et sicut pulchritudo*; Psalm. 95 [6]: « confessio et pulchritudo in conspectu Eius »; *et sicut dilectio*: I° Ioan. 4 [10]: « Deus caritas est », *et sicut diligibile*, ut in auctoritate Canticorum inducta; *et quaecumque aliae sunt convenientes Dei nominationes*, ad pulchritudinem pertinentes: sive per causalitatem pulchritudinis, quod dicit propter pulchrum et pulchritudinem; sive secundum quod pulchritudo *gratiose* habetur, quod dicit propter dilectionem et diligibile.

335. — Deinde, cum dicit [133]: *Pulchrum autem...* ostendit quomodo Deo attribuitur; et circa hoc, tria facit: primo, praemittit quod differenter attribuitur Deo et creaturis pulchrum et pulchritudo; secundo, quomodo attribuitur creaturis; ibi [134]: *Haec enim...*; tertio, quomodo attribuitur Deo; ibi [135]: *Supersubstantiale...*

336. — Dicit ergo primo quod *in Causa* prima, scilicet Deo *non sunt dividenda pulchrum et pulchritudo*, quasi aliud sit in eo pulchrum et pulchritudo; et hoc ideo quia Causa prima propter sui simplicitatem et perfectionem sola *comprehendit tota*, idest omnia *in uno*, unde etsi in creaturis differant pulchrum et pulchritudo, Deus tamen utrumque comprehendit in se, secundum unum et idem.

337. — Deinde, cum dicit [134]: *Haec enim...* ostendit qualiter attribuuntur creaturis; et dicit quod *in existentibus*, pulchrum et pulchritudo distinguuntur secundum participans et participatum ita quod *pulchrum* dicitur hoc *quod participat pulchritudinem;* pulchritudo autem participatio primae Causae quae omnia *pulchra* facit: pulchritudo enim creaturae nihil est aliud quam similitudo divinae pulchritudinis in rebus participata.

338. — Deinde, cum dicit [135]: *Supersubstantiale...* ostendit quomodo praedicta Deo attribuantur: et primo, quomodo attribuatur Ei pulchritudo; secundo, quomodo attribuatur Ei pulchrum; ibi [136]: *Pulchrum autem...*

339. — Dicit ergo primo quod Deus qui est *supersubstantiale pulchrum, dicitur pulchritudo* propter hoc quod *omnibus* entibus creatis dat *pulchritudinem*, secundum *proprietatem uniuscuiusque*: alia enim est pulchritudo spiritus et alia corporis, atque alia huius et illius corporis. Et in quo consistat pulchritudinis ratio, ostendit subdens quod sic Deus tradit pulchritudinem, inquantum est *causa consonantiae et claritatis* in omnibus: sic enim hominem pulchrum dicimus, propter decentem proportionem in quantitate et situ et propter hoc quod habet clarum et nitidum colorem. Unde proportionaliter est in caeteris accipiendum, quod unumquodque dicitur pulchrum, secundum quod habet claritatem sui generis vel spiritualem vel corporalem et secundum quod est in debita proportione constitutum.

340. — Quomodo autem Deus sit causa claritatis, ostendit subdens, quod Deus immittit omnibus creaturis, *cum* quodam *fulgore*, traditionem sui *radii* luminosi, qui est fons omnis luminis; quae quidem *traditiones* fulgidae divini radii, secundum participationem similitudinis sunt intelligendae et istae traditiones sunt *pulchrificae*, idest facientes pulchritudinem in rebus. Rursus exponit aliud membrum, scilicet quod Deus sit causa consonantiae in rebus; est autem duplex consonantia in rebus: prima quidem, secundum ordinem creaturarum ad Deum et hanc tangit cum dicit quod Deus est causa consonantiae, *sicut vocans omnia ad seipsum*, inquantum convertit omnia ad seipsum sicut ad finem, ut supra dictum est [316] et propter hoc pulchritudo in graeco *cállos dicitur* quod est a vocando sumptum; secunda autem consonantia est in rebus, secundum ordinationem earum ad invicem; et hoc tangit cum subdit, quod congregat omnia in omnibus, ad idem. Et potest hoc intelligi, secundum sententiam Platonicorum, quod superiora sunt in inferioribus, secundum participationem; inferiora vero sunt in superioribus, per excellentiam quamdam et sic omnia sunt in omnibus; et ex hoc quod omnia in omnibus inveniuntur ordine quodam, sequitur quod omnia ad idem ultimum ordinentur.

341. — Deinde, cum dicit [136]: *Pulchrum autem...* ostendit quomodo pulchrum de Deo dicitur; et primo ostendit quod dicitur secundum excessum; secundo, quod dicitur per causam; ibi [139]: *Ex pulchro isto...*

342. — Circa primum, duo facit: primo, proponit excessum; secundo, exponit; ibi [137]: *et semper existens...*

343. — Excessus autem est duplex: unus in genere, qui significatur per comparativum vel superlativum; alius extra genus, qui significatur per additionem huius praepositionis: *super*; puta, si dicamus quod ignis excedit in calore excessu in genere, unde dicitur calidissimus; sol autem excedit excessu extra genus, unde non dicitur calidissimus sed supercalidus, quia calor non est in eo, eodem modo, sed excellentiori. Et licet iste duplex excessus in rebus causatis non simul conveniat, tamen in Deo simul dicitur et quod est pulcherrimus et superpulcher; non quod sit in genere, sed quod Ei attribuuntur omnia quae sunt cuiuscumque generis.

344. — Deinde, cum dicit [137]: *et semper existens...* exponit quod dixerat; et primo, exponit quare Deus dicatur pulcherrimus; secundo, quare dicatur superpulcher; ibi [138]: *et sicut...*

345. — Sicut enim aliquid dicitur albius, quia est nigro impermixtius, ita dicitur aliquid pulchrius per remotionem a defectu pulchritudinis. Est autem duplex defectus pulchritudinis in creaturis: unus, quod quaedam sunt quae habent pulchritudinem variabilem, sicut de rebus corruptibilibus apparet et hunc defectum primo excludit a Deo, dicens quod Deus *semper* est pulcher *secundum* idem et eodem modo et sic excluditur alteratio pulchritudinis; et iterum, non est in Eo generatio aut corruptio pulchritudinis, neque iterum augmentum vel diminutio Eius, sicut in rebus corporalibus apparet. Secundus autem defectus pulchritudinis est quod omnes creaturae habent aliquo modo particulatam pulchritudinem sicut et particulatam naturam; hunc defectum excludit a Deo, quantum ad omnem modum particulationis: et dicit quod Deus non est *in aliqua parte* pulcher et in alia turpis, sicut in rebus particularibus contingit quandoque; neque etiam est in aliquo tempore et in aliquo non, sicut contingit in his quorum pulchritudo cadit sub tempore; neque iterum est pulcher quantum ad unum et non quantum *ad aliud*, sicut contingit in omnibus quae sunt determinata ad unum determinatum usum vel finem: si enim applicentur ad aliud, non servabitur consonantia unde nec pulchritudo; neque iterum est in aliquo loco pulcher et in alio non pulcher, quod quidem in aliquibus contingit propter hoc quod *quibusdam* videntur pulchra et *quibusdam non* videntur pulchra, sed Deus quoad omnes et simpliciter pulcher est.

346. — Et omnium praemissorum assignat rationem, cum subdit quod Ipse est pulcher *secundum seipsum*; per quod, excluditur quod non est pulcher secundum unam partem tantum, neque in aliquo tempore tantum, neque in aliquo loco tantum; quod enim alicui secundum se et primo convenit, convenit et toti et semper et ubique. Iterum, Deus est pulcher in seipso, non per respectum ad aliquod determinatum et ideo non potest dici quod ad aliquid sit pulcher et ad aliquid non pulcher et neque quibusdam pulcher et quibusdam non pulcher. Iterum, est *semper* et uniformiter pulcher, per quod excluditur primus defectus pulchritudinis, scilicet variabilitas.

347. — Deinde, cum dicit [138]: *et sicut omnis...* ostendit qua ratione dicatur Deus superpulcher, in quantum in seipso habet excellenter et ante omnia alia, fontem totius pulchritudinis. In ipsa enim *natura simplici et supernaturali* omnium *pulchrorum* ab ea derivatorum praeexistunt *omnis pulchritudo et omne pulchrum*, non quidem divisim, sed *uniformiter* per modum quo multiplices effectus in causa praeexistunt.

348. — Deinde, cum dicit [139]: *Ex pulchro isto...* ostendit quomodo pulchrum de Deo dicitur secundum causam; et primo ponit causalitatem pulchri; secundo, exponit; ibi [140]: *et est principium...*

349. — Dicit ergo primo quod *ex pulchro isto* provenit *esse omnibus existentibus*: claritas enim est de consideratione pulchritudinis, ut dictum est [339]; omnis autem forma, per quam res habet esse, est participatio quaedam divinae claritatis; et hoc est quod subdit, quod *singula* sunt *pulchra secundum propriam rationem*, idest secundum propriam formam; unde patet quod ex divina pulchritudine esse omnium derivatur. Similiter etiam dictum est [339] quod de ratione pulchritudinis est consonantia, unde omnia, quae, qualitercumque ad consonantiam pertinent, ex divina pulchritudine procedunt; et hoc quod subdit, quod *propter pulchrum* divinum sunt *omnium* rationalium creaturarum *concordiae*, quantum ad intellectum

concordant enim qui in eamdem sententiam conveniunt; *et amicitiae*, quantum ad affectum; *et communiones*, quantum ad actum vel ad quodcumque extrinsecum; et universaliter omnes creaturae, quantamcumque unionem habent, habent ex virtute pulchri.

350. — Deinde, cum dicit [140]: *et est principium...* exponit quod primo dixerat de causalitate pulchri; et primo, quantum ad rationem causandi; secundo, quantum ad diversitatem causatorum; ibi [142]: *Hoc unum bonum...* [lectio 6ª].

351. — Circa primum, duo facit: primo, assignat secundum quam rationem pulchrum dicitur causa; secundo, infert quoddam corollarium ex dictis; ibi [141]: *propter quod...*

352. — Dicit ergo primo quod pulchrum quidem *est principium omnium sicut causa effectiva* dans esse; *et* sicut causa *movens et* sicut causa *continens*, idest conservans omnia; haec enim tria videntur ad rationem causae efficientis pertinere: ut det esse, moveat et conservet. Sed causa agens, quaedam agit ex desiderio finis, quod est agentis imperfecti, nondum habentis quod desiderat; sed agentis perfecti est ut agat per amorem eius quod habet et propter hoc subdit quod pulchrum, quod est Deus, est causa effectiva et motiva et continens, *amore propriae pulchritudinis*. Quia enim propriam pulchritudinem habet, vult eam multiplicare, sicut possibile est, scilicet per communicationem suae similitudinis.

353. — Secundo ait quod pulchrum, quod est Deus, est *finis omnium sicut finalis causa* omnium rerum. Omnia enim facta sunt ut divinam pulchritudinem qualitercumque imitentur.

354. — Tertio, est causa *exemplaris*, quia omnia distinguuntur *secundum* pulchrum divinum et huius signum est quod nullus curat effigiare vel repraesentare, nisi ad pulchrum.

355. — Deinde, cum dicit [141]: *propter quod...* infert quoddam corollarium ex dictis; et dicit quod, quia tot modis pulchrum est causa omnium, inde est quod bonum et *pulchrum* sunt *idem*, quia omnia *desiderant pulchrum et bonum*, sicut *causam* omnibus modis; et quia nihil est *quod non participet pulchro et bono*, cum unumquodque sit pulchrum et bonum secundum propriam formam; *et* ulterius, etiam, audacter *hoc dicere* poterimus *quod non-existens*, idest materia prima *participat pulchro et bono*, cum ens primum non-existens habeat quamdam similitudinem cum pulchro et bono divino: quoniam pulchrum et bonum *laudatur* in Deo per *omnium ablationem*; sed in materia prima, consideratur ablatio per defectum, in Deo autem per excessum, in quantum *supersubstantialiter* existit.

356. — Quamvis autem pulchrum et bonum sint idem subiecto, quia tam claritas quam consonantia sub ratione boni continentur, tamen ratione differunt: nam pulchrum addit supra bonum, ordinem ad vim cognoscitivam illud esse huiusmodi.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 132: « Hoc bonum », « *ipsum Bonum* ».

* : leg. sicut in *expositione* (334): *gratiose;* minime: « *gratiosae* ».

* : « nominationes » plenius: « *Dei*-nominationes », sicut in *expositione* (334).

* ad n. 135: « *ac* similitudinem » corr. « *ad* similitudinem » (*δίκην* - acc. adv. = *more, instar*) « luminis »; « lucis in morem » (Ambrosius); « ...quae, *lucis instar*, omnibus impertiat... primi radii effusiones » (Perionius).

* ad n. 137: semper existens (*ἀεὶ ὄν*), in *expositione* (342, 344) « *super existens* », leg. *semper existens;* n. 345 bene: « *semper* est pulchrum », unde mendosum supra vel oscitantia scriptoris vel lapsu typographico.

2ª Quoad testimonium Platonis de Pulchritudine Dei (137).

Quae ex Scriptura habentur, Dionysius laudat per notionem communem « Pulchri » et « Pulchritudinis ». Ipse Müller notat: « da sich die Stelle weder bei Plotinos noch Proklos findet, müssen wir annehmen dass Dionysios sie *direct* aus Platon entlehnt hat » (*op. cit.*, pag. 49). Profundissimum anhelitum « mentis in mundo » exprimit Plotinus (*En.* I, 6, 1-9), ut reditus ad patriam dilectam (*ibid.*, 8) promptius fiat. Maximum periculum, doctrinae christianae imminens, facile quis considerare potest in opusc. Porphyrii *de Antro Nympharum* et *ad Marcellam:* ibi (n. 6) « propter *materiam* mundus est tenebrosus... propter *formae* (*εἴδους*) connexionem et ordinationem... *pulcher* est et *amabilis* »: Hellenismus et Mithraismus coalescunt in bellum « pro aris et focis ».

In epist. *ad Marcellam* cultus spiritualis instituitur quo homo « amicus Dei » fiat: « nam pura pulchritudo Eius et lux vivificans fulgent in veritate » (n. 13). Unde « quatuor elementa fundamentalia » in se custodire debet Marcella, quae sunt: « *fides, veritas, amor, spes* » (*πίστις, ἀλήθεια, ἔρως, ἐλπίς* - n. 24).

Dionysius, « theologus » et « laudator Dei » qui mundum creavit, qui per prophetas locutus est et per Iesum revelatus est, veri Hellenismi notiones communes assumens, « viam liberandae animae » et « reditus ad Patrem » aperit hominibus.

Inde, ex *Cratylo* Platonis XXXIX, accipit verba

Socratis: « οὐκοῦν τὸ καλέσαν τὰ πράγματα καὶ τὸ καλὸν ταὐτόν ἐστι τοῦτο, διάνοια; (416 C) - « ergo *καλέσαν* id est *quod vocat res* et *καλόν*, idem ac cogitatio sunt » (Ficinus) et licet, quoad verbi originem, exilia excultioribus videantur, in synthesi Dionysii sensum acquirunt novum. Nam ex doctrina creationis signanda est via reditus ad Deum qui omnes creaturas et maxime homines « *ad se vocat unde et pulchritudo dicitur* » - ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται (135, **340**). Hic resonat et vox Pauli: « testificati sumus ut ambularetis digne Deo qui vocavit (τοῦ καλοῦντος) vos in suum regnum et gloriam » (I *Thess.* 2, 12). Cui consonat vox Petri: « ut virtutes annuncietis Eius qui *de tenebris* vos vocavit (καλέσαντος) in admirabile *lumen suum* » (I *Petri* 2, 9). De hoc « sacro lumine » supra iam dixit (128-129; **329-330**); nunc de *Pulchro vocante* homines: « *nemo* (enim) *potest venire ad me* (dicit Iesus in Evangelio S. Ioannis - 6, 44) nisi Pater qui misit me *traxerit* eum ».

Divina Pulchritudo exprimitur ipsissimis verbis « divini » Platonis:

Convivium XXIX (211 AB):

« ... κατόψεται τι θαυμαστὸν τὴν φύσιν καλόν... πρῶτον μεν ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον· ἔπειτα οὐ τῇ μὲν καλὸν τῇ δ'αἰσχρόν, οὐδὲ τοτὲ μέν, τοτὲ δ' οὔ, οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλόν, πρὸς δὲ τὸ αἰσχρόν, οὐδ'ἔνθα μὲν καλόν, ἔνθα δὲ αἰσχρόν, ὡς τισὶ μὲν ὂν καλόν, τισὶ δὲ αἰσχρόν...
ἀλλ' αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν ».

Vers. *Ficini:*

« ... quamdam natura mirabilem inspiciet pulchritudinem... Principio quidem *semper est nec fit nec interit neque decrescit;* praeterea, *non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe vel tum pulchrum, tum minime. Neque ad hoc quidem pulchrum turpe vero ad illud. Vel hic pulchrum ibi turpe ut quibusdam pulchrum sit, quibusdam vero nequaquam... sed idipsum per seipsum cum semetipso uniforme semper existens* ».

Textus Dionys. (IV, 7 (137):

« καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον *(137)* καὶ ἀεὶ ὂν κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως καλὸν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον· οὐδὲ τῇ μὲν καλὸν τῇ δὲ αἰσχρόν, οὐδὲ τοτὲ μέν, τοτὲ δ' οὔ, οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλόν, πρὸς δὲ τὸ αἰσχρόν, οὔτε ἔνθα μέν, ἔνθα δὲ οὔ, ὡς τισὶ μὲν ὂν καλόν, τισὶ δὲ οὐ καλόν, ἀλλ' ὡς αὐτὸ καθ'ἑαυτὸ μεθ' ἑαυτοῦ μονοειδὲς ὂν καλόν... ».

In « dialectica amoris » haec est gemma fulgentior quam Dionysius accipit, corona includens theologiae christianae et « menti in mundo » ostendens « viam liberandae animae » per lucem veritatis.

Hinc enim *nova aestimatio mundi* exurgit et si ex « forma » est pulcher et amabilis, Creator est fons huius puchritudinis et mensura huius amabilitatis: nam haec forma est « ratio » (*λόγος* - 139) et pulchritudo eius est quaedam refulgentia « divinae claritatis » (**349**). Hic anima Aristotelis exultat qui affirmat formam esse « quoddam *divinum* et *bonum* et *appetibile* » (*τινὸς θείου καὶ ἀγαθοῦ καὶ ἐφετοῦ, Physic.* I, 9, 3: 192, a, 16-17).

Illud quod vocatur « non-ens », sive intelligatur de materia sive de privatione, non facit mundum « antrum tenebrosum » nec ibi adest radix malefica. Nam revera « necesse erit patris Parmenidis sermonem nobis propulsantibus examinare, cogereque non-ens esse quodammodo et ens rursus quoquo modo non esse » (vers. *Ficini*).

Doctrina Platonis in *Sophista* tradita et ulterius ab Aristotele perpolita illuminatur per notionem Creatoris qui *καὶ τὸ ἀνείδεον εἰδοποιεῖ* (111) unde in linea ontologica limites positi sunt, non effusae sunt tenebrae. Propter hoc dicitur bonum inveniri et in materia et ipsam appetere bonum idest formam (184; cfr. 231-235).

Si vero « non-ens » intelligatur de « privatione » (cfr. pag. 98-99), idem dicendum occurrit tum *in ordine entis et realitatis* quia « *τὸ κακοποιὸν ἀντῆς* » (*Physic.* I, 9, 2: 192, a, 15) « maleficium ipsius » (nempe « privationis » non materiae, ut quidam exponunt) est ad generationem rerum, non ad eorum destructionem, cum Pulchrum et Bonum sit « *τὸ εἰδοποιὸν καὶ τῶν ἀνειδέων* » (184; cfr. 236); tum *in ordine cognitionis,* quia per viam ablationis imperfectionum et limitum pervenitur ad *μὴ ὄν* qui est per seipsum plenitudo perfectionis (137, 141).

Unde « non-ens » prout supra notatur, non debet limitari ad designandam « materiam » sed, ni fallor, conformius videtur doctrinae Dionysii ampliori sensu explicare terminum ita ut comprehendat et « ens quod non est » scilicet materiam et purum « non-ens » quod est « privatio » (cfr. pag. 98-99). Vita « mentis in mundo » et « *esse* » eius est praesuppositum ad « *bene esse* ».

Hic occurrit epist. *ad Marcellam* in qua Porphyrius recognoscit « causas » « ingentium malorum » quaerendas esse potius « *in anima* » (n. 29) sed, per firmam custodiam « quatuor elementorum » ut « Divinum » honoretur « secundum patrias consuetudines » (n. 18), « viam liberandae animae » realiter praecludit sibi et aliis.

Dionysius non ignorat has exigentias et illis satisfacit, significans actionem « Sacri Luminis » in anima (127-129) secundum motum triadicum a Basilio expositum. Ulterius, per « hymnum amoris » (159-183) clarissime ostendit se velle viam aperire quam claudunt alii. Unde et initio *Ecclesiasticae Hierarchiae* signat *actionem Iesu* qui « *amore* pulcherarum rerum (*τῶν καλῶν ἔρωτι*) ad Illum extenso nos extendit » (HE. I, 1; MG. III, 372 B) et in amore reponit principium novae vitae (EH. II, 1; ibid. 392 AB). Quoad « *spem* » pulcherrima sunt quae breviter tangit in luce mortis (EH. VII, 1; ibid. 553 AB); de « *veritate* » autem et « *fide* » in hoc libro (infra 326-329) qui statim in fronte habet divinam normam veritatis et fidei (2-3) efficaciter tractat. Nescio an haec omnia sint perpendenda in quaestione Dionysii: certo certius multa clarescunt et non pauca sensum aliquem viventis efficaciae acquirunt.

Ramenta quae non valent ad constructionem domus, dicet aliquis. Has notulas appono certe tamquam ramenta aliqua non ad constructionem alicuius domus utilia, sed ad primaevam aedificii formam inveniendam, si possibile sit et in quantum alicui « idiotae » possibile est.

LECTIO VI (16ª)

De causalitate Pulchri, quantum ad diversitatem causatorum.

SYNOPSIS

(Lect. VI; cap. IV; textus nn. 142-146; expositio nn. **357-367**).

Ostendit causalitatem pulchri, quantum ad diversitatem causatorum.

A) proponit in generali (142; **358**)

B) prosequitur distinguendo per singula:
- 1° - quantum ad ipsum ens (143; **360**)
- 2° - quantum ad unum (144; **361**)
- 3° - quantum ad ordinem (145; **362-365**):
  - a) quantum ad actionem (**362**)
  - b) tangit ea quae pertinent ad existentiam rerum in seipsis (**363**)
  - c) ponit ea quae pertinent ad mansionem unius rei in alia (**364**):
    - j° - convenientia partium,
    - ij° - earum coaptatio,
    - iij° - mutuum adiutorium,
    - iv° - debita proportio et harmonia,
    - v° - compositio in una rerum universitate:
      - α) per modum localis continentiae (**365**)
      - β) quantum ad temporis successionem (◦).
- 4° - quantum ad motum et quietem:
  - j° - proponit causalitatem pulchri respectu motus et quietis (146; **367**).
  - ij° - exponit quosdam motus (147; lectio 7ª)
  - iij° - concludit propositum (151; lectio 8ª).

TEXTUS DIONYSII

142. — « Hoc unum, bonum et pulchrum singulariter * est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa.

*142. — Τοῦτο τὸ ἓν ἀγαθὸν καὶ καλὸν ἑνικῶς * ἐστι πάντων τῶν πολλῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν αἴτιον.*

143. — Ex hoc, omnes existentium substantiales essentiae;

143. — Ἐκ τούτου πᾶσαι τῶν ὄντων αἱ οὐσιώδεις ὑπάρξεις

144. — unitiones, discretiones; identitates, alteritates; similitudines, dissimilitudines; communiones contrariorum, incommixtiones unitorum;

144. — αἱ ἑνώσεις αἱ διακρίσεις αἱ ταὐτότητες αἱ ἑτερότητες αἱ ὁμοιότητες αἱ ἀνομοιότητες αἱ κοινωνίαι τῶν ἐναντίων αἱ ἀσυμμιξίαι τῶν ἡνωμένων,

145. — providentiae superiorum, alternae habitudines coordinatorum *, conversiones minus habentium *; omnium eorumdem conservativae et intransmutabiles * mansiones et collocationes; et rursus omnium iuxta proprietatem uniuscuiusque communiones et adaptationes et inconfusae amicitiae; et harmoniae cunctae rei *, in omni * concretiones; indissolubiles * continentiae existentium, indeficientes successiones eorum quae fiunt;

145. — αἱ πρόνοιαι τῶν ὑπερτέρων αἱ ἀλληλουχίαι τῶν ὁμοστοίχων αἱ ἐπιστροφαὶ τῶν καταδεεστέρων αἱ πάντων ἑαυτῶν [C] *φρουρητικαὶ καὶ ἀμετακίνητοι μοναὶ καὶ ἱδρύσεις, καὶ αὖθις αἱ πάντων ἐν πᾶσιν οἰκείως ἑκάστῳ κοινωνίαι καὶ ἐφαρμογαὶ καὶ ἀσύγχυτοι φιλίαι καὶ ἁρμονίαι τοῦ παντός *, αἱ ἐν τῷ παντὶ * συγκράσεις, αἱ * ἀδιάλυτοι συνοχαὶ τῶν ὄντων αἱ ἀνέκλειπτοι διαδοχαὶ τῶν γινομένων,*

146. — stationes omnes et motus qui sunt mentium, qui sunt animarum, qui sunt cor-

146. — αἱ στάσεις πᾶσαι καὶ αἱ κινήσεις αἱ τῶν νοῶν αἱ τῶν ψυχῶν αἱ τῶν σωμάτων·

porum: statio enim omnibus est et motus quod est super omnem stationem et omnem motum, collocans unumquodque in ipsius ratione et movens ad divinum * motum ».

στάσις γάρ ἐστι πᾶσι καὶ κίνησις τὸ ὑπὲρ πᾶσαν στάσιν καὶ πᾶσαν κίνησιν ἐνιδρύον ἕκαστον ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ κινοῦν ἐπὶ τὴν οἰκείαν * κίνησιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

357. — Postquam Dionysius exponit, secundum quam rationem pulchrum sit causa, hic ostendit quorum sit causa; et circa hoc duo facit: primo, proponit in generali; secundo prosequitur distinguendo per singula; ibi [143]: *Ex hoc...*

358. — Dicit ergo, primo, quod *bonum et pulchrum*, quamvis sit *unum* esse, *est* tamen *causa omnium bonorum et pulchrorum*, quae sunt multa.

359. — Deinde, cum dicit [143]; *Ex hoc...*, prosequitur per singula, de his quorum pulchrum est causa; et primo, quantum ad ipsum ens; secundo, quantum ad unum; ibi [144]: *unitiones...*; tertio, quantum ad ordinem; ibi [145]: *providentiae...*; quarto, quantum ad motum et quietem; ibi [146]: *stationes...*

360. — Dicit ergo, quod *ex* pulchro causantur *omnes essentiae substantiales* entium. Omnis enim essentia vel est forma simplex vel habet complementum per formam; forma autem est quaedam irradiatio proveniens ex prima claritate; claritas autem est de ratione pulchritudinis, ut dictum est [339].

361. — Deinde, cum subdit [144]: *unitiones...*, ponit ea quae pertinent ad considerationem unius. Ubi considerandum est quod unum addit supra rationem entis, indivisionem: est enim unum, ens indivisum; unde unitati distinctio sive discretio opponitur; et ideo, primo, ponit *unitiones et discretiones* rerum a divina pulchritudine causari. Unum autem in substantia facit idem, distinctio autem in substantia facit diversitatem et ideo subiungit: *identitates* et *alteritates* idest diversitates. Ex uno autem in qualitate causatur simile, ex discretione autem dissimile et ideo subiungit: *similitudines, dissimilitudines*. Similiter autem, unum in quantitate causat aequalitatem et discretio inaequalitatem, sed de his mentionem non facit, quia pertinent ad commensurationem rerum, de qua post aget [Cap. 9°]. Observatur autem hoc in rebus, quod et dissimilia in aliquo conveniunt: sicut contraria, in genere et materia; et quae uniuntur secundum aliquid, manent distincta: sicut partes in toto; et ideo subdit: *communiones contrariorum*, quantum ad primum; *et incommixtiones unitorum*, quantum ad secundum. Haec autem omnia ad causalitatem pulchri reducuntur, quia pertinent ad consonantiam, quae est de ratione pulchritudinis, ut supra dictum est [339].

362. — Deinde, cum dicit [145]: *providentiae superiorum...*, enumerat ea quae pertinent ad ordinem rerum; et primo, quantum ad actionem, prout superiora provident inferioribus, quod tangit cum dicit [*providentiae superiorum;* et prout aequalia ad invicem bene disponuntur, quod tangit cum dicit] *alternae habitudines coordinatorum*, idest aequalium; et prout inferiora convertuntur ad recipiendum a superioribus, perfectionem et regimen; et hoc est quod dicit: *conversiones minus habentium.*

363. — Secundo, tangit ea quae pertinent ad existentiam rerum in seipsis; et hoc est quod subdit quod ex pulchro sunt *mansiones conservativae eorumdem*, idest, aliquorum in seipsis. Ex hoc enim aliquid conservatur quod infra limites naturae suae manet; si enim totaliter extra se effluueret, periret; sed addit: *et intransmutabiles collocationes*, idest fundationes; sicut enim ex hoc quod aliquid manet in seipso, conservatur, ita ex hoc quod habet aliquid firmum in seipso super quod fundatur, intransmutabile est.

364. — Tertio ponit ea quae pertinent ad mansionem unius rei in alia. Unde sciendum est quod, cum ex aliquibus aliquid constitui oportet, primo quidem requiritur quod partes conveniant: sicut multi lapides conveniunt ad invicem ex quibus constituitur domus et similiter omnes partes universi conveniunt in ratione existendi; et hoc ideo dicit, quia non solum ex pulchro sunt mansiones rerum in seipsis, sed etiam *communiones omnium in omnibus* secundum *proprietatem uniuscuiusque;* non enim uno modo omnia sunt in omnibus, sed superiora quidem in inferioribus participatione, inferiora vero in superioribus excellenter et tamen omnia cum omnibus aliquid commune habent. Secundo, requiritur in partibus quod in hoc etiam quod diversae sunt, invicem coaptari possint; non enim ex coe-

mento et lapide fieret domus, nisi invicem coaptarentur et similiter partes universi coaptantur, inquantum possunt cadere sub uno ordine; et hoc est quod dicit: *et adaptationes*. Tertio, requiritur quod una pars iuvetur ex alia: sicut paries et tectum sustentantur ex fundamento et tectum cooperit parietem et fundamentum et similiter in universo superiora dant perfectionem inferioribus et in inferioribus virtus superior manifestatur; et hoc est quod dicit: *et inconfusae amicitiae*, quia mutuum iuvamentum est absque praeiudicio distinctionis rerum. Quarto, requiritur debita proportio in partibus, ut scilicet tale sit fundamentum quod congruat aliis partibus; et hoc est quod dicit: *et harmoniae cunctae rei*, idest omnium partium universi. Harmonia enim causatur in sonis ex debita proportione numerorum. Partibus ergo sic dispositis, sequitur earum compositio in toto, secundum quod ex omnibus partibus universi constituitur una rerum universitas; et hoc est quod subdit: *in omni*, idest in universo, *concretiones*.

365. — Haec autem concretio partium in universo attenditur dupliciter: primo quidem per modum localis continentiae, secundum quod superiora sunt in entibus, aliquo modo, locus inferiorum vel spiritualis vel corporalis; et hoc est quod subdit: *indissolubiles continentiae existentium* secundum scilicet quod superiora continent inferiora, indissolubili ordine. Secundo, quantum ad temporis successionem, sed tamen in generabilibus et corruptibilibus, in quibus posteriora prioribus succedunt; et hoc est quod subdit: *indeficientes successiones eorum quae fiunt*. Dicuntur autem *indeficientes successiones rerum*, non quia in perpetuum durent genera, sed quia absque interpolatione succedunt quaedam quibusdam, quamdiu durat iste cursus mundi. Haec autem omnia dicit ex pulchritudine causari, inquantum pertinent ad rationem consonantiae, quae est de ratione pulchritudinis.

366. — Deinde, cum dicit [146]: *stationes omnes...* prosequitur de quiete et motu, quae etiam, inquantum important aliquam habitudinem unius ad alterum, pertinent ad rationem consonantiae et pulchritudinis; et circa hoc, tria facit: primo, proponit causalitatem pulchri, respectu quietis et motus; secundo, exponit quosdam motus qui videbantur non motus; ibi [147]: *Et moveri...* [lectio 7ª]; tertio, concludit propositum; ibi [151]: *Igitur...* [lectio 8ª].

367. — Dicit ergo primo quod ex pulchro divino causantur *omnes stationes*, idest quietes, *et motus* sive sint *mentium* sive *animarum* sive *corporum*. Et hoc ideo dicit, quia illud plerumque *quod est super omnem* quietem *et motum* est causa omnibus et quietis et motus, inquantum collocat *unumquodque in* propria sua *ratione* in qua res habet suam stationem et inquantum movet omnia *ad divinum motum*, quia motus omnium ordinantur ad motum quo moventur in Deum, sicut motus qui sunt ad fines secundos, ordinantur ad motum qui est ad finem ultimum. Forma autem a qua dependet propria ratio rei, pertinet ad claritatem; ordo autem ad finem, ad consonantiam; et sic motus et quies reducuntur in causalitatem pulchri.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 142: « singulariter » - *ἑνικῶς*, « *unitim* », scilicet: Deus est *unus pulcher* et *bonus*.

* ad n. 145, **362**: in expositione, suspicor aliquid deesse; agitur enim de connexione aequalium *inter se:* « aequalium alternae ad invicem vicissitudines » (Ambrosius), quae particula, absque praecedenti expositione, introducitur (cfr. n. **407**).

* : « minus habentium »; reverentia erga subditos, dicamus: « inferiorum » (*καταδεεστέρων*: a *καταδεής* - indigens - *καταδέεστερος* est « minor », « inferior »).

* : in expositione (**363**): « *indissimiles* » primum, postea vero: *intransibile;* utrobique lego: « *intransmutabiles* » (*ἀμεταχίνητοι*) et *intransmutabile*.

*: « harmoniae *cunctae rei* » - *τοῦ παντός*, « *universi* ».

*: « *in omni* concretiones » - *ἐν τῷ παντί, in universo*.

* : « indissolubiles continentiae »; primaeva lectio *αἱ ἀδιάλυτοι* facta est *καὶ ἀδιάλυτοι*, unde alibi: *καὶ αἱ ἀδιάλυτοι* « *et* indissolubiles... » « *et* » superfluit.

* ad n. 146: « ad *divinum* motum »; litt. « ad *proprium* (*τὴν οἰκείαν*) motum ».

2ª QUOAD « UNITE » IN DEO (142).

Suppono illud « *ἑνικῶς* » posuisse Dionysius ut notiones quas *Iamblichus dissociat* (*de Communi Mathematica Scientia* - edit. Festa, Lipsiae 1891 - cap. IV, pag. 16) ipse uniat in Illo qui est unus, pulcher et bonus: « *Unum neque pulchrum neque bonum* dignum est ut appellet quis, eo quod sit supra pulchrum et bonum; longius enim procedente natura ab iis quae in principio (sunt), *primum quidem pulchrum apparuit; secundo* vero *ipsum bonum*, maiorem habens separationem ab elementis ».

LECTIO VII (17ª)

Quales sint motus divinarum mentium et animarum.

SYNOPSIS

(Lect. VII; cap. IV; textus nn. 147-150; expositio nn. 368-379).

Exponit quales sint motus Angelorum et Animarum

A) Quales sint motus Angelicarum mentium (147; **369-370**):
   1° - Motus circularis (**371**),
   2° - Motus rectus (**372**),
   3° - Motus obliquus (**373**).

B) Quales sint motus animarum:
   1° - exponit motum circularem (148; **375-376**)
   2° - describit motum obliquum (149; **377**)
   3° - exponit motum rectum (150; **378**).

TEXTUS DIONYSII

§ 8. 147. — « Et moveri quidem dicuntur divinae mentes circulariter, quidem, unite * sine principiis et interminabilibus illuminationibus pulchri et boni; in directum autem, quando procedunt ad subiectorum providentiam, recte omnia transeuntes; oblique autem, quando et providentes minus habentibus inegressibiliter manent in identitate circa identitatis causam pulchrum et bonum, indesinenter circum chorum agentes.

§ 9. 148. — Animae autem motus circularis quidem est ad seipsam introitus ab exterioribus et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio, sicut in quodam circulo, non errare ipsi largiens et a multis exterioribus ipsam convertens et congregans: primum, ad seipsam; deinde, sic uniformem factam, uniens unitive unitis virtutibus *, et ita ad pulchrum et bonum manuducens quod est super omnia existentia et unum et idem et sine principio et interminabile.

149. — Oblique autem anima movetur, inquantum secundum proprietatem suam, divinis illuminatur * cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse et sicut commixtis et transitivis operationibus.

150. — In directum autem quando, non ad seipsam ingressa et singulari intellectualitate mota: hoc enim est sicut dixi secundum circulum, sed ad ea quae sunt circa seipsam progreditur et ab exterioribus sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis ad simplices et unitas sursum agitur contemplationes ».

§ 8. 147. — [D] *Καὶ κινεῖσθαι μὲν οἱ θεῖοι λέγονται νόες — κυκλικῶς μὲν ἑνούμενοι * ταῖς ἀνάρχοις καὶ ἀτελευτήτοις ἐλλάμψεσι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ· κατ' εὐθεῖαν δὲ ὁπόταν προΐωσιν εἰς τὴν τῶν ὑφειμένων πρόνοιαν εὐθεῖα τὰ πάντα περαίνοντες· ἑλικοειδῶς δὲ ὅτι καὶ προνοοῦντες τῶν καταδεεστέρων ἀνεκφοιτήτως μένουσιν* [705 A] *ἐν ταὐτότητι περὶ τὸ τῆς ταυτότητος αἴτιον καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἀκαταλήκτως περιχορεύοντες.*

§ 9. 148. — *Ψυχῆς δὲ κίνησίς ἐστι κυκλικὴ μὲν ἡ εἰς ἑαυτὴν εἴσοδος ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ τῶν νοερῶν αὐτῆς δυνάμεων ἡ ἑνοειδὴς συνέλιξις, ὥσπερ ἔν τινι κύκλῳ τὸ ἁπλανὲς αὐτῇ δωρουμένη, καὶ ἀπὸ τῶν πολλῶν τῶν ἔξωθεν αὐτὴν ἐπιστρέφουσα καὶ συνάγουσα πρῶτον εἰς ἑαυτὴν εἶτα ὡς ἑνοειδῆ γενομένην ἑνοῦσα ταῖς ἑνιαίως ἡνωμέναις δυνάμεσι * καὶ οὕτως ἐπὶ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν χειραγογοῦσα τὸ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ ἓν καὶ ταὐτὸν καὶ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον.*

149. — *Ἑλικοειδῶς δὲ ψυχὴ κινεῖται καθ' ὅσον οἰκείως ἑαυτῇ τὰς θείας ἐλλάμπεται * γνώσεις οὐ νοερῶς καὶ* [B] *ἑνιαίως, ἀλλὰ λογικῶς καὶ διεξοδικῶς καὶ οἷον συμμίκτοις καὶ μεταβατικαῖς ἐνεργείαις.*

150. — *Τὴν κατ' εὐθεῖαν δὲ ὅταν οὐκ εἰς ἑαυτὴν εἰσιοῦσα καὶ ἑνικῇ νοερότητι κινουμένη — τοῦτο γὰρ ὡς ἔφην ἐστὶ τὸ κατὰ κύκλον — ἀλλὰ πρὸς τὰ περὶ ἑαυτὴν προϊοῦσα καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ὥσπερ ἀπὸ τινῶν συμβόλων πεποικιλμένων καὶ πεπληθυσμένων ἐπὶ τὰς ἁπλᾶς καὶ ἡνωμένας ἀνάγεται θεωρίας.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

368. — Quia Dionysius fecerat mentionem de motibus mentium et animarum quae videntur immobiles, hic exponit quales sint motus ipsarum; et primo, quales sint motus angelicarum mentium; secundo, quales sint motus animarum rationalium; ibi [148]: *Animae autem...*

369. — Considerandum est autem quod, sicut dicit Philosophus in III° de Anima [1]), duplex est motus: unus qui est actus imperfecti, idest existentis in potentia et talis est motus rerum corporalium quae secundum hoc moveri dicuntur sive secundum substantiam sive secundum quantitatem sive secundum qualitatem sive secundum locum, inquantum exeunt de potentia in actum; alius autem est motus perfecti, secundum quod ipsa operatio existentis in actu, manens in ipso operante, motus dicitur, ut sentire, intelligere et velle.

370. — Sic igitur accipiens motum, distinguit angelicarum mentium motum in tria ad similitudinem motus localis, qui est perfectior inter motus corporeos, scilicet in circularem, rectum et obliquum.

371. — Est autem in motu circulari duo considerare: unum, scilicet, quod est uniformis; aliud vero, quod motus circularis est sine principio et fine. Intellectualis ergo operatio qua mentes angelicae Deum contemplantur circulari motui comparatur, quia uniformiter se habent in Dei contemplatione et ipse Deus est sine principio et fine; et ideo dicit quod *mentes* angelicae, quae sunt divina participatione uniformes, *dicuntur moveri circulariter* intelligendo Deum, inquantum moventur *unite*, idest uniformiter, per illuminationes ex pulchro procedentes et bono, quae sunt *sine* principio et sine termino.

372. — De proprietate autem motus recti est quod inveniatur in eo principium et finis et quod sit in eo ordo et difformitas secundum propinquitatem ad principium et finem; unde motus rectus in eis dicitur, secundum quod intendunt ad providendum inferioribus: cuius quidem providentiae principium fit ab ipso Angelo providente, terminus autem est in eo ad quod ultimo providentia pertingit. Et in hoc motu, non invenitur uniformitas, quia propinquioribus perfectiva prius provident; et hoc est quod dicit quod *in directum* moventur per hoc quod *procedunt* ad providendum inferioribus: eorum enim providentia transit per omnia inferiora, ad modum cuiusdam rectae lineae.

373. — De proprietate autem motus obliqui est quod sit medius inter circularem et rectum, habens aliquid de utroque; et hic motus convenit Angelis, inquantum regulariter moventur ad providendum inferioribus (quod ad motum rectum pertinet) ex ipsa contemplatione Dei (quod pertinet ad motum circularem); et hoc est quod dicit, quod *oblique* moventur angelicae mentes per hoc quod, dum provident inferioribus, non egrediuntur ab uniformitate sui motus; quae quidem uniformitas vel identitas eis convenit ex hoc quod *indesinenter* circumeunt, quasi chorizantes, per uniformem contemplationem, *circa Causam* totius identitatis, quae est *pulchrum et bonum* divinum.

374. — Deinde, cum dicit [148]: *Animae autem...* exponit motum Animae; et primo; circularem eius motum; secundo, motum obliquum; ibi [149]: *Oblique...*; tertio, motum rectum; ibi [150]: *In directum...*

375. — Est autem considerandum quod oportet aliter motum circularem Animae quam Angeli exponere; cum enim motus Angeli et Animae sit operatio eius, circularitas autem motus rationem uniformitatis exprimat, necesse est eo modo circularem motum Angelo et Animae attribuere, inquantum competit eis uniformitas intellectualis operationis. Angelus autem intelligit, non quidem accipiendo a rebus, sed accipiendo lumen a primo Uno simplici, scilicet Deo; unde maxime in operatione intellectuali Angeli attendendum est secundum quod ab ipso Deo illuminatur, et ideo supra dixit [147] quod *divinae mentes* moventur *circulariter, illuminationibus pulchri et boni*. Animae autem connaturale est quod intelligat accipiendo a rebus exterioribus quae sunt multiformes et divisae, unde in hac receptione non potest attendi circularitas motus eius, sed magis in hoc quod a rebus exterioribus revocatur: primo quidem, in seipsam conversa; secundo, elevata in considerationem angelicarum virtutum; tertio autem, usque ad ipsum Deum.

376. — Hoc est ergo quod dicit [148], quod *motus circularis animae* est secundum quod *ab exterioribus* intrat *ad seipsam* et

[1]) C. 7: 431, a, 6-7; S. Th. lect. 12, n. 766.

ibi uniformiter convolvitur, *sicut in quodam circulo*, secundum suas intellectuales virtutes; quae quidem convolutio dirigit virtutem animae, ut non erret: manifestum est enim quod Anima, discurrendo de uno ad aliud sicut de effectu in causam vel de uno simili ad aliud vel de contrario in contrarium, ratiocinatur multipliciter; sed omnis ista ratiocinatio diiudicatur per resolutionem in prima principia, in quibus non contingit errare, ex quibus Anima contra errorem defenditur, quia ipsa prima principia simplici intellectu absque discursu cognoscuntur et ideo eorum consideratio, propter sui uniformitatem, circularis *convolutio* nominatur. Per hanc ergo convolutionem, primo congregatur *ad seipsam*, considerans id quod in natura sua habet ut cognoscat; deinde, sic uniformis facta, unitur per huiusmodi convolutionem, *unitis virtutibus*, scilicet angelicis, inquantum per similitudinem huius uniformis apprehensionis, uniformitatem Angelorum aliquo modo considerat; et ulterius per istam convolutionem, manducitur *ad pulchrum et bonum*, idest Deum, *quod est super omnia existentia* et est maxime *unum et idem* et est *sine principio et interminabile*, quae pertinent ad rationem circuli, ut dictum est [371]; et ideo circularitas motus animae, completur in hoc quod ad Deum manuducit.

377. — Deinde, cum dicit [149]: *Oblique autem...* describit motum obliquum Animarum, qui etiam aliter accipitur in Anima et in Angelis. In Angeli enim operatione, nulla est difformitas, secundum quod ipse intelligit; sed, secundum quod providet inferioribus, eius provisio per diversa variatur; et ideo motus obliquus, qui compositus est ex recto et circulari, habens in se aliquid uniformitatis et difformitatis, in Angelis attenditur unus, secundum quod sic providet inferioribus quod tamen manent in uniformi consideratione Dei; sed Anima in sua naturali cognitione difformitatem habet, inquantum nata est non cognoscere nisi discurrendo per diversa; uniformitas autem in ipsa est, secundum quod subditur uniformi Principio, a quo accipit. Sic ergo motus obliquus ex uniformitate et difformitate compositus, in Anima attenditur secundum quod uniformes Dei illuminationes recipit non uniformiter, sed differenter secundum suum modum. Hoc est ergo quod dicit, quod *anima movetur oblique inquantum illuminatur divinis cognitionibus secundum suam proprietatem non* quidem *intellectualiter et singulariter*, idest simpliciter sicut Angeli, *sed rationabiliter et diffuse*, idest discursive et diffundendo se per diversa; et hoc exponit subdens: *sicut operationibus commixtis*, quodam enim modo se commiscet rebus, inquantum se ad diversa cognoscenda diffundit; *et transitivis*, quod refertur ad hoc quod dixit *rationabiliter*: est enim proprium rationis transire sive discurrere ab uno in aliud.

378. — Deinde, cum dicit [150]: *In directum autem...* exponit rectum motum Animae, qui de sui ratione habet difformitatem. Difformitas autem in operatione Angeli attendebatur secundum provisionem inferiorum, sed in Anima secundum apprehensionem variam et multiformem diversorum, ex quibus cognitiones simplicium et uniformium capit. Dicit ergo quod *in directum* movetur Anima, *quando non* ingreditur *ad seipsam* ita quod quadam singulari, idest simplici intellectualitate operetur, quia hoc pertinet ad circularem motum ipsius ut dictum est [375-376], *sed* quando *progreditur ad* res exteriores, *quae sunt circa* ipsam, a quibus *sicut a quibusdam signis* variis et multiplicibus elevatur ad contemplandum res *simplices et unitas*.

379.— Patet autem haec sufficientia et distinctio horum motuum Animae, quia Anima vel a sui uniformitate progreditur in superiora magis uniformia et sic est motus circularis ipsius totus uniformis; vel ex influentia uniformis illuminationis accipit cognitionem variam et multiformem et sic est motus obliquus eius; vel e converso ex multiformibus et variis in simplicem cognitionem proficit et sic est motus eius rectus.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 147: *unite - οἱ νόες... ἑνούμενοι*, notare velis pro intelligentia textus quod hic dicitur: « mentes *unitae* », unde in expositione (371) ubi S. Doctor explicat: « *unite* idest uniformiter » intelligas: « inquantum moventur *unitae* illuminationibus ».

* ad n. 148, **376**, occurrit quaedam diversitas interpretationis valde notanda, nam altera *psychologica* subvertit *theologicam*. *Perionius* et *Cordier:* « deinde quasi unius modi effectum (*animum*) coniunctis uno modo *facultatibus* coniungit ». Quam interpretationem M. de Gandillac eleganter vertit *graecum textum* sic intelligens: « pour se recueillir d'abord en soi même puis, ayant atteint à l'unité intérieure, *ayant unifié de façon parfaitement une l'unité de ses propres facultés*, elle est conduite alors ». Haec *interpretatio psychologica* considerat hominem velut clausum in se et apertum immediate illuminationi divinae. Contra istam interpretationem, stat illa quae vocari potest *interpretatio theologica* et manifesta videtur tum in vers. Sarraceni (hic: 148) tum in vers. Ambrosii: « deinde ut uniformem effectam, singulariter coniunctis virtutibus iungens ». Maximus et Pachymeres nihil habent, alios auctores non vidi, textum Dionysii inspiciam qui suam doctrinam et passim abunde exponit.

Iam supra (147) habentur « mentes... *unitae* » et manifeste agitur de Angelis. Difficultas hic est in termino « potentiis » vel « virtutibus » (*δυνάμεσι*). In CH. XI, 1-2 exponit rationes quare *communiter* angelicae substantiae « virtutes *coelestes* » appellentur: « coelestes » quidem determinat quid intelligendum sit hoc nomine: « virtutes », sed quid de « virtutibus » hic? Aliter difficultas solvenda videtur.

Angeli sunt « nuntii divini Silentii » (104; cfr. pag. 91) et ministri revelationis divinae, unde et nostra hierarchia ipsis assimilatur (CH. VIII, 2; 240 D - 241 C). Postrema hierarchia angelica praesidet humanis hierarchiis ut « secundum ordinem sint *elevatio ad Deum, conversio, communio* et *unitio* » (CH. X, 2; 260 B). A tertia hierarchia angelica nostra hierarchia « ad Principium supremum *elevatur* » (CH. XI, 1; 273 A), quae est *media* inter hierarchiam coelestem et hierarchiam legalem: inde « cum illa communicat *intelligibilibus contemplationibus*, cum ista adornatur *symbolis sensibilibus* » (EH. V, 1, 2; 501 C). Haec est pulcherrima doctrina Dionysii ex qua manifestum fit « intime unitas potentias » vel « virtutes » esse « mentes angelicas » prout exponit S. Thomas. Et non solum quia *in ministerium* mittuntur *propter eos qui haereditatem capient salutis* (*ad Hebr.* 1, 14), sed et quia *conceptus theologicus* hic expressus respondet *statui* « sacrorum virorum » qui « initiatione, aliquo modo *iam* propinqua (*illi quae est propria*) coelestis hierarchiae, *de mente in mentem* » traditione viva initiati sunt (EH. I, 4; 376 C; cfr. Basil., *de Spiritu Sancto*, 27, 66; Opp. III, 54 D). Inde est quod Dionysius ipse (23) « deiformes mentes » nostrae hierarchiae « *αγγελομιμήτως* » dicit « *ad imitationem angelorum* unitas ». Ratio huius est « quia per cessationem » seu *quietem* « *omnis intellectualis operationis* » fit in eis « unitio ad superdivinam Lucem ».

* ad n. 149: « divinis *illuminantur* cognitionibus non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse » - « *τὰς θείας ἐλλάμπεται τὰς γνώσεις...* ». Nota vim huius verbi *ἐλλάμπεται*, quae significationem activam-reflexam continet et talis est sensus: « *sibi facit splendere divinas cognitiones* [notiones] non intellectualiter et unite, sed *rationaliter et discursive... permixtis et transeuntibus de uno in aliud operationibus* ». Et hoc est quod ipse S. Doctor intuitus est, scribens in *Summa Theologiae* II-II, q. 180, a. 6, ad 2: « in anima autem ponit motum obliquum, similiter ex recto et circulari compositum, prout scilicet *illuminationibus divinis ratiocinando utitur* » et certe hic agitur *de principiis revelatis* (« cognitiones » Dionysii) quibus *utitur* theologia christiana.

2ª Quoad triplicem motum circularem, rectum, spiraliformem.

Hic sunt scopuli. Velis remisque, iter tuta continuat cymba. Et plurima quidem essent dicenda; quae videntur necessaria appono. Dionysius loquitur de his motibus in Deo (380, **842**); in Angelis (147, **371-373**); in Animabus (148-150, **375-378**) in rebus sensibilibus (151, **381**).

A facilioribus et notioribus incipiendo, a motu nempe qui in rebus sensibilibus manifestatur, notum est Aristotelem de his tribus motibus loqui tum in lib. *Physic.* VIII, 8 (12) 1 (261, b, 28-29): « Omne quod movetur latum est vel circulo (*κύκλῳ*) vel recte (*εὐθεῖαν*) vel mixtim (*μικτήν*), tum in lib. *de Coelo et Mundo* I, 2, 2 (268, b, 17-18): « *πᾶσα δε κίνησις... ἢ εὐθεῖα ἢ κύκλῳ ἢ ἐκ τούτων μικτή* » - « Omnis motus... vel est rectus vel in circulo vel ex his mixtus ». Archimedes († 212 a. C.) primus fuit qui in *περὶ ἑλίκων* (*de Spiralibus*) originem lineae spiralis descripserit (P. Ver Eecke, *Les oeuvres complètes d'Archimède*, Bruges 1921, pag. XXXVI). Nota est machina quae « cochlea » Archimedis appellatur cuius meminit Philo *de Confusione ling.* 10: « *ὥσπερ ἡ ἕλιξ τὸ ὑδρηλὸν ὄργανον* » - « sicut helix, machina aquaria » (325 D). Et bene S. Thomas de « linea helica » dicit « quod helix si quis eius originem consideret non est linea simplex, sed mixta ex recta et circulari. *Causatur enim helix ex duobus motibus imaginatis quorum unus est lineae circumeuntis columnam, alius est puncti moti per lineam. Si enim uterque motus simul et regulariter perficiatur, constituetur helica linea per motum puncti in linea mota* » (*de Coelo et Mundo* I, lect. 3, n. 5). Haec notare placuit, quia legi: « *etiam* Proclum distinguere triplicem speciem motus » (H. Koch, *op. cit.*, pag. 84, n. 1) et « motum mixtum » esse « spiralförmig ».

Omnes sciunt in nova schola Atheniensi confluere tum directio metaphysico-philosophica Plotini, tum directio philosophico-theurgica Iamblichi. *Plutarchus* Atheniensis, « praeses Universitatis » usque ad obitum (431-432), totus fuit in colliganda hac duplici directione spirituali Hellenismi. Et similiter *Syrianus* (380 † 450) qui successionem scholae in se suscepit et praeclarissimos discipulos habuit *Proclum* et *Hermiam*.

Proclo, intellectuali hosti nominis christiani et illustri humanae culturae scriptori, multa debemus. Ipse enim est velut *maximus collector* praecedentium laborum et notionum: omnia bene colligit et ordinat, adhuc spe fretus vitam civilem conservandi iuxta veteres consuetudines. Sed nemo nondum clare determinavit quae sint proprietas exclusiva intellectualis laboris huius percelebris philosophi et quae sint patrimonium commune praecedentis culturae. Quia homo sincerus semper, ut videre potui, notat quae sunt sententiae vel opiniones praecedentium auctorum sicut et Hermias in suis *Scholiis in Platonis Phaedrum* meminit non tantum doctrinae magistri sui Syriani sed et expositionum quas *Iamblichus* tradidit.

Placet in integrum referre textum qui ad triplicem motum spectat:

« Τριττὴν γοῦν κίνησιν δίδωσιν ὁ λόγος τῷ νῷ· τὴν κυκλικήν, τὴν ἑλικοειδῆ καὶ τὴν κατ' εὐθύ.

τὴν μὲν κυκλικὴν ὅτε πρὸς ἑαυτὸν καθ' ἑαυτὸν ἐπιστρέφεται καὶ ἀκροθιγῶς τῶν ὑποκειμένων ἐπιβάττεται, ὥσπερ κύκλος ἐπίπεδος· ὡς γὰρ ἐκεῖνος κατὰ πλείονα ἢ ἓν σημεῖον οὐκ ἂν ἅψεται, οὕτω νοῦς πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστρεφόμενος οὐκ ἂν τοῖς πολιτικοῖς καλινδηθήσεται πράγμασιν·

ἑλικοειδῆ δὲ ὅτε τῇ διανοίᾳ ἐφίησι καὶ ταύτην ἀνάγει πρὸς τὴν ἀληθῆ ἕξιν, ὡς ὁ Σωκράτης τὸν Φαῖδρον· εὐθυφορούμενος γὰρ συντόμως πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστρέφεται·

καὶ' εὐθὺ δὲ ὅτε συνάγει καὶ τὴν δόξαν οὐ πρὸς ἐκείνην ἀλλὰ περὶ τὰ ἐκείνης ἀναστρεφόμενος ὥσπερ ἐνταῦθα ὁ Σωκράτης περὶ Λυσίου λέγει κινῶν τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ ἀσυλλόγιστα συμπεράσματα ἐπὶ τῆς διανοίας ὡς ἐνταῦθα ἐπὶ τοῦ Φαίδρου, ἵνα ταῖς ἀμέσοις προτάσεσι πρὸς ἃς ὁ νοῦς ἀφορᾷ, χρήσηται ἡ διάνοια πρὸς τὸ τῆς δόξης συμπέρασμα καὶ γνωσθῇ εἰ καλῶς ἢ καὶ ἠπατημένως δεδόξακε ».

« Triplicem ergo motum dat sermo [dialogus] menti: circularem, helicoidalem et rectum.

[Dat] motum circularem quando [mens] ad se secundum se convertitur et leviter accipit subiecta,
sicut circulus planus; etenim, sicut ille in plura quam unum punctum non incidit,
ita *mens ad se conversa in factis politicis non versabitur*.

[Dat] motum helicoidalem quando [mens] *se immittit in facultatem cogitativam* et hanc ad verum habitum elevat, sicut Socrates Phaedrum; mota enim in rectum statim ad seipsam convertitur.

[Dat] motum rectum quando [mens] *colligit etiam opinionem*, non vertens se ad ipsam, sed ad ea quae ipsius (sunt), sicut hic Socrates de Lisia dicit, eius movens sermones et illogicas conclusiones ad facultatem cogitativam, sicut hic ad Phaedrum, ut propositionibus immediatis quas mens inspicit, facultas cogitativa utatur ut cognoscat utrum bene opinata sit vel erronee ».

(Hermiae Alexandrini, *in Platonis Phaedrum Scholia*, edidit P. Couvreur, Paris. 1901, pag. 20-21).

Collatio textuum Hermiae et Dionysii (148-150) hoc evidentissime manifestat: praeter denominationem motuum aliqualiter similem, nihil est commune et doctrina utrobique expressa est omnino diversa. Quaestio de Dionysii ab Hermia dependentiae iam per se evanescit: quaestiones de compositione insolutae, quaestiones de origine apertae manent. An sit possibile hanc obscurissimam quaestionem aliquali luce perfundere nescio. Hoc forsan erui potest ex textibus: conceptum motus localis iuxta triplicem distinctionem Aristotelis, paullatim translatum fuisse ad exprimendas realitates alterius ordinis, iuxta diversas directiones vel platonico-pythagoricam vel theurgico-zervanistam vel mysterico-mithraicam. Infinitae propemodum ramorum diffusiones hinc inde pullulant: tres principales directiones, ni fallor, sunt quas notavi.

Syrianus (*in Metaphys.*, edit. Kroll, Berolini 1902, pag. 81-83) postquam explicavit doctrinam pythagoricorum circa triplicem ordinem realitatis: intelligibilis, cogitabilis, sensibilis (cfr. Iamblichi, *de Com. Math. scientia* VIII, edit. Festa, pag. 34 ss.), meminit Vulcani qui in *antro* (Homeri, *Il.* XVIII, 401; cfr. Plat., *Rep.* VII, 1; 514 A) praeparat fibulas, inaures (ἕλικας) aliaque ornamenta. Inde concludit: « Et hae sunt tres species quas Pythagorici existimabant esse causas separatas sensibilium quae sunt separatarum specierum postremae imagines et propter hoc iisdem nominibus non abnuentes appellare haec [sensibilia].

Anima quae in generationem lapsa est, ab his expergefacta et sursum mota (ἀνακινουμένη) venit quidem in reminiscentiam specierum mediarum [διανοητῶν - cogitabilium] *sublevat* (ἀνάγει) autem suos discursus (λόγους) ad intelligibilia et prima exemplaria. Tali modo, visus et auditus adiumento sunt ad philosophiam et *animae circumductionem* » (περιαγωγήν). Si haec *a parte ante* considerentur, facile est invenire originarias notiones in Plat., *Rep.* VII, 6 (521 C): « Haec, ut videtur, non erit testae revolutio [cfr. *Phaedr.* XVIII, 241 B; Hermiae Alex., *Scholia*, edit. cit., pag. 59-60 ubi ex *Platone comico* explicatur puerorum *ludus lamellae*], sed animae circumductio a nocturno quodam die ad Eius quod vere est contemplationem. Quem quidem ascensum veram philosophiam esse dicemus » (vers. *Ficini*). Vel pressius: « ψυχῆς περιαγωγὴ... εἰς ἀληθινὴν... ἐπάνοδον » (Clem. Alex., *Strom.* V, 14; edit. Potter II, 729; Euseb., *Praep. Evang.* XIII, 13, 63; edit. Dindorf, Lipsiae 1867, II, pag. 221). Haec « *animae circumductio... in verum... ascensum reditus* », si dynamice exprimitur, est « *motus heelicoidalis* ». Inde est quod aliquibus Philosophia visa est « praebere animabus liberationem ab humanis vinculis et solutionem a generatione et *circumductionem ad* Ens et cognitionem realis veritatis et purificationem » (« φιλοσοφία ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνθρωπίνων δεσμῶν παρέχειν καὶ λύσιν τῆς γενέσεως καὶ περιαγωγὴν ἐπὶ τὸ ὄν καὶ γνῶσιν τῆς ὄντως ἀληθείας καὶ κάθαρσιν ταῖς ψυχαῖς » Iamblichi, *Protrept.* XIII, edit. Pistelli, Lipsiae 1888, pag. 70; cfr. XXI, pag. 112).

Quadam profundiori animi tristitia, Plotinus notat: « si quae anima novit seipsam, quoad alium tempus, novit etiam quod *motus eius non est rectus* (ἡ κίνησις αὐτῆς οὐκ εὐθεία) nisi quando subiit fractionem [*alarum et in generationem lapsa est;* cfr. *Phaedr.* XXVIII, 248 AE], motus vero secundum naturam (ἡ δὲ κατὰ φύσιν κίνησις) est *qualis in circulo* (ἐν κύκλῳ), non circa aliquid quod extra sit (respiciens), sed circa centrum » (*En.* VI, 9, 8). « Ipsum Bonum » est velut centrum et « Mens » tamquam « circulus immobilis », Anima vero sicut « circulus motus » (κατὰ κύκλον κινούμενον) et quidem *motus desiderio* (τῇ ἐφέσει) Ipsius Boni (*En.* IV, 4, 16).

An « circulus *motus... desiderio* » Ipsius Boni exprimat motum helicoidalem, peritioribus determinandum relinquo. *Anhelitus ascensivus* apparet in schemate huius motus, qui tamen videtur habere valorem *dialecticum*, non intelligentiae sed *amoris* et inde forsan eruitur ratio conatus quo Phaedri dialogus a Iamblicho symbolice explicatur, ut videre est in scholiis Hermiae.

Plotinus duplicem motum humanae culturae *ad spiritualem elevationem* signat: unum *ab imis* (ἀπὸ τῆς κάτω, *En.* I, 3, 1) alterum est eorum « qui *ad alta* pervenerunt » (ἄνω ἐλθοῦσιν, *ibid.*): ascensio ab imis ad alta videtur esse *motus rectus* et fit per *Musicam* (*ibid.*) et *Amorem* (*ibid.* 2); ascensio vero eorum qui iam in mundo *intelligibili* (ἐν τῷ νοητῷ) sunt, est motus proprius *philosophi* qui velut « *aliger* » (ἑπτερωμένος), transiens per *Mathesim* (*ibid.* 3) *Dialectica* utitur ad iter perficiendum (*ibid.* 4-6). Hic habemus valorem dialecticum intelligentiae quae, ni fallor, complens « circumductionem animae in verum ascensum reditus » *movetur motu helicoidali*, usque

dum per *contactum inebriantem*, omnia dimittens, choream ducit circa Ipsum Bonum (*En.* VI, 7, 36).

Quando et a quo primum « circumductio animae ascensiva » appellata sit « motus helicoidalis »: an a termino quo utitur Homerus vel a linea Archimedis, mihi incertum. Unum scio: universalem culturam hellenicam « spirali » comparatur in astrotheosophia, cuius meminit Hippolytus in *Refutatione omnium haeres.* IV, 48: « Magna autem Ursa est Helica (ἡ ἑλίκη) quae est *symbolum magnae creationis* [h. e. universi] ad quam navigationem dirigunt Hellenes, *ad quam* nempe *instituuntur* et (quam) sequuntur, vitae fluctibus iactati, dum mundus iste vel doctrina vel sapientia sunt velut *spiralis* quaedam *ad ea quae retro sunt ferens* (ἑλίκην τινὰ οὖσαν... διδασκαλίαν ἢ σοφίαν εἰς τὰ ὀπίσω ἄγουσαν) hunc mundum sequentes. Appellatio enim *spiralis* videtur esse quaedam versio et *ad eadem revolutio* » (ἀνακύκλωσις ἐπὶ τὰ αὐτά - edit. Duncker, Gottingae 1859, pag. 120).

Hic signatur non evolutio ascensiva circumductionis spiritualis, sed potius totius culturae hellenicae infoecunda involutio. Huiusmodi considerationes ad iram excitant amabilem Plotinum, inde fortius « *contra Gnosticos* » vindicantem *ascensiones ab antro gradatim progredientes ad veriorem visionem* (*En.* II, 9, 6). Hinc necessitas pro doctore christianae fidei bene explicandi sensum triplicis motus, errores respuendo et veritatem defendendo absque contradictione.

Dum alteram directionem consideramus, nempe theurgico-zervanisticam, Iamblichus occurrit qui in *de Mysteriis* I, 12 quaedam valde notanda tradit cum Porphyrio disputans: « illuminatio (ἔλλαμψις), quae est per preces, sponte emicat et sponte perficit et illi extraneum est deorsum deiici, dum per divinum actum et perfectionem procedit in manifestum, tantoque transcendit voluntarium motum quanto divina volitio Ipsius Boni liberam vitam superat. Per hanc igitur volitionem, dii benevoli et misericordes, *theurgis* lucem abundanter infundunt, *ad se eorum animas revocantes et ipsis unionem secum praebentes*, ipsas quae in corpore adhuc sunt a corporibus separari assuefacientes et *circumduci ad aeternum et intelligibile earum principium* (ἐπί τε τὴν ἀΐδιον καὶ νοητὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν περιάγεσθαι).

En nova interpretatio « circumductionis ascensivae » per actionem divinae illuminationis et, ni fallor, profundiorem sensum continet. At simul maius periculum latet in hac theoria: nam praeter duplicem animam quam ponit in homine (*de Mysteriis* VIII, 6), « principium proprium habet anima [quae est « a primo Intelligibili »], *circumductionis ad* Intelligibile (τῆς εἰς τὸ νοητὸν περιαγωγῆς), separationis a fluxu rerum et connexionis ad Ens et Divinum » (*ibid.* VIII, 7).

Theurgia videtur hominem elevare efficacius quam Philosophia; revera autem nostris miseriis gravius illudit.

Quod quidem manifestius apparet quando consideratur illa doctrina theurgorum quae constituit theologiam zervanisticam. Hoc scimus a praeclarissimo philosopho Proclo qui, *colligens praecedentes opiniones*, astrosophiam theurgicam illustrat. « Circulus enim, *ut dictum est*, tantum est stellarum inerrantium, recta (linea) est generationis, spiralis est planetarum, mixtionem habens circularis (lineae) et rectae... et forsan etiam *theurgus* [*orac. chald.* 46] *laudans spiraliforme tempus* (ἑλικοειδῆ τὸν χρόνον [*Zervan Akarana*] ὑμνήσας) tamquam novum simul et antiquum, etiam hoc consideravit pet planetarum motum, qui fit secundum spiralem (lineam), nobis fieri manifestas mensuras quorumcumque cyclorum temporalium... » (Procli Diadochi *in Platonis Timaeum Commentaria* edidit E. Diehl, III, Lipsiae 1906, pag. 80: *citat. orac.* posuit Diehl; explicationem alteram ego apposui).

Zervan Akarana laudatur a theurgis « spiraliforme » (ἑλικοειδῆ) « quia secundum unicam potentiam mensurat omnia quae sive in rectum sive in circulo moventur » (*ibid.*, pag. 21) et insuper illud laudant velut « *deum encosmicum*, aeternum *infinitum*, novum et antiquum, *spiraliforme* » (*ibid.*, pag. 40). Haec si inspiciantur *a parte ante* initium sumunt a Iuliano Theurgo (G. Kroll, *de Oraculis chaldaicis*, Vratislaviae 1894, pag. 71), dum « theurgorum nomen non usurpatur ante *Porphyrium* qui et oracula primus adhibuit » (id., *ibid.*).

Hac doctrina quae videtur pure cosmologica, utebantur omnes qui « viam animae liberandae » quaerebant. Hinc Arnobius II, 62 notat: « Magi spondent commendaticias habere se preces quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad coelum contendentibus subvolare » (cit. Cumont, *Monuments* I, 39 n. 7; cfr. id., *Les Religions Orientales*[1], pag. 265, n. 91).

Cosmologia intime cohaeret doctrinae salutis et eschatologiae et scienter Celsus opponebat christianis (Origenes, *Contra Celsum* VI, 22) conditiones reditus animarum ad Deum positas esse a Platone in Phaedro et in doctrina Persarum per mysteria Mithrae. Supra notavimus (pag. 65) Zervanismum fuisse fundamentale elementum theologiae mithraicae, coalescens ex Mazdeismo et Semitismo chaldaeorum. Zervan-Kronos-Saturnus a Macrobio, *Saturn.* I, 17, 67 describitur per hanc notam: « draconis effigies *flexuosum iter sideris* monstrat » et F. Cumont scribit serpentem in spiram convolutum circa dei corpus sinuosum cursum solis innuere in coelo. Inde est quod aliquando disponuntur signa Zodiaci inter circumvolutiones serpentis qui per medium delabitur *sicut Sol in suo flexuoso itinere duodecim coelestia signa pertransit*. Tali modo, astrum cuius revolutiones indicant successiones annorum intime uniebatur cum deo Chrono (F. Cumont, *Monuments* I, pag. 79-80). Hinc est quod motus animarum in reditu ad Deum est *spiraliformis*, iuxta cursum deorum coelestium et maxime Solis.

Inde in *antro Nympharum* duae sunt portae: una borealis est animarum descendentium in generationem (ψυχῶν εἰς γένεσιν κατιουσῶν), australis altera est ascendentium ad deos (τῶν εἰς θεοὺς ἀνιουσῶν). Hinc *festa Saturnalia* magno cum iubilo celebrabantur et ascensus Solis libertatem hominum proclamabat (*de Antro Nymph.*, 22-23). Iuliani sensus in festis Saturnalium supra retuli (pag. 93).

F. Cumont scribit certum videri in mysteriis romanis septem spheras responderi septem gradibus initiationis. Iuxta gradum perfectionis animae excelsius

ascendere, sed purissimae tantum supra septimum coelum penetrare in regionem octavam quae est habitatio Lucis infinitae, quo adest Ahura-Mazda (*Monumenta* I, pag. 39). Et en tertia directio mysterico-mythraica de qua aliqua dicenda occurrunt ad intelligentiam *motus spiraliformis*. Hieronymus (*Epist. ad Laetam* - ML. 22, 869) meminit septem graduum initiationis mithraicae scribens: « specum Mithrae et omnia portentosa simulacra quibus Corax, Nymphus, Miles, Leo, Perses, Heliodromus, Pater initiantur ». Ex his *Corax, Cryphius* [= Nymphus] *Miles* constituebant gradus inferiores; illi, quibus « leontica » tradita erant, « partecipantes » fiebant (Porphyr., *de Abstinentia* IV, 16); inde, Perses novam spiritualem dignitatem significabat et Heliodromus gradum *heliacum* constituebat, quo non *cursus Solis* designabatur nec *cursor* vel nuntius *solis*, ut communiter exponitur, sed *cursor ad solem* vel *solem versus;* ascensionem animae indicat in via « *reditus ad deos* » sequentis *cursum spiraliformem Solis* vel spiritualiter in sensu theurgico aut philosophico vel eschatologice post obitum. Huic respondit « *solaris* » *anima* cuius meminit Clemens Alexandrinus loquens de « gnostico » (*Strom.* VI, 13; edit. Potter II, 792), efficaciter monstrando vim spiritualem Christianismi ad perfectionem animae in suo « *reditu ad Deum* ». Hinc urgentior necessitas efficacius monstrandi vim perfectivam tum Ecclesiasticae Hierarchiae, tum Doctrinae a Deo revelatae: hoc officium Dionysius sumpsit et tale est momentum eius historicum. Theurgiam realiter efficacem ad unionem cum Deo in Ecclesiastica Hierarchia monstrat et veram Theologiam solarem *Πατροκινέτου φωτοφανείας* (CH. I, 1; MG. III, 120 B) omnibus intendit notificare. Haec « manifestatio radiosa » est a « Patre luminum » et ad Deum, qui est Pater Filius et Spiritus Sanctus, movet animas quae ad « Ipsum Bonum » extenduntur amore pulchrarum rerum.

« Usus loquendi est platonicus », sed verba platonica elevantur, ut ita dicam, et assumuntur ad exprimendos novos conceptus Theologiae christianae. Hinc triplex motus animarum respondere videtur triplici theologiae — symbolicae, nempe, propriae et mysticae — quam Dionysius evolvendo principia Clementis Alexandrini et Basilii Magni pulcherrime construit in nova sinthesi. *Motus rectus* animarum iam exprimitur in opere *περὶ νοητῶν καὶ αἰσθητῶν* (EH. I, 2; MG. III, 373 B; II, 3, 2; 397 C) nam motus *elevativus διὰ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητά* CH. I, 3; 124 A) per sensibilia ad intelligibilia ducens est directe ab uno (sensibili concreto) ad alterum (intelligibile). « *Theologia symbolica* » motu recto construitur. Opus *de intelligibilibus et sensibilibus* invenitur quoad substantiam in CH. I-II; *Theologia symbolica* vero habet *summarium* in *Epistola* 9 (1104 B - 1113 C).

Originem habet a doctrina Pauli (*Rom.* 1, 20) quam expresse citat Origenes (*Contra Celsum* III, 47; MG. 11, 981 C) ibi notatos videns *τοὺς ἀναβαινόντας ἀπὸ τῶν ὁρατῶν ἐπὶ τὰ νοητά*, illos nempe « qui ascendunt a visibilibus ad intelligibilia ». Notare velim *diligentiam* Dionysii in determinando motu recto: Plotinus (*En.* VI, 9, 11) loquitur de anima quae « lapsa incidit in malum, *contrarium iter* faciens non ad aliud (*εἰς ἄλλο*) vadit, sed ad seipsam (*εἰς ἑαυτήν*) et si a se tamquam imagine transit ad Archetypum iter peragit ». Si lapsus in generationem fit per motum rectum et *contrarium* iter motus rectus erit « non ad aliud, sed ad se ». Et haec est prima diligentia Dionysii, dum notat hoc elementum pertinere ad motum circularem, quo anima ingreditur ad seipsam per introversionem quae est reflexio propria substantiarum spiritualium.

Diversitas haec est ex diversitate positionis utrobique: origo salutis et perfectionis iuxta Plotinum vel Iamblichum est *in* anima superiori. In theologia Dionysii doctrina salutis est per « lucem sanctam » quae in divina Scriptura sensibilibus imaginibus vel intelligibilibus notionibus « absconditur » (cfr. MTh. I, 1, 997 A *ἐγκεκάλυνται* - « absconduntur »).

Altera diligentia est quando contra intuitionismum Aetii et Eunomii notat motum rectum incipere ab his quae sunt circa animam, *extra* ipsam: nam sacra Scriptura non subordinatur aestimationi subiectivae, sed animam vel mentem ipsi subordinari oportet, unde « ab his quae sunt extra ... anima *elevatur* ad simplices et unitas contemplationes ».

Tertia diligentia, ni fallor, est in *theoria cognitionis* quae supponitur huic doctrinae et manifestatur per conceptum metaphysicum *ἐπινοίας* seu, ut termino scholastico utar, « rationis ratiocinatae » contra conceptum logicum *ἐπινοίας* ab Eunomio vindicatum et qui est « rationis ratiocinantis »: « Tantum abest ut hoc *ἐπινοίας* nomen de solis vanis ac non existentibus visis praedicetur [en « ratio ratiocinans »] ut post primam in nobis a sensu impressam ideam (*ἐγγινόμενον νόημα*) subtiliorem accuratioremque rei considerationem (*τοῦ νοηθέντος ἐπενθύμησιν - reflexionem super id quod cogitatum est*), *ἐπίνοιαν* [èn « ratio ratiocinata »] nominamus » (*Adversus Eunomium* I, 6; Opp. I, 217, E).

Motus spiraliformis animae, secundum doctrinam Dionysii, est « *circumductio animae... in ascensum* » (*Rep.* VII, 6; 521 C) quam Clemens Alexandrinus applicat « speciei theologicae » (*Strom.* I, 28; edit. Potter I, 424) per processum dialecticum pervenientis ad cognitionem Dei (*ibid.* V, 11; id. II, 690) et quae consonat cum « vera philosophia » (*ibid.* V, 14; id. II, 729). Schema proponatur:

In motu mechanico spiraliformi, tria distinguuntur,	In motu gnoseologico spiraliformi tria distinguuntur:
* « *Columna* » vel axis rotationis *qui firmiter stat.*	* « Cognitio » vel *notio divina* quae firmiter stat (fides obiectiva) et cui anima firmiter adhaeret (fides subiectiva).
** « *Linea circumiens* columnam » seu recta quae *motu circulari* uniformi *rotat circum axem.*	* *Discursus* evolvitur circa divinam notionem quam anima *sibi facit splendere,* iuxta modum sibi proprium qui est rationalis.
*** « *Punctum motum per lineam* » uniformiter seu continue *in eodem sensu ascensivo.*	* *Perceptio animae mota per discursum uniformiter,* profundiorem sensum divinae notionis acquirit, in *fide elevante.*
Constituitur ex his duobus motibus qui « simul et regulariter perficiuntur », « helica linea *per motum puncti in linea mota* ».	« Circumductio animae in verum ascensum » constituens motum spiraliformem, ex quo originem habet « Theologia propria » *de divinis Nominibus.*

Si compares hanc doctrinam cum doctrina quam ex Syriano tradit Hermias et quae forsan a Iamblicho derivatur, invenies sub identitate huius termini « spiraliformis », tantam diversitatem quae sufficiat, ni fallor, ad affirmandam autonomiam geneticam theologiae christianae.

Motus circularis proprius est « *mentis* » ut iam Philo notavit (*de Gigantibus* 2; 285 B), unde talis motus « *animae* » fit secundum aliquid quod ipsa anima possidet et est, inquantum est una anima spiritualis, habens suas proprias « mentales » sive spirituales operationes. Hinc quae sunt in anima considerantur *extra* ipsam, relate nempe ad illum ingressum animae in seipsam, quo fit « uniformis convolutio potentiarum intellectualium » per quam cessat motus *planetarius* (« planetae » graece est: « errantes ») ille nempe *motus spiraliformis* et incipit motus « stellarum *inerrantium* ».

Hic Dionysius meminit Philonis, Plotini et Gregorii Nysseni. Philo enim noverat et forsan expertus fuit quamdam « sobriam ebrietatem » (*νήφουσαν μέθην - Legis Alleg.* I, 55 E; *de Profugis,* 474 D); « divina ebrietate » occupatos « quae est omni ebrietate magis sobria » (*Legis Alleg.* II, 76 A) scit et quos Deus arripit (*θεοφορήτοις*) « inebriantur cum sobrii sint » (*μεθύουσιν οἱ νήφοντες - de Temul.* 262 A). Plotinus quoque, tamquam a fluctu *mentis* elevatus et in altum raptus ab ipso velut tumenti (*En.* VI, 7, 36), per « contactum » *mentalem* (*En.* V, 3, 17) luce quadam suavi « nesciens quomodo » repletus est.

Absque *detrimento doctrinae,* christianus hanc experientiam non negat immo, meliori quo potest modo, expertus cognoscit et *non solum discit sed et divina patitur* (cfr. supra 59, 192; pag. 60-61). Hinc Gregorius Nyssenus loquitur de quodam vino spirituali qui dat « sobriam ebrietatem » (*in Cant. Cantic.,* hom. XII; MG. 44, 1032 B) et est quaedam « divina et sobria ebrietas » (*ἡ θεῖα καὶ νηφάλιος μέθη*) in mystagogia eucharistica (*ibid.,* hom. X; 992 A).

Quae de *extasi* infra leguntur (168-171) hunc mirabilem sensum habent et certe cum anima, spiritualiter perfecta per amorem qui est « charitas » et per charitatem quae est « amor », *extra se* sistit in circulo isto divino, *omnia quiescunt cum intensiori vita.* Tantum non « tumens fluctus mentis » huc vehit, sed intensitas amoris, nec modo choribantico, sed « pure » (*καθαρῶς* - MTh. I, 1; 1000 A).

Quaedam praecedunt, scilicet: *recollectio ad se,* qua anima convertitur ad se; inde *spiritualis unificatio* et sic uniformis factae *unitio* cum Angelis. Est praeparatio ethica ad vitam spiritualem pertinens. Quaedam sunt ordinis intellectualis pertinentia ad triplicem viam theologicam, scilicet: viam affirmativam qua cognoscimus Illum qui est « pulcher et bonus »; viam eminentiae qua cognoscimus Illum qui est « super omnia entia » et est « unus et idem »; viam negativam qua cognoscimus Illum qui est « absque principio et absque fine ». Hinc illa via negativa cuius processus describitur in « *Mystica Theologia* » (cap. IV-V) et a S. Basilio in *homilia de fide* (n. 1; Opp. II, 131 C-E) iter mentis perficere videtur quae divina *discit.*

Manuductio ista animae « ad Pulchrum et Bonum... absque principio et absque fine » intelligenda videtur de effectu « amoris » quando, *quiescentibus* facultatibus intellectualibus, anima quae est « mens » vel « spiritus » perficitur sympathia quadam divina, Dei pulchritudinem admirans inebriatur et gaudio exultans amat et veluti ad centrum tendit *circulariter mota.* Praeclarissimae animae Plotini, plenissime satisfit (*En.* I, 6, 7).

Observationes ad seq. lectionem quoad textum

* ad n. 151: « in hoc omni » — *ἐν τῷδε τῷ παντί,* recte in exposit. (381): in hoc *universo.*

* ad n. 152: « omne factum » — *νόησις* (*intellectio* vel *cogitatio*), legit: *ποίησις* oscitanter.

LECTIO VIII (18a)

De causalitate Pulchri et Boni respectu tam horum quam omnium aliorum motuum et quietum.

SYNOPSIS

(Lect. VIII; cap. IV; textus nn. 151-155; expositio nn. 380-393).

Concludit causalitatem pulchri et boni.
A) manifestat causalitatem circa differentias motuum et quietum (151; **381-382**);
B) colligit universam causalitatem pulchri et boni circa omnes rerum differentias:
  1° - ponit differentias rerum (152; **384-388**);
  2° - ostendit diversos modos causandi qui conveniunt pulchro et bono:
    a) ostendit quomodo diversimode est causa rerum (153; **390**);
    b) quod omnis causalitas rerum in ipso praeexistit (154; **391**);
    c) quomodo ab ipso derivetur (155; **392**).

TEXTUS DIONYSII

§ 10. 151. — « Igitur, istarum et sensibilium trium motionum in hoc omni * et multo prius uniuscuiusque mansionum et stationum et collocationum causa est et contentiva et finis, pulchrum et bonum quod est super omnem stationem et motum, propter quod omnis statio et motus et ex quo et in quo et ad quod et cuius gratiae.

*§ 10. 151. — Τούτων οὖν καὶ τῶν αἰσθητῶν ἐν τῷδε τῷ παντὶ * τριῶν κινήσεων καὶ πολλῷ πρότερον τῶν ἑκάστου μονῶν καὶ στάσεων καὶ ἱδρύσεων αἴτιόν ἐστι καὶ συνοχικόν καὶ πέρας τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν τὸ ὑπὲρ* [C] *πᾶσαν στάσιν καὶ κίνησιν· δι' ὅ πᾶσα στάσις καὶ κίνησις καὶ ἐξ οὗ καὶ ἐν ᾧ καὶ εἰς ὅ καὶ οὗ ἕνεκα.*

152. — Etenim ex ipso et per ipsum et substantia et vita omnis et mentis et animae; et omnis naturae et parvitates et aequalitates, magnitudines, mensurae omnes, existentium proportiones et harmoniae et concretiones, totalitatis partes; omne unum et multitudo, coniunctiones partium, omnis multitudinis unitiones, perfectiones totalitatum; quale, quantum, quotum, infinitum, comparationes, discretiones; omnis infinitas, omnis finis, diffinitiones omnes, ordines, excessus, elementa, formae; omnis substantia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omne verbum, omne factum *, omnis tactus, omnis scientia, omnis unitio;

*152. — Καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ οὐσία καὶ ζωὴ πᾶσα καὶ νοῦ καὶ ψυχῆς καὶ πάσης φύσεως αἱ σμικρότητες αἱ ἰσότητες αἱ μεγαλειότητες τὰ μέτρα πάντα καὶ αἱ τῶν ὄντων ἀναλογίαι καὶ ἁρμονίαι καὶ κράσεις αἱ ὁλότητες τὰ μέρη πᾶν ἓν καὶ πλῆθος αἱ συνδέσεις τῶν μερῶν αἱ παντὸς πλήθους ἑνώσεις αἱ τελειότητες τῶν ὁλοτήτων, τὸ ποιὸν τὸ ποσὸν τὸ πηλικὸν τὸ ἄπειρον αἱ συγκρίσεις αἱ διακρίσεις πᾶσα ἀπειρία πᾶν πέρας οἱ ὅροι πάντες αἱ τάξεις αἱ ὑπεροχαὶ τὰ στοιχεῖα τὰ εἴδη πᾶσα οὐσία πᾶσα δύναμις πᾶσα ἐνέργεια πᾶσα ἕξις πᾶσα αἴσθησις πᾶς λόγος πᾶσα νόησις * πᾶσα ἐπαφὴ πᾶσα ἐπιστήμη πᾶσα ἕνωσις,*

153. — et simpliciter omne existens ex pulchro et bono et in pulchro et bono est et ad pulchrum et bonum convertitur; et omnia quaecumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt; et ad ipsum omnia inspiciunt et ab ipso moventur et continentur et ipsius gratia et propter ipsum;

153. — καὶ [D] *ἁπλῶς πᾶν ὃν ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ καὶ ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ ἐστι καὶ εἰς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἐπιστρέφεται· καὶ πάντα ὅσα ἐστὶ καὶ γίνεται διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστι καὶ γίνεται καὶ πρὸς αὐτὸ πάντα ὁρᾷ καὶ ὑπ'αὐτοῦ κινεῖται καὶ συνέχεται καὶ αὐτοῦ ἕνεκα καὶ δι' αὐτό,*

154. — et in ipso exemplare principium omne, finale, efficiens, formale, elementarium;

154. — καὶ ἐν αὐτῷ πᾶσα ἀρχὴ παραδειγματικὴ τελικὴ ποιητικὴ εἰδικὴ στοιχειώδης,

155. — et simpliciter, omne principium, omnis continentia, omnis finis aut, ut comprehendens dicam, omnia existentia ex pulchro et bono et omnia non-existentia supersubstantialiter in pulchro et bono; et est omnium principium et finis, superprincipale et superperfectum; quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso et ad ipsum omnia, sicut dicit sanctus Sermo ».

155. — καὶ ἁπλῶς πᾶσα ἀρχὴ πᾶσα συνοχὴ πᾶν πέρας· ἢ, ἵνα συλλαβὼν εἴπω, πάντα [708 A] *τὰ ὄντα ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ καὶ πάντα τὰ οὐκ ὄντα ὑπερουσίως ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ· καὶ ἔστι πάντων ἀρχὴ καὶ πέρας ὑπεράρχιον καὶ ὑπερτελές, ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ καὶ εἰς αὐτὸ τὰ πάντα, ὥς φησιν ὁ ἱερὸς λόγος* [1].

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

380. — Expositis motibus angeli et animae, hic concludit causalitatem pulchri et boni respectu tam horum quam omnium aliorum motuum et quietum; et primo, manifestat causalitatem pulchri et boni circa differentias motuum et quietum; secundo, circa differentias omnium rerum; ibi [152]: *Etenim ex ipso...*

381. — Dicit ergo, primo, quod *pulchrum et bonum est causa* ipsorum motuum mentium et animarum, de quibus iam dictum est [147 et ss.; 369 et ss.] et etiam *trium motionum sensibilium*, quae sunt *in hoc* « universo »: quia etiam in rebus sensibilibus invenitur motus circularis, ut in corporibus coelestibus; et motus rectus, ut in gravibus et levibus; et motus obliquus, ut in animalibus; et cum immobilia et quieta sint priora secundum naturam, his quae moventur, cum primum cuiuslibet motus sit ab aliquo immobili, *pulchrum et bonum multo prius est causa mansionum uniuscuiusque*, quae quidem attenditur secundum quod una res dicitur esse in alia *et stationum*, secundum quod una res quiescit in alia *et collocationum*, secundum quod una res per aliam conservatur et firmatur.

382. — Horum, autem, *pulchrum et bonum* divinum *quod est super omnem stationem et motum* creaturarum, causa est non solum productiva, sed etiam *contentiva*, idest conservativa et causa finalis *et ad quod et cuius gratia*, sicut in causam finalem: ad finem enim consequendum movemur et eius gratia operamur; unde quod dicit: *ad quod* pertinet ad ipsam nominationem finis; quod autem dicit: *cuius gratia* respicit intentionem secundum quod volentes unum, tendimus in illud quasi in finem.

383. — Deinde, cum dicit [152]: *Etenim ex ipso...* colligit universam causalitatem pulchri et boni, circa omnes rerum differentias: et primo, ponit differentias rerum quae causantur ex pulchro et bono; secundo, diversos modos causandi qui attribuuntur pulchro et bono; ibi [153]: *et simpliciter...*

384. — Circa primum: primo, ponit substantiales differentias, dicens; ideo oportet quod omnis statio et motus causetur ex pulchro et bono, quia ex ipso causantur omnes rerum differentiae: *ex ipso* enim sicut ex causa activa *et per ipsum*, sicut per causam exemplarem, secundarie est omnis *substantia* cuiuscumque sit speciei *et omnis vita* sive sit *mentis* angelicae quae sic vivit quod non vivificat corpus sive *animae* quae vivificat corpus.

385. — Deinde, descendit ad res corporales: in quibus, primo, considerantur differentiae ad quantitatem continuam pertinentes; et dicit quod ab ipso causantur omnes *parvitates, aequalitates, magnitudines* rerum *omnis naturae* corporalis. Differentiae autem quantitatis sunt magnum et parvum, quorum medium est aequale, ut dicitur in X° Metaph. [2]). Haec autem signant quantitatem indeterminatam; sed quaedam aliae sunt quae significant quantitatem determinatam, ut bicubitum, tricubitum; et ad huiusmodi exprimenda, subdit: *mensurae omnes*. Ex determinatione autem quantitatum, consurgit proportio quae est habitudo unius quantitatis ad aliam; et ideo subdit: *existentium proportiones*. Proportiones autem quaedam sunt convenientes secundum naturam et conditionem rerum et quaedam non convenientes; proportiones autem in sonis vocantur harmoniae et, per quamdam similitudinem, proportiones convenientes quarumcumque rerum harmoniae dicuntur; unde subdit: *et harmoniae*. Est autem, in quantitate continua, considerare ipsam continuitatis rationem; ad quam pertinet quod subdit: *et concretiones*. De ratione autem continui est quod dividatur; divisio autem constituit rationem totius et partis, quia pars est in quam dividitur totum; et ideo subdit: *totalitatis partes*.

386. — Deinde, accedit ad quantitatem discretam, quae est numerus, cuius principium est unum; unde subdit: *omne unum et multitudo*. Est autem in ipsa multitudine quamdam unitatem considerare, secundum

[1]) *Rom.* 11, 36; *Colos.* 1, 16. 17; cfr. n. 75, 121, 151.
[2]) C. 3: 1054, a, 29-31; S. Th. lect. 4, n. 1999.

quod ex multis unum constituitur vel secundum continuationem aut contactum partium; ad quod pertinet quod subdit: *et coniunctiones partium*; aut quocumque modo; ad quod pertinet: *omnis multitudinis unitiones*. Ex unitione autem partium resultat forma, quae est perfectio totius; unde subdit: *perfectiones totalitatum*.

387. — Deinde, accedit ad differentias diversorum generum; unde subdit: *quale*, quantum ad genus qualitatis; *quantum*, secundum genus quantitatis; *quotum*, prout dicit ordinem secundum genus situs vel *quotum*, quantum ad quantitatem discretam secundum quod importat numerum; et subdit: *infinitum*, quod convenit quantitati continuae quidem secundum divisionem; discretae vero secundum appositionem; et subdit: *comparationes*, quantum ad genus relationis et *discretiones*, idest differentiae. Quantum ad idem ergo comparatio pertinet ad relationem convenientiae: ut idem, aequale, simile; discretio vero, ad relationem differentiae: ut diversum, inaequale, dissimile. Et quia posuit infinitum et relationem, quasi consequentia quantitatem et qualitatem, circa utrumque differentias quasdam considerat: et primo, quidem, circa infinitum considerat ipsam infinitatem, cum dicit; *omnis infinitas*, *omnis finis*; et effectivum finis, cum dicit: *diffinitiones omnes*: dicit enim aliquid infinitum secundum quod est indeterminatum. Deinde, ponit diversitates comparationum: comparatur autem aliquid alteri, secundum prius et posterius et quantum ad hoc dicit: *ordines*; et secundum magis et minus et quantum ad hoc dicit: *excessus*; et quantum ad causam et causatum: et sic dicit: *elementa*, propter causas materiales; *et formae*, propter causas formales.

388. — Ulterius, procedit ad actiones; et primo ponit divisionem secundum substantiam et virtutem et operationem; deinde dicit processum operationis in homine: in qua, primo, est *habitus* animae; secundo, *sensus*, idest cognitio vel apprehensio; tertio, *verbum*; quarto, exterius *factum*; iterum, sic factionem distinguit: in corporibus enim est actio per contactum, et quantum ad hoc dicit: *omnis tactus*; in intellectu autem per scientiam, quae est quidam contactus intellectus; in voluntate vero per unitionem, quae est etiam quidam tactus voluntatis, unde subdit: *omnis scientia*, *omnis unitio*.

389. — Deinde, cum dicit [153]: *et simpliciter...* ostendit diversos modos causandi qui conveniunt pulchro et bono; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quomodo pulchrum et bonum est diversimode causa rerum; secundo, quod omnis causalitas rerum in ipso praeexistit; ibi [154]: *et in ipso...*; tertio, ostendit quomodo ab ipso omnis causalitas derivatur; ibi [155]: *et simpliciter...*

390. — Dicit ergo, primo, universaliter loquendo: *omne* quod est, est *ex pulchro et bono* quod est Deus, sicut ex principio effectivo; *et in pulchro et bono est*, sicut in principio contentivo vel conservativo; *et ad pulchrum et bonum convertitur*, Ipsum desiderans, sicut ad finem, Et non solum est finis ut desideratus, sed etiam inquantum omnes substantiae et actiones ordinantur in Ipsum, sicut in finem; et hoc est quod subdit: *et omnia quaecumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt et ad ipsum omnia inspiciunt*, sicut ad causam exemplarem, quam habent ut regulam suae operationis; *et ab ipso moventur*, sicut a causa movente; *et continentur* et conservantur in suo motu et actione. Non autem movet res propter aliquem finem extraneum, sed *gratia* sui *ipsius*, quantum ad suam intentionem, *et propter ipsum* attingendum a rebus.

391. — Deinde, cum dicit [154]: *et in ipso...* ostendit quod omnis causalitas aliarum causarum, in Ipso praeexistit; et dicit quod *in ipso* est *omne principium* tam *exemplare*, quam *finale*, *efficiens*, *formale et elementale*, idest materiale, sicut effectus sunt in virtute suae causae.

392. — Deinde, cum dicit [155]: *et simpliciter omne...* ostendit quomodo ab ipso derivantur; et dicit quod universaliter *omne principium* rerum productivum et omne principium conservativum *et omnis continentia* et *omnis finis* et, *ut* breviter *dicam*, *omnia existentia*, *sunt ex pulchro et bono et omnia non-existentia supersubstantialiter*, quia scilicet negationes omnium rerum conveniunt Deo per suum excessum. Quod autem dicitur Deus esse *omnium principium et finis* est supra modum aliorum principiorum et perfectio huius est super perfectionem aliorum.

393. — Hanc autem universalem causalitatem pulchri et boni, confirmat per auctoritatem Scripturae, subdens: *quoniam ex ipso*, ut ex principio effectivo; *et per ipsum*, sicut per principium exemplare; *et in ipso*, sicut in principio contentivo; *et ad ipsum*, sicut ad finem, sunt *omnia*, *sicut dicit sanctus sermo* Apostoli, Rom. 9 [36]. Quomodo autem omnis causalitas attribuatur pulchro et bono ex supra dictis haberi potest [cfr. 139-140; **349-354**].

LECTIO IX (19a)

De Amore.

SYNOPSIS

(Lect. IX; cap. IV; textus nn. 156-167; expositio nn. **394-425**).

Determinat de ipso amore.

A) Determinat de amore:
- 1° ostendit quomodo Deus est obiectum amoris:
  - a) ostendit quid sit obiectum amoris (156; **400-402**),
  - b) quomodo singulis est amor, respectu singulorum (157; **404-407**),
  - c) quid facit amor in amantibus (158; **408**).
- 2° ostendit quomodo Deus amat (159; **409**).

B) Excludit quamdam obiectionem:
- 1° per rationem:
  - a) dicit esse irrationabilem (160; **412**),
  - b) adhibet rationem:
    - j - non oportet attendere ad voces, quando constat de sensibus (161; **414**),
    - jj - utendum est vocibus planioribus (162; **415**).
- 2° per auctoritates:
  - a) quomodo nomine amoris sacra Scriptura utitur in divinis rebus (163, **417**),
  - b) quomodo quidam reputant convenientius uti nomine amoris:
    - j - ponit sententiam aliorum (164; **419**),
    - jj - ostendit quid sibi super hoc videtur (165; **420**),
    - jjj - assignat rationem sententiae aliorum (166; **421-423**)
  - c) ostendit quod indifferenter utroque nomine amoris et dilectionis est utendum (167, **424-425**).

TEXTUS DIONYSII

156. — « Omnibus igitur est pulchrum et bonum desiderabile et amabile et diligibile;

156. — Πᾶσιν οὖν ἐστι τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἐφετὸν καὶ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν·

157. — et propter ipsum et ipsius gratia et minora, meliora convertendo se ad ea amant et communicative ordinata * coordinata et meliora minora provisive et ipsa singula se ipsa contentive;

*157. — καὶ δι' αὐτὸ καὶ αὐτοῦ ἕνεκα καὶ τὰ ἧττω τῶν κρειττόνων ἐπιστρεπτικῶς ἐρῶσι καὶ κοινωνικῶς τὰ ὁμόστοιχα * τῶν ὁμοταγῶν καὶ τὰ κρείττω τῶν ἡττόνων προνοητικῶς καὶ αὐτὰ ἑαυτῶν ἕκαστα συνεκτικῶς,*

158. — et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt et volunt omnia quaecumque faciunt et volunt.

158. — καὶ πάντα τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἐφιέμενα ποιεῖ καὶ βούλεται πάντα ὅσα ποιεῖ καὶ βούλεται.

159. — Confidit autem et hoc sermo dicere verus quod et Ipse omnium causa, propter bonitatis excessum cuncta amat, cuncta facit, cuncta perficit, cuncta continet, cuncta convertit et est divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim bonum operans existentium amor, in bono * secundum excessum praeexistens, non dimisit ipsum sine germine in seipso manere. Movit autem ipsum ad operandum, secundum omnium generativum excessum.

159. — Παῤῥησιάσεται δὲ καὶ τοῦτο εἰπεῖν ὁ ἀληθὴς λόγος ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πάντων αἴτιος δι' ἀγαθότητος ὑπερβολὴν πάντα ἐρᾷ πάντα ποιεῖ [B] *πάντα τελειοῖ πάντα συνέχει πάντα ἐπιστρέφει καὶ ἔστι καὶ ὁ θεῖος ἔρως ἀγαθὸς ἀγαθοῦ διὰ τὸ ἀγαθόν. Αὐτὸς γὰρ ὁ ἀγαθοεργὸς τῶν ὄντων ἔρως ἐν τἀγαθῷ * καθ' ὑπερβολὴν προυπάρχων οὐκ εἴασεν αὐτὸν ἄγονον ἐν ἑαυτῷ μένειν, ἐκίνησε δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πρακτικεύεσθαι κατὰ τὴν ἁπάντων γεννητικὴν ὑπερβολήν.*

§ 11. 160. — Et non aliquis nos opinetur praeter eloquia, amoris nominationem commendare.

Est enim irrationabile quidem et pravum, ut arbitror, non virtuti intentionis intendere, sed dictionibus; et hoc non est divina intelligere volentium proprium, sed sonos leves * suscipientium et istos usque ad aures, intransibiles extra continentium et non volentium videre quid quidem haec talis dictio significat; quomodo autem ipsam oportet et per alias aequipollentes et manifestiores dictiones explanare; sed et compatientium elementis et lineis non intelligibilibus et syllabis et dictionibus ignotis non transeuntibus ad animae ipsorum intellectuale, sed extra circa labia et auditus ipsorum resultantibus; sicut non sit possibile, quatuor numerum per bis duo significare et rectilineum per habens rectas lineas aut maternum solum per patriam aut aliquid aliud significantium idem, multis orationis partibus.

161. — Oportet autem videre secundum rectam rationem, quod elementis et dictionibus et syllabis et lineis et orationibus utimur propter sensus; sicut * quando nostra anima intellectualibus operationibus ad intelligibilia movetur, superflui quidem sunt sensibilium * sensus; sicut et intellectuales virtutes, quando anima deiformis facta, per unitionem Ignoti, inaccessibilis luminis se immittit radiis, non oculorum immissionibus.

162. — Quando autem mens per sensibilia moveri studet ad contemplativos intellectos, pretiosiores omnino sunt, manifestiores sensum partitiones, sicut planiores orationes, planiora visibilium; sicut * quando non plana sunt apposita sensibus neque ipsi praesentare menti sensibilia bene poterunt.

163. — Sed ut non ista dicere videamur, sicut divina eloquia pervertentes, audiant illa quae amoris nominationem accusant: " *ama eam* ", dicit, " *et servabit te; complexare ipsam et exaltabit te, honora ipsam ut te comprehendat* "; et quaecumque alia in amativis Theologiis laudantur.

§ 12. 164. — Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen, nomine dilectionis. Scribit autem et divinus Ignatius: " *meus amor crucifixus est* ". Et in introductionibus eloquiorum invenies quemdam dicentem de divina sapientia: " *amator factus sum pulchritudinis eius* ". Quare hoc quidem amoris nomen ne timeamus neque aliquis nos turbet sermo de hoc dubitans;

§ 11. 160. — Καὶ μή τις ἡμᾶς οἰέσθω παρὰ τὰ λόγια τὴν τοῦ ἔρωτος ἐπωνυμίαν πρεσβεύειν.

Ἔστι μὲν γὰρ ἄλογον, ὡς οἶμαι, καὶ σκαιὸν τὸ μὴ τῇ δυνάμει τοῦ σκόπου προσέχειν ἀλλὰ ταῖς λέξεσι· καὶ τοῦτο οὐκ [C] *ἐστι τῶν τὰ θεῖα νοεῖν ἐθελόντων ἴδιον ἀλλὰ τῶν ἥχους ψιλοὺς * εἰσδεχομένων καὶ τούτους ἄχρι τῶν ὤτων ἀδιαβάτους ἔξωθεν συνεχόντων καὶ οὐκ ἐθελόντων εἰδέναι τί μὲν ἡ τοιάδε λέξις σημαίνει πῶς δὲ αὐτὴν χρὴ καὶ δι' ἑτέρων ὁμοδυνάμων καὶ ἐκφαντικωτέρων λέξεων διασαφῆσαι προσπασχόντων δὲ στοιχείοις καὶ γραμμαῖς ἀνοήτοις καὶ συλλαβαῖς* [D] *καὶ λέξεσιν ἀγνώστοις μὴ διαβαινούσαις εἰς τὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν νοερὸν ἀλλ' ἔξω περὶ τὰ χείλη καὶ τὰς ἀκοὰς αὐτῶν διαβομβουμένοις ὥσπερ οὐκ ἐξὸν τὸν τέσσαρα ἀριθμὸν διὰ τοῦ δὶς δύο σημαίνειν, ἢ τὰ εὐθύγραμμα διὰ τῶν ὀρθογράμμων ἢ τὴν μητρίδα διὰ τῆς πατρίδος ἢ ἕτερόν τι τῶν πολλοῖς τοῦ λόγου μέρεσι ταὐτὸ σημαινόντων·*

161. — δέον εἰδέναι κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ὅτι στοιχείοις καὶ συλλαβαῖς καὶ λέξεσι καὶ γραφαῖς καὶ λόγοις χρώμεθα διὰ τὰς αἰσθήσεις· ὡς * ὅταν ἡμῶν ἡ ψυχὴ ταῖς νοεραῖς ἐνεργείαις ἐπὶ τὰ νοητὰ κινεῖται περιτταὶ μετὰ * τῶν αἰσθητῶν αἱ αἰσθήσεις· ὥσπερ καὶ αἱ νοεραὶ δυνάμεις ὅταν ἡ ψυχὴ θεοειδὴς γενομένη δι' ἑνώσεως ἀγνώστου ταῖς τοῦ ἀπροσίτου φωτὸς ἀκτῖσιν ἐπιβάλλῃ ταῖς ἀνομμάτοις ἐπιβολαῖς.

162. — *Ὅταν δὲ ὁ νοῦς διὰ τῶν αἰσθητῶν ἀνακινεῖσθαι σπεύδῃ πρὸς θεωρη*[709 A]*τικὰς νοήσεις, τιμιώτεραι πάντως εἰσὶν αἱ ἐπιδηλότεραι τῶν αἰσθήσεων διαπορθμεύσεις· οἱ σαφέστεροι λόγοι τὰ τρανέστερα τῶν ὁρατῶν· ὡς * ὅταν ἀτράνωτα ᾖ τὰ παρακείμενα ταῖς αἰσθήσεσιν οὐδὲ αὐταὶ τῷ νῷ παραστῆσαι τὰ αἰσθητὰ καλῶς δυνήσονται.*

163. — *Πλὴν ἵνα μὴ ταῦτα εἰπεῖν δοκῶμεν, ὡς τὰ θεῖα λόγια παρακινοῦντες, ἀκουέτωσαν αὐτῶν οἱ τὴν ἔρωτος ἐπωνυμίαν διαβάλλοντες. « Ἐράσθητι αὐτῆς », φησί, « καὶ τηρήσει σε· περιχαράκωσον αὐτὴν καὶ ὑψώσει σε· τίμησον αὐτὴν ἵνα σε περιλάβῃ »*[1]*· καὶ ὅσα ἄλλα κατὰ τὰς ἱερωτικὰς θεολογίας ὑμνεῖται.*

§ 12. 164. — Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. [B] *Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· « ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται »*[2]*. Καὶ ἐν ταῖς προεισαγωγαῖς τῶν λογίων εὑρήσεις τινὰ λέγοντα περὶ τῆς θείας σοφίας « ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς »*[3]*· ὥστε τοῦτο δὴ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα μὴ φοβηθῶμεν μηδέ τις ἡμᾶς θορυβείτω λόγος περὶ τούτου δεδιττόμενος.*

[1]) *Prov.* 4, 6-8.
[2]) *Ad Rom.* VII, 2.
[3]) *Sap.* 8, 2.

165. — mihi enim videntur Theologi commune quidem ducere dilectionis et amoris nomen;

166. — propter hoc autem divinis magis apponi verum * amorem, propter inconvenientem talium virorum acceptionem. Nam, ut Deum decet, vero * amore non a nobis solum, sed ab eloquiis ipsis laudato, multitudines non capientes uniforme amativae Dei-nominationis, iuxta familiaritatem suam, ad divisibilem et corpori convenientem et divisum prolapsae sunt; qui non est verus amor, sed idolum aut magis, casus a vero * amore. Non enim valet capi a multitudine unitivum divini et unius amoris; propter quod et sicut molestius nomen multis apparens in divina sapientia ordinatum est ad sursum actionem ipsorum et suscitationem * ad veri amoris cognitionem et ut a molestia absolvantur quae in ipso est. In nobis autem rursus hoc et inconveniens aliquid multoties esset opinari terrenos zelos, secundum quod videtur famosius *. " *Cecidit* ", dixit quidam, " *dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum* ".

167. — Ab audientibus autem recte * divina in eadem virtute, recte ordinatur a sanctis Theologis dilectionis et amoris nomen, secundum divinas manifestationes; et est hoc virtutis unitivae et coniunctivae et differenter concretivae in pulchro et bono, propter pulchrum et bonum praeexistentis, et ex pulchro et bono propter pulchrum et bonum tributae et continentis coordinata, secundum communicativam alteram habitudinem, moventis autem prima ad subiectorum providentiam et collocantis minus habentia in superioribus per conversionem ».

165. — Ἐμοὶ γὰρ δοκοῦσιν οἱ θεολόγοι κοινὸν μὲν ἡγεῖσθαι τὸ τῆς ἀγάπης καὶ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα,

*166. — διὰ τοῦτο δὲ τοῖς θείοις μᾶλλον ἀναθεῖναι τὸν ὄντως * ἔρωτα διὰ τὴν ἄτοπον τῶν τοιούτων ἀνδρῶν πρόληψιν· θεοπρεπῶς γὰρ τοῦ ὄντος* ἔρωτος οὐχ ὑφ' ἡμῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τῶν λογίων αὐτῶν ὑμνουμένου, τὰ πλήθη μὴ χωρήσαντα τὸ ἑνοειδὲς τῆς ἐρωτικῆς θεωνυμίας, οἰκείως ἑαυτοῖς ἐπὶ τὸν μεριστὸν καὶ σωματοπρεπῆ καὶ διῃρημένον ἐξωλίσθησαν ὃς οὐκ ἔστιν ἀληθὴς ἔρως* [C] *ἀλλ' εἴδωλον ἢ μᾶλλον ἔπτωσις τοῦ ὄντως * ἔρωτος· ἀχώρητον γάρ ἐστι τῷ πλήθει τὸ ἑνιαῖον τοῦ θείου καὶ ἑνὸς ἔρωτος, διὸ καὶ ὡς δυσχερέστερον ὄνομα τοῖς πολλοῖς δοκοῦν ἐπὶ τῆς θείας σοφίας τάττεται πρὸς ἀναγωγὴν αὐτῶν καὶ ἀνάτασιν * εἰς τὴν τοῦ ὄντως ἔρωτος γνῶσιν καὶ ὥστε ἀπολυθῆναι τῆς ἐπ' αὐτῷ δυσχερείας· ἐφ' ἡμῶν δὲ ἀθρόως, ἔνθα καὶ ἄτοπόν τι πολλάκις ἦν οἰηθῆναι τοὺς χαμαιζήλους, κατὰ τὸ δοκοῦν εὐφημότερον· « ἐπέπεσε, τίς φησιν, ἡ ἀγάπησίς σου ἐπ' ἐμὲ ὡς ἡ ἀγάπησις τῶν γυναικῶν »*[1]*.*

167. — Ἐπὶ τοῖς ὀρθῶς τῶν θείων ἀκροωμένοις, ἐπὶ τῆς αὐτῆς δυνάμεως τάττεται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων τὸ τῆς ἀγάπης καὶ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα κατὰ τὰς θείας ἐκφαντορίας. Καὶ ἔστι τοῦτο δυνάμεως ἑνοποιοῦ καὶ συνδετικῆς καὶ διαφερόντως συγκρατικῆς ἐν τῷ [D] *καλῷ καὶ ἀγαθῷ διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν προϋφεστώσης καὶ ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἐκδιδομένης καὶ συνεχούσης μὲν τὰ ὁμοταγῆ κατὰ τὴν κοινωνικὴν ἀλληλουχίαν, κινούσης δὲ τὰ πρῶτα πρὸς τὴν τῶν ὑφειμένων πρόνοιαν καὶ ἐνιδρυούσης τὰ καταδεέστερα τῇ ἐπιστροφῇ τοῖς ὑπερτέροις.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

394. — Postquam Dionysius determinavit de pulchro et bono quae incitant ad amandum, hic determinat de ipso amore; et primo, per verba propria; secundo, per verba Hierothei, ibi [179]: *Haec et nobilis...* [lectio 12ª];

395. — Circa primum, duo facit: primo, determinat de amore divino; secundo, ostendit quomodo Deus et amor et amabilis dicatur; ibi [173]: *Quid autem...* [lectio 11ª].

396. — Circa primum, tria facit: primo, determinat de ipso amore; secundo, de extasi, quae est effectus amoris; ibi [168]: *Est autem...* [lectio 10ª]; tertio, de zelo, qui est quaedam amoris species; ibi [172]: *Propter quod...* [lectio 10ª].

397. — Circa primum, duo facit: primo, determinat de amore; secundo, excludit quamdam obiectionem; ibi [170]: *Et non aliquis...*

398. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo Deus est obiectum amoris; secundo, quomodo Deus amat; ibi [159]: *Confidit...*

399. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quid sit obiectum amoris; secundo quomodo singulis est amor respectu singulorum; ibi [157]: *et propter ipsum...*; tertio, quid facit amor in amantibus; ibi [158]: *et omnia...*

400. — Dicit ergo, primo, quod, ex quo pulchrum et bonum est finis omnium, consequens est quod *pulchrum et bonum* sit *amabile* ab omnibus, *desiderabile* et *diligibile*, quia obiectum desiderii et amoris est pulchrum et bonum.

[1]) II *Reg.* 1, 26.

401. — Ad evidentiam autem eorum quae hic dicuntur, considerandum est quod amor ad appetitum pertinet. Est autem amor prima et communis radix omnium appetitivarum operationum; quod patet inspicienti per singula: nihil enim desideratur nisi quod est amatum; neque aliquis gaudet de re habita, nisi quia amat eam; nec aliquis tristatur de aliquo, nisi quia est contrarium amato. Et ideo oportet quod ratio amoris accipiatur ex eo quod est commune obiectum appetitus. Hoc autem est bonum. Ex hoc igitur aliquid dicitur amari, quod appetitus amantis se habet ad illud sicut ad suum bonum. Ipsa igitur habitudo vel coaptatio appetitus ad aliquid velut ad suum bonum amor vocatur. Omne autem quod ordinatur ad aliquid sicut ad suum bonum, habet quodammodo illud sibi praesens et unitum secundum quamdam similitudinem, saltem proportionis, sicut forma quodammodo est in materia inquantum habet aptitudinem et ordinem ad ipsam. Sed tamen contingit quod bonum amatum totaliter est absens amanti et sic causatur in amante desiderium amati; quandoque autem est totaliter praesens ei et sic causatur in eo delectatio vel gaudium de amato; et per contrarium, de eius absentia causatur timor et tristitia de ipso et per consequens aliae affectiones quae ab his derivantur.

402. — Sic igitur patet in quo differt quod dicit: *desiderabile et amabile;* nam desiderium est quidam effectus amoris. Quod autem dicit: *diligibile*, determinat quemdam modum amoris: cum enim amor ad appetitum pertineat, secundum ordinem appetituum est ordo amorum. Est autem imperfectissimus appetituum, naturalis appetitus absque cognitione, quod nihil aliud importat quam inclinationem naturalem. Supra hunc autem est appetitus sensibilis, qui sequitur cognitionem, sed est absque libera electione. Supremus autem appetitus est qui est cum cognitione et libera electione: hic enim appetitus quodammodo movet seipsum, unde et amor ad hunc pertinens est perfectissimus et vocatur dilectio, inquantum libera electione discernitur quid sit amandum.

403. — Deinde, cum dicit [157]: *et propter ipsum...* ostendit quomodo amor conveniat singulis, respectu singulorum.

404. — Unde considerandum est quod, cum amor importet habitudinem appetitus ad bonum amantis, tot modis contingit aliquid amari, quot modis contingit aliquid esse bonum alterius. Quod quidem, primo, contingit dupliciter; nam bonum dupliciter dicitur, sicut et ens: dicitur enim, uno modo ens proprie et vere, quod subsistit ut lapis et homo; alio modo quod non subsistit, sed eo aliquid est, sicut albedo non subsistit, sed ea aliquid album est. Sic igitur bonum dupliciter dicitur: uno modo, quasi aliquid in bonitate subsistens; alio modo, quasi bonitas alterius, quo scilicet alicui bene sit. Sic igitur dupliciter aliquid amatur: uno modo, sub ratione subsistentis boni et hoc vere et proprie amatur, cum scilicet volumus bonum esse ei; et hic amor, a multis vocatur amor benevolentiae vel amicitiae; alio modo, per modum bonitatis inhaerentis, secundum quod aliquid dicitur amari, non inquantum volumus quod ei bonum sit, sed inquantum volumus quod eo alicui bonum sit, sicut dicimus amare scientiam vel sanitatem.

405. — Nec est inconveniens si hoc etiam modo amemus aliqua quae per se subsistunt, non quidem ratione substantiae eorum, sed ratione alicuius perfectionis quam ex eis consequimur; sicut dicimus amare vinum, non propter substantiam vini ut bene sit ei, sed ut per vinum bene sit nobis vel inquantum delectamur eius sapore vel inquantum sustentamur eius humore. Omne autem quod est per accidens reducitur ad id quod est per se. Sic igitur hoc ipsum quod aliquid amamus, ut eo alicui bene sit, includitur in amore illius quod amamus, ut ei bene sit. Non est enim alicui aliquid diligendum per id quod est per accidens, sed per id quod est per se; et ideo oportet quidem diversitatem amorum accipere secundum ea quae sic amamus ut eis velimus bonum.

406. — Et quia unumquodque amamus inquantum est bonum nostrum, oportet tot modis variare amorem, quot modis contingit aliquid esse bonum alicuius. Quod quidem contingit quadrupliciter: uno modo, secundum quod aliquid est bonum suipsius et sic aliquid amat seipsum; alio modo, secundum quod aliquid per quamdam similitudinem est quasi unum alicui et sic aliquid amat id quod est sibi aequaliter coordinatum in aliquo ordine, sicut homo amat hominem alium eiusdem speciei et sicut civis amat concivem et sicut consanguineus, consanguineum; alio modo, aliquid est bonum alterius quia est aliquid eius, sicut manus est aliquid hominis et universaliter pars est aliquid totius; alio vero modo, secundum quod, e converso, totum est bonum partis:

non enim est pars perfecta nisi in toto, unde naturaliter pars amat totum et exponitur pars sponte pro salute totius. Quod enim est superius in entibus, comparatur ad inferius sicut totum ad partem, inquantum superius, perfecte et totaliter, habet quod ab inferiori, imperfecte et particulariter habetur et inquantum supremum continet in se, inferiora multa.

407. — Unde et Dionysius hic quatuor modos amoris ponit: et primus est secundum quod inferius amat suum superius; et hoc est quod dicit quia *propter* bonum et pulchrum *et ipsius gratia, minora*, idest inferiora, *amant meliora*, idest superiora, *convertendo se ad ea*, quia in eis habent suam perfectionem; secundo, ponit modum, quo aequalia amant aequalia; et dicit quod *ordinata*, idest ea quae sunt unius ordinis, amant *coordinata*, idest aequalia *communicative*, idest inquantum communicant cum eis vel in specie vel in quocumque ordine; tertio, ponit modum quo superiora amant inferiora; et dicit quod *meliora*, idest superiora amant *minora*, idest inferiora *provisive*, idest inquantum providet eis ut sub se contentis; quarto, ponit modum quo aliqua amant seipsa et dicit quod *ipsa singula* amant *seipsa contentive*, idest inquantum unumquodque in seipso continetur.

408. — Deinde, cum dicit [158]: *et omnia pulchrum...* ostendit quid facit amor in amante. Quia enim amor est communis radix appetitus, oportet quod omnis operatio appetitus ex amore causetur, ut dictum est [401]. Et quia omnis operatio uniuscuiusque rei ex appetitu causatur, sequitur quod omnis actio cuiuscumque rei ex amore causetur; et hoc est quod dicit quod *omnia* ex desiderio pulchri et boni *faciunt et volunt quaecumque faciunt et volunt.* Et sumit hic desiderium pro amore, quia est effectus eius, ut dictum est [402].

409. — Deinde, cum dicit [159]: *Confidit...* ostendit quomodo Deus amat; et dicit quod confidenter dicere possumus quod Deus qui est *omnium causa, propter excessum* suae *bonitatis*, omnia *amat*; et ex amore *facit* omnia dans eis esse; et omnia *perficit*, implendo singula propriis perfectionibus; et omnia *continet*, conservando ea in esse; et *cuncta convertit*, idest in se ordinat sicut in finem; et sic dicimus: *amor divinus est bonus* et est *boni*, idest Dei quasi amantis et est *propter bonum* sicut propter obiectum; Deus enim nihil amat nisi propter suam bonitatem. Et ad exponendum hoc quod dixerat, subdit quod amor, quo Deus amat existentia est operativus bonitatis in ipsis; et propter hoc dicit ipsum bonum, quia causaliter praeexistit *in bono*, idest Deo, *secundum excessum*, sicut omnia ad perfectionem pertinentia quae sunt in creaturis, excellentius sunt in Deo et ideo dixerat divinum amorem esse boni; hic, inquam, divinus amor *non* permisit *manere ipsum in seipso sine germine*, idest sine productione creaturarum, sed amor *movit ipsum ad operandum, secundum* excellentissimum modum operationis inquantum produxit omnia in esse. Ex amore enim bonitatis suae processit quod bonitatem suam voluit diffundere et communicare aliis, secundum quod fuit possibile, scilicet per modum similitudinis et quod eius bonitas non tantum in ipso maneret, sed ad alia effluueret.

410. — [160]: *Et non aliquis...* Hic excludit quamdam obiectionem: posset enim alicui videri quod nomen amoris semper naturalem passionem significaret et ideo non esset eo utendum in divinis. Hanc autem obiectionem primo quidem excludit per rationem; secundo, per auctoritatem, ibi [163]: *Sed ut non ista...*

411. — Circa primum, duo facit: primo, dicit obiectionem esse irrationabilem; secundo, adhibet rationem; ibi [161]: *Oportet autem...*

412. — Dicit ergo primo quod nullus debet opinari quod nos commendemus in Deo nomen amoris *praeter* consuetudinem et convenientiam sacrarum Scripturarum. *Irrationabile enim est et pravum*, sicut *arbitror*, quod homo *non* attendat ad virtutem *intentionis*, idest ad id quod aliquis intendit significare per nomen, *sed* ad ipsas dictiones; *et hoc non* pertinet ad eos qui volunt *intelligere divina, sed* ad eos qui respiciunt ad ipsas dictiones vel ipsos *sonos* leviter non ponderando significationem eorum et qui etiam continent sonos extra tantum, scilicet *usque ad aures*, ita quod non transeant ultra usque ad intellectum; qui non volunt *videre quid talis dictio* significet et *quomodo* contingit unam dictionem exponere *per alias dictiones manifestiores*, idem significantes. Sed tales patiuntur aliquid ab ipsis *elementis*, idest litteris, *syllabis et lineis*, idest figuris scriptis sensibilibus et non intelligibilibus, quia ipsi soni dictionum non transeunt usque ad intelligibilem partem animae, sed morantur *circa labia* loquentium *et* circa *auditus* audientium, *sicut non sit possibile* quod quaternarius numerus significetur *per bis duo* aut

hoc quod dico *rectilineum* significetur *per habens rectas lineas aut maternum solum* significetur *per patriam*. Et simile est de quibuscumque aliis in quibus contingit unam intentionem significari diversis *partibus orationis*. Illi autem dicuntur compati litteris et dictionibus vocalibus et non intellectualibus, qui acceptant aliquas dictiones, quia afficiuntur ad ipsa voces et non attendunt ad sensus eorum.

413. — Deinde, cum dicit [161]: *Oportet autem...* assignat rationem praemissorum; et primo, quod non oportet attendere ad voces, quando constat de sensibus; secundo, quod utendum sit vocibus planioribus; ibi [162]: *Quando autem...*

414. — Dicit ergo primo quod *oportet videre, secundum rectam rationem, quod elementis*, scilicet vocibus *et syllabis et lineis et orationibus*, scriptis vel dictis, *utimur propter sensus* ipsos, scilicet propter auditum et visum. Sed *quando anima nostra movetur* intelligibili operatione *ad intelligibilia* participanda, tunc *sensus* exteriorum *sensibilium* superfluunt quia sensibilia sunt praeambula ad intelligibilia; quando autem pervenimus ad terminum, recedimus a via et ita quando iam constat de intentione intellecta per voces cessat officium vocum quibus significantur. Et ideo de hoc non est disceptandum. Et ponit exemplum de hoc quod *intellectuales virtutes* nostrae naturalis rationis etiam superfluunt *quando anima* nostra Deo conformata *immittit se* rebus divinis, *non* immissione *oculorum* corporalium, sed immissione fidei, scilicet per hoc quod divinum lumen ignotum et inaccessibile, seipsum nobis unit et communicat. Dum enim consideramus ea quae fidei sunt, non diiudicamus ea per rationem naturalem; et similiter cum volumus aliquid intelligere, non oportet hoc diiudicare per voces.

415. — Deinde, cum dicit [162]: *Quando autem...* ostendit quod vocibus manifestioribus est magis utendum; et dicit quod *quando mens* nostra *studet moveri* ad contemplationem intellectivam *per sensibilia*, tunc *sunt pretiosiores*, idest utiliores illae sensibiles species quae manifestius portant vel deferunt intellectuales intentiones, ut *planiores orationes*, manifestiora visibilia. Sed quando ea quae non sunt manifesta in |sensibilibus repraesentantur sensibus, tunc nec *ipsi* sensus possunt *bene* repraesentare *sensibilia menti*, ita scilicet quod ex ipsis sensibilibus intelligibilia capiantur. Et ideo, quia nomen amoris planius et communius, quam nomen dilectionis est, magis eo utendum ad intellectualem intentionem significandam.

416. — Deinde, cum dicit [163]: *Sed ut non ista...* manifestat idem per auctoritates Scripturae; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quomodo nomine amoris sacra Scriptura utitur in divinis rebus; secundo, quomodo quidam reputant convenientius uti nomine amoris, quam nomine dilectionis; ibi [164]: *Quamvis...*; tertio, ostendit quod indifferenter utroque est utendum; ibi [167]: *Ab audientibus...*

417. — Dicit ergo primo quod, *ut non* videatur praedictas rationes inducere tamquam volens pervertere sacras Scripturas, contra istos qui nomen *Amoris* in divinis *accusant*, inducit has auctoritates: « *ama eam et servabit te* », secundum aliam translationem; nostra autem translatio habet, Prov. 4 [6]: « *dilige illam*, idest sapientiam *et servabit te... arripe illam et exaltabit te, et glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus* ». Et multa alia dicuntur ad laudem amoris in Scripturis, ut patet *in* amatoriis *Theologiis*, idest in Canticis Canticorum.

418. — Deinde, cum dicit [164]: *Quamvis...* ostendit quod quidam magis utendum hoc nomine amoris in divinis censebant; et circa hoc, tria facit: primo, ponit sententiam aliorum; secundo, ostendit quid sibi super hoc videtur; ibi [165]: *mihi enim...*; tertio, assignat rationem sententiae aliorum; ibi [166]: *propter hoc autem...*

419. — Dicit ergo primo quod *quibusdam* doctorum qui *sanctos sermones* tractaverunt, licet canonicas Scripturas non conderent, *visum* est quod *nomen amoris* convenientius esset rebus divinis quam nomen *dilectionis*. Unde Ignatius Martyr scribit de Christo dicens: « *meus amor* », idest Christus in quo totus meus amor est, « *crucifixus est* ». Philo dicit in libro quem fecit introducentem ad sacra eloquia, *de divina Sapientia:* « *amator factus sum, pulchritudinis eius* », Sapient. 8 [2]. Ex quo patet quod liber Sapientiae nondum habebatur inter canonicas Scripturas. Unde concluditur quod non debemus timere uti nomine amoris nec ab hoc debet nos revocare aliqua obiectio, super hoc dubitationem ingerere intendens.

420. — Deinde, cum dicit [165]: *mihi enim...* ostendit quid sibi super hoc videatur; et dicit quod sibi videtur quod conditores sacrae Scripturae communiter et indifferenter utuntur nomine *dilectionis et amoris*.

421. — Deinde, cum dicit [166]: *propter hoc...* assignat rationem quare quidam in

divinis magis dicunt utendum nomine amoris; et dicit quod *propter hoc* videtur quod nomen amoris apponatur rebus *divinis*, ut excludatur acceptio illorum qui inconvenienter nomine amoris utuntur; quia cum in Deo, *ut* ipsum *decet*, laudetur verus amor *non solum a nobis* qui sacras Scripturas exponimus sed et ab ipsis Scripturis, *multitudines* hominum insipientium qui non possunt capere uniformitatem quam signat nomen amoris divini, *prolapsae sunt* secundum suam consuetudinem *ad* amorem qui invenitur in rebus corporalibus, qui est dissimilis et divisus: quia talis amor non invenit in uno totum quod ei sufficiat et ideo dividitur per diversa; et si per aliquod tempus sibi satisfiat in uno, tamen in hoc non durat, sed natus est quaerere in diversis quod sibi placet. Et hoc contingit rebus corporalibus quia sunt dissimilia et divisa. Hic autem amor *non est verus amor*, sicut nec bonum divisum, cum divisibile non sit verum et perfectum bonum, sed bonum indivisibile, quod est maxime unum; bonum enim et unum in idem concurrunt, ut Boëtius probat in libro *de Consolatione* [1]).

422. — Hic autem amor corporalis est quoddam *idolum*, idest similitudo veri amoris vel *magis* quidam defectus sive *casus a vero amore*. Ideo autem prolabuntur multitudines ad hunc amorem, quia *non* possunt capere uniformitatem divini amoris; et ideo hoc nomen dispositum est *in divina sapientia, sicut apparens multis molestius*, idest inconvenientius, *ad* hoc quod *sursum* eleventur et excitentur, quasi in inferioribus recumbentes, *ad cognitionem veri amoris* et ut etiam liberentur a difficultate quam patiuntur circa hoc nomen; sicut etiam et in aliis Dei nominationibus, frequenter attribuuntur corporalia magis infima, ut mens cogatur in eis non remanere, sed super omnia Deum intelligere, ut in II° cap. *Angelicae Hierarchiae* dictum est [2]). Et ideo nomine amoris utitur Scriptura in divinis, quia hoc nomine magis utimur pro infimo et carnali amore.

423. — *Rursus*, inquam, *inconveniens esset* quod a *nobis* opinaretur esse *terrenos zelos*, idest amores in rebus divinis, qui videntur exprimi per nomen dilectionis, secundum quod apparet ex plano modo Scripturae. *Dixit* enim *quidam*, scilicet David, II Reg. 1 [26] secundum aliam translationem: « *cecidit dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum* »; nostra vero translatio habet: « *doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum* »

424. — Deinde, cum dicit [167]: *Ab audientibus...* ostendit quomodo accipitur secundum Scripturas nomen dilectionis et amoris; et dicit quod ab illis qui *recte* audiunt *divina* hoc sancitur, quod *in eadem virtute* et significatione accipitur *a sanctis Theologis* qui canonicas Scripturas ediderunt, *nomen dilectionis et amoris, secundum* ea quae eis a Deo manifestata sunt vel quae ipsi de Deo manifestaverunt. Utrumque enim nomen est significativum cuiusdam *virtutis unitivae*, inquantum unit amantem amato, prout utrumque idem desiderant; *et coniunctivae*, prout utrumque coniungitur convenientiae alterius secundum inclinationem, secundum quam duo amantia se habent ad invicem; *et differenter concretivae*, secundum quod in tali coniunctione salvatur differentia utriusque amantium, quorum quandoque unum est superius aliud inferius; et haec quidem virtus praeexistit *in pulchro et bono*, scilicet in Deo qui amat et se et alia propter suam pulchritudinem et bonitatem.

425. — Et iterum haec virtus attribuitur rebus creatis a Deo, qui est pulcher et bonus, *propter pulchrum et bonum*, quod est proprium obiectum amoris. Nihil enim amatur, nisi secundum quod habet rationem pulchri et boni. Et haec quidem virtus continet *coordinata*, idest aequalia secundum quod sic se habent ad invicem quod alternatim sibi invicem communicant sua. Movet etiam virtus amoris superiora ad providendum inferioribus et collocat *minus habentia*, idest inferiora *in superioribus* inquantum convertit haec ad illa sicut ad proprium bonum quod habent in illis. Et haec supra exposita sunt **[404-407]**.

[1]) L. III, prosa XI. *Ea quae appetuntur a pluribus... verum bonum* fiunt, *cum in unam veluti formam atque efficientiam colliguntur* (ML 63, 771 AB). *Nisi vero unum atque idem omnia* [quae appetuntur a pluribus] *sint, nihil* haben, *quo inter expetenda numerentur* (ML 63, 771 B). *Cum unum esse coeperint* [ea quae appetuntur] *bona fiunt* (ML 63, 772 A). *Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas.* ML 63, 772 A.

[2]) § 3; MG III, 141 AB.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 157: « ordinata » - *ὁμόστοιχα*: « societatis causa, paria » (Perionius); « paria socialiter » (Ambrosius) h. e. « quae sunt unius ordinis » (**407**) vel *eiusdem seriei*.

* ad n. 159: « Ipse enim... in Bono » - « Ipse enim bonificus existentium amor in *Ipso Bono* (*τἀγαθῷ*) praeexistens ».

* ad n. 160: « sonos *leves* - *φιλούς* », « sonos *nudos* probant » (Perionius); « *simplices* captantium sonos » (Ambrosius) h. e. sonos *tantum*.

* ad n. 161: « sicut » *ὡς* consecutionem notat: « *unde*, quando... ».

* : « sensibilium sensus » - *μετὰ τῶν αἰσθητῶν αἱ αἰσθήσεις* - « superflui sunt sensus *cum* sensibilibus ».

* ad n. 162: « *sicut* quando non plana » *ὡς ὅταν consecutionem* notat et sensus talis est: « *unde*, quando obscura sunt quae apponuntur sensibus » vel « quae sensus afficiunt ».

* ad n. 166: « verum amorem » - *τὸν ὄντως ἔρωτα*, item: « vero amore » - « *τοῦ ὄντως ἔρωτος* », sed tertio: « qui non est *verus* amor » - *ὃς οὐκ ἔστιν ἀληθὴς ἔρως* » inde oppositio: « casus a vero amore » *ἔπτωσις τοῦ ὄντως ἔρωτος* ». Ni fallor, *ὄντως* est: « *realiter* », unde melius intelligitur « *verus* » (*ἀληθής*).

* : « *et suscitationem* » - *ἀνάστασιν*, sed Turturro, cui consentio, proponit: *ἀνάτασιν* « *extensionem* », melius ut videtur ex EH. I, 1: *τῷ πρὸς αὐτὸν ἀνατεινομένῳ... τῶν καλῶν ἔρωτι* (372 B): « *amore* pulchrarum rerum *extenso* ad Ipsum ». Inde *elevatio* et *extensio*.

* : pro intelligentia expositionis (**423**); quae in textu habentur: « in nobis autem... quod videtur famosius », tractant de « dilectione » (*ἡ ἀγάπησις*) et consideratur *euphemistice* (*εὐφημότερον*): « Et in nobis rursus, ubi saepenumero aliquid absurdum homines terrae affixi cogitare possent, ponitur nomen quod honestius videtur » (Cordier). Efficacius, M. de Gandillac: « *Lorsqu'il s'agit au contraire de nous-mêmes*, c'est-à-dire d'êtres vils et susceptibles de pensées irrationnelles, *on emploi un mot qui paraît mieux sonnant* ».

* ad n. 167: « *recte* » (*ὀρθῶς*). Notatur a M. de Gandillac (pag. 107) alia lectio: « pour les auditeurs *du matin* » (*ὀρθρῶς*); ex oscitantia scriptoris.

2ª « Ἔρως » ET « Ἀγάπη » (160-167).

Quam S. Thomas « obiectionem » contra doctrinam expositam iudicavit, aliqui modernorum « disputationem absque obiecto » putant et quae de « amore » auctor exponit cribrant, usque dum concludant: en Dionysius « assiduus Plotini assecla », immo « simia » (cfr. apud Müller, *Dionysios*, pag. 55; 56 n. 1 ex Creuzer). Tali modo quidem et Augustinus er't simia Platonis et Thomas simia Aristotelis. An haec iusta vel aequa sint non est difficile examinare et iudicare. Quae Gregorius Nazianzenus scribit referam eo vel magis quod Dionysius eiusdem familiae est et eadem sentit: « Illud autem inter omnes sanae mentis homines constare arbitror, eruditionem (*παίδευσιν*) inter humana bona principem locum tenere: *non de hac nostra solum ac nobiliore loquor*, quae contempto omni sermonis lepore atque ornatu, saluti uni atque earum rerum quae ratione atque animo intelliguntur pulchritudini (*τοῦ κάλλους τῶν νοουμένων*) arctissime haeret, *sed etiam de externa* (*τὴν ἔξωθεν*) quam plerique christiani pravo quodam iudicio ut insidiosam et periculosam ac procul a Deo avertentem aspernantur... ex litteris illis et disciplinis *id sane quod in inquirenda rerum natura* (*τὸ ἐξεταστικόν*) *et contemplatione* (*θεωρητικόν*) *versatur suscepimus;* quidquid autem ad daemones et errorem et exitii voraginem ducit respuimus. Imo etiam ab eo ad Dei cultum adiuti sumus, nimirum ex deteriori id quod praestantius est cognoscentes atque doctrinam nostram illorum imbecillitate fulcientes » (*Oratio* XLIII *in laudem Basilii Magni*, 11: MG. 36, 507 B; 510 A).

Quaecumque pulcherrima habet Plotinus inveniuntur inserta in programmate quod, ut verbis Nazianzeni utar, « ad daemones et errorem et exitii voraginem ducit » - *ἀπωλείας βυθόν*: « perditionis abyssus » erat voluntas permanendi in vetustate humanae naturae. Inde, ut iam pluries notavimus, necessitas proponendi in veritate salutari, efficacem viam liberandae animae per novitatem spiritus, assimilando « communes notiones » a praeclarissimis philosophis excultas. Circa hanc quaestionem *de pulchritudine et amore*, a Platone tractata in « *Symposio* » et in « *Phaedro* », multa inveniuntur in Plotino, quem nemo « simiam Platonis » dicet, quae si bene exposita sint nulla ratio illa reiiciendi adest, si autem veritati consona, divinae veritati serviendo, ad liberandam animam ab *impugnatione Dei* apta sunt. Haec, ni fallor, intentio Dionysii; haec eius praxis.

De coetero haec quaestio agitatur et apud Origenem, *Prologo in Cant. Canticorum* et apud Gregorium Nyssenum, *homilia* 1ª super eumdem librum.

In commodum lectoris quaedam ex prologo Origenis referam, ut clarius percipiatur doctrina Dionysii circa « amorem » et « dilectionem ».

« Igitur necessarium mihi videtur... *de amore* prius ipso qui est scripturae eius [h. e. *Cant. Canticorum*] causa praecipua pauca disserere...

1° « *Apud Graecos* quidem plurimi eruditorum virorum volentes investigare veritatis indaginem, *de amoris natura* multa ac diversa etiam dialogorum stylo scripta protulerunt, *conantes ostendere non aliud esse amoris vim nisi quae animam de terris ad fastigia coeli celsa perducat nec ad summam posse beatitudinem perveniri nisi amoris desiderio provocante.*

« Sed et quaestiones de hoc quasi in *conviviis* propositae referuntur inter eos puto inter quos non ciborum, sed *verborum convivium* gerebatur.

« Alii vero etiam *artes quasdam quibus amor hic in anima gigni vel augeri posse videatur conscriptas reliquerunt.* Sed has artes, carnales homines ad vitiosa desideria et culpabilis amoris mysteria traxerunt.

« Non ergo mirum sit si *et apud nos ubi quanto plures simpliciores, tanto plures et imperitiores videntur,*

difficilem diximus et periculo proximam de amoris natura disputationem, cum apud Graecos qui eruditi et sapientes videntur, fuerint tamen aliqui qui de his non ita acceperint, ut scriptum est, sed occasione eorum quae de amore dicta sunt, in lapsus carnis et in impudicitiae praecipitia corruerunt, sive ex his quae scripta erant... admonitiones quasdam et incitamenta sumentes sive incontinentiae suae velamen scripta veterum praeferentes.

« Ne ergo et nos tale aliquid incurramus ea quae a veteribus bene et spiritaliter scripta sunt vitiose et carnaliter advertentes, tam corporis quam animae nostrae palmas protendamus ad Deum ut Dominus... donet et nobis... *intellectum sanum* et *ad aedificationem pudicitiae aptum vel nomini ipsi vel naturae amoris ostendere* » (MG. 13, 64 AD).

2° Iuxta doctrinam Moysis et Pauli, distinguit hominem interiorem « ad imaginem et similitudinem Dei factum » (*Gen.* 1, 26): « qui intus est, renovatur de die in diem » (II *Cor.* 4, 16); et hominem exteriorem « e limo terrae factum » (*Gen.* 2, 7) et corruptioni subditum. Et Paulus quidem, « qui melius utique quam nos intelligebat ea quae a Moyse scripta sunt » hanc doctrinam de homine nobis tradit ne in exteriori sistamus... (MG. 13, 65 A).

« Est ergo materialis huius hominis qui et exterior appellatur cibus potusque naturae suae cognatus, corporeus iste scilicet et terrenus. Similiter autem et spiritalis hominis ipsius qui et interior dicitur, est proprius cibus, ut panis ille vivus qui de coelo descendit. Sed et potus ille est illa aqua quam promittit Iesus... ». « Sic ergo per omnia similitudo quidem vocabulorum secundum utrumque hominem ponitur: rerum vero proprietas unicuique discreta servatur et corruptibilia praebentur, incorruptibili vero incorruptibilia proponuntur ».

« Unde accidit ut simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quae sint quae in Scripturis divinis interiori homini, quae vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsis ad ineptas quasdam fabulas et figmenta inania se contulerint, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum... ». (MG. 13, 66 CD - 67 A).

3° « ... Igitur si haec ita se habent, sicut dicitur aliquis *carnalis amor*, quem et cupidinem appellaverunt poëtae, secundum quem qui amat in carne seminat, ita est et quidam *spiritalis amor* secundum quem ille interior homo amans in spiritu seminat ».

« Et ut evidentius dicam, si quis est qui portat adhuc imaginem terreni secundum exteriorem hominem, *agitur cupidine et amore terreno.* Qui vero portat imaginem coelestis secundum interiorem hominem, *agitur cupidine et amore coelesti* ».

« *Amore autem et cupidine coelesti agitur anima, cum perspecta pulchritudine et decore Verbi Dei, speciem eius adamaverit et ex ipso telum quoddam et vulnus amoris acceperit* ».

« Est enim Verbum hoc imago et splendor Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, in quo creata sunt omnia... Igitur si quis potuerit capaci mente coniicere et considerare horum omnium quae in ipso creata sunt decus et speciem, ipsa rerum venustate percussus et splendoris magnificentia seu iaculo, ut Propheta, electo (*Is.* 49, 2) terebratus, salutare ab ipso vulnus accipiet et beato igne amoris eius ardebit » (MG. 13, 67 AC).

4° Inde *de amore* aliqua valde notanda exponit ex Sacra Scriptura:

A) « Videtur autem mihi divina Scriptura *volens cavere ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusque, eum qui apud sapientes saeculi cupido seu amor dicitur honestiori vocabulo charitatem vel dilectionem nominasse* » [cfr. 162, 423 *et observat. pro intelligentia huius*]. MG. 13, 67 D - 68 A.

B) « Interdum, licet raro, proprio tamen vocabulo *amorem* nominat et invitat ad eum atque incitat animas, ut cum dicit in Proverbiis de Sapientia: « *Adama eam et servabit te, circumda eam et exaltabit te, honora eam et complectetur te* » (*Prov.* 4, 6. 8). Sed et in eo libello qui dicitur *Sapientia Salomonis* ita scriptum est de ipsa Sapientia (8, 2): « *Amator factus sum decoris eius* ». Arbitror autem quod *ubi nulla lapsus videbatur occasio, ibi tantum nomen amoris inseruit... Nihil ergo interest in Scripturis divinis utrum charitas dicatur an amor* vel *dilectio*, nisi quod in tantum nomen charitatis extollitur ut etiam ipse Deus charitas appelletur... Sic ergo *quaecumque de charitate scripta sunt quasi de amore dicta suscipe, nihil de nominibus curans. Eadem namque in utroque virtus ostenditur...* » (cfr. 164, 167). MG. 13, 68 B - 70 B.

C) « ... Non ergo interest utrum amari dicatur Deus an diligi. Nec puto quod culpari possit si quis Deum sicut Ioannes *charitatem* ita ipse *Amorem* nominet. Denique memini aliquem sanctorum dixisse Ignatium nomine de Christo: « *meus autem amor crucifixus est* » nec reprehendi eum pro hoc dignum iudico » (cfr. 164). MG. 13, 70 D.

Haec manifestiorem reddunt textum Dionysii; duo notanda occurrunt de sapientia Salomonis et de Ignatio Martyre.

Dionysius de « *prae-introductionibus* eloquiorum » (*ἐν ταῖς προεισαγωγαῖς τῶν λογίων*) agens, meminit forsan illius partionis librorum sacrorum quam ipse Origenes tradit in isto Prologo, quoad generales disciplinas. « Generales disciplinae quibus ad rerum scientiam pervenitur tres sunt quas Graeci *ethicam*, *physicam* et *theoricen* appellaverunt, nos has dicere possumus moralem, naturalem et inspectivam ». Ad *logicen* quod attinet, « quam nos *rationalem* dicere possumus » et alii « disciplinam innexam consertamque per omne corpus esse dixerunt », cum his consentit Origenes unde scribit: « quam utique disciplinam non tam separari quam inseri caeteris convenit et intexi ». MG. 13, 73 BC.

a) « Primo ergo in *Proverbiis* moralem docuit locum, succinctis, ut decuit, brevibusque sententiis vitae instituta componens ».

b) « Secundam vero quae naturalis appellatur comprehendit in *Ecclesiaste* in quo multa de rebus naturalibus disserens et inania et vana ab utilibus necessariisque secernens, relinquendam vanitatem monet et utilia rectaque sectanda ».

c) « Inspectivum quoque locum in hoc libello tradidit qui habetur in manibus, idest in *Cantico Canticorum*, in quo amorem coelestium divinorumque desiderium incutit animae sub specie sponsae et

sponsi, charitatis et amoris viis perveniendum docens ad consortium Dei ». MG. 13, 74 AB.

Eadem inveniuntur apud Basilium *homilia in Principium Proverbiorum* n. 1: « *Proverbium* enim morum est institutio (*παίδευσις*) et correctio affectuum et, in summa, vitae est disciplina eorum quae agenda sunt praeceptiones sanas ac cordatas complectens ». « *Ecclesiastes* vero physiologiam attingit, nobisque eorum quae in hoc mundo sunt vanitatem patefacit, ut ne putemus res fluxas expetendas esse aut animi curas in res futiles insumendas ».

« *Canticum* autem *Canticorum* modum ostendit animarum perficiendarum (*τῆς τελειώσεως τῶν ψυχῶν*). Continet namque sponsae et sponsi concordiam (*συμφωνίαν*) hoc est animae cum Deo Verbo familiaritatem ac consuetudinem - *ψυχῆς οἰκείωσιν πρὸς τὸν θεὸν λόγον*, Opp. II, 98 AB). Dionysius ponit librum Sapientiae inter *Proverbia* quae continent praeparationem ethicam et *Ecclesiasten* in quo « doctrina naturae » traditur, illumque vocat « *prae*-introductionem », quia « doctrina naturae » est « introductio » ad doctrinam theologiae amativae, de qua in *Cantico Canticorum* agitur.

Quae determinat S. Thomas (164, **419**) accipit a S. Hieronymo qui scribit nonnullos scriptorum veterum librum Sapientiae esse Iudaei *Philonis* dictitabant (cfr. H. Höpfl, *Introductionis... Compendium II, Introductio specialis in libros V. T.*, Romae 1925², pag. 235).

Quae de S. Ignatio *ex Origene* Dionysius accepit, moderni critici respuunt. Verba S. Ignatii martyris sumpta sunt ex epist. *ad Rom.* 7, 2... « *ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν· ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται καὶ οὐκ ἐστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον· ὕδωρ δὲ ζῶν καὶ λαλοῦν ἐν ἐμοὶ ἔσωθέν μοι λέγον· δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα* ». Huic textui, clarissimus F. X. Funk (*Patres Apostolici* I, Tubingae, 1901, pag. 261) notulam apponit: « *ὁ ἐμὸς ἔρως* non est Christus, ut Origenes putavit, sed *concupiscentia rerum mundanarum*, ut contextus docet ». Materiali significationi verborum non contradico, vim dictorum attendens et ego Origeni consentio, « qui melius utique quam nos intelligebat » hellenistica Ignatii.

Textus talis est: ... « vivens enim scribo vobis, mori *cupiens* » (*ἐρῶν*). *Amor meus crucifixus est* et non est in me ignis materiae amans, sed *aqua vivens et loquens in me*, interius mihi dicens: Veni ad Patrem ».

Anima Ignatii vivit in corpore, mori cupiens sicut Paulus « desiderium habens dissolvi et esse cum Christo » (*Philip.* 1, 23). Quia « vetus homo noster *simul crucifixus est* » (*Rom.* 6, 6) ideo « qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24). In baptismate « vetus homo » *συνεσταυρῶθη* « crucifixus *fuit* »; qui vivunt iuxta spiritum christianum possunt *statum* spiritualem exprimere verbis Ignatii: *ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται: perfectus passivus* denotans actionem positam in praeterito, quae in praesenti perdurat. Inde « caro mea cum vitiis et concupiscentiis crucifixa *est*, quia « Amor meus » idest Christus « crucifixus est, qui est « aqua viva » et « loquens » (*Apoc.* 22, 17).

Gregorius Nyssenus haec habet quae consonant doctrinae Origenis et Dionysii: « vehementissima delectationum — *amatoriam* dico *passionem* — aenigmatice primas tenuit doctrinalis explicationis ut per hoc discamus qua ratione conveniat animam, *attente respicientem ad inaccessibilem divinae naturae pulchritudinem*, tanto amore ad illam affici (*ἐρᾷν*) quanto afficitur corpus ad affine et congener, passione in impassibilitatem translata, ita ut extincta corporali dispositione, uno spiritu solo facultatem intellectualem (*τὴν διάνοιαν*) in nobis *amatorie ebulliat* (*ζέειν ἐρωτικῶς*), calefactam per ignem illum quem Dominus venit mittere in terram » - *Luc.* 12, 49 (*in Cant. Cantic.*, hom. I; MG. 44, 773 CD).

Interioris hominis vitam Basilius efficaciter describit cum « sensuum nomina *ad animae facultates* » transfert, ut manifestet actionem perfectivam Sapientiae: « sanum *auditus sensum* puero novo dat... animae quasi *visum*... perficit *spiritualem* animae *gustum*... Est autem et *tactus* quidam animae (*ἁφὴ τῆς ψυχῆς*) quo Sapientia eam attingit, *amatorem* (*ἐραστήν*) suum velut amplectens. *Ama enim* inquit, *ipsam... ut te amplexetur* (*Prov.* 4, 6. 8)... Corpora quidem amplexibus impuris coinquinantur; *anima*, vero, *Sapientiae amplexu tota ex toto Ei coniuncta*, (*ὅλη δι'ὅλης πρὸς αὐτὴν ἑνωθεῖσα*) *sanctimonia completur ac puritate* » (hom. *in Principium Prov.* n. 14; Opp. II, 109 C-E).

Huius tractationis de Amore et dilectione sensus et valor ex iis quae habentur in hac traditione, clare manifestantur.

3ª De « NON OCULORUM IMMISSIONIBUS » (161).

Quae supra notata sunt ad n. 54, **173** recolas ut inde intelligas quae exponit S. Thomas (**414**). Ibi enim (pag. 59) contra Turturro lect. *ἑνωθέντες* - « uniti » praeferenda nobis visa est; nunc autem quae habentur in expositione Angelici Doctoris attente perspicienda sunt, ne nimis anguste verba eius intelligantur contra intentionem Dionysii. Ipse loquitur de « non oculorum immissionibus » - *ταῖς ἀνομμάτοις ἐπιβολαῖς*, quibus « anima deiformis... se immittit radiis inaccessibilis Lucis » (cfr. 22). Ni fallor, hoc respondet doctrinae traditae MTh. I, 1: *τοὺς ἀνομμάτους νόας* (997 B) ponit, quae adimplentur pulcherrimis splendoribus. « *Vacuos oculis* spiritus » vertit Perionius; « mentes *oculis captas* », Cordier. Consentire nequeo. Si mentem Dionysii perspicias, aliter intelliges: agitur non de *carentia*, sed de *non usu oculorum*.

Revera in MTh. I, 3 notatur « *ἀπομύει* » - « *claudit oculos* » (1001 A) et explicatur: « *τῆς πάσης γνώσεως ἀνενεργησίᾳ* » - « per *vacationem* omnis cognitionis » (Cordier), quod respondet « *κατὰ πάσης νοηρᾶς ἐνεργείας ἀπόπαυσιν* » (23) « per omnem mentalis operationis *vacationem* » (Cordier) in DN. I, 5 (593 B), n. 23, **83**; cfr. observ. quoad « silentium mysticum » pag. 11-12.

Et hoc est ex doctrina Pauli qui *viam charitatis* ponit, *omnes alias vias transcendentem* (*καθ'ὑπερβολήν* - I *Cor.* 12, 31): unde quando *amor charitatis* agit ad unionem cum Deo, *quiescit* mens ab operatione intellectuali et *cordis impulsu* (*ἐπιβολῇ*) *non-oculari* (*ἀνομμάτῳ*) altius procedit, ut se immittat (*ἐπιβάλλῃ*) « radiis inaccessibilis Lucis ». Haec est *responsio Christianismi, quae Philoni et Plotino satisfacit* (v. pag. 127).

LECTIO X (20ª)
De Extasi et de Zelo.

SYNOPSIS
(Lect. X; cap. IV; textus nn. 168-172; expositio **426-441**).

Determinat de extasi et de zelo.

A) Determinat de extasi quae est effectus amoris:
- 1° - Proponit extasim esse amoris effectum (168; **427-433**);
- 2° - Manifestat hoc in creaturis:
  - a) per inductionem (169; **435**);
  - b) per auctoritatem (170; **436**);
- 3° - Manifestat hoc in Deo (171; **437**).

B) Determinat de zelo, qui importat quamdam intensionem amoris (172; **438-441**).

TEXTUS DIONYSII

§ 13. 168. — « Est autem et faciens extasim divinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum.

§ 13. 168. — *[712 A] "Εστι δὲ καὶ ἐκστατικὸς ὁ θεῖος ἔρως οὐκ ἐῶν ἑαυτῶν εἶναι τοῦς ἐραστὰς ἀλλὰ τῶν ἐρωμένων.*

169. — Et monstrant quidem superiora providentiae * facta minus habentium et coordinata sui invicem continentiae * et subiecta divinioris conversionis ad prima.

169. — Καὶ δηλοῦσι τὰ μὲν ὑπέρτερα τῆς προνοίας γιγνόμενα τῶν καταδεεστέρων καὶ τὰ ὁμόστοιχα τῆς ἀλλήλων συνοχῆς καὶ τὰ ὑφειμένα τῆς πρὸς τὰ πρῶτα θειοτέρας ἐπιστροφῆς.

170. — Propter quod et Paulus magnus in continentia divini factus amoris et virtute ipsius extasim faciente participans, divino ore: "*vivo ego*" dicit, "*iam non ego, in me autem vivit Christus*"; sicut verus amator et extasim passus, sicut ipse dicit, Deo et non sui ipsius vivens, sed amati vita, sicut valde diligibili.

*170. — Διὸ καὶ Παῦλος ὁ μέγας ἐν κατοχῇ * τοῦ θείου γεγονὼς ἔρωτος καὶ τῆς ἐκστατικῆς αὐτοῦ δυνάμεως μετειληφῶς ἐνθέῳ στόματι « ζῶ ἐγώ », φησίν, « οὐκ ἔτι, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός »[1]· ὡς ἀληθὴς ἐραστὴς καὶ ἐξεστηκὼς ὡς αὐτός φησι, τῷ θεῷ[2], καὶ οὐ τὴν ἑαυτοῦ ζῶν ἀλλὰ τὴν τοῦ ἐραστοῦ ζωήν[3], ὡς σφόδρα ἀγαπητήν.*

171. — Audendum autem et hoc pro veritate dicere, quod et ipse omnium causa, pulchro et bono, omnium amore, per abundantiam amativae bonitatis extra seipsum fit, ad omnia existentia providentis et sicut bonitate et dilectione et amore trahitur et ex eo quod est super omnia et ab omnibus segregatur, ad id quod est in omnibus deponitur, secundum extasim facientem, supersubstantialem virtutem, a se ipso inegressibilem.

171. — Τολμητέον δὲ καὶ τοῦτο ὑπὲρ ἀληθείας εἰπεῖν ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ πάντων αἴτιος τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ τῶν πάντων ἔρωτι δι' ὑπερβολὴν τῆς ἐρωτικῆς ἀγαθότητος, ἔξω ἑαυτοῦ γίνεται ταῖς [B] εἰς τὰ ὄντα πάντα προνοίαις καὶ οἷον ἀγαθότητι καὶ ἀγαπήσει καὶ ἔρωτι θέλγεται· καὶ ἐκ τοῦ ὑπὲρ πάντα καὶ πάντων ἐξῃρημένου πρὸς τὸ ἐν πᾶσι κατάγεται κατ' ἐκστατικὴν ὑπερούσιον δύναμιν ἀνεκφοίτητον ἑαυτοῦ.

172. — Propter quod, qui fortes sunt in divinis, ipsum zelotem appellant, sicut mul-

172. — Διὸ καὶ « ζηλωτὴν »[4] αὐτὸν οἱ τὰ θεῖα δεινοὶ προσαγορεύουσιν ὡς πολὺν τὸν

[1]) *Gal.* 2, 20 (paullisper verbis inversis).
[2]) II *Cor.* 5, 13.
[3]) Cfr. *ibid.* 15.
[4]) *Exod.* 20, 5.

tum in bono amore ad existentia et sicut excitativum ad zelum desiderii ipsius amativi et sicut zelotem ipsum demonstrantes *, per quem * et desiderata sunt zelabilia et sicut provisis ipsis existentibus zelabilibus et totaliter pulchri et boni amabile et amor et in pulchro et in bono praecollocatur et propter pulchrum et bonum est et gignitur ».

*εἰς τὰ ὄντα ἀγαθὸν ἔρωτα καὶ ὡς πρὸς ζῆλον ἐγερτικὸν τῆς ἐφέσεως αὐτοῦ τῆς ἐρωτικῆς, καὶ ὡς ζηλωτὴν αὐτὸν ἀποδεικνύντα * ᾧ * καὶ τὰ ἐφιέμενα ζηλωτὰ καὶ ὡς τῶν προνοουμένων ὄντων αὐτῷ ζηλωτῶν· καὶ ὅλως τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἐστι τὸ ἐραστὸν καὶ ὁ ἔρως καὶ ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ προῖδρυται καὶ διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστι καὶ γίνεται.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

426. — Postquam Dionysius determinavit de amore, hic determinat de extasi quae est effectus amoris et circa hoc, tria facit: primo, proponit extasim esse amoris effectum; secundo, manifestat hoc in creaturis; ibi [169]: *Et monstrant...*; tertio, manifestat hoc in Deo; ibi [171]: *Audendum...*

427. — Circa primum, considerandum est quod haec est differentia inter vim cognoscitivam et appetitivam, quia actus virtutis cognoscitivae est secundum quod cognita sunt in cognoscente, actus autem virtutis appetitivae est secundum inclinationem quam habet appetens ad rem quae appetitur. Prima autem operatio appetitus est amor, ut supra dictum est [401], unde amor importat primam inclinationem appetitus in rem secundum quod habet rationem boni, quod est obiectum appetitus.

428. — Sicut autem ens dupliciter dicitur, scilicet de eo quod per se subsistit et de eo quod alteri inest, ita et bonum: uno modo, dicitur de re subsistente quae habet bonitatem, sicut homo dicitur bonus; alio modo, de eo quod inest alicui faciens ipsum bonum, sicut virtus dicitur bonum hominis, quia ea homo est bonus; similiter enim albedo dicitur ens, non quia ipsa sit subsistens in suo esse, sed quia ea aliquid est album. Tendit ergo amor dupliciter in aliquid: uno modo, ut in bonum substantiale, quod quidem fit dum sic amamus aliquid ut ei velimus bonum, sicut amamus hominem volentes bonum eius; alio modo, amor tendit in aliquid, tamquam in bonum accidentale, sicut amamus virtutem, non quidem ea ratione quod volumus eam esse bonam, sed ratione ut per eam boni simus. Primum autem amoris modum, quidam nominant amorem amicitiae; secundum autem, amorem concupiscentiae [404].

429. — Contingit autem, quandoque, quod etiam aliqua bona subsistentia amamus hoc secundo modo amoris, quia non amamus ipsa secundum se, sed secundum aliquod eorum accidens; sicut amamus vinum, volentes potiri dulcedine eius; et similiter, cum homo propter delectationem vel utilitatem amatur, non ipse secundum se amatur, sed per accidens [405].

430. — In utroque igitur modo amoris, affectus amantis per quamdam inclinationem trahitur ad rem amatam, sed diversimode: nam in secundo modo amoris, affectus amantis trahitur ad rem amatam per actum voluntatis, sed per intentionem, affectus recurrit in seipsum; dum enim appeto iustitiam vel vinum, affectus quidem meus inclinatur in alterum horum, sed tamen recurrit in seipsum, quia sic fertur in praedicta ut per ea bonum sit ei; unde talis amor non ponit amantem extra se, quantum ad finem intentionis. Sed cum aliquid amatur primo modo amoris, sic affectus fertur in rem amatam, quod non recurrit in seipsum, quia ipsi rei amatae vult bonum, non ex ea ratione quia ei exinde aliquid accidat. Sic igitur talis amor extasim facit, quia ponit amantem extra seipsum.

431. — Sed hoc contingit tripliciter; potest enim illud substantiale bonum, in quod affectus fertur, tripliciter se habere: uno modo sic, quod illud bonum sit perfectius quam ipse amans et per hoc amans comparetur ad ipsum ut pars ad totum, quia quae totaliter sunt in perfectis partialiter sunt in imperfectis; unde secundum hoc, amans est aliquid amati. Alio modo sic, quod bonum amatum sit eiusdem ordinis cum amante. Tertio modo, quod amans sit perfectius re amata et sic amor amantis fertur in amatum, sicut in aliquid suum.

432. — Sic igitur cum affectus amantis fertur in amatum superius, cuius aliquid est ipse amans, ipsum suum bonum amans ordinat in amatum; sicut si manus amaret hominem, hoc ipsum quod ipsa est in totum ordinaret, unde totaliter extra se poneretur, quia nullo modo aliquid sui sibi relinqueretur, sed totum in amatum ordinaret. Non

autem ita est, cum aliquid amat sibi aequale vel id quod infra se est: non enim una manus, si aliam amaret, totam se in aliam ordinaret, neque homo amans suam manum, totum bonum suum in bonum manus ordinat. Sic ergo aliquis debet Deum amare, quod nihil sui sibi relinquat, quin in Deum ordinetur. Cum autem aequalia vel inferiora amat, sufficit quod sit extra se exiens in illa ita dumtaxat quod non sibi soli intendat, sed aliis; nec oportet quod totaliter se in illa ordinet.

433. — Sic igitur amor divinus dupliciter potest hic accipi: uno modo, amor quo Deus amatur et sic exponenda est haec littera quod *amor divinus* facit *extasim*, idest ponit amantem extra se, idest ordinat ipsum in Deum ita quod *non* permittit ipsos *amatores esse sui ipsorum, sed* rerum divinarum quae amantur, quia nihil sui sibi relinquunt quin in Deum ordinent. Alio modo, potest intelligi amor divinus qui est a Deo derivatus, non solum in Deum, sed etiam in alia, scilicet aequalia vel inferiora et sic intelligendum est: *non dimittens amatores esse sui ipsorum* tantum, *sed amatorum*, idest eorum quae amantur, quia amor facit quod non solum sibi intendant, sed etiam aliis.

434. — Deinde, cum dicit [169]: *Et monstrant...* manifestat quod dixerat, in creaturis; et primo, per inductionem; secundo, per auctoritatem; ibi [170]: *Propter quod...*

435. — Dicit ergo primo quod praedictum effectum amoris, demonstrant *superiora* per providentiam quam faciunt de inferioribus; in hoc enim quodammodo extra se ponuntur, quod aliis intendunt; *et* similiter, *monstrant coordinata*, idest aequalia, per continentiam qua se invicem continent, prout scilicet, unum ab altero iuvatur et fovetur; *et monstrant* etiam inferiora per hoc quod divinius convertuntur in sua superiora, ut in quibus eorum bonum existit. In omnibus enim his apparet quod aliquid extra se exit, dum ad alterum convertitur. Utitur autem hic genitivis pro ablativis, quia Graeci ablativis carent.

436. — Deinde, cum dicit [170]: *Propter quod...* ostendit idem per auctoritatem; et dicit quod *propter* hoc *quod* amor non permittit amatorem esse sui ipsius, sed amati, *magnus Paulus* constitutus in divino amore sicut in quodam continente *et virtute* divini amoris *faciente* ipsum totaliter extra se exire, quasi divino ore loquens dicit, Galat. 2 [20]: « *Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Christus* » scilicet quia a se exiens totum se in Deum proiecerat, non quaerens quod sui est, sed quod Dei, *sicut verus amator et passus extasim, Deo* vivens *et non vivens* vita *sui ipsius, sed vita* Christi ut *amati*, quae vita erat sibi *valde* diligibilis.

437. — Deinde, cum dicit [171]: *Audendum...* dicit quod praedicta operatio amoris etiam in Deo invenitur, dicens quod *hoc* audacter dicendum est *pro veritate*, idest veritatem hanc audacter faciente; vel *pro veritate*, idest pro vero hoc asserendo, *quod ipse* qui est *omnium causa* per suum pulchrum et bonum amorem quo omnia amat, secundum abundantiam suae bonitatis qua amat res, *fit extra seipsum*, inquantum providet omnibus existentibus per suam bonitatem et amorem vel dilectionem et quodammodo *trahitur et deponitur* quodammodo a sua excellentia, secundum quod supra *omnia* existit *et ab omnibus segregatur, ad* hoc *quod* sit *in omnibus*, per effectus suae bonitatis, secundum quamdam extasim, quae tamen sic ipsum facit in omnibus inferioribus esse, ut supersubstantialis eius virtus non egrediatur ab ipso, Sic enim implet omnia quod ipse in nullo evacuetur sua virtute. Quod quidem addit, ut per hoc quod dixerat: *deponitur*, non intelligatur aliqua minoratio, sed hoc solum quod se inferioribus ingerit propter suae bonitatis participationem.

438. — Deinde, cum dicit [172]: *Propter quod...* determinat de zelo, qui importat quamdam intensionem amoris; et dicit quod, quia operatio amoris excellentissime in Deo invenitur, propter hoc illi *qui sunt* excellentes *in* cognitione divinorum nominant Deum *zelotem*, ut patet Exod. 20 [5]: « *Ego Dominus Deus tuus zelotes* », quia habet *multum* de *amore bono* ad existentiam creaturarum. Zelus autem importat intensionem amoris; quae quidem intensio contingit quandoque in hominibus, quia homo volens singulariter possidere quod amat, non patitur illud ab alio amari et secundum hoc quidam diffiniunt zelum dicentes: zelus est amor intensus non patiens consortium in amato. Sed hoc excludit a divino zelo, cum subdit quod excitat omnia *ad zelum* sui *desiderii amativi;* facit enim quod illud quidem quod amat Ipse, etiam ab aliis ametur.

439. — Invenitur etiam in zelo et amore humano, alia conditio per quam differt a divino: amor enim in nobis causatur et similiter zelus ex pulchritudine et bonitate; non enim ideo aliquid est pulchrum quia

nos illud amamus, sed quia est pulchrum et bonum ideo amatur a nobis; voluntas enim nostra non est causa rerum, sed a rebus movetur; voluntas autem Dei est causa rerum et ideo amor suus facit bona ea quae amat et non e converso: quia sua bonitas movet seipsum in seipso, quod non facit nostra; et hoc est quod dicit quod Deus dicitur zelotes, sicut *per quem* fiunt *zelabilia*, idest intense amabilia ea quae sunt volita vel *desiderata* ab Ipso vel a quibuscumque aliis.

440. — Contingit autem, quandoque, quod etiam nos facimus quaedam amabilia quae sunt ex opere nostro, sed tamen non omnia quae operamur amabilia sunt; facimus enim interdum mala et defectiva opera; Deus autem omnia quae facit, ex hoc ipso sunt bona et amabilia; et hoc est quod subdit quod Deus dicitur zelotes, *sicut* omnibus quae per eius providentiam proveniunt, *existentibus zelabilibus*, idest amabilibus intense.

441. — Sic igitur, finito eo quod dicere intendebat de bono et pulchro et amore, subiungit, quasi ex praemissis colligendo, quod *amabile et amor totaliter est pulchri et boni*. Sic amor et praeexistit *in pulchro et bono* sicut in subiecto, quamvis non proprie dici possit primum pulchrum et bonum, scilicet Deus, subiectum alicuius; et iterum, *propter pulchrum et bonum* fit et praeexistit amor et amabilitas in rebus, sicut propter causam.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 169, **435**: ... « providentiae facta... continentiae... conversionis » - *τῆς προνοίας γιγνόμενα... συνοχῆς... ἐπιστροφῆς*. Nota grammaticalis S. Thomae vera est ut regula generalis, quia genitivus apud graecos *partim* respondet etiam ablativo latino. Sed hic habetur verbum *γίγνομαι* cum genitivo partitivo et exprimitur participatio creaturarum divino regimini quoad providentiam, continentiam, conversionem, dum superiora provident inferioribus, « qui sunt unius ordinis » (*ὁμόστοιχα*) ad invicem continentur et subiecta vertuntur ad anteriora. Huiusmodi conversio « divinior » appellatur quia fortius agit per principium subordinationis quod solum est perfectivum.

* ad n. 170, **436**: « continentia divini amoris » - *ἐν κατοχῇ* est potius: « in *possessione* ». Dionysius meminit Philonis: « Ergo si cupis, o anima, haeres divinorum bonorum fieri, non tantum terram corpus et cognationem sensuum et domum paternam, *rationem desere*, sed *et teipsam fuge, rapta extra teipsam* (*καὶ ἔκστηθι σεαυτῆς*) sicut corybantes et *possessi* (*καὶ κατεχόμενοι*) bacchabunda » (*Quis rerum divin. haeres*, 490 D). Tantum, « purius » loquitur, quia « pure » extasim vult fieri (MTh. I, 1; 1000 A). Similia habes apud eumdem Philonem in *de Vita contemplativa: « amore coelesti correpti »* (*ὑπ' ἔρωτος ἁρπασθέντες οὐρανίου*), quae vero orgiastica sapiunt (891 B) Dionysius relinquit ne possessio per charitatem *Christi* confundatur cum possessione theurgorum (Iambl., *de Mysteriis* III, 6, 7).

* ad n. 172: « ... et sicut zelotem ipsum demonstrantes [*ἀποδεικνύντες*] per quem [*δι'ὅν*] et desiderata sunt zelabilia et sicut provisis ipsis [*αὐτῶν*] existentibus zelabilibus ». Var. lect. inveniuntur: *ἀποδείκνυνται* - « demonstrantur » est manifeste mendosa; *δι'ὅ*, quam Turturro praefert: prima sensum habet (**439**), sed, ni fallor, non aptum contextui; alterius sensus exilis. Cordier sic vertit: « ... atque adeo semetipse quodammodo zelotem praestet ut *cui* res desiderabiles sint zelo dignae et ut *qui* rerum quibus providet zelo afficiatur ». M. de Gandillac elegantius: « ... et qu'il manifeste lui même une jalouse ardeur, comme si les êtres qui tendent vers lui etaient dignes de cette ardeur et dignes également de cette ardeur les êtres á l'égard de qui s'exerce sa Providence ».

Textus latine sic verti potest: « ... *et ipsum demonstrantem* (se) *tamquam zelotem, cui et quae desiderantur* (sunt) *obiecta zelus, etiam quia ipsi* (sunt) *obiecta zelus illa quibus providetur* ». Ut habetur ex S. Scriptura: *Deut.* 32, 21; *Rom.* 10, 19; I *Cor.* 10, 21-22, quae homines praeferunt Deo sunt ratio et obiectum zelus Dei, unde *ἐφιέμενα* refero *ad ea quae* ab hominibus desiderantur tali modo. Inde *καὶ ὡς* habet valorem causalem: huiusmodi divina ratio agendi est non tantum quia divinus Amor praeeminet, sed *etiam quia* amanti homines obiecta sunt zelus *illi quibus* providet, ad hoc ut salutem consequantur.

2° De extasi charitatis in vita christiana.

Alteram auctoritatem cui innititur implicite, post explicita verba S. Pauli (*Gal.* 2, 20), dant verba Apostoli in II *ad Cor.* 5, 15: « et pro omnibus mortuus est Christus ut et qui vivunt *iam non sibi vivant, sed Ei* qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ». Ex hac auctoritate trahit testimonium de vita interiori ipsius Pauli et maximi momenti est nota Dionysii qui extasim declarans non ad specialia charismata provocat v. gr. II *Cor.* 12, 1-12, sed ad intensitatem amoris qua erat *ἐξεστηκώς*: extra se factus, eadem referens quae Paulus ad *Cor.* scribit: « sive enim mente excedimus (*ἐξέστημεν*) Deo » (II *Cor.* 5, 13) et si zelum temperat charitatis, tamen intus urget quia totum Paulum *possidet* (*συνέχει* - *ibid.* 14) vel *continet*.

Dum extasis neo-platonicorum finem habet in se quadam sobria ebrietate possidens mentem, extasis charitatis cor dilatat ad opera Dei « propter pulchrum et bonum » (172): inde zelus apostolicus pro animarum salute. In schola Basilii Magni principium S. Pauli

(II *Cor.* 5, 15) norma erat vitae eucharisticae tam pro fidelibus quam pro monacis. Quaerenti « quanam ratione manducandum sit corpus Domini et sanguis bibendus » respondet: « in memoriam obedientiae Domini usque ad mortem ut viventes iam non sibi vivant sed (vivant) Ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » (*Moralia* XXI, 2; Opp. II, 254 A). Similia habentur et in *Reg. brevius tract.* 172 (ibid. 473 AB). Apud « extraneos » Amor (naturalis) est principium vivificans Philosophiam et Theurgiam pro liberatione animae. In hac schola, amor charitatis perficit amorem naturalem et vivificat tum Theologiam tum Hierarchiam ad *efficacem* liberationem animarum ab *impugnatione Dei*.

* Nec silentio praetereundum est illud quod maxime pulchritudinem Ecclesiae Catholicae in animarum sanctarum historia manifestat: *splendor* nempe *contemplationis* humanas mentes replens, cum quadam rerum divinarum sympathia (cfr. 60, **191-192**).

Quod diligenter recolendum est cum mysticorum documenta examinantur ne irrationalitatis nota signentur quae *mentalem* vitam ostendunt et, ulterius, ne *oppositio* aliqua inter scholasticorum theologiam et mysticorum contemplationes, ponatur.

Synthesis speculativa theologi viva fit per contemplationem operantem ad animarum salutem: hinc quae S. Albertus Magnus († 1280) docet mysticos fructus proferunt; simul cum doctrina S. Thomae, S. Bonaventurae et aliorum in schola, sapientia mystica florescit in vita christiana, ut videre est apud probatos auctores (cfr. M. Grabmann, *Storia della Teologia Cattolica*, dalla fine dell'epoca patristica ai nostri tempi, trad. G. Di Fabio — Milano 1939 — parte parte prima, cap. 4: *Linee fondamentali della Storia della Mistica Medioevale*, pag. 177-184).

Audacter dicere possumus theologiam scholasticam, in plenitudine suae perfectionis, tunc temporis simul foecundam fuisse et in experientia mysticae contemplationis et in actuosa vita pastorali sive quoad praedicationem sive quoad animarum directionem: Dionysii nostri synthesis affluenter vitae semina omnibus praebebat.

LECTIO XI (21a)

Quomodo Deus et amor et amabilis dicatur.

SYNOPSIS

(Lect. XI; cap. IV; textus nn. 173-178; expositio nn. 442-450).

Solvit quamdam dubitationem
A) ponitur quaestio: quare Deus vocatur amor et dilectio, amabilis et diligibilis (173; 443)
B) ponitur solutio duplex (174; 444)
C) ponitur manifestatio solutionis:
  1° - quantum ad hoc quod Deus dicitur amabilis (175; 446)
  2° - quantum ad hoc quod dicitur amor:
    a) ponit effectus amoris (176; 448),
    b) ponit proprietates amoris (177; 449),
    c) ponit processum amoris (178; 450).

TEXTUS DIONYSII

§ 14. 173. — « Quid autem totaliter * Theologi volentes aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando autem amabilem et diligibilem?

174. — Huius enim est quidem causa et sicut emissor et sicut progenitor; hoc autem ipse est. Et hoc quidem movetur, illud * autem movet aut quoniam ipse sui ipsius et sibi ipsi est adductivus et motivus.

175. — Ita quidem diligibilem et amabilem ipsum * vocant, sicut pulchrum et bonum;

176. — amorem autem rursus et dilectionem, sicut moventem simul, sicut quod est virtus sursum agens ad seipsum, quod solum ipsum propter seipsum pulchrum et bonum est et sicut quod est manifestatio sui ipsius per seipsum;

177. — et segregatae unitionis bonus processus * et amativus motus, simplex per se mobilis et per se operans *;

178. — praeexistens in bono * et ex bono * existentibus emanans et rursus ad bonum * conversus; in quo et interminabile sui ipsius et non habens principium divinus amor monstrat differenter *, sicut quidam aeternus circulus, propter bonum * ex bono * in bono * et ad bonum *, in non errante convolutione circumambulans et in eodem et secundum idem et procedens et manens semper et restitutus ».

§ 14. 173. — [C] Τί δὲ ὅλως οἱ θεολόγοι βουλόμενοι ποτὲ μὲν ἔρωτα καὶ ἀγάπην αὐτόν φασι ποτὲ δὲ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν;

*174. — Τοῦ μὲν γὰρ αἴτιος καὶ ὥσπερ προβολεύς καὶ ἀπογέννητωρ· τὸ δὲ αὐτός ἐστι. καὶ τῷ μὲν κινεῖται, τὸ * δὲ κινεῖ ἢ ὅτι αὐτὸς ἑαυτοῦ καὶ ἑαυτῷ ἐστι προαγωγικὸς καὶ κινητικός.*

*175. — Ταύτῃ δὲ ἀγαπητὸν μὲν καὶ ἐραστὸν αὐτὸν * καλοῦσιν ὡς καλὸν καὶ ἀγαθόν·*

176. — ἔρωτα δὲ αὖθις καὶ ἀγάπην ὡς κινητικὴν ἅμα καὶ ὡς ἀναγωγὸν δύναμιν ὄντα ἐφ'ἑαυτὸν τὸ μόνον αὐτὸ δι' ἑαυτὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν καὶ ὥσπερ ἔκφανσιν ὄντα ἑαυτοῦ δι' ἑαυτοῦ,

177. — καὶ τῆς ἐξῃρημένης ἑνώσεως ἀγαθὴν πρόοδον καὶ ἐρωτικὴν κίνησιν ἁπλῆν αὐτοκίνητον, αὐτενέργητον,

*178. — προοῦσαν ἐν τἀγαθῷ * καὶ ἐκ τἀγαθοῦ * τοῖς οὖσιν ἐκβλυζομένην καὶ αὖθις εἰς τἀγαθὸν * ἐπιστρεφομένην· ἐν ᾧ καὶ τὸ ἀτελεύτητον ἑαυ[D]τοῦ καὶ ἄναρχον ὁ θεῖος ἔρως ἐνδείκνυται διαφερόντως ὥσπερ τις ἀΐδιος κύκλος διὰ τἀγαθὸν * ἐκ τἀγαθοῦ * καὶ ἐν τἀγαθῷ * καὶ εἰς τἀγαθὸν * ἐν ἁπλανεῖ συνελίξει περιπορευόμενος καὶ ἐν ταὐτῷ καὶ κατὰ τὸ [713 A] αὐτὸ καὶ προϊὼν ἀεὶ καὶ μένων καὶ ἀποκαθιστάμενος.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

442. — Postquam Dionysius de amore et de his quae consequuntur ad amorem determinavit, hic solvit quamdam dubitationem; et primo, ponitur quaestio; secundo, solutio; ibi [174]: *Huius enim...*; tertio, ponitur manifestatio solutionis; *ibi* [175]: *Ita quidem...*

443. — Quaerit ergo primo quid voluerint significare editores sacrae Scripturae, quos Theologos vocat, quod Deum *aliquando quidem* nominaverunt *dilectionem* et *amorem*, sicut patet I Ioan. I [16]: « *Deus charitas est* »; *aliquando* vero nominant *ipsum amabilem et diligibilem:* Cant. I [2]: « *Adolescentulae dilexerunt te nimis* ».

444. — Deinde, cum dicit [174]: *Huius enim...* ponit duas solutiones ad praemissam quaestionem: quarum prima est quod Deus dicitur amor et dilectio causaliter, quia scilicet est causa amoris, inquantum immittit amorem aliis et quodam modo in eis amorem generat secundum quamdam similitudinem; dicitur autem amabilis et diligibilis essentialiter, quia *Ipse est* hoc quod est amabile et diligibile. Et assignat huius solutionis rationem, quia amor signat aliquem motum quo aliquis amans *movetur*, sed diligibile est *illud* quod *movet* tali motu; ad Deum autem pertinet quod moveat et causet motum in aliis et ideo ad eum pertinere videtur quod sit amabilis, in aliis amorem creans. Secunda solutio est quod Deus dicitur amor et amabilis quia *Ipse* amat motu *sui ipsius* et adducit se ad seipsum; velle enim est quidam motus. Vult enim Deus bonum suum et secundum hoc, prout Ipse est sua bonitas quae voluntatem ipsius quodammodo movet, dicitur etiam esse diligibilis et amabilis a seipso. Inquantum vero ipsum suum velle, quo bonum suum vult, est suum esse et sua substantia, Deus est suus amor. Sic ergo prima solutio accepta fuit secundum amorem quo omnia amant Deum; haec autem secundum amorem quo Deus seipsum amat.

445. — Deinde, cum dicit [175]: *Ita quidem...* manifestat positam solutionem; et primo, quantum ad hoc quod Deus dicitur amabilis; secundo, inquantum Deus dicitur amor; ibi [176]: *amorem autem...*

446. — Dicit ergo primo quod Deus est diligibilis et amabilis, inquantum est ipsum *pulchrum et bonum;* in hoc enim importatur objectum amoris.

447. — Deinde, cum dicit [176]: *amorem autem...* manifestat quomodo Deus dicatur amor; et circa hoc, tria facit: primo ponit effectus amoris qui Deo attribuuntur; secundo, proprietates amoris; ibi [177]: *et segregatae...* tertio, processum amoris; ibi [178]: *praeexistens in bono...*

448. — Est autem triplex effectus amoris: primus quidem quod movet amantem ad aliquam operationem; secundus effectus est quod convertit opera amantis per intentionem in amatum; tertius effectus est quod omnis amor est manifestativus sui ipsius per signa et effectus amoris et per hoc quaerit amans ut non solum amet, sed etiam ametur. Et haec tria Deo attribuit; unde dicit quod Deus dicitur amor et dilectio inquantum movet et se et alia per amorem ad aliquid operandum, quantum ad primum; et *simul* cum hoc dicitur Deus amor elevans alia *ad seipsum* qui solus secundum *seipsum est pulchrum et bonum* quasi essentia quaedam pulchritudinis et bonitatis et hoc quantum ad secundum; et dicitur etiam Deus amor secundum *quod est* manifestativus *sui ipsius per seipsum*, idest sua propria virtute.

449. — Deinde, cum dicit [177]: *et segregatae unitionis...* ponit quinque proprietates amoris: quarum prima capitur secundum eius causam quae quidem est aliqua unitio amantis et amati inquantum est ens quod naturaliter amat seipsum, inquantum unumquodque naturaliter appetit suum bonum et ex hoc quod aliquid est unum secum sequitur quod amat ipsum et ideo ea quae sunt nobis magis coniuncta magis amamus; et hoc est quod dicit, quod amor attribuitur Deo sicut quidam *bonus processus* cuiusdam *segregatae*, idest excellentis *unitionis*, quia quanto amor est perfectior tanto et unitio ex qua procedit est maior. Secunda proprietas sumitur ex parte obiecti: est enim obiectum proprium amoris ut faciat amantem tendere in amatum, per quod amor distinguitur a cognitione, quae non trahit cognoscentem ad rem cognitam, sed e converso; et hoc est quod dicit: *et amativus motus.* Tertia proprietas est quod dicit: *simplex*; primum enim in quolibet genere oportet esse simplex, unde cum primus mo-

tus appetitus sit amor, oportet quod simplex sit; et per hoc differt amor ab ira quae est motus compositus ex tristitia provocante et desiderio vindictae. Quarta conditio eius est quod est *per se mobilis*, quae competit ei inquantum est primus motus appetitus, quia in quolibet genere prius est quod per se est quam quod per aliud; et per hoc differt amor a timore, nam timor est sicut motus violentus ab extrinseco proveniens, amor autem est sicut motus naturalis simul ab intimo procedens. Quinta proprietas est quod est *per se operans*, quod etiam convenit ei ratione suae prioritatis; et in hoc a spe differt, nam qui propter spem alterius operatur, propter aliud operatur; qui autem ex amore operatur aliquid, per seipsum operatur illud, tamquam sibi placitum.

450. — Deinde, cum dicit [178]: *praeexistens...* ostendit processum amoris; et dicit quod iste amor, primo, est *in* ipso *bono* quod est Deus et *ex* isto *bono* emanavit in existentia et, iterum, in existentibus participatus convertit se *ad* suum principium quod est *bonum*; et quantum ad hoc quod est *divinus amor* demonstrat *differenter* prae aliis suam interminabilitatem et carentiam principii quae pertinent ad rationem circuli: quaedam enim circulatio apparet in amore secundum quod est ex bono et ad bonum et ista circulatio convenit aeternitati divini amoris, quia solus motus circularis potest esse perpetuus; et hoc est quod dicit quod amor est *sicut quidam circulus aeternus*, inquantum est *propter bonum* sicut obiectum; et *ex bono*, sicut ex causa; et *in bono* perseverans; *et ad bonum* consequendum tendens et sic circuit bonum quadam *convolutione non errante*, propter uniformitatem. Viae enim tortuosae et difformes sunt causa erroris; uniformitas viae praeservat ab errore; et hanc uniformitatem in via amoris dicit cum subdit quod amor est *in eodem et secundum idem*, idest in bono et secundum bonum procedit, sicut in causa; et manet *semper*, inquantum retinet formam boni, ut proprii obiecti; et restituitur in idem, sicut in finem.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 173: « *totaliter* » - ὅλως, « *in summa* »; « volentes... dicunt » « βουλόμενοι... φασί », « *qua intentione* dicunt eum esse ».

* ad n. 174: « Huius » τοῦ μέν, « hoc » [nom.] τὸ δέ· « et hoc » [abl.] τῷ μέν, « illud » τὸ δέ [Turturro legit; minime: τῷ δέ] - diligentius, forsan, latine: « illius... [*amoris et caritatis*] ... hoc ... [*amabilis et diligibilis*] ... et *illo* ... et *hoc* (nom.) *movet* », Aristotelis haud immemor (*Metaphys.* XII, cap. 7; 1072 b) et antiquorum philosophorum aporias pulcherrime solvens, *nova luce* christianae theologiae.

* ad n. 175: « ipsum vocant » - αὐτόν, Turturro legit cui consentio.

* ad n. 177: « et segregatae unitionis bonus processus... simplex... et per se operans »: omnes isti termini pendent a verbo « vocant » (175) non a verbo « est » (176), unde legas: « et segregatae unitionis bonum processum et amativum motum *simplicem* (κίνησιν ἁπλῆν) per se mobilem, per se operantem ». Hoc velis notare et in expositione (**449**).

* ad n. 178: septies legitur « bono » vel « bonum »: ubique est « ipso Bono » (τἀγαθῷ) vel « ipsum Bonum ».

* : *differenter* - διαφερόντως, « *excellenter* » (Cordier).

2ª Quoad « Amabilitatem Dei »

Quae supra et hic dicuntur valde pulchra et alta sunt. Liceat adiicere quaedam alia ex S. Basilio quae multum conferunt ad quietem et pacem cordis. Mira sunt et si ex communi patrimonio platonico gaudeo et ego cum aliis, at vox sonum habet qui est ex vita nova Christianismi et vibrant voces hac nova vita.

* « Quod enim proprie *amabile* (ἀγαπητόν) est Deus, quoniam amabile id esse definiunt *quod omnia appetunt* (οὗ πάντα ἐφίεται). *Bonum* autem est Deus et primum et bonorum perfectissimum. Ipsum igitur dilexi Deum eorum quae desiderari possunt supremum atque pro Eo has afflictationes cum gaudio amplexus sum » (*in Psal.* 114, 1; Opp. I, 199 E).

* *Beatum realiter est per se Pulchrum* (αὐτόκαλον) *ad quod omnia respiciunt* (πρὸς ὅ πάντα ἀποβλέπει) *quod omnia appetunt* (οὗ πάντα ἐφίεται), natura immutabilis, herilis dignitas, vita perturbationi nulli obnoxia, *hilaris vivendi ratio*, iuxta quam non est alteratio, quam non tangit variatio, *fons scaturiens*, uberrima gratia, inexhaustus thesaurus » (*in Psal.* 1, 3; ibid. 92 BC).

* « *Idem* autem *est natura et dilectum* (ἀγαπητόν) *et bonum*. Quapropter recte iam definierunt quidam bonum esse *quod omnia appetunt* (οὗ πάντα ἐφίεται).

Non autem cuiuslibet est ad caritatis pervenire perfectionem et eum agnoscere qui vere est dilectus, sed eius qui iam exuit veterem hominem in desideriis erroris corruptum, induit vero novum qui renovatur ad agnitionem secundum imaginem Conditoris... Qui stabilem et immobilem *in Christo amorem habet* is dignus est Ipsius amicitia... et revera *soli amici Dei* (φίλοι θεοῦ) et inter quos intercedit mutua amicitia sancti sunt.

« Nemo autem improborum aut stultorum amicus est, neque enim amicitiae bonum in pravum affectum

cadit, quoniam nihil turpe aut inconcinnum in amicitiae concordiam (συμφωνίαν) ingredi potest.

Malum enim non bono solum, sed ipsum etiam sibi ipsi contrarium est » (*in Psal.* 44, 2; ibid. 160 B-E).

* « *Quid* ergo *divinae pulchritudinis admirabilius*?... Ineffabiles omnino sunt et inenarrabiles *divinae pulchritudinis fulgores;* non eos detegit oratio, non excipit auris... *Pulchritudo haec* carneis quidem oculis conspici non potest, sed *a sola anima ac facultate intellectuali* (διανοίᾳ) *apprehenditur*. Ea si quando quempiam sanctorum illustravit, statim intolerandum in ipsis reliquit desiderii stimulum...

« Qui cum inexplebili *contemplandae divinae pulchritudinis* (τῆς θεωρίας τοῦ θείου κάλλους) *cupiditate flagrarent*, illud praecabantur ut contemplatio iucunditatis Domini ad aeternam omnem vitam sese extenderet.

« Sic igitur *appetunt naturaliter homines pulchra* (τῶν καλῶν). *Proprie autem pulchrum et amabile est bonum; bonus autem Deus; bonum autem est quod omnia appetunt, Deum ergo omnia appetunt* » - « κυρίως δὲ καλὸν καὶ ἀγαπητὸν τὸ ἀγαθόν. ἀγαθὸς δὲ ὁ θεός· ἀγαθοῦ δὲ πάντα ἐφίεται· θεοῦ ἄρα πάντα ἐφίεται » (*Regulae fusius tract.* II; Opp. II, 337 B-E).

LECTIO XII (22ª)

Verba Hierothei de Amore.

SYNOPSIS

(Lect. XII; cap. IV; textus nn. 179-183; expositio nn. 451-460).

Ad confirmationem praedictorum, introducit verba Hierothei de amore.

A) dicit quid intendat (179; **452**).

B) ponit ipsa verba:

1° - ponuntur verba continentia divisionem et diffinitionem amoris (180; **454-456**)

2° - verba demonstrantia ordinem amorum (181; **457**).

3° - verba demonstrantia reductionem omnium amorum ad unum amorum:

a) reducit omnes in duos (182; **459**)

b) illos duos reducit ulterius in unum amorem (183; **460**).

TEXTUS DIONYSII

179. — « Haec et nobilis noster sanctitatis perfector * a Deo motus recitavit in * amativis hymnis, quos non inconveniens est memorare et sicut sanctum quoddam caput * imponere sermoni de amore:

§ 15. 180. — " Amorem, sive divinum sive angelicum sive intellectualem sive animalem sive naturalem dicamus, unitivam quamdam et concretivam intelligimus * virtutem, superiora quidem moventem ad providentiam minus habentium, coordinata autem rursum ad communicativam alternam habitudinem in extremis, subiecta ad meliorum et superpositorum conversionem ".

§ 16. 181. — " Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, consequenter dicemus * quales quidem sunt mundanorum * et supermundanorum * amorum cognitiones et virtutes, ex quibus excedunt secundum assignatam intentionem * intellectualium et intelligibilium amorum et ordines et ornatus. Post quos per se intelligibiles et divini, existentibus ibi vere pulchris amoribus praeeminent et a nobis proprie laudati sunt ".

182. — " Nunc * rursus resumentes universos ad unum et conclusum amorem et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus a multis, primum ad duas colligentes ipsum amativas universaliter virtutes, ex quibus superat et principatur omnino, incomprehensibilis causa omnis amoris, ex eo qui est super omnia et ad quam extenditur secundum naturam uniuscuiusque existentibus universis totalis amor ".

*179. — Ταῦτα καὶ ὁ κλεινὸς ἡμῶν ἱεροτελεστὴς * ἐνθέως ὑφηγήσατο κατὰ * τοὺς ἐρωτικοὺς ὕμνους· ὡς οὐκ ἄτοπον ἐπιμνησθῆναι καὶ οἷον ἱεράν τινα κεφαλὴν * ἐπιθεῖναι, τῷ περὶ ἔρωτος ἡμῶν λόγῳ.*

§ 15. 180. — « Τὸν ἔρωτα εἴτε θεῖον εἴτε ἀγγελικὸν εἴτε νοερὸν [B] *εἴτε ψυχικὸν εἴτε φυσικὸν εἴποιμεν, ἑνωτικήν τινα καὶ συγκρατικὴν ἐννοήσωμεν * δύναμιν τὰ μὲν ὑπέρτερα κινοῦσαν ἐπὶ πρόνοιαν τῶν καταδεεστέρων τὰ δὲ ὁμόστοιχα πάλιν εἰς κοινωνικὴν ἀλληλουχίαν καὶ ἐπ' ἐσχάτων τὰ ὑφειμένα πρὸς τὴν τῶν κρειττόνων καὶ ὑπερκειμένων ἐπιστροφήν ».*

*§ 16. 181. — « Ἐπειδὴ τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς πολλοὺς ἔρωτας διετάξαμεν ἐξῆς εἰρηκότες * οἷαι μὲν αἱ τῶν ἐγκοσμίων * τε καὶ ὑπερκοσμίων * ἐρώτων γνώσεις τε καὶ* [C] *δυνάμεις ὧν ὑπερέχουσι, κατὰ τὸν ἀποδοθέντα τοῦ λόγου σκοπόν *, αἱ τῶν νοερῶν τε καὶ ἐρώτων τάξεις τε καὶ διακοσμήσεις μεθ' οὓς οἱ αὐτονόητοι καὶ θεῖοι τῶν ὄντως ἐκεῖ καλῶν ἐρώτων ὑπεριστᾶσι καὶ ἡμῖν οἰκείως ὕμνηνται·*

*182. — νῦν * αὖθις ἀναλαβόντες ἅπαντας εἰς τὸν ἕνα καὶ συνεπτυγμένον ἔρωτα καὶ πάντων αὐτῶν πατέρα συνελίξωμεν ἅμα καὶ συναγάγωμεν ἀπὸ τῶν πολλῶν πρῶτον εἰς δύο συναιροῦντες αὐτῶν ἐρωτικὰς καθόλου δυνάμεις ὧν ἐπικρατεῖ καὶ προκατάρχει πάντως ἡ ἐκ τοῦ πάντων ἐπέκεινα παντὸς ἔρωτος ἄσχετος αἰτία καὶ πρὸς ἣν ἀνατείνεται συμφυῶς ἑκάστῳ τῶν ὄντων ὁ ἐκ τῶν ὄντων ἁπάντων ὁλικὸς ἔρως ».*

§ 17. 183. — " Age igitur et istas ad unum rursus congregantes, dicimus quod una quaedam est simplex virtus per se motiva ad unitivam quamdam concretionem ex bono * usque ad extremum existentium et ab illo rursus consequenter per omnia ab bonum * ex eadem et per eamdem et in eadem seipsam reflectens et ad eamdem semper eodem modo revoluta " ».

*§ 17. 183. — [D] « Ἄγε δὴ καὶ ταύτας πάλιν εἰς ἓν συναγαγόντες εἴπωμεν ὅτι μία τίς ἐστιν ἁπλῆ δύναμις ἡ αὐτοκινητικὴ πρὸς ἑνωτικήν τινα κρᾶσιν ἐκ τἀγαθοῦ * μέχρι τοῦ τῶν ὄντων ἐσχάτου καὶ ἀπ' ἐκείνου πάλιν ἐξῆς διὰ πάντων εἰς τἀγαθόν * ἐξ ἑαυτῆς καὶ δι' ἑαυτῆς καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἑαυτὴν ἀνακυκλοῦσα καὶ εἰς ἑαυτὴν ἀεὶ ταὐτῶς ἀνελιττομένη ».*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

451. — Postquam Dionysius tractayit de amore, hic ad confirmationem praedictorum introducit verba Hierothei de amore; et primo dicit quid intendat; secundo ponit ipsa verba; ibi [180]: « *Amorem...*

452. — Dicit ergo primo quod *haec* quae infra ponentur et sunt convenientia praemissis, *noster recitavit* Hierotheus, qui fuit *perfector*, idest magister in his quae ad sanctitatem pertinent, in quibusdam divinis laudibus quas de amore fecit inspiratus a Deo; *quos* quidem hymnos hic commemorare *non* est *inconveniens*, ad hoc quod imponatur tractatui nostro *de amore, sicut quoddam sanctum caput*, idest sicut quaedam regula et quoddam principium ad confirmandum quae supra dicta sunt de amore.

453. — Deinde, cum dicit [180]: « *Amorem...* ponit verba Hierothei de amore et circa hoc tria facit: primo, ponuntur verba continentia divisionem et diffinitionem amoris; secundo, verba demonstrantia ordinem amorum ex uno amore procedentium; ibi [181]: « *Quoniam...*; tertio, verba demonstrantia reductionem omnium amorum ad unum amorem; ibi [182]: « *Nunc rursus...*

454. — Distinguit, primo, quinque amores: quorum primus est amor divinus; secundus amor angelicus; tertius amor intellectualis, quo scilicet homines amant secundum intellectivam partem; quartus est amor animalis qui pertinet ad sensitivam partem sive in hominibus sive in animalibus; quintus est naturalis qui pertinet ad appetitum naturalem sive in animalibus quantum ad nutritivam partem sive in plantis sive etiam in rebus inanimatis. Cum enim dictum sit [**401**] quod amor importet primum motum voluntatis et appetitus, in quibuscumque contingit esse voluntatem et appetitum, contingit esse amorem.

455. — Communis autem quaedam notificatio amoris, omnibus praedictis amoribus conveniens est; unde subiungit quod, quemcumque praedictorum amorum nominemus, *intelligimus* per nomen amoris, *quamdam virtutem unitivam et concretivam.* Sed virtus hic non accipitur nec pro passione nec pro habitu, cum amor non sit passio vel actus, sed accipitur communiter prout omne illud quod habet efficaciam ad aliquid producendum, potest dici virtus vel virtuosum, unde planius esset si diceretur unitio et concretio virtuosa, sed maluit dicere virtutem, emphatice loquens, ad ostendendum efficaciam amoris. Unitio autem a concretione differt: est enim amor unitio secundum quod amans et amatum conveniunt in aliquo uno sive illud sit substantia utriusque, sicut cum aliquis amat seipsum; sive sit species, sicut animalia quae sunt eiusdem speciei se invicem diligunt; sive sit patria, sicut compatriotae se diligunt; sive sit quodcumque aliud. Concretio autem ad amorem pertinet, secundum quod ea quae sic uniuntur quantum ad aliquid distincta remanent, scilicet quantum ad divisionem amantis et amati.

456. — Haec autem unitio vel concretio diversimode in diversis amoribus inveniuntur. Nam in cognoscentibus haec unitio vel concretio est ex apprehensione amantis qui aestimat amatum aliquo modo esse unum sibi et ex hoc movetur in illud per affectum amando, sicut etiam in seipsum; et propter hoc secundum diversas rationes apprehensibilium distinguuntur diversi amores: alia enim est ratio cognitionis divinae et cognitionis angelicae et humanae, secundum intellectum; et omnium animalium, secundum sensum. Sed unitio et concretio in amore naturali est ex quadam convenientia naturali ex qua provenit ut aliquid inclinetur in alterum, sicut in sibi conveniens et talis inclinatio amor naturalis dicitur. Ad quid autem se extendat virtus amoris ostendit subdens, quod movet *superiora ad* providendum inferioribus; aequalia ad alternatim sibi convenientia communicandum invicem; et inferiora ut convertantur ad sua superiora,

subiiciendo se eis et attendendo ad ea, sicut ad suas causas et desiderando ea, sicut ex quibus dependent eorum bona.

457. — Deinde cum dicit [181]: « *Quoniam ex uno...* ponit verba Hierothei ostendentia ordinem multorum amorum derivatorum ab amore divino; et videntur esse verba quasi recapitulantia aliqua supradicta. Dicit ergo Hierotheus: *Quoniam ordinavimus multos amores ex uno*, idest ostendimus quod ex uno divino amore multi amores ordinati proveniunt, etiam *consequenter dicemus quales sunt cognitiones et virtutes mundanorum et supermundanorum amorum*, idest qualiter mundani et supermundani amores cognosci possint et quae sit efficacia utrorumque amorum. Ex quo datur intelligi quod amores omnes diviserat in mundanos et supermundanos: mundanos amores nominans quibus bona sensibilis mundi amantur quocumque amore, maxime autem animali; amores autem supermundanos quibus intelligibilia et vera bona amantur. Et inter istos amores assignat ordinem quem consequenter tangit: *ex quibus*, scilicet mundanis et supermundanis amoribus, *excedunt, secundum assignatam* rationem, supermundani amores qui in duos ordines dividuntur: quorum inferior et propinquior mundano amori est ordo et ornatus *amorum intellectualium*, idest humanorum *et intelligibilium*, idest supermundanorum. Intellectualem enim supra [180], vocavit humanum. Dicit autem: *intellectualium*, ex parte amantium; *intelligibilium* autem ex parte eorum quae amantur. Quod autem super *ordines* addit *ornatus*, ostendit in intellectualibus amoribus non solum ordinem, sed etiam convenientiam ordinis esse, quae ordinem ornat et pulchrum facit. Sed, ascendentibus a mundanis amoribus, *post* intellectuales amores humanos, supereminent et a Hierotheo *laudati* fuerunt amores angelici, quos vocat *per se intelligibiles* quia intelligibilia amant absque communione affectus terreni. Et vocat eos divinos, quia maxime assimilantur divino amori; quia in Angelis *vere* existunt pulchri amores, absque alicuius turpitudinis admixtione.

458. — Deinde, cum dicit [182]: *Nunc rursus...* praemisso ordine multorum amorum, nunc reducit omnes ad unum amorem; et primo reducit omnes in duos; secundo, illos duos reducit ulterius in unum amorem; ibi [183]: *Age igitur...*

459. — Est autem considerandum quod superior constructio pendet usque huc, quasi diceret: Quoniam praemissa diximus, *nunc rursus resumentes omnes* amores, *convolvamus* eos *et congregemus*, idest quadam revolutione adunemus et reducamus ad amorem divinum qui in se est unus et conclusus, quia omnes rationes amorum in eo concluduntur et est sicut pater, idest principium profundens per quamdam similitudinem omnes amores. Et in hoc reductio est, ut primo colligamus amorem omnem *ad duas* universales *amativas virtutes*, quia omne quod amatur vel amatur propter bonum creatum vel propter bonum increatum; ratio enim amoris est bonum quod vel est ultimus finis vel proximus. Inter has autem amativas virtutes, excedit *incomprehensibilis causa omnis amoris*, quae est bonum increatum; et hoc est quod subdit: quae quidem causa amoris est *ex eo qui est super omnia et ad quam* causam extendit se omnis amor ab omnibus entibus, diversimode tamen *secundum naturam uniuscuiusque*, quia omnia convertuntur in ipsum Deum, sicut dictum est [38², 390]. Nec solum dicit quod excedat amor habens Deum pro causa, sed etiam quod *principatur*, quia amor qui dependet ex bono creato, regulatur ab amore qui dependet a bono increato.

460. — Deinde, cum dicit [183]: « *Age igitur...* reducit ulterius praedictos duos modos amorum in unum primum; et dicit quod *rursus* congregat praedictas duas virtutes amoris in *unum* primum amorem, scilicet divinum quo Deus quidem, *una quaedam simplex virtus*, amat; quae *per se* movet *ad quamdam unitivam concretionem* omnia quae amat, procedens a primo bono quod est Deus; et venit per modum cuiusdam derivationis *usque ad* infimum de numero *existentium* et per quamdam conversionem in finem, *rursus ab illo* rediens, scilicet ab ultimo existentium, *consequenter per omnia* ascendens, redit *ad* primum *bonum* per modum circulationis cuiusdam, *reflectens seipsam et semper eodem modo revoluta*, ex ea prima virtute procedendo et *per eamdem;* quia omnes secundae virtutes a prima per quamdam similitudinem derivantur et in eamdem redeunt, causa eadem: quia non solum per causas, sed etiam per effectus, similitudo primae virtutis invenitur et sic amor semper manet in illa virtute et ulterius *semper* revolvitur *ad eamdem* sicut ad finem.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 179: « sanctitatis perfector » - *ἱεροτελεστής* « *perfector in sacris* ». « Primus perfector in sacris » est *Iesus Christus; Moyses* et ipse, sed « legaliter »; *Episcopus* est *ὁ φιλόθεος ἱεροτελεστής*, « Deumamans perfector in sacris » (EH. V, 3, 5; 512 BC); omnes scriptores biblici et, ni fallor, *repraesentantes traditionis vivae* sunt « perfectores in sacris » (EH. I, 4; 376 B).

* : « in amativis hymnis » - *κατὰ τοὺς ἐρωτικοὺς ὕμνους*, « *secundum* amativos hymnos » vel « circa amativos hymnos ».

* : « *caput* » - *κεφαλήν*, « *conclusionem* ».

* ad n. 180: « *intelligimus* » - *ἐννοήσωμεν*, fut. cum valore *imperativo: intelligamus*, vim praecepti mulcens.

* ad n. 181: « consequenter dicemus » - *ἑξῆς εἰρηκότες*, « ordinatim dicentes ».

* : « *mundanorum* et supermundanorum - « *encosmicorum* et *supercosmicorum* ».

* : « *secundum assignatam intentionem* » - *κατὰ τὸν ἀποδοθέντα τοῦ λόγου σκοπόν*, « secundum *transmissum scopum libri* »; agitur enim de *interpretatione* alicuius textus scripti (« *haec... explicavit* - 179: *ὑφηγήσατο* - *secundum* amativos hymnos »). Et agitur de quodam libro cuius sensus accipitur ex transmissione viva doctrinae.

* ad n. 182: hic S. Thomas *certissime* legebat textum graecum, nam in expositione habetur: « superior constructio (181) *pendet* usque huc » (459). Sed, ni fallor, versionis latinae constructio *non* pendet: hoc verificatur tantum in textu graeco.

* ad n. 183: « ex bono... ad bonum » - *ἐκ τἀγαθοῦ... εἰς τἀγαθόν*, ex *ipso* Bono... ad *ipsum* Bonum.

2ª QUOAD « AMATIVOS HYMNOS » (179).

Quaedam ex prologo Origenis in Canticum Canticorum addenda videntur his quae supra posita sunt (pag. 138-140) ut clarius intelligantur omnia quae Dionysius *sincere* exposuit et eius « perfector in sacris » illi explicavit.

« Oportet igitur, secundum hanc eamdem sapientissimi Salomonis doctrinam, eum qui sapientiam scire desiderat incipere ab *eruditione* morali et intelligere illud: " concupisti sapientiam, serva mandata et Dominus dabit eam tibi " [*Eccli.* 1, 26].

« Ob hoc magister hic qui primus homines divinam philosophiam docet, operis sui exordium *Proverbiorum* posuit *libellum* in quo, ut diximus, *moralis* traditur *locus*, ut cum intellectu moribusque quis profecerit, veniat etiam *ad naturalis intelligentiae disciplinam* atque ibi rerum causas, naturasque distinguens, agnoscat vanitatem relinquendam, ad aeterna autem et perpetua properandum et ideo post Proverbia ad *Ecclesiasten* venitur qui docet, ut diximus, visibilia omnia et corporea caduca esse et fragilia quae utique cum ita esse deprehenderit is qui sapientiae studet, sine dubio contemnet ea ac despiciet et universo, ut ita dicam, saeculo renuncians, tendet ad invisibilia et aeterna quae, spiritalibus quidem sensibus sed adopertis, *amorum quibusdam figuris* docentur in *Cantico Canticorum*.

« Ideo enim novissimum locum tenet hic liber, ut tunc ad eum veniatur cum et moribus quis fuerit defecatus et rerum corruptibilium atque incorruptibilium scientiam distinctionemque didicerit per quae in nullo possit ex his figuris quibus sponsae ad Sponsum coelestem, idest *animae perfectae amor ad Verbum Dei describitur ac formatur*, offendere.

« Praemissis namque his quibus purificatur anima per actus et mores [*Proverbia*] et in rerum discretionem naturalium perducitur [*Ecclesiastes*], *competenter ad dogmatica venitur et ad mystica atque ad Divinitatis contemplationem sincero et spiritali amore conscenditur* [*Cant. Canticorum*]...

« Si quis ergo primum locum in emendandis moribus, mandatisque servandis, qui per Proverbia designatur, implevit; post haec autem, deprehensa vanitate mundi et rerum caducarum fragilitate perspecta, venit in hoc ut renunciet mundo et omnibus quae in mundo sunt, *consequenter veniet etiam ad contemplanda et desideranda ea quae non videntur et aeterna sunt* (cfr. II *Cor.* 4, 18).

« Ad quae tamen ut pervenire possimus, indigemus divina misericordia si forte valeamus *perspecta pulchritudine Verbi Dei salutari in Eum amore succendi, ut et Ipse dignetur huiusmodi animam diligere*, quam desiderium sui habere perspexit » (MG. 13, 75 C - 76 A, 76 C - 77 A).

Dionysius (EH. III, 3, 4; 429 C) librum istum sic describit: « *θείων ἐρώτων ἅσματα καὶ ἐνθέους εἰκόνας* » - « *amorum cantica divinorum* imaginesque divinas » (Cordier).

Quando autem hic concludit suam tractationem de amore, antequam pro corona referat verba Hierothei, notat (179) eadem explicasse *κατὰ τοὺς ἐρωτικοὺς ὕμνους*. Si vis praepositionis *κατὰ* perpendatur, invenimus eam *post verba dicendi* significare « circa » vel simpliciter cum accusativo: « secundum ». Non agitur ergo de « amativis hymnis » Hierothei, ex quibus haec quae sequuntur decerpantur, sed de exegesi quadam Cantici Canticorum. Quod confirmatur per ea quae leguntur in fragmento relato (181): *κατὰ τὸν ἀποδοθέντα τοῦ λόγου σκοπόν* - « secundum transmissum scopum libri » qui, ni fallor, est Canticum Canticorum, nam de « amativis hymnis » agitur et de amore tractatur.

Teste Philastrio († c. 397) « est haeresis quae de Canticis Canticorum ambigit ipsa itidem aestimans *non spiritu divino sed humanarum rerum causa ac voluptatum* hominibus ad eodem praedicata... Qui ergo vani homines concupiscentiis carnis inserviunt fingunt aut non posse [se] sentire aut, *si eis exponitur, contemnunt discere* » (*de haeresibus liber*, CXXXV; edit. Oehler, *Corpus haeres.* I, Berolini 1856, pag. 148-149). An isti haeretici sentiant quae docuit Theodorus Mopsuestenus (c. 350 † 428) iuxta quem, Canticum est « aemulationis nuptialis mensale convivium sicut et de amore postea Plato *Convivium* scripsit » (cit. Girotti, *I Sapienziali*, pag. 192) vel ex alia schola

prodierint dum Philastrius librum componebat (385-391), quaestionem solvendam peritioribus relinquo.

Affinitatem inter modum loquendi Dionysii et Hierothei in fragmento citato (180-183) quasi « *ovi ovo* similis » (cfr. 130, 144, 157, 167), explicant quandoque ex eo quod ipse Dionysius, sua verba fulciendi gratia auctoritate antiquioris magistri, haec quae Hierotheo adscribit *ipse composuit*. Et hoc est quidem possibile in hoc mundo, sed si quis perpenderit mentem eius valde improbabile est, immo omnino alienum a sinceritate humilitatis et amoris eius.

En quomodo ipse dat rationem suae occultationis: « merito itaque *divini pictores*, quando mentem suam (*τὸ νοερὸν ἑαυτῶν*) ad superessentialem illam fragrantem spiritalemque pulchritudinem constanter efformant, *nullam virtutem earum quae iis insunt agunt ut ab hominibus*, uti scriptum est (cfr. *Matth.* 6, 1), *videantur*, sed sancte in unguento divino velut in imagine, sacratissima quaeque Ecclesiae mysteria velata contemplantur; atque adeo *quidquid in virtute sacrum ac maxime deiforme est, intra mentem suam quae ad imaginem et similitudinem Dei facta est recondentes* ad primaevam dumtaxat speciem atque intelligentiam intuentur... *neque istam spectant gloriam quae, sine ratione, vulgo passim beata praedicatur* » (EH. IV, 3, 1; 473 C - 476 A). Haec sunt verba hominis non tantum acri ingenio praediti, sed et sinceritate praestantis. Inde si auctoritatem Hierothei citat verba quae sequuntur Hierothei sunt; si consonant verbis Dionysii, ipse explicat et iustificat suam positionem (87-94) et si « ovum ovo simile » consentio, at aliud ovum columbae aliud ovum aquilae.

3ª Quoad « fragmentum » Hierothei (180-183).

Quaedam oritur difficultas in actuali redactione textus ex eo quod tria videntur esse fragmenta, unumquodque cum suo titulo: 1 (180); 2 (181-182); 3 (183). At non desunt Codices qui simpliciter ponunt « fragmentum » absque ullo titulo, ne in initio quidem, cum satis sit quod legitur in textu (179).

Ex textu versionis latinae facilis occasio habetur supponendi velut hiatum inter 180 et 181 et hoc notat S. Thomas (457), sed attente considerando graecum textum unitas fragmenti satis clare apparet, nec videtur aliquid deesse inter unum et alterum.

Si mens humana est « *encosmica* » (130, 331: cfr. pag. 110), quinque « amores » (180) sunt vel « *encosmici* » (naturalis, psichicus, intellectualis) vel « supercosmici » (angelicus, divinus). Sed quia est amor humanus inde, ut « intellectualis » amor, est « supercosmicus », sicut amor angelicus (181). Hae « notiones » inveniuntur in ipsa denominatione quinque amorum, quorum « *vis* » ibidem explicatur, dum describitur breviter quid et quomodo operetur (cfr. 144, 157, 167). Rursus, quia quatuor amores sunt creaturarum, inde subditur distinctio inter hos quatuor et Amorem Dei (182) et ulterius *reductio ad Unum* (183).

Origo huius fragmenti repeti potest ex aliqua « collatione » Hierothei cum suis filiis et discipulis, ut supra notatum est pro *Syllabario theologico* (cfr. pag. 60), secundum hypothesim quam reverenter peritioribus propono.

Hinc simul *character* huius fragmenti manifestatur, dum luce divina, quae revelatur in *Canticis Canticorum* perfunditur et in verbis Hierothei reverberata cernitur.

Non ergo agitur de *piis* hymnis aut de hymnis *eroticis*, ut quibusdam ex opposito placuit determinare. Nec *sacros* hymnos appellabimus, quales inveniuntur apud Synesium, iuxta opinionem Ioan. Iosephi von Görres [v. Silvana Lupo, *J. J. von Görres*, Torino (1929); *La Mistica Cristiana*, VI. Il Misticismo speculativo del primo Cristianesimo, pag. 76].

Quae Dionysius ex Hierotheo refert, ut supra dictum est, nil aliud esse videntur nisi fragmenta exegetica super Cant. Cantic. « secundum transmissum libri scopum » qui est amorem Dei per similitudinem amoris humani manifestare immo *revelare* et quidem plenius in luce Novi Testamenti. Dialectica amoris christiani non est ascensiva ut in systemate Platonis vel Neo-platonicorum, sed descensiva, quia Amor Dei est mensura et regula omnium amorum. Ideo vero harmonia amorum constitui potest per reductionem ad Unum quia Ille unus totus amabilis et desiderabilis sese revelavit et in Christo Iesu opus nostrae salutis perfecit.

Ordo lectionum cap. quarti.

II° — DE MALO (lect. 13ª-23ª):

A) movet *dubitationes* (lect. 13ª),

B) *solvit* et determinat veritatem:

1° - solvit quaestiones quae pertinent *ad malum simpliciter:*

a) solvit *tres principales quaestiones:*

j° - solvit primam quae quaerebatur *an malum sit* aliquid (lect. 14ª);

ij° - solvit secundam: *unde sit* malum:

I) movet dubitationem (lect. 15ª);

II) solvit eam (lect. 16ª);

iij° - solvit tertiam: *in quibus sit* malum:

a) ostendit quod non est aliquid in existentibus et hoc determinat in generali (lect. 17ª);

b) ostendit hoc in speciali:

α) non potest esse *in Deo* (*ibid.*);

β) *in creaturis* malum non est aliquid:

I ostendit hoc de *Angelis* bonis (lect. 18);

II de *daemonibus* (lect. 19);

III de *animabus* (lect. 20);

IV de *rebus naturalibus* (lect. 21);

b) solvit *secundarias quaestiones:*

j° - utrum malum *causetur* ex bono aut ex aliqua alia causa (lect. 22ª);

ij° - quomodo *Providentia* compatitur malum (lect. 23ª);

iij° - quomodo aliquid existentium *desideret* malum (*ibid.*);

2° - Solvit quaestiones quae pertinent *ad malum secundum quod in daemonibus invenitur* (*ibid.*)

PRAENOTANDA

Hic sunt leones. Cave ne a rugitu territus vel in praedam raptus iter conficere nequeas. Sed « rationales » sunt, ideo nil timendum, nam omnes veritatem quaerimus, eiusque pulchritudinem amamus.

P. Ir. Hausherr S. J. publici iuris fecit notitiam quae invenitur in codice borgiano armeno 77 et refertur ad opus a quodam monacho confectum, versionem nempe *Syllabari theologici* Procli.

Simeon Petritsi seu Petritsoneli hanc notam apposuit: « Translatus est hic liber qui elementum est et caput theologiae, auctore Proclo diadocho platonico philosopho, a Simeone inutili presbytero monacho, ex Iberorum lingua in armenam linguam, in terra Armenorum apud Iberorum monasterium quod vocatur Plendzahankh anno mundi 6756 [= A. D. 1248].

« Obsecro vos, fratres, quia magno labore reddidi, primum quidem quia non eram dignus talis operis cum essem pollutus peccatis, denique quia valde senex et infirmatus sum oculis mente viribus. Sexagenarius enim eram; sed quia hic (liber) minime erat in nostram linguam translatus et mater est theologiae primaria (hunc transtuli): Moses hanc didicit scientiam (elementorum) et eius verbis composuit theologiam suam; Dionysius Areopagita et Hierotheus suos libros integre ex eadem scripserunt; ita et Gregorius Theologus theologiam suam ex eadem verborum compage deduxerunt. Haec enim (scientia) est fundamentum et radix et mater cuiusvis (scientiae). Ex hoc (libro) sumpserunt illi totum, hi vero breviores sectiones... » (Ir. Hausherr, *Doutes au sujet du « divin Denys »* in *Orientalia christiana periodica* 1936, n. III-IV, pag. 490).

« Moyses bar Kepha cuius theologia a Dionysio pendet » (id. *ibid.*) Dionysius « Areopagita » Hierotheus et Gregorius Nazianzenus in orbem Procli (410 † 485) volvuntur. Visio chronologica non est nimis distincta, at saltem unum maximi momenti demonstrant verba huius amabilis viri, Procli actualitatem in saeculo XIII: nam tunc notitiae currebant pedibus missionariorum Ecclesiae Catholicae apud Orientales.

Hinc, ni fallor, explicatur quare S. Thomas in expositione libri *de Causis*, quem ipse primus a *Syllabario theologico* Procli derivatum dixit, continuo doctrinam proclianam diligenter confert cum doctrina in libro *de Causis* traditam et accurate examinat.

Forsan et Guillelmus de Moerbeka momentum Procli ponderans, inter sollicitudines pastoralis officii patrimonium culturale latinorum augere curabat. Versionem latinam libri *de Malorum Subsistentia* ad terminum duxit dum Corinthi morabatur, ut eruitur ex notula apposita: « expleta fuit translatio huius libri Corinthi a fratre Guillelmo de Morbeka archiepiscopo Corinthiensi anno Domini 1280, 21 die Februarii ».

Iudicium S. Thomae, fr. Guillelmus habere non potuit, quia e vivis in terra a sex annis ereptus fuerat (1274) unde nil mirum si in sua expositione hanc quaestionem ne leviter quidem tangit. Characterem doctrinae a Dionysio traditae peracute notat, cum sub « stylo et modo loquendi quo utebantur Platonici » (in *prooemio* II a) aliquid novi intuetur scribens: « *Dionysius autem fere ubique sequitur Aristotelem, ut patet diligenter inspicienti libros eius* » (*in lib.* II *Sent.* dist. XIV, q. 1, a. 2). Quod quidem consonat cum spiritu novae Scholae Atheniensis sub praeside Plutarcho qui Platonem et Aristotelem in synthesim novam reducere conabatur.

An Plutarchus fuerit primus et solus in hoc opere moliendo, est alia quaestio quam historia solvit sensu negativo. Sicut Proclus totus fuit in stabiliendo valore Philosophiae et Theurgiae pro vita hominis, at nec primus nec solus fuit: immo, quidquid sit de eius praxi personali, *tunc* de his rebus disceptabatur, ut ita dicam, accademice, dum *alio tempore* quaestiones vitam agitabant societatis.

Moderni fere omnes, quod sciam, dependentiam Dionysii a Proclo pro certo habent: omnes acceptant conclusiones H. Koch et P. J. Stiglmayr S. J., qui sunt magnifici « leones » in scientia critica huius quaestionis.

Tria sunt elementa fundamentalia « acquisita » pro solutione critica quaestionis. Et quia sensus et valor operum Dionysii maxime pendent ab « ista » solutione, non pigeat pauca referre de singulis.

1) Primum est ab ipso Dionysio revelatum: nam EH. III, 2 (425 C), meminit « hymnologiae catholicae » et ibid. 3, 7 (436 C) clare explicatur actus liturgicus: « fideles » (*οἱ πιστοί* - Maximus, MG. IV, 144 B) « *laudant* beneficum Principium bonorum datorem, *hymnologia catholica*... hunc *hymnum* professionem (*ὁμολογίαν*) appellant, alii religionis symbolum (*τῆς θρησκείας τὸ σύμβολον*) alii, ut aestimo *divinius*, gratiarum actionem (*εὐχαριστίαν*) initialem » (*ἀρχικήν* - al. *ἱερατικήν*, sacerdotalem; al. *ἱεραρχικήν*, hierarchicam, episcopalem?).

P. Le Quien primus notavit dispositionem liturgicam Petri Fullonis ordinantis ut « in omni synaxi symbolum diceretur » (Theodori Lector., *Excerpta ex H. E.* II, 48; MG. 86, 1, 209 A) et conclusit: « hic omittere non possum *pessimum hunc hominem* aut quemdam saltem ex eius asseclis genuinum fuisse videri parentem librorum qui Areopagitici audierunt » (*Dissertatio Damascenica* II, 16). Haec consuetudo vero invecta dicitur a. 476.

Quae de symbolo fidei vidit P. Le Quien († 1733) immutata adhuc sunt, tantum non « *pessimum hominem* » sed « sanctum Severum patriarcham » (Studia syriaca fasc. III *Vetusta Documenta Liturgica*, primo ed. latine vertit, notis illustravit Ignatius Ephrem II Rahmani patriarcha Antiochenus Syrorum, 1908 pag. 37), iuxta novas et subtiles conclusiones P. J. Stiglmayr S. J. (*Der sog. Dionysius Areopagita und Severus von Antiochien* - Scholastik 1928, pag. 1 ss. 161 ss.), auctorem constituunt librorum.

2) Hanc viam ingressi detegunt apud Dionysium aptitudinem quamdam quae dictata videtur a decreto « *henoticon* » (482): quaestiones christologicas ita

tangit ut ex una parte monophysitis favere videtur cum loquitur de nova operatione theandrica (*μία θεανδρικὴ ἐνέργεια*, ep. IV - sic expressis verbis invenio apud F. Cayré, *Patrologie et Histoire de la Theologie* II, Paris 1933[2] pag. 90, n. 6); ex altera parte vero terminis christologicis Concilii Chalcedonensis (451) utitur confusionem duarum naturarum devitans.

3) Auctor ipse demonstrat se esse discipulum Procli qui post Syrianum († 450) fuit diadochus novae Scholae Atheniensis et anno 440 scripsit « *de Malorum Subsistentia* » a Dionysio textualiter citatum in hoc capitulo (J. Stiglmayr S. J. *Der Neuplatoniker Proclus als Vorlage des sogen. Dionysius Areopagita in der Lehre von Uebel* - Historisches Jahrbuch XVI Bd. 1895, pag. 253-273; 721-748).

Hae sunt conclusiones « scientifice » probatae et per totum mundum vulgatae: loqui de quaestione dionysiana supervacaneum iam erit. Nisi quod Durantel (*Saint Thomas et le pseudo-Denys*, Paris 1919, pag. 11, n. 2) observat: « ... sed hoc supponit solutam quaestionem Proclum esse Dionysio priorem » (... Mais ceci *suppose tranchée* la question de l'antériorité de Proclus sur le pseudo-Denys).

Haec cum ita sint, omnia rursus in quaestionem ponuntur, nec videtur solvi posse, cum tamen solutionem quaerant viri clarissimi et in scientiis historicis apprime exculti.

* Quae in articulo « Eucharistia fidelium » scripsi supervacat repetere; observationes aliquas adiiciam ut hypothesis proposita appareat non dictata a nescio quonam spiritu systematis, sed a simpliciori et forsan ingenuo amore erga Patres et Scriptores Ecclesiae Catholicae.

In papyro liturgico Dêr-Balyzehnsi invenitur symbolum fidei brevissimum (frag. B) et insertio eius in ordine Missae est quaedam *novitas*, ut termino D. de Puniet utar. Sive enim haec liturgia adscribatur *saeculo tertio ineunti*, ut scribit Schermann, sive non sit antiquior *Canone Serapionis*, ut notat Rauschen, semper habetur symbolum fidei, saltem in quadam synaxi.

Dr. Theodor Schermann (*Der liturgische Papyrus von Dêr-Balizeh, Texte u. Untersuchungen zur Geschichte der Altchrist. Literatur, Bd* 36, 1 b 1910, pag. 36) aestimat hic agi de *Missa baptismali*, qua finita, neophyta *professionem fidei* denuo dicebat.

Apud Dionysium videtur haberi momentum historicum in quo « professio » vel « religionis symbolum » et certe agitur de « Credo », *a termino Missae baptismalis transfertur et coniungitur cum « Eucharistia fidelium » cuiusvis synaxeos*, at certe est periodus formationis novi ordinis, ut patet per ea quae ipse Dionysius dicit, cum praefert antiquam denominationem (cfr. *Eucharistia fidelium*, Salesianum 1942, pag. 160 et 169, n. 1; solutio quam propono videri potest *ibid.* 1943, pag. 1-46). Quando ergo Petrus Fullo determinavit ut « in omni synaxi symbolum diceretur », an *primus* fuit non ausim dicere et de coetero non erat amplius quaestio de Eucharistia fidelium. Peritiores rerum liturgicarum orientalium iudicent.

* Ad Christologiam quod pertinet quaedam breviter supra iam notata sunt (pag. 22-33 et pag. 65); ad *Henoticon* quod attinet, sufficiat observatio iam facta (pag. 82) cum manifeste pateat non omnem « filium pacis » esse sub influxu huius decreti, secus et Basilius et Gregorius Nazianzenus ex hac parte expelli deberent a saec. IV et collocari post a. 482, sicut et multi alii *christiani* scriptores.

Unum addendum necesse est: in epist. IV invenitur « *καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν* » (1072 C) « novam quamdam theandricam operationem » *non* vero: *μία θεανδρικὴ ἐνέργεια, una* theandrica operatio, sicut scribit F. Cayré. Haec est additio interpretativa Severi Antiochensis ut patet ex epistola ad *hygumenon* Ioannem: « *καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν... μίαν ἐνοήσαμεν σύνθετον καὶ νοοῦμεν* » (*Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi*, edit. F. Diekamp. Münster i. W. 1907, pag. 309: XXIV) - « novam quamdam theandricam operationem... *unam* intelleximus (operationem) compositam et intelligimus ».

Dr. Ioseph Maric hanc notam habet: « errat Altaner dicendo: " Dionysius spricht von einer einzigen gottmenschlichen Wirksamkeit (*μία θεανδρικὴ ἐνέργεια*) in Christus... " (Rauschen-Altaner, *Patrologie*, Freiburg B. 1931, 405). Pseudo-Dionysius non enim de " una et unica ", sed de " nova quadam Christi activitate theandrica " loquitur » (*Pseudo-Dionysii Areopagitae formula Christologica celeberrima de Christi activitate theandrica* - Bogoslovska Smotra, *Ephemerides Theologicae*, Zagreb, 1932, t. I, p. 158, n. 44).

Haec quae notat Maric in editione germanica, inveniuntur et in versione italica (B. Altaner, *Patrologia*, Torino 1940, pag. 351). Quae autem refert de quodam magni nominis auctore qui, in suo *Enchiridio*, textum Pachymeris pro textu Dionysii posuit (Maric, *ibid.*, pag. 158, n. 34) incredibilia fere videntur.

* Ex his quae breviter tetigimus, manifestum videtur quaestionem de dependentia Dionysii a Proclo, *ratione temporis*, probabilitate carere; *ratione* vero *doctrinae* quaestio difficilior apparet si ea quae habentur in hoc cap. IV *de Malo* et ea quae leguntur in *de Malorum Subsistentia* comparentur, ut acutissime fecit P. J. Stiglmayr S. J.

Improbabile enim omnino est Proclum habuisse prae manibus aliquod opus Dionysii, etiam in hypothesi quam propono, immo excludendum, ut videtur. Hac ratione motus, alicuius momenti sunt verba ipsius Procli qui honeste fontes suae doctrinae signat et postea (29) meminit *συνουσιῶν*: qui quidem terminus classicus est ad indicandam doctrinam oretenus traditam et inde traditionem quamdam huius vel illius doctrinae, ut patet ex Porphyrio (*Vita Plotini* 14. 21), Plotino (*En.* V, 1, 9), Asclepio (*in Metaphys.* I, 9; edit. Hayduk, pag. 77), Simplicio (*in Aristotelis Physicorum libros quattuor priores*, edit. Diels, Berolini 1882, pag. 454: *τὰ ἐν τῇ περὶ τἀγαθοῦ συνουσίᾳ* et pag. 545: « *ἐν ταῖς ἀγράφοις ταῖς περὶ τἀγαθοῦ συνουσίαις* »).

« *Non scriptae collationes platonicae de Ipso Bono* » ut Simplicii verbis utar, vehebant plurimas notiones non tantum de una schola ad aliam, sed et de una regione ad aliam, unde apud diversos omnino auctores quaedam « *notiones communes* » inveniuntur quae forsan talem originem habent.

Quidam tamen conceptus sunt tali modo essentiales et originales ut necessariam dependentiam unius ab altero implicent: sic conceptus potentiae et actus apud Platonem; sic conceptus materiae formae et privationis apud Aristotelem et sic de aliis non paucis.

Notio mali tamquam *παρυπόστασις* est unus ex his conceptibus et si quidem esset proprietas originalis Procli sufficeret, ni fallor, pro stabilienda dependentia alterius cuiuscumque auctoris qui illo uteretur, ab ipso Proclo qui talem notionem perpulchre illustrat in *de Malorum Subsistentia* (126-132); cfr. apud Dionysium: 203, 229, 243, 244.

At ipse Proclus explicite attestatur per verba: « ... ut dicere *consueverunt* » (126), hanc notionem iam esse acquisitam suo tempore (440) et si fidem habeamus Simplicio (*in Aristotelis Categorias Commentarium*, edit. C. Kalbfleisch, Berolini 1907, pag. 418) *Jamblichus* « multas et pulchras rationes » excussit pro stabilienda tali notione: « *πρὸς τὸ ἐν παρυποστάσει καὶ ἀποτυχίᾳ τὸ κακὸν οἴεσθαι δεῖν* » quod nempe « malum putari debet (consistere) in *parhypostasi* et calamitate ».

De coetero, Basilius Magnus et Gregorius Nyssenus iam usi sunt hac notione et certe tamquam communiter recepta ex patrimonio humanae culturae (Basilii *in Hexaem.* hom. II, 4. 5, Opp. I, 15 C - 18 A; hom. *Quod Deus non est auctor malorum* 5; Opp. II, 78 A; Gregorii Nys. *in Eccles.* hom. 5, MG. 44, 681 B C:... « *τῇ στερήσει τοῦ ἀγαθοῦ παρυφίσταται...* et in *de hominis opificio*, XII, *ibid.* 164 A).

Gregorius Nazianzenus, orat. XL *in Sanctum Baptisma* (MG. 36, 424 A) n. 45 tradit « novum decalogum », doctrinalem nempe et veluti « compendiosam salutis doctrinam ». Haec autem, inter alia, habet: « Crede nullam mali essentiam (*μὴ οὐσίαν*) esse nec regnum aut principii expers aut a se ipso subsistens aut a Deo creatum, sed nostrum opus hoc esse et pravi illius, malum ex incuria et socordia (*ἀπροσεξίας*) ad nos irrepsisse, non autem a Creatore ».

Metaphysicalium quaestionum difficillima hic ponitur in praxi pastoralis officii, unde legitima suspicio oritur in schola theologica doctrinam quamdam communem, fidei christianae consonam, tradendam fuisse. Hinc intelligitur quare, « fundamentalis » doctrina a Dionysio hic tradita et ab aliis forsan *per glossas marginales* aucta quae *inde in textu* positae sunt, *integrari debet* per doctrinam ethicam et iuridico-poenitentialem quae in *Ecclesiastica Hierarchia* traditur iuxta canones poenitentiales Ecclesiarum Ponti et Cappadociae (*Eucharistia fidelium*, Salesianum 1943, pag. 20-32).

Vivam quamdam descriptionem habemus apud Basilium quae bene illustrat difficiliorem locum Dionysii (EH. III, 3, 6).

« Vide enim mihi quempiam iuvenem a puero pudicis honestisque moribus educatum alacriter et studiose ad praecationum domos prodeuntem, pro sua virili parte beneficum aeterni iudicii memorem, amplectentem doctrinae sermonem.

« Deinde illum considera in stuprum aliquod prolapsum; quomodo post pudicitiae iacturam, fructuumque vastationem, omnimoda illum deinceps ruina maneat.

« Iam mala conscientia non hunc sinit ad praecationis locum proficisci, quippe quia *in fidelium ordine non consistit*, ab eo siquidem excidit; *nec tamen in deflentium loco stat, siquidem erubescit*.

« Hinc oritur in precatione segnities ac fictas excusationes *ad inquisitores* (*ἐπιζητοῦντας*) fallendos comminiscitur. Quispiam, inquit, urget me atque adeo non opperior coenae celebrationem (*σύναξιν*) et ob eam causam *ante fidelium precationem* (*πρὸ τῆς τῶν πιστῶν εὐχῆς*) rursus se subducit, quamlibet excusationem effingens.

« Deinde sensim ob consuetudinem meditatur *apostasiam* et ad integram perditionem deducitur.

« In summa, malignis potestatibus peculiare est numquam prius ab iis quos iustitiae fructibus vacuos reddiderint secedere, quam eosdem *iis qui circa cognitionem versantur erroribus* imbuerint » (Basilii M. *Comment. in Esaiam prophetam*, 19; Opp. I, 392 A-C).

Haec quae scribit sanctus doctor manifestant quemdam textum ipsius Dionysii, quem non plene explicavi in citato articulo (Salesianum, 1943, pag. 21-24); *ἀπερισάλπιγκτοι* (EH. III, 3, 6; 432 C) sunt huiusmodi apostatae qui « *non sunt capaces audiendi sonum* » invitantem eos ad salutarem poenitentiam. Unde non solum de *poena* quae nondum est poenitentia (*ibid.* pag. 24) agitur, sed et de *culpa* et de modo agendi publici peccatoris arcendi a sacris.

Sic plenius intelligitur can. 75 epist. 217 canonicae III, ubi S. Basilius fere hunc casum considerare videtur: « qui cum sua ex patre vel ex matre sorore pollutus est, in domum orationis *ne permittatur accedere* donec ab iniqua et nefaria actione desistat.

« *Postquam* autem *in horrendi peccati sensum* et animadversionem *venerit, triennio fleat* stans propter fores domus orationis » (Opp. III, 328 C).

Nota vero quae dicit S. Basilius de hoc iuvene qui « ante fidelium precationem » se subducit. Ni fallor haec « fidelium precatio » est « hymnus catholicus » qui et « eucharistia initialis » appellatur a Dionysio. Hae practicae considerationes alicuius videntur esse momenti pro *critica* determinatione *primaevi status* huius tractationis de malo.

Quaedam ex Sallustio adiicienda sunt quae aliquantulam lucem afferunt ad intelligentiam praxis pastoralis: nam, ut notum est, opus *de diis et mundo* est velut catechismus antichristianus: cap. XII quaeritur « unde mala » et probatur « mali naturam nullam esse ».

Quaestio: « Sed quomodo, quum dii boni sint et omnia efficiant, mala sunt in mundo? ».

Responsio: Aut hoc ipsum primum quidem dici oportet, quum dii boni sint omniumque rerum auctores, *malum natura non esse sed boni absentia* (*ἀπουσίᾳ ἀγαθοῦ*) *gigni, quemadmodum tenebrae quoque ipsae per se non sint, sed lucis defectu oboriantur* ».

Principium generale claudit eamdem notionem quam explicant Basilius Magnus et Gregorius Nyssenus. At nescio qua ratione motus E. Schröder (*Plotins Abhandlung*, pag. 194, n. 1) nolit recognoscere hanc esse ipsam doctrinam Jamblichi, si fidem facimus Simplicio hoc explicite attestanti. Bene quidem notat *hanc esse doctrinam fundamentalem Procli*,

at quo pacto Sallustium praeferat Jamblicho non video, licet verum sit ipsum tenere positionem mediam inter Jamblichum et Proclum.

Ad quaestionem nostram quod pertinet, hoc nullius momenti est: clare enim haec omnia habentur apud Basilium Magnum et Gregorium Nyssenum, ut iam dictum est, maxime quoad notionem mali ut *parhypostasis* est seu *parasubsistentia*.

Sequitur argumentatio Sallustii: « est enim necesse, si (malum) est, aut in diis aut in mentibus, aut in animabus aut in corporibus esse.

« At in diis non est, quum deus quilibet bonus sit (*πᾶς θεὸς ἀγαθός*). Quod si quis mentem malam dicit, mentem stolidam (*νοῦν ἀνόητον*) appellat. Si autem animam, corpore deteriorem (animam) faciet, nam omne corpus secundum se (*καθ' ἑαυτό*) malum non habet; si vero ex anima et corpore (nasci affirmarit) absurda res erit quae separata mala non sunt, adunata malum facere.

« Porro si quis *malos* daemonas (*κακοὺς δαίμονας*) dicit, illi si a diis potentiam habent, mali non erunt; si aliunde, non omnia dii faciunt. Si autem non omnia faciunt *aut volentes non possunt aut si possunt nolunt*, quorum neutrum deum decet.

« Ex his videri potest nihil in mundo natura esse malum ».

Quaestio particularis est circa hominis activitatem cui Sallustius respondit breviter, sed sufficienter:

« Verum circa hominum operationes et harum non in omnibus nec semper, mala apparent.

« Quantum ad haec, si propter ipsum malum (*δι' αὐτὸ τὸ κακόν*) peccarent homines, ipsa utique natura mala foret; sed quum adulter adulterium quidem malum voluptatem bonam, homicida caedem quidem malam, sed pecunias bonas existimat et qui inimicis nocet nocere quidem malum, ulcisci autem inimicos bonum esse censet et sic omnem culpam committit anima, bonitatis causa (*δι' ἀγαθότητα*) mala fiunt, quemadmodum, dum lux abest, fit tenebra naturâ non-ens (*φύσει μὴ ὄν*).

« Peccat igitur anima quia bonum appetit (*ἐφίεται ἀγαθοῦ*), sed errat circa bonum, quia non est prima substantia ». Hic tangitur profundissima ratio humanae defectibilitatis et inde subditur auxilium divinum, iuxta *consuetudines patrias:* « Sed ne a regula aberret et si aberrarit adhibitis remediis *sanetur*, multa a diis provisa esse animadvertas. Etenim artes et scientiae et *meditationes* [*μελέται*, iuxta correctionem G. Muccio, *Osservazioni su Sallustio filosofo* in « *Studi italiani di Filosofia classica* » VII, 1899, pag. 60; Orellius correxit *ἀραί* « *dirae* », loco *ἀρεταί, virtutes* ut vulgo habetur in textu] preces et sacrificia et teletae (*τελεταί*), leges et vitae civilis institutiones, iudicia et poenae, posita sunt ad animas a peccatis avocandas » (*Fragmenta Philosophorum Graecorum*, edit. Mullach, III, Parisiis, pag. 41-42).

• Ut facilius possit quis textum Dionysii cum textu Procli conferre, « *de Malorum Subsistentia* » in Appendice pono, ea etiam intentione ductus ne memoria clarissimi viri fratris nostri Guillelmi de Moerbeka oblivione sepeliatur; ulterius, vero, ne catulis leonum crepundia desint.

LECTIO XIII (23ª)
Dubitationes.

SYNOPSIS
(Lect. XIII; cap. IV; textus nn. 184-186; expositio nn. 461-468).

II° — *Determinat de Malo*:
- A) Movet dubitationem:
  - 1° - repetit de bono quae dicta sunt dubitationis occasione (184; **463**);
  - 2° - dubitationem movet:
    - a) *quantum ad daemones* (185; **465-466**); movet quatuor quaestiones:
      - j° - quomodo multitudo daemonum *non desiderat* pulchrum et bonum?
      - ij° - quomodo producta a Deo non est Ei conformis in bonitate?
      - iij° - quomodo quod fuit naturaliter bonum potuit variari?
      - iv° - quid fuit illud quod fecit daemonem malum?
    - b) *in communi de malo* (186, **467-468**):
      - j° - *quid est* malum?
        - ij° - *Ex quo* principio processit?
          - α) Estne Deus?
            - *a)* quomodo voluit?
            - *b)* quomodo volens potuit?
          - β) Estne alia causa?
            - *a)* quaenam praeter Deum?
            - *b)* quomodo Deus permittit?
        - iij° - *In quo* existentium existit malum?
        - iv° - *Quomodo aliquid potest desiderare* malum?
- B) Determinat veritatem (187 ss., **469** ss., lect. 14ª ss.)

TEXTUS DIONYSII

§ 18. 184. — « Et quidem dicat aliquis: Si omnibus est bonum et pulchrum et amabile et desiderabile et diligibile, desiderat enim ipsum et quod non est, ut dictum est (111; **295-298**; 141; **355-356**) et certat aliquo modo in ipso esse; et ipsum est quod format informia; et in ipso et non existens supersubstantialiter dicitur et est;

185. — quomodo daemonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum; inclinata autem ad materiam et ab angelica identitate circa desiderium boni * prolapsa, malorum universorum causa et sibi ipsi et aliis efficitur, quaecumque mala fieri dicuntur?

Quomodo autem totaliter ex bono * deducta daemonum tribus non est boniformis?

Aut quomodo bonum, ex bono factum, variatum est?

Et quid est quod malum fecit illud?

186. — Et totaliter quid est malum et ex quo principio consistit et in quo existentium est?

C. IV. § *18. 184. — Καίτοι φαίη τις· εἰ πᾶσίν ἐστι τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἐραστὸν καὶ ἐφετὸν καὶ ἀγαπητόν — ἐφίεται γὰρ* [716 A] *αὐτοῦ καὶ τὸ μὴ ὄν, ὡς εἴρηται, καὶ φιλονεικεῖ πως ἐν αὐτῷ εἶναι· καὶ αὐτό ἐστι τὸ εἰδοποιὸν καὶ τῶν ἀνειδέων καὶ ἐπ' αὐτοῦ καὶ τὸ μὴ ὂν ὑπερουσίως λέγεται καὶ ἔστι —*

*185. — πῶς ἡ δαιμονία πληθὺς οὐκ ἐφίεται τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ, πρόσυλος δὲ οὖσα καὶ τῆς ἀγγελικῆς περὶ τὴν ἔφεσιν τἀγαθοῦ * ταυτότητος ἀποπεπτωκυῖα, κακῶν ἁπάντων αἰτία καὶ ἑαυτῇ καὶ τοῖς ἄλλοις γίνεται ὅσα κακύνεσθαι λέγεται;*

*πῶς δὲ ὅλως ἐκ τἀγαθοῦ * παραχθὲν τὸ δαιμόνιον φῦλον οὐκ ἔστιν ἀγαθοειδές;*

ἢ πῶς ἀγαθὸν ἐκ τἀγαθοῦ γεγονὸς ᾐλλοιώθη;

καὶ τί τὸ κακύναν αὐτό;

186. — καὶ ὅλως τί τὸ κακόν ἐστι; καὶ ἐκ τίνος ἀρχῆς ὑπέστη καὶ ἐν τίνι τῶν ὄντων ἐστί;

Et quomodo bonus ipsum procedere voluit; quomodo autem volens potuit?

Et si ex alia causa est malum, quae alia est existentibus praeter bonum causa?

Quomodo autem et providentia existente est malum aut factum totaliter aut non destructum?

Et quomodo aliquid existentium desiderat ipsum praeter bonum? »

καὶ πῶς ὁ ἀγαθὸς παραγαγεῖν ἐβουλήθη; πῶς δὲ βουληθεὶς ἠδυνήθη;

καὶ εἰ ἐξ ἄλλης αἰτίας τὸ κακόν, τίς ἑτέρα τοῖς οὖσι παρὰ [B] *τἀγαθὸν αἰτία;*

πῶς δὲ καὶ προνοίας οὔσης, ἐστὶ τὸ κακὸν ἢ γινόμενον ὅλως ἢ μὴ ἀναιρούμενον;

καὶ πῶς ἐφίεταί τι τῶν ὄντων αὐτοῦ παρὰ τἀγαθόν;

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

461. — Postquam Dionysius determinavit de bono et de his quae ad bonum pertinent, hic determinat de malo; et primo, movet dubitationem; secundo, determinat veritatem; ibi [187]: *Igitur...* [lectio 14ª].

462. — Circa primum, duo facit: primo, repetit de bono quae dicta sunt, dubitationis occasione; secundo, dubitationem movet; ibi [185]: *quomodo...*

463. — De his autem quae supra dicta sunt, resumit quod *pulchrum et bonum est amabile et desiderabile et diligibile omnibus* et quod non solum ea quae sunt desiderant bonum, sed etiam id *quod non-est*, scilicet materia prima, sicut supra dictum est [111; **295-298**; 141, **355-356**], *desiderat* bonum et suo *modo certat* ad hoc quod sit in bono, inquantum scilicet habet inclinationem ad ipsum, secundum quod est in potentia ad illud; et bonum *quod format* ea quae non sunt formata et quod dicitur non-existens *dicitur* de summo bono *et est* etiam *in* eo, non quidem per defectum, sicut dicitur de materia prima et de pura negatione vel privatione sed *supersubstantialiter*. Deus enim dicitur non-existens, non quia deficiat ab existendo, sed quia est super omnia existentia.

464. — Deinde, cum dicit [185]: *quomodo...* movet dubitationes de malo; et primo, quantum ad daemones; secundo, communiter ad omnia; ibi [186]: *Et totaliter...*

465. — Movet autem, circa malum daemonum, quatuor quaestiones: quarum prima est: cum omnia bonum desiderent, ut dictum est [141; **355**], *quomodo multitudo daemonum non desiderat pulchrum et bonum*? Sed inclinatur ad desiderandum res materiales, sicut honores ab hominibus exhibitos et nidores sacrificiorum et alia huiusmodi materialia; et per hoc quod ipsi lapsi sunt ab uniformitate desiderii quod Angeli habent circa summum bonum, efficiuntur *causa* omnium *malorum*, non solum *sibi* ipsis, sed *aliis quaecumque mala fieri dicuntur* quantum ad homines, quia « *invidia diaboli mors introivit* in *orbem terrarum* » ut dicitur Sapient. 2 [24].

466. — Secunda quaestio est: *quomodo* multitudo *daemorum*, cum sit producta a *bono* Deo, *non* est conformis Ei in bonitate, cum unumquodque natum sit similia facere? Et quia posset aliquis dicere quod daemones facti sunt boni, sed versi sunt in malitiam, facit tertiam quaestionem: *quomodo* illud quod fuit naturaliter *bonum*, utpote *ex bono* causatum, potuit variari? Ea enim quae sunt naturalia, semper manent. Et quia omne quod fit, fit ab aliquo, movet quartam quaestionem: *quid* fuit illud *quod fecit* daemonem *malum?*

467. — Deinde, cum dicit [186]: *Et totaliter...* movet dubitationes in communi de malo et movet quatuor quaestiones, quarum prima est: *Quid est malum* universaliter? Secunda quaestio est: *Ex quo principio* processit malum? Et apparet ordo quaestionum: prius enim quaerendum est quid est malum et postea unde malum ortum sit, ut Augustinus dicit [1]. Tertia quaestio est: *In quo existentium* invenitur malum?

468. — His autem tribus quaestionibus propositis, secundam multiplicat dupliciter: Primo: quid sit; quia, aut causa mali est ipse Deus vel aliquid aliud. Si detur quod ipse Deus, duae dubitationes consurgunt, quarum prima est: *Quomodo* Deus, cum sit *bonus, voluit* producere malum? Non enim boni est quod velit malum facere. Secunda quaestio est: Si voluit malum facere, *quomodo potuit*? Non enim calidum potest infrigidare et similiter nec bonum potest

[1]) *De natura Boni contra Manichaeos*, cap. 4: « Proinde cum quaeritur unde sit malum, *prius quaerendum est quid* sit *malum* » (Opp. t. VIII, col. 502 C; ML 42, 553); fr. *contra epistolam Manichaei quam vocant* « Fundamenti » cap. 36 (n. 41): « Sed quoniam quaesivimus quid esset malum... consequenter quaerendum est unde sit... Praepropere quippe ac praepostere quaesivit [Manichaeus] unde esset, quod primo non quaesierat quid esset » (O p. t. VIII, col. 177 A B; ML 42, 201-202).

malum facere. *Si* vero *malum* sit *ex alia causa* quam ex Deo, hoc videtur impossibile; quia nulla est *alia causa* essendi nisi summum bonum quod est Deus. Secunda deductio est quod, cum Providentiae sit malum impedire vel excludere, dubium videtur, cum Deus habeat de omnibus providentiam, *quomodo malum* potuit fieri in mundo *aut* factum *non* statim destruitur. Quarta quaestio est: *quomodo aliquid* potuit desiderare malum, praetermisso desiderio boni?

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 185: « boni » - *τἀγαθοῦ, ipsius Boni;* « ex bono » - *ἐκ τἀγαθοῦ, ex ipso Bono;* ex bono, item.
* ad n. 186: praeter bonum, *παρὰ τἀγαθόν,* praeter *ipsum Bonum;* praeter bonum? item.

2ª Quoad τὸ μὴ ὄν (184, 463).

Quaedam quae plenius hanc notionem manifestare possunt, invenies supra (pag. 98-99 et pag. 116) ubi pro viribus aliqua posita sunt pro intelligentia huius quaestionis.

3ª Quoad quaestiones de daemonibus et de malo (185-186).

Prima series quaestionum circa « daemones » (185) supponit quae a sacra Scriptura revelantur *de peccato angelorum* (*Ioan.* 8, 44; *Apoc.* 12, 7-8; *Luc.* 10, 18). Momentum huius doctrinae eruitur ex libro Theodori de Mopsuestia *contra Magusaeos* (cfr. pag. 65): si enim « Angra-Mainyu » seu « Ahriman » respondet « Satanae » quae de illo dicuntur an huic conveniant quaerendum, maxime cum in Theurgia, quidam « mali daemones » inveniantur « quos vocant *ἀντιθέους - antitheos* » (*de Mysteriis* III, 31).

Inde series quaestionum particularium circa daemones in sensu christiano, inducit ad universaliores considerationes *de Malo* per novam seriem quaestionum circa *naturam* et *originem* mali, quae et ad praxim pastoralis officii pertinebant (cfr. pag. 158).

Complexus quaestionum quae ponuntur in hac paragrapho, duo maximi momenti tangunt: *de diabolo et malo; de Deo et malo.* Eadem inveniuntur in homilia S. Basilii, *quod Deus non est auctor malorum,* nisi quod hic primo examinatur quaestio de Deo et malo (n. 2-7), deinde de malo et de diabolo (n. 8-10). Haec quaestio tractanda est *πολυθρύλλητον ζήτημα* (*ibid.*, n. 2; Opp. II, 73 E) et revera non tantum est « vulgatissima quaestio » quia apud omnes fere homines agitatur, sed et quia in omnium aetatum cursu est semper actualis. Notandum est S. Basilium connexionem harum quaestionum tali modo indicare: « huic quaestioni [de Deo et de Malo] alia ex cogitatorum serie accedit: unde sit diabolus, *si non sunt a Deo mala?* » (*ibid.*, n. 8; 80 A). Supponitur fideles tunc temporis arctari quodam dilemmate, ab adversariis haud longe petitis, hoc fere modo: aut conceditur diabolum esse Dei creaturam et tunc etiam concedi debet Deum esse auctorem mali aut negatur Deum esse auctorem mali et tunc concedi debet diabolum a Deo non esse, quod significat diabolum esse aeternum principium mali seu malum esse ingenitum et per se subsistens. Cornua dilemmatis Basilius infregit, malum non esse ingenitum nec creatum probans itemque creaturas omnes natura bonas esse. Inde negare potest Deum esse auctorem malorum, alterum periculum devitans per hoc quod verum malum nempe peccatum radicem habet in natura mutabili liberi arbitrii quae et invenitur in *creatura* illa a Deo apostata nempe diabolo.

Alicuius momenti est factum quod haec duplex quaestio invenitur etiam in tertia et quarta sectione dialogi *de recta in Deum fide.* Bardesianita Marinus impetit catholicos quia affirmant « malum esse a Deo » (MG. 11, 1792 C) quod est evidenter absurdum « quia Deus non est causa mali » (ibid. 1793 A), consequenter *concedendum est « diabolum non esse a Deo creatum »* (ibid. 1793 B), sed esse *« per se constitutum »* (*αὐτοφυής*) et « autogenitum » (ibid. 1793 CD).

Dualismus iranicus de Ormusda et Ahrimanio trascribitur christiane per hanc doctrinam duarum radicum rerum (ibid. 1793 D - 1796 A), quarum una est Deus auctor bonorum omnium, altera vero diabolus auctor omnium malorum.

Ex alia parte quidam Valentinianus Droserius aestimat vere solvere quaestionem: « unde diabolus et unde mala? » (ibid. 1805 C) affirmans principium Deo coexistens *« materiam »* (ibid. 1809 A), sicut invenitur apud plures philosophos.

Huius erroris meminit et S. Basilius *hom. II in Hexaemeron* (cfr. pag. 98), nam « veritatis adulteratores suam ipsorum mentem non Scripturae obsequi docent, sed sensum Scripturarum ad propriam voluntatem detorquent » (n. 2; Opp. I, 13 B).

Hinc necessitas tractandi quaestionem de diabolo et de malo. An vero nimia, ut quibusdam videtur, prolixitas et omnia quae hic tractantur acriori quodam stylo, ut quidam harum rerum peritissimi notarunt, primaeva sint vel eiusdem auctoris necne, penitius textum criticum examinantes et quoad status et quoad documenta, determinare forsan valebunt.

LECTIO XIV (24ª)

Solvitur prima quaestio: an malum sit aliquid.

SYNOPSIS

(Lect. XIV; cap. IV; textus nn. 187-190; expositio nn. **469-480**).

Incipit solvere quaestiones de malo
A) Solvit quaestiones quae pertinent ad malum simpliciter:
  1° - solvit tres principales questiones quas fecerat de malo in communi:
    a) solvit primam quaestionem qua quaerebatur quid est malum:
      j° - continuat se ad praecedentia (187; **473**).
      ij° - ostendit propositum:
        I ostendit quod malum non est aliquid existens secundum suam naturam:
          α) prima ratio (188; **475-476**).
          β) secunda ratio (189; **477**)
        II ostendit quod malum per seipsum non est aliquod existens (190; **478-480**).
    b) solvit secundam quaestionem qua quaerebatur *ex quo* principio malum consistit (Lectiones 15ª-16ª).
    c) solvit tertiam quaestionem qua quaerebatur *in quo* existentium esset malum (Lectiones 17ª-21ª)
  2° - solvit secundarias quaestiones (Lectiones 22ª-23ª).
B) Solvit quaestiones quae pertinent ad malum secundum quod in daemonibus invenitur (Lectio 23ª).

TEXTUS DIONYSII

§ 19. 187. — « Igitur haec quidem forsitan dicet talis dubitans sermo. Nos autem rogabimus ipsum ad rerum veritatem conspicere.

188. — Et primum quidem hoc dicere confidemus: Malum non est ex bono * et si ex bono * est, non est malum;
neque enim ignis est infrigidare neque boni, non bona * producere.
Et si existentia omnia ex bono * — natura enim est bono: producere et salvare; malo autem: corrumpere et destruere * — nihil est existentium ex malo; et neque ipsum erit quod malum est, si et per seipsum malum sit.
Et si non hoc, non omnino malum est quod est malum, sed habet quamdam boni * partem, secundum quam totaliter est.

189. — Et si existentia pulchrum et bonum desiderant et omnia quaecumque faciunt, proter hoc quod videtur bonum faciunt et omnium existentium intentio principium habet et finem, bonum * — nihil enim ad mali naturam respiciens facit quae facit — quomodo erit málum in existentibus aut totaliter existens a tali bono appetitu segregatum?

§ 19ª. 187. — Ταῦτα μὲν οὖν ἴσως ἐρεῖ τοιόσδε ἀπορῶν λόγος, ἡμεῖς δὲ ἀξιώσομεν αὐτὸν εἰς τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν ἀποβλέπειν,

*188. — καὶ πρῶτόν γε τοῦτο εἰπεῖν παῤῥησιασόμεθα τὸ κακὸν οὐκ ἔστιν ἐκ τἀγαθοῦ * καὶ εἰ ἐκ τἀγαθοῦ * ἐστιν οὐ κακόν·*
*οὐδὲ γὰρ πυρὸς τὸ ψυχεῖν οὔτε ἀγαθοῦ τὸ μὴ τἀγαθὰ * παράγειν.*
*Καὶ εἰ τὰ ὄντα πάντα ἐκ τἀγαθοῦ * — φύσις γὰρ τῷ ἀγαθῷ [C] τὸ παράγειν καὶ σώζειν· τῷ δὲ κακῷ τὸ φθείρειν καὶ ἀπολλύειν * — οὐδέν ἐστι τῶν ὄντων ἐκ τοῦ κακοῦ· καὶ οὐδὲ αὐτὸ ἔσται τὸ κακόν, εἴπερ καὶ ἑαυτῷ κακὸν εἴη.*
*Καὶ εἰ μὴ τοῦτο οὐ πάντῃ κακὸν τὸ κακόν, ἀλλ' ἔχει τινὰ τἀγαθοῦ * καθ' ἣν ὅλως ἐστὶ μοῖραν.*

*189. — Καὶ εἰ τὰ ὄντα τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἐφίεται καὶ πάντα ὅσα ποιεῖ διὰ τὸ δοκοῦν ἀγαθὸν ποιεῖ καὶ πᾶς ὁ τῶν ὄντων σκοπὸς ἀρχὴν ἔχει καὶ τέλος τἀγαθόν * — οὐδὲν γὰρ εἰς τὴν τοῦ κακοῦ φύσιν ἀποβλέπον ποιεῖ ἃ ποιεῖ — πῶς ἔσται τὸ κακὸν ἐν τοῖς οὖσιν ἢ ὅλως ὂν τῆς τοιαύτης ἀγαθῆς ὀρέξεως παῤῥημένον;*

190. — Et si existentia omnia ex bono * et bonum * supra existentia, est quidem in bono * et non-existens;

malum autem non existens est, alioquin non omnino malum, neque non-existens: nihil enim est universaliter non-existens, nisi in bono *, secundum supersubstantiale, dicatur.

Igitur bonum erit quidem et super simpliciter existens et non-existens, multo prius collocatum.

Malum autem neque in existentibus neque in non-existentibus, sed et ab ipso non-existente magis absistens quam a bono * et alienum et magis non substantia ».

190. — Καὶ εἰ τὰ ὄντα πάντα ἐκ τἀγαθοῦ καὶ τἀγαθὸν * ἐπέκεινα τῶν ὄντων, ἔστι μὲν ἐν τἀγαθῷ * καὶ τὸ μὴ ὂν ὄν·*

*τὸ δὲ κακὸν οὔτε ὂν ἐστιν — εἰ δὲ μὴ οὐ πάντῃ κακὸν — οὔτε μὴ ὄν· οὐδὲν γὰρ ἔσται τὸ καθό[D]λου μὴ ὄν, εἰ μὴ ἐν τἀγαθῷ * κατὰ τὸ ὑπερούσιον λέγοιτο.*

Τὸ μὲν οὖν ἀγαθὸν ἔσται καὶ τοῦ ἁπλῶς ὄντος καὶ τοῦ μὴ ὄντος πολλῷ πρότερον ὑπεριδρυμένον.

*Τὸ δὲ κακὸν οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν οὔτε ἐν τοῖς μὴ οὖσιν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ μὴ ὄντος μᾶλλον ἀπέχον τἀγαθοῦ * ἀλλότριον καὶ ἀνουσιότερον.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

469. — Praemissis quaestionibus de malo, hic incipit solvere; et primo, quaestiones quae pertinent ad malum simpliciter; secundo, quaestiones quae pertinent ad malum, secundum quod in daemonibus invenitur; ibi [251]: *Non igitur...* [lectio 23ª].

470. — Prima autem pars dividitur in duas: in prima, solvit tres principales quaestiones quas fecerat de malo in communi; in secunda, procedit ad solvendum alias secundarias quaestiones, quae positae sunt ad magis explicandum quaestionem da causa mali; ibi [237]): *Est autem...* [lectio 22ª].

471. — Prima pars adhuc dividitur in tres: in prima, solvit primam quaestionem qua quaerebatur quid est malum; in secunda, solvit secundam qua quaerebatur ex quo principio malum consistit; ibi [191]: *Unde igitur...* [lectio 15ª]; in tertia, solvit tertiam quaestionem qua quaerebatur in quo existentium esset malum; ibi [205]: *Sed neque...* [lectio 17ª].

472. — Circa primum, duo facit: primo, continuat se ad praecedentia; secundo, ostendit propositum; ibi [188]: *Et primum...*

473. — Dicit ergo primo quod ea quae praedicta sunt, forte poterit aliquis dicere dubitando. Sed *nos* rogamus eum ut respiciat *ad rerum veritatem* et sic quaestionum solutionem invenire poterit; in quo et attentum et benevolum auditorem reddit.

474. — Deinde, cum dicit [188]: *Et primum...* ostendit propositum, scilicet, quod malum non est aliquod subsistens quod per suam naturam sit malum; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quod malum non est aliquod existens secundum suam naturam; secundo, quod malum per seipsum non est aliquod existens; ibi [190]: *Et si existentia...*

475. — Primum ostendit duabus rationibus; quarum prima talis est: Omne existens aut habet causam aut ipsum est causa alterius; sed malum non habet causam nec est causa alterius; ergo malum non est aliquid existens. Veritas autem primae propositionis per se manifesta est, quia omne existens secundum existentiam suam est in actu; unumquodque autem secundum hoc agit secundum quod actu est. Si ergo essentia alicuius sit actus purus, erit causa tantum; si autem habeat permixtum aliquid potentiae, poterit esse et causa et causatum. Quod autem malum non habeat causam sic probat: *Malum non* potest esse *ex bono et si* esset *ex bono non* esset *malum;* unum enim contrariorum non est causa alterius, non *enim* ad ignem pertinet *infrigidare, neque* ad bonum pertinet *producere* ea quae *non* sunt *bona,* sed unumquodque producit sibi simile. Similiter etiam non potest dici quod malum sit causa productiva alicuius; quod enim est de ratione boni, non potest convenire malo. Sed *producere et salvare* naturale *est bono* et de ejus ratione, quia generatio et salus bona sunt; similiter *corrumpere et destruere* pertinent ad rationem mali. Ex quo sequitur quod solum bonum sit causa existentium et quod malum nullius existentis sit causa. Unde sequitur, si malum non est ex bono sicut ex causa, quod non habeat causam et quod non sit causatum.

476. — Sed est attendendum quod ratio qua probavit quod bonum non est causa mali, probat quod bonum non sit causa mali per se, non autem quod non sit causa mali per accidens; quia sic et calidum per accidens potest esse causa frigidi, sicut maior flamma consumendo materiam minoris per accidens inducit frigus. Sed hoc non est contra intentionem Dionysii; oportet

enim quod omne quod habet essentiam, natum sit habere causam per se et non per accidens. Unde si malum non habet causam per se, sed solum per accidens, solum sequitur quod malum non habet essentiam; et hoc est quod, quasi concludens, subdit: quod *neque ipsum malum* est aliquid, si accipiatur *malum* secundum se, sicut aliquod subsistens in natura mali. Omne autem quod est totaliter aliquale est essentialiter tale, sicut si aliquid est totaliter bonum est essentia bonitatis; si enim participat bono, oportet quod dividatur in participans et participatum. Si ergo nihil est malum essentialiter, illud quod est malum non est totaliter malum, *sed habet* aliquam *partem boni* et *secundum* illam *est* totum esse illius quod dicitur malum. Sic igitur per hoc manifestavit quid est malum. Non enim malum potest esse aliqua essentia subsistens, sicut bonum est ipsa essentia bonitatis, sed quaelibet res mala, per suam essentiam est bona; mala autem est, secundum quod deficit ab aliquo bono quod debet habere et non habet.

477. — Secundam ponit rationem; ibi [189]: *Et si existentia...* quae talis est: Omnia *existentia desiderant pulchrum et bonum,* ut ex supradictis patet [141; 355] similiter *et omnia quaecumque faciunt, propter hoc quod* est bonum vel saltem propter hoc quod *videtur bonum, faciunt;* et sic omnis *intentio* quorumcumque *existentium habet bonum* pro principio et fine, quia desiderium boni movet, sicut principium quoddam, ad volendum ea quae sunt propter finem; et iterum ipsam voluntatem eorum quae sunt ad finem, referimus in bonum sicut in finem. Et hoc manifestat per hoc quod nullus *facit* illa *quae facit, respiciens ad* rationem *mali,* etsi aliquando id ad quod respicit sit malum, sicut aliquis facit aliquid ut fornicetur, non respiciendo ad fornicationem inquantum est mala, sed inquantum est delectabilis. Ex quo patet quod nullum existens desiderat malum nisi per accidens et quod omne existens desiderat bonum. Sed si aliquid esset per suam essentiam malum non posset desiderare bonum, cum contrarium non desideret suum contrarium, quia est eius destructivum, sed desideraret per se malum sicut sibi simile et conforme. Unde relinquitur quod malum essentialiter acceptum, neque est aliqua pars alicuius existentis neque est universaliter existens.

478. — Deinde, cum dicit [190]: *Et si existentia...* ostendit quod non potest aliquid esse per seipsum malum ita quod sit non-existens et ad hoc probandum inducit quod *si omnia existentia* sunt *ex* summo *bono, et* illud summum *bonum* est *supra* omnia *existentia,* relinquitur quod *in* ipso summo *bono* invenitur hoc quod est *non-existens.* Quod enim est super omnia existentia, oportet esse non-existens, sicut quod est supra omnia corpora est non-corporeum. Sed hoc non potest dici de malo, quod hoc ipsum quod dicitur malum sit non-existens. *Non* enim *est existens,* quia *non* esset totaliter *malum,* cum hoc quod est existens sit quoddam bonum; *neque* iterum est *non-existens* totaliter, quia *nihil est* totaliter *non-existens nisi* secundum quod non-existens dicitur de summo *bono, secundum* suam supersubstantialitatem. Sed sic non potest dici de malo, quia excedens omnem substantiam est optimum. Unde relinquitur quod *bonum* est *multo* altius *collocatum* et *super* substantialiter *existens et* supra *non-existens* secundum quod invenitur in rebus. Sed *malum neque* est *in existentibus* quasi sit de numero existentium aut aliqua pars aut proprietas existentis alicuius; *neque* iterum est de numero non-existentium, sed *magis* est *absistens,* idest recedens vel distans a *non-existente quam a bono* et magis *alienum* ab eo, quia malum in bono saltem est sicut in subiecto, sed non-ens simpliciter neque est malum. Et iterum malum *magis* est sine subiecto quam non-ens, quia non-ens potest intelligi esse non in aliquo, sed malum oportet quod intelligatur in bono.

479. — Sed contra hoc quod hic dicitur, obiicitur dupliciter: primo quidem, quia malum est privatio boni, privatio autem est non-ens; secundo, quia cum existens et non-existens opponantur contradictorie non potest inter ea esse aliquod medium, unde si malum non est existens, sequitur quod sit non-existens.

480. — Sed dicendum quod loquitur hic de malo secundum quod malum dicitur res mala. Malum autem non est res quaedam existens quae scilicet per suam essentiam sit mala, neque iterum malum est res totaliter non existens, sed malum est res quae partim est bona et ex illa parte existit et dicitur mala quia deficit ab aliquo esse.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 188: ex bono - ἐκ τἀγαθοῦ, ex *ipso* Bono; non bona - non *bona ipsa*, in sensu perfectionis ontologicae; ulterius, sic intellige: *ex ipso* Bono; in fine: quamdam partem *boni ipsius* (perfectio ontologica).

* : « destruere » confirmat Turturro ἀπολλύειν « omnino tenendum » pro ἀπολύειν.

* : « Et neque ipsum erit quod malum est, si et per seipsum malum sit; et si non hoc, non omnino malum est quod est malum... ». Clarius: « ac ne ipsum quidem malum erit, siquidem etiam sibi malum esset. Quod nisi ita sit, malum omnino malum non erit... » (Perionius-Cordier).

* ad n. 189: « habet et finem *ipsum* Bonum ». Similiter in n. 190: ex *ipso* Bono; *ipsum* Bonum; in *ipso* Bono; nisi in *ipso* Bono.

* ad n. 190: « malum autem *neque* est existens, alioquin non (est) omnino malum, *neque* non-existens (μὴ ὄν), nihil enim erit absolute non-ens, nisi secundum modum supersubstantialem dicatur in *ipso* Bono ». Si notetur duplex « neque » clarius intelligitur textus.

* : Quae ultima periodo ponuntur: « Malum autem... non substantia » obscuriora facta sunt per quamdam confusionem in interpretatione textus : « τὸ δὲ κακὸν οὔτε ἓν τοῖς οὖσιν οὔτε ἐν τοῖς μὴ οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῦ μὴ ὄντος μᾶλλον ἀπέχον τἀγαθοῦ ἀλλότριον καὶ ἀνουσιότερον ». Non enim fit comparatio distantiae mali a non-ente et a *bono ipso*, sed, ut videtur, amborum a *bono ipso:* « Malum autem neque in existentibus neque in non-existentibus (est) sed a *bono ipso distans magis* (est) etiam quam ipsum non-existens, alienum et magis insubstantiale »; ἀπέχον construitur cum genitivo (τἀγαθοῦ), terminus comparationis cum malo, « τοῦ μὴ ὄντος » (non-existens) esse videtur.

2° Quoad « parallelia ».

Ne videar omnia ad utilitatem alicuius thesis a nescio quonam spiritu systematis suggestae congerere hic pono parallelia procliana et, data occasione, quaedam alia loca aptiora ad humanae culturae divitias revelandas.

Dionysius - 188:
« neque enim ignis est infrigidare neque boni non bona producere ».

Proclus - 31:
« neque enim saxo caliditas, aiunt, neque igni frigiditas inest... »

Plato, *de Rep.* I, 9; 335 CD: « an iusti viri iustitiâ ipsâ, iniustos? Et ad summam, virtute ipsa boni malos facere possunt? Non certe. Non enim caloris existimo opus esse frigidum aliquod reddere, sed contrarii » (Ficinus). Quae comparatio circuit per omnes fere scriptores, Aristotelem, Philonem, Plutarchum, Plotinum (v. Schröder, pag. 21 n. 6; 200 n. 2). *Proclus* eamdem comparationem habet, n. 90: « *neque* enim *caliditatis infrigidare* neque boni mala producere » et n. 110: « sed *neque ignis*, aiunt, *infrigidare* neque boni malum a seipso producere ». *Plotinus* hac eadem utitur comparatione: « *ignis* namque *proprium est calida facere* et cuiusdam alterius frigefacere » (*En.* IV, 3, 10) vel: οὐ γὰρ πυρὸς τὸ ψύχειν (*En.* IV, 7, 4): « neque enim ignis est frigefacere ». In schola christiana Clemens Alexandrinus haec habet: « est itaque maximum divinae Providentiae opus quod non sinat ut vitium (κακίαν) quod ex voluntaria defectione (ἀποστάσεως) ortum est, inconducibile (ἄχρηστον) maneat et inutile, sed nec quod sit quoad omnia nocivum. Divinae enim sapientiae et virtutis et potentiae est opus non tantum *benefacere* (τὸ ἀγαθοποιεῖν), *haec est* enim natura Dei (φύσις τοῦ θεοῦ), ut ita dicam, *sicut ignis calefacere* (τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν) et lucis illuminare, sed illud quoque maxime, ut id quod per malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliquem finem et utilem deducat et commode iis quae videntur mala utatur, sicut eo quod ex tentatione (cfr. *Gen.* 3, 15) processit testimonio » (*Strom.* I, 17; edit. Potter I, 369).

Quia tamen ibi latet periculum falsae interpretationis, libertatem Dei in creatione violantis, inde alibi diligentissime notat: « neque enim Deus *invitus est bonus* (ἄκων ἀγαθός), quomodo ignis est calefactivus, sed deliberatam facit bonorum distributionem (ἐκούσιος δὲ ἡ τῶν ἀγαθῶν μετάδοσις - *Strom.* VII, 7; edit. Potter II, 855).

Hoc forsan non inutiliter notetur et pro recta intelligentia verborum Dionysii (cfr. 96) quod iam in expositione Angelici Doctoris diligenter observatur (**271**) dum moderni quidam verba Dionysii christiano spiritu evacuata materialiter omnino intelligunt.

Notum est ex hac platonica analogia non defuisse scriptores qui aeternitatem mundi affirmarunt ut legitur in « glossa quadam » (iuxta G. Muccio, *Osservazioni su Sallustio filosofo*, in *Studi italiani di Filologia classica* VII, 1899, pag. 54-55) apud Sallustium: *de diis et mundo* VII: « necesse est quum Dei bonitate sit mundus, semper et Deum bonum esse et mundum existere, quemadmodum una cum sole et igne subsistit lumen et cum corpore umbra ».

Eusebius in *Praeparatione Evangelica* (V, 22, 8; edit. Dindorf I, 204-205) ex Porphyrio (*de Abstinentia* II, 41; edit. Nauck, pag. 170) pulcherrimum locum refert: « *debemus* (δέον) *firmiter persuasos esse neque bonum nocere numquam* (οὔτε τὸ ἀγαθὸν βλάπτει ποτέ) *neque malum iuvare* (οὔτε τὸ κακὸν ὠφελεῖ), non enim, sicut dicit Plato, caloris est frigefacere, sed contrarii... ». Magna vere et mira sententia quae in christiana synthesi apte recipitur et in humana vita aptius ingreditur.

Hac similitudine utitur et *Basilius* in epist. 189 (ab aliquibus *Gregorio Nysseno* tributa) n. 6: « Itaque si viderimus inter se differre operationes quae a Patre et Filio et Spiritu Sancto fiunt, naturas etiam quae operantur inter se differentes esse ex operationum diversitate coniiciemus. Neque enim fieri potest ut quae naturae ratione discrepant, in specie operationum inter se consentiant: *nec ignis refrigescit nec glacies calefacit;* sed cum naturarum differentia, simul etiam inter se discrepant quae ab illis fiunt operationes » (Opp. III, pag. 280 BC). Locus platonicus in « *itinerantium* » numero, plus quam ceteri, inscribendus.

Dionysius - 188
« Natura enim est ipso Bono *producere et salvare, malo autem corrumpere et destruere* ».

Proclus - 13:
« Malum corruptivum est uniuscuiusque ... quoniam et bonum est uniuscuiusque quod uniuscuiusque salvativum ».

Plato (*Rep.* X, 9; 608 E) hoc pulcherrime notat: « Malum puto omne quod dissolvit atque corrumpit. Quod vero servat et iuvat, bonum » (Ficinus). Est quaedam correspondentia quae historiae casibus manifestatur et humanae vitae cursu experitur: τὸ ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον - malum; τὸ σῶζον καὶ ὠφελοῦν - bonum. Inde Aristoteles (*Eth. Nic.* IV, 11: 1126, a, 12-13) haec recogitans observat: « malum enim et seipsum destruit et si integrum sit, importabile fit »; quod exponens S. Thomas scribit:... « fieret enim importabile tollendo subiectum a quo portari debet, si sit... » (*in decem libros Ethic. ad Nic. Expositio*, edit. Spiazzi, n. 562; n. 808). Hinc intelligitur doctrina Dionysii: « ac ne ipsum quidem malum erit » (188).

Huic principio platonico innixus, bardesianites Marinus in dialogo *de recta in Deum fide*, immerito affirmabat duas esse radices una bona et altera mala, « quia bona salvat (ἡ ἀγαθὴ σώζει), mala vero destruit » (ἡ πονηρὰ ἀπολλύει). Hinc « *Deus est causa salutis hominis, perditionis vero diabolus* » (MG. 11, 1801 C).

Dionysius - 189:
« Et si existentia pulchrum et bonum desiderant et omnia quaecumque faciunt propter hoc quod videtur bonum faciunt et omnium existentium intentio principium et finem habet ipsum Bonum, nihil enim ad mali naturam respiciens facit quae facit, *quomodo erit malum in existentibus aut absolute existens a tali bono appetitu disiunctum?* ».

Proclus - 7:
« Si autem, sicut diximus, bonum supra ens et fontem omnium, quia *omnia* qualitercumque entia et genita *secundum naturam bonum appetunt,*

quomodo est malum unum aliquod entium, si erit a tali appetitu exclusum? ».

Proclus in hac parte suae tractationis in qua quaerit *an sit malum*, refert quatuor argumenta eorum qui negabant malum esse principium reale metaphysicum. Alterum argumentum est desumptum ex eo quod « omnia bonum appetunt » prout legimus apud Aristotelem, *Ethic. Nic.* I, 1, 1 (1094, a, 2-3): « ...ideo pulchre manifestaverunt ipsum bonum (esse) quod omnia appetunt » (καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν οὗ πάντ' ἐφίεται), (in edit. Spiazzi n. 2; n. 9-11).

Recolantur quae supra ex Sallustio relata sunt (pag. 159) nec praetereunda censeo quae in schola christiana docet Clemens Alexandrinus: « nemo enim malum eligit quatenus malum, sed abductus ab ea quae inest in ipso voluptate, id *bonum ratus* (ἀγαθὸν ὑπολαβών) suscipiendum existimat » (*Strom.* I, 17; edit. Potter I, pag. 368).

Dionysius - 190:
« Et si existentia omnia (sunt) ex ipso Bono et ipsum Bonum est super existentia, est quidem in ipso Bono et *non-ens* existens. Malum autem neque existens est, alioquin non (est) omnino malum, neque non-existens, nihil enim erit absolute non-ens, nisi secundum modum supersubstantialem dicatur in Deo.

Igitur bonum erit quidem et super simpliciter existens et non-existens, multo prius collocatum.

Malum autem neque in existentibus neque in non-existentibus (est) sed ab ipso Bono distans magis (est) quam ipsum non-existens, alienum et magis insubstantiale ».

Proclus - 8:
« Et quid oportet dicere multa? Si enim ultra τὸ esse τὸ unum et quam dicimus boni naturam, ultram ipsum, esse malum; dico autem non τὸ esse simpliciter, etenim simpliciter ente bonum melius;

duorum igitur alterum si non-ens est nullatenus ens, multo magis neque malum est quod et nullatenus ente ἀμενηνότερον [idest immansivius] *ut pronunciavit sermo*, magis enim a bono distat malum quam non-ens.

Significant autem qui τὸ non-esse ante τὸ male esse *ponunt;* quod autem ab illo remotius ἀνούσιον [idest sine essentia] magis propinquiori ... ».

Proclus hic ponit *tertium argumentum* eorum qui ut dictum est affirmabant malum non esse quid reale et desumitur ex eo quod malum est ultra non-ens.

G. Kroll (*de Oraculis Chaldaicis*, pag. 65) ne quid praetermittat, brevia nonnulla fragmenta subiungit quorum et origo et sedes incerta est. Ultimo citat et Procl., *de Mal. subs.* 198, 36: « *Si non ens... ut pronunciavit sermo* » et notat: « Vereor ut recte oracula respici opinetur Cousin ». Et revera hic non agitur de oraculo, sed de quodam argumento ad probandam thesim de *non-subsistentia mali*. Ipse Proclus, quando tractat de « privatione », notans « cuius et esse tale debile omnino et *non mansivum* », subiungit « ut illorum sermo » (99).

Quinam sint coniicere possumus ex iis quae supra relata sunt: certe agitur de Sallustio et aliis quos videre est apud Schröder (passim). An prae manibus habuerit auctores christianos mihi improbabile omnino videtur: attamen quando ulterius tractat de causa mali et quaerit an talis causa sit Deus, scribit: « Illi quidem igitur talia meditantes, neque malorum generationem inordinatam esse persuasi, Deum et ordinis horum causam fecerunt. Videntur autem mihi *et non barbari solum, sed et graecorum summi omnium* in diis cognitionem relinquentes malorumque et bonorum, bonis quidem per se ex diis dare generationem, malis autem *secundum quod boni partem acceperunt...* ».

Tanti non sum ut intelligam illud « *non barbari solum* », unum datum est scire: barbaros esse omnes homines *praeter graecos*, neque possibile censeo diligentius aliquid determinare, nisi quod *eadem* inveniuntur apud Iamblichum: « his de rebus, tum Graeci omnes tum Barbari eadem vere sentiant » (*de Mysteriis* IV, 6).

Illud maximi momenti manifestum est: Proclum referre *argumenta praecedentium auctorum* qui hanc quaestionem de malo tractantes: « utrum entium est malum aut non » (5), responderunt: *negative*. Parum est, sed hoc parum forsan haud spernendum est et ideo multum est.

LECTIO XV (25ª)

Ponitur secunda quaestio: unde sit malum.

SYNOPSIS

(Lect. XV; cap. IV; textus nn. 191-193; expositio nn. 481-490).

Inquirit unde malum proveniat in rebus:
A) movet dubitationem:
1° - ex repugnantia sive contrarietate quae invenitur in rebus:
a) movet dubitationem ex illis in quibus manifeste apparet contrarietas boni et mali (191; **484-486**);
b) ex illis in quibus non sic manifeste apparet, sicut passiones quae pugnant contra rationem (192; **487-489**);
2° - ex concomitantia generationis et corruptionis (193; **490**);
B) solvit eam (194; **491** - Lectio 16ª).

TEXTUS DIONYSII

191. — « Unde igitur est malum? dicat aliquis; si enim non est malum, virtus et malitia idem et omnis toti et particularis proportionali
aut neque repugnans virtuti erit malum.

Et quidem contrariae sunt castitas et impudicitia et iustitia et iniustitia;
et non dico secundum iustum et iniustum et eum qui est pudicus et qui est impudicus. Sed et ante apparentem extra distantiam habentis virtutem ad oppositum, in ipsa anima prius universaliter destiterunt a virtutibus, malitiae,

192. — et ad rationem passiones pugnant et ex istis necesse est dare quoddam malum bono contrarium;
non enim sibi ipsi bonum * contrarium, sed sicut ab uno principio et genitum ab una causa *, communione et unitate et amicitia gaudet;
et neque minus bonum maiori est contrarium neque enim aut minus calidum aut frigidum amplius existenti est contrarium.
Est igitur in existentibus et existens est et adversatur bono malum.

193. — Et si corruptio est existentium non excludit istud ab essentia malum, sed erit et ipsum existens et existentium generativum.
Aut numquid multoties cuiusdam corruptio alterius fit generatio?
Et erit malum ad omnis completionem conferens et toti non imperfectum esse per seipsum largiens ».

191. — Πόθεν οὖν ἐστι τὸ κακόν; εἴποι τίς. Εἰ γὰρ μή ἐστι τὸ κακόν, ἀρετὴ καὶ κακία ταὐτὸν καὶ ἡ πᾶσα τῇ ὅλῃ καὶ ἡ ἐν μέρει τῇ ἀναλόγῳ,
ἢ οὐδὲ τὸ τῇ ἀρετῇ μαχόμε[717A]νον ἔσται κακόν.
Καίτοι ἐναντία σωφροσύνη καὶ ἀκολασία καὶ δικαιοσύνη καὶ ἀδικία·
καὶ οὐ δήπου κατὰ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἀδικόν φημι καὶ τὸν σώφρονα καὶ τὸν ἀκόλαστον, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς ἐξωφαινομένης τοῦ ἐναρέτου πρὸς τὸν ἀντικείμενον διαστάσεως, ἐν αὐτῇ πολλῷ πρότερον τῇ ψυχῇ καθόλου διεστήκασι τῶν ἀρετῶν αἱ κακίαι,

192. — καὶ πρὸς τὸν λόγον τὰ πάθη στασιάζει καὶ ἐκ τούτων ἀνάγκη δοῦναί τι τῷ ἀγαθῷ κακὸν ἐναντίον.
*Οὐ γὰρ ἑαυτῷ τἀγαθὸν * ἐναντίον, ἀλλ' ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ ἑνὸς ἔκγονον αἰτίου * κοινωνίᾳ καὶ ἑνότητι καὶ φιλίᾳ χαίρει.*

Καὶ οὐδὲ τὸ ἔλαττον ἀγαθὸν τῷ μείζονι ἐναντίον· οὔτε γὰρ τὸ ἧττον θερμὸν ἢ ψυχρὸν τῷ πλείονι ἐναντίον.
Ἔστιν οὖν ἐν τοῖς οὖσι καὶ ὄν ἐστι καὶ ἀντιτίθειται καὶ ἠναντίωται τἀγαθῷ τὸ κακόν.

193. — Καὶ εἰ φθορά ἐστι τῶν ὄντων οὐκ ἐκβάλλει τοῦτο τοῦ εἶναι τὸ κακόν, ἀλλ' [B] *ἔσται καὶ αὐτὸ ὂν καὶ ὄντων γενεσιουργόν.*
Ἢ οὐχὶ πολλάκις ἡ τοῦδε φθορὰ τοῦδε γίγνεται γένεσις;
Καὶ ἔσται τὸ κακὸν εἰς τὴν τοῦ παντὸς συμπλήρωσιν συντελοῦν καὶ τῷ ὅλῳ τὸ μὴ ἀτελὲς εἶναι, δι' ἑαυτὸ παρεχόμενον.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

481. — Postquam Dionysius otendit quod malum non habet essentiam et quod neque est causa neque causatum, nunc inquirit unde malum proveniat in rebus; et primo, movet dubitationem; secundo, solvit; ibi [194]: *Dicit autem...* [lectio 16ª].

482. — Movet autem duplicem dubitationem; et primo quidem, ex repugnantia sive contrarietate quae invenitur in rebus; secundo, ex concomitantia generationis et corruptionis; ibi [193]: *Et si corruptio...*

483. — Circa primum, duo facit: primo, movet dubitationem ex illis in quibus apparet manifeste contrarietas boni et mali; secundo, ex illis in quibus non sic manifeste apparet; ibi [192]: *et ad rationem...*

484. — Dicit ergo primo quod *si malum non* habet existentiam nec est causa neque causatum, ut supra ostensum est [188; **475-476**], *aliquis* obiiciendo dicet: *unde igitur malum* invenitur in rebus? Si enim respondeas quod in rebus non est malum, sequuntur duo inconvenientia: quorum primum est quod *virtus et malitia* sunt *idem et omnis toti*, idest virtus in generali, malitiae in generali; *et particularis proportionali*, idest specialis virtus speciali malitiae sibi proportionalitate contrariorum respondenti, ut iustitia iniustitiae, quia et malitia in generali virtuti contrariatur et specialis malitia speciali virtuti. Virtus huius deductionis in hoc consistit quod, remotis differentiis quibus aliqua ad invicem differunt, sequitur ea esse idem. Differentiae autem, quibus virtus et malitia differunt, sunt bonum et malum; nam virtus est bona qualitas mentis, malitia autem mala qualitas mentis. Remota igitur differentia boni et mali, si malum non sit in rebus, sequitur quod virtus et malitia sunt idem in universali et in speciali.

485. — Secundum inconveniens est quod etiam si virtus et malitia differant, sequitur quod *malum* non contrariatur nec repugnat *virtuti* quia quod non est non potest contrariari aut impugnare. Utrumque enim contrariorum oportet esse aliquid et natura manifesta. Est autem contrarietas virtutis ad malum per hoc quod *castitas et impudicitia* contrarientur et *iustitia et iniustitia*. Et quia posset aliquid dicere quod ista contrarietas non est nisi secundum quod homines sibi invicem contrariantur, quorum unus habet virtutem et alter non habet, hoc excludit: *et non dico*, inquit, quod *castitas et impudicitia et iustitia et iniustitia* sunt contraria solum secundum quod homo iustus et homo iniustus et pudicus et impudicus sibi contrariantur invicem, sed per *prius* naturae ordine ante *distantiam* et contrarietatem quae exterius apparet inter eum qui habet virtutem et eum qui habet vitium oppositum, ipsa vitia sive *malitiae* universaliter differunt *a virtutibus in ipsa anima*. Non enim castitas et impudicitia sunt contraria propter contrarietatem casti et impudici, sed potius e converso.

486. — Primo ergo dubitationem movit de contrarietate virtutis et iustitiae, quia de ratione eius quod est contrarium virtuti, est malum nec invenitur in aliquo genere quod aliquae species distinguantur per differentiam boni et mali, nisi in habitibus animae vitiosis et virtuosis. Huius ratio est quia virtutes et vitia pertinent ad voluntatem, cuius obiectum est bonum et malum.

487. — Deinde, cum dicit [192]: *et ad rationem...* movet dubitationem de illis quae non habent de sua ratione quod contrarientur bono, sicut passiones quae pugnant contra rationem. Dicuntur autem passiones motus appetitus sensitivi qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem potentiam. De ratione autem harum passionum non est quod contrarientur virtuti, quia contingit etiam secundum virtutem concupiscere et gaudere et irasci et alias huiusmodi passiones habere, sed contrariantur virtuti secundum quod inordinatae sunt. Omne autem inordinatum non est de ratione earum. Huiusmodi igitur *passiones* contra *rationem pugnant*, quia sicut apprehensio sensitiva est eius quod est hic et nunc ita appetitus sensitivus huiusmodi apprehensionem consequens est eius quod est bonum hic et nunc et secundum hoc, bonum non simpliciter est quod ratio attendit. Cum igitur contingit id quod est bonum hic et nunc, non esse bonum simpliciter, sequitur quod passio pugnet contra rationem *et ex istis* passionibus contra rationem pugnantibus, *necesse est dare* aliquod *malum* esse *contrarium bono*, quamvis de ratione passionum non sit malum, sicut erat de principio malitiarum. Et ideo necesse fuit ut probaret quod ex huiusmodi pugna, sequatur contrarietas mali ad bonum.

Manifestum est enim quod *bonum non* est *contrarium sibi ipsi, sed* omne bonum *sicut ab uno principio* procedens, et sicut *genitum ab una causa gaudet* mutua *communione et amicitia et unitate.*

488. — Nec etiam potest dici quod *minus bonum* sit *contrarium maiori* bono, sicut nec *minus calidum aut frigidum est contrarium* magis calido et frigido. Quod quidem intelligendum est ex ea parte qua utrumque est calidum aut frigidum; sed inquantum minus calidum habet aliquod permixtum de frigido vel magis appropinquat ei, sic, quod minus est calidum, est contrarium magis calido, ut dicit Philosophus, V° Physic. [1]) sed hoc est secundum quid, non simpliciter. Dionysius autem hic loquitur de contrariis et simpliciter.

489. — Habito ergo quod bonum nullo modo contrarietur bono, relinquitur quod id quod contrariatur bono et pugnat contra ipsum, sit malum. Sic igitur, non solum ex passionibus quae pugnant contra rationem, sed ex quibuscumque aliis contrariis et contra pugnantibus, videtur sequi quod *malum* sit in numero existentium *et* sit aliquid *existens et* quod contrarietur *bono.*

490. — Deinde, cum dicit [193]: *Et si corruptio...* procedit alia via ad idem ostendendum, scilicet ex concomitantia generationis et corruptionis; et dicit quod *si malum est corruptio existentium,* istud *non excludit* ipsum ab hoc quod habeat essentiam, sed magis per hoc probatur quod sit *existens* et quod sit *generativum existentium. Corruptio* enim unius est *generatio alterius,* unde quod corruptivum existentium est, est etiam existentium generativum. Omne autem quod est generativum existentium confert ad perfectionem universi; sequitur ergo quod *malum* sit *conferens ad completionem omnis,* idest universi et quod largiatur *toti,* idest universo, quod *non* sit *imperfectum;* et hoc *per seipsum,* quod est inconveniens; quia quod malum per accidens conferat ad pulchritudinem et perfectionem universi non est inconveniens, inquantum ex malis per accidens consequuntur bona, ut Augustinus dicit in *Enchiridio* [2]).

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 192: « non enim sibi ipsi *bonum ipsum* (*τἀγαθόν*) contrarium, sed sicut ab uno principio (*ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς*) et unius causae filius (*ἑνὸς ἔκγονον αἰτίου*) communione... ».

2ª QUOAD « PARALLELIA »:

Positio tum Dionysii tum Procli manifesta est inspicienti respectivam eorum tractationem de Malo: Proclus scholastice procedit et ad primam quaestionem: an sit, respondet exponendo primo, argumenta negativa; deinde argumenta positiva (11-13), tertio argumenta cuiusdam viae mediae (14-21), ultimo, sententiam suam ponit (22-25). Apud Dionysium tractatio evolvitur ab una positione firmiter defensa (188-190) et procedit ad solutionem argumentorum contra hanc positionem (Lect. 15 et 16).

Dionysius - 191:
« Unde igitur est malum? dicat aliquis;

si enim non est malum virtus et malitia idem et omnis toti et particularis proportionali aut neque repugnans virtuti erit malum.

Proclus - 11:
« *Qui autem contrariam huic vocem emittens,* exiget primum nos aspicere ad rerum hypostasin ... Si enim et harum unamquamque bonum ponemus duorum alterum utique dicere necessarium

aut non esse virtutem contrariam malitiae toti totam et eas quae in parte proportionaliter aut bono oppugnans non semper esse malum.

« Et quidem contrariae sunt castitas et impudicitia et iustitia et iniustitia et non dico secundum iustum et iniustum et eum qui est pudicus et qui est impudicus.

« Sed et ante apparentem extra distantiam habentis virtutem ad oppositum, in ipsa anima prius universaliter destiterunt a virtutibus malitiae ».

« Et quidem ... Malitiae enim contrapugnant virtutibus ... iniusti quidem iustis, intemperati autem temperatis contrariantur

et ex ea quae in ipsis, si velis, animabus dissensione ».

Dionysius - 192:
« Et ad rationem passiones pugnant et ex istis necesse est dare quoddam malum bono contrarium ».

Proclus - 11:
« velut quando in incontinentibus ducit quidem ratio alio, cogat autem passio, contrariantibus autem ambobus vincitur quidem melius a deteriori ... et quae in ipso rationes bonae existentes ... vincuntur ... passionibus ».

Diligens interrogatio ad pravam intelligentiam doctrinae evitandam. Et Plotinus honeste hoc sentit et explicat (*En.* III, 2, 16): « Ceterum si haec recte dicuntur, quonam pacto pravitas ulterius erit? Ubinam iniustitia? Ubi erratum? Qua enim ratione, si omnia rite decenterque (*καλῶς*) fiunt, fieri potest ut qui agunt iniuste faciant et aberrent? Et quo pacto infelices erunt si non agunt iniuste, si non aberrant? » (Ficinus). Doctrinam quam tradit videas ibi si placet. Nunc proprie agitur de contrarietate virtutis et vitii: « Ad contraria enim motus incontinentium. Sed in corporibus quidem videmus quod perverse motum est, in anima vero non videmus.

Fortassis autem nihil minus *in anima* (*ἐν τῇ ψυχῇ*)

[1]) C. 2: 226, b, 1-8; S. Th. lect. 4, n. 5.
[2]) *Ad Laurentium* sive *de Fide Spe et Caritate,* n. 3, cap. XI: ML 40, 236.

existimandum est esse aliquid *praeter rationem* (*παρὰ τὸν λόγον*) *contrarians huic* et obvians » (*ἐναντιούμενον τούτῳ καὶ ἀντιβαῖνον* - Arist., *Ethica Nic.* I, 13; edit. Spiazzi n. 148, n. 237-238). Notare velis diligentem distinctionem in textu Dionysii, iuxta doctrinam Aristotelis ex commentariis Iamblichi apud Simplicium: Aristoteles « in libro *de oppositis* vocat *iustitiam iniustitiae contrariam,* dicit autem *non vocari iustum iniusto contrarium,* sed *contrarie disponi* » (Simpl., *in Categor.,* ed. cit., pag. 389; cfr. *Fragmenta Aristot.,* edit. Heitz, Paris. 1869, pag. 120).

Dionysius - 192:
... « et ex istis necesse est dare quoddam malum bono contrarium.
Non enim sibi ipsi bonum ipsum contrarium, sed sicut ab uno principio et unius causae filius [*ἑνὸς ἔκγονος αἰτίου*] communione et amicitia gaudet

et neque minus bonum maiori est contrarium neque enim aut minus calidum aut frigidum amplius

existenti est contrarium.
Est igitur in existentibus et existens est et adversatur

bono malum ».

Proclus - 12:
« Si autem contrariae quidem, sicut diximus, malitiae virtutibus, bono autem contrarium omnino malum — non enim nata est boni natura ipsa ad se ipsam dissidere, sed veluti *ἔκγονος* [idest genitura] ens unius causae et unitatis unius, similitudineque et unione et amicitia tenetur ad ipsam et maiora quidem bonorum salvativa minorum sunt, minora autem ornantur a perfectioribus — necesse malitias omnino non solum ratione esse malitias sed enter malum unamquamque et non minus bonum: nusquam enim contrarium maiori bono τὸ minus, sicut neque maiori calido minus calidum, neque magis frigido quod minus.
Si autem animae malitiae naturam mali confiteantur, ostensum utique erit malum in entia facere ».

Principium « maiora bonorum salvativa minorum sunt, minora autem ornantur a perfectioribus » est fundamentale in theurgia (cfr. Iamblichi *de Mysteriis* I, 9, 19; II, 11; V, 20) inde enim « catenae astrales » et maxime « catena solaris ». Hanc doctrinam sanat Hierotheus (180) et secundum eius principia Dionysius (144, 157, 167).

« Bonum ipsum » de quo dicitur sibi ipsi non esse contrarium est illud principium cuius meminit Aristoteles in initio *Eth. Nic.* referens commune dictum: « Bonum ipsum quod omnia appetunt ». Quae subiungit Dionysius in textu actuali certe non fluunt ex eius doctrina (cfr. 142 et pag. 119) et introducuntur per verba: « dicat aliquis » (191) sicut et Proclus refert dicta aliorum.

Plotinus contra Gnosticos disputans notat (*En.* II, 9, 13): « Nec rursus exigendum est ut omnes in mundo sint boni; neque, si id fieri nequeat repente mundi ordinem incusare decet; neque requirere rursus ut inferiora haec nihilo a superioribus differant; neque *censere aliud esse malum quam quod ad prudentiam est ineptius minusque bonum,* deincepsque procedendo *semper in minus* » (Ficinus).

Dionysius - 193:
« Et si corruptio est existentium non excludit istud quod malum sit, sed erit et ipsum existens et existentium generativum.

« Aut numquid multoties corruptio huius est huius generatio?

« Et erit malum ad universi completionem conferens et toti per seipsum largiens non esse imperfectum ».

Proclus - « modo fragmentario » - 13:
« Eadem ergo ratio (scil. *corruptionum*) ... et malum in entibus ponet, quare non solum erit malum propter bonum, sed et bonum ipsi esse ».
... « Corruptione autem non ente neque generationem, quoniam omnis generatio per alterius fit corruptionem ».
« Eadem ergo ratio (scil. corruptionum) omnem mundum perfectum nobis salvabit ».
« Generatione non ente imperfectus erit simul omnis mundus ».

Fragmenta quae ex n. 13 decerpsit auctor certe acumen ingenii maximum demonstrant. Potuit et alibi principia haec notissima colligere, sed recolendum est et hoc argumentum simul cum primo referri ab aliquo contra doctrinam supra traditam.

Principium est Aristotelis: « *ἡ ἄλλου φθορὰ ἄλλου γένεσις* » [*de Generatione et Corruptione* I, 3, 16 (318, a, 23-25) et *Metaphys.* II, 2, 8 (994, b, 5-6): « *ἡ θατέρου φθορὰ θατ. ἐ. γένεσις* » « alterius corruptio alterius est generatio »]. Plotinus quaerit (*En.* II, 3, 18): « Numquid ergo mala quae in mundo fiunt, necessario fiunt propterea quod praecedentia consequantur? » Et respondit: « Fortasse etiam quia nisi haec essent *imperfectum foret* etiam totum » (Ficinus). Et *En.* III, 2, 5: « Nec inutilia haec sunt omnino ad ordinem ipsum communem ac plenitudinem universi (*συμπλήρωσιν τοῦ ὅλου*): nempe quemadmodum corruptis quibusdam ratio ipsa mundi rerum artifex ad aliorum utitur genituram » (Ficinus).

LECTIO XVI (26ª)

Solutio secundae quaestionis principalis.

SYNOPSIS

(Lect. XVI; cap. IV; textus nn. 194-204; expositio nn. **491-509**).

Incipit solvere dubitationes de existentia et causa mali.

A) Solvit particulariter id quod obiectum erat de concomitantia generationis et corruptionis (194; **492**);

B) Solvit universaliter omnia quae supra opposita sunt:
- 1° - ostendit differentiam boni et mali:
  - a) distinguit malum a bono (195; **495-496**);
  - b) ostendit quid conveniat malo (196; **497**);
  - c) quid conveniat bono:
    - j° - ostendit quod est universalis causa rerum omnium bonarum:
      - α) proponit quod per bonum fiunt quaedam bona perfecta et quaedam imperfecta (197; **500**);
      - β) assignat modum per quem hoc fiat (198; **501**);
      - γ) probat, rationes assignando (199; **502-503**);
    - ij° - ostendit quomodo causalitas boni extendit se ad mala (200; **504**);
- 2° - ostendit universalem virtutem boni in essendo:
  - a) proponit propositum (201; **506**);
  - b) manifestat per exempla (202; **507**);
  - c) adaptat ad solutionem (203; **508**);
- 3° - ostendit quod ex bono est diversitas graduum in entibus (204; **509**).

TEXTUS DIONYSII

§ 20. 194. — « Dicit autem ad haec verus sermo quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam aut generationem facit; solum autem malum facit et corrumpit existentium substantiam, quantum in ipso est.

Si autem generationis operativum ipsum aliquis esse dicat et huius corruptione alii dare generationem, respondendum est vere non corruptio * dat generationem, sed et corruptio * quidem et malum corrumpit et malum facit solum; generatio autem et substantia propter bonum fit et erit malum corruptio quidem propter seipsum, generativum autem propter bonum; et secundum quod quidem est malum, neque existens est neque existentium effectivum; propter bonum autem, existens et bonorum effectivum.

195. — Magis autem: neque enim erit idem secundum idem et bonum et malum neque eiusdem corruptio et generatio eadem secundum idem virtus neque per se virtus neque per se corruptio.

196. — Igitur, ipsum malum quidem neque existens est neque bonum neque generationis operativum neque existentium neque bonorum effectivum;

§ 20. 194. — Ἐρεῖ δὲ πρὸς ταῦτα ὁ ἀληθὴς λόγος ὅτι τὸ κακὸν ἢ κακὸν οὐδεμίαν οὐσίαν ἢ γένεσιν ποιεῖ· μόνον δὲ κακύνει καὶ φθείρει τὸ ἐπ' αὐτῷ τὴν τῶν ὄντων ὑπόστασιν.

*Εἰ δὲ γενεσιουργόν τις αὐτὸ εἶναι λέγει, καὶ τῇ τούτου φθορᾷ τῷ ἑτέρῳ διδόναι γένεσιν ἀποκριτέον ἀληθῶς οὐχ ἥ * φθορὰ δίδωσι γένεσιν, ἀλλ' ἥ* [C] μὲν φθορὰ καὶ κακὸν φθείρει καὶ κακύνει μόνον, γένεσις δὲ καὶ οὐσία διὰ τὸ ἀγαθὸν γίγνεται καὶ ἔσται τὸ κακὸν φθορὰ μὲν δι' ἑαυτό, γενεσιουργὸν δὲ διὰ τὸ ἀγαθόν· καὶ ἥ μὲν κακὸν οὔτε ὂν οὔτε ὄντων ποιητικόν· διὰ δὲ τὸ ἀγαθὸν καὶ ὂν καὶ ἀγαθὸν ὂν καὶ ἀγαθῶν ποιητικόν.*

195. — Μᾶλλον δὲ· οὐδὲ γὰρ ἔσται τὸ αὐτὸ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ ἀγαθὸν καὶ κακὸν οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ φθορὰ καὶ γένεσις ἡ αὐτὴ κατὰ τὸ αὐτὸ δύναμις οὔτε αὐτοδύναμις ἡ αὐτοφθορά·

196. — τὸ μὲν αὐτοκακὸν οὔτε ὂν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε γενεσιουργὸν οὔτε ὄντων καὶ ἀγαθῶν ποιητικόν·

197. — bonum autem in quibus perfecte quidem ingignitur, perfecta facit et immixta et integra bona; quae autem minus ipso participant et imperfecta sunt bona et mixta propter defectum boni. Et non est, universaliter, malum neque bonum neque faciens bonum, sed quod magis et minus bono appropinquat, proportionaliter erit bonum.

198. — Quoniam, per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas quae circa ipsam sunt proficiscitur sanctissimas substantias, sed extenditur usque ad ultimas; his quidem totaliter praesens, illis autem subiecte, aliis autem extreme, sicut unumquodque existentium ipsa participare potest.

Et haec omnino bono participant, illa autem magis et minus privantur; alia autem habent boni obscuriorem * participationem et aliis secundum ultimam resonantiam adest bonum *.

199. — Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent quidem divinissima et provectissima extremorum habentia ordinem;

quomodo autem esset possibile uniformiter participare bono, cum non omnia existentia eodem modo * ad totalem ipsius participationem sint opportuna?

200. — Nunc autem haec est boni virtutis excellens magnitudo quod et privata et sui ipsius privationem firmat secundum totalem ipsius participationem. Et, si oportet confidenter dicere vera, et adversantia ipsi, ipsius virtute et sunt et adversari possunt.

201. — Magis autem: ut comprendens dicam, omnia existentia, inquantum sunt et bona sunt et ex bono *; inquantum autem privata sunt bono, neque bona neque existentia sunt.

Nam in aliis habitibus quidem, sicut caliditate aut frigiditate, sunt calefacta et derelinquente ipsa caliditate et vitae et mentis multa existentium sunt expertia et a substantia Deus segregatur et est supersubstantialis *. Et simpliciter quidem in universis aliis et abeunte et non ingenito * omnino habitu sunt existentia et subsistere possunt.

Quod autem, secundum omnem modum, bono privatum est, nusquam ullo modo neque erat neque est neque erit neque esse potest.

202. — Sicut impudicus, quamvis privatus est bono *, secundum irrationabilem concupiscentiam, in hoc quidem neque est neque existentia concupiscit; participat autem bono *, secundum ipsam unitionis et amicitiae obscuram resonantiam.

Et furor quidem participat bono * secundum ipsum moveri et desiderare apparentia mala ad apparens pulchrum redigere et convertere.

197. — τὸ δὲ ἀγαθὸν ἐν οἷς μὲν ἂν τελέως ἐγγένηται τέλεια ποιεῖ καὶ ἀμιγῆ καὶ ὁλόκληρα ἀγαθά· τὰ δὲ ἧττον αὐτοῦ μετέχοντα καὶ ἀτελῆ ἐστιν ἀγαθὰ καὶ μεμιγμένα διὰ τὴν ἔλλειψιν τοῦ ἀγαθοῦ. Καὶ οὐκ ἔστι καθόλου τὸ κακὸν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε ἀγα[D]θοποιόν· ἀλλὰ τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον τῷ ἀγαθῷ πλησιάζον, ἀναλόγως ἔσται ἀγαθόν.

198. — Ἐπείπερ ἡ διὰ πάντων φοιτῶσα παντελὴς ἀγαθότης οὐ μέχρι μόνον χωρεῖ τῶν περὶ αὐτὴν παναγάθων οὐσιῶν, ἐκτείνεται δὲ ἄχρι τῶν ἐσχάτων, ταῖς μὲν ὁλικῶς παροῦσα ταῖς δὲ ὑφειμένως ἄλλαις δὲ ἐσχάτως ὡς ἕκαστον [720 A] αὐτῆς μετέχειν δύναται τῶν ὄντων.

*Καὶ τὰ μὲν πάντῃ τοῦ ἀγατοῦ μετέχει τὰ δὲ μᾶλλον καὶ ἧττον ἐστέρηται, τὰ δὲ ἀμυδροτέραν * ἔχει τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίαν καὶ ἄλλοις κατ' ἔσχατον ἀπήχημα πάρεστι τἀγαθόν*.*

199. — Εἰ γὰρ μὴ ἀναλόγως ἑκάστῳ τἀγαθὸν παρῆν ἦν ἂν τὰ θειότατα καὶ πρεσβύτατα τὴν τῶν ἐσχάτων ἔχοντα τάξιν.

*Πῶς δὲ καὶ ἦν δυνατὸν μονοειδῶς πάντα μετέχειν τοῦ ἀγαθοῦ, μὴ πάντα ὄντα ταύτῃ * εἰς τὴν ὁλικὴν αὐτοῦ μέθεξιν ἐπιτήδεια;*

200. — Νῦν δὲ τοῦτο ἐστι τῆς τοῦ ἀγαθοῦ δυνάμεως τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος ὅτι καὶ τὰ ἐστερημένα καὶ τὴν ἑαυτοῦ στέρησιν δυναμοῖ, κατὰ τὸ ὅλως αὐτοῦ μετέχειν. Καί — εἰ χρὴ παῤῥησιασάμενον εἰπεῖν τἀληθῆ — καὶ τὰ μαχόμενα αὐτῷ τῇ αὐτοῦ δυνάμει καὶ ἔστι καὶ μάχεσθαι δύναται.

*201. — Μᾶλλον δέ· ἵνα συλλαβὼν εἴπω, τὰ ὄντα πάντα [B] καθ'ὅσον ἐστὶ καὶ ἀγαθά ἐστι καὶ ἐκ τἀγαθοῦ *, καθ'ὅσον δὲ ἐστέρηται τοῦ ἀγαθοῦ οὔτε ἀγαθὰ οὔτε ὄντα ἐστίν.*

*Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἕξεων, οἷον θερμότητος ἢ ψυχρότητος, ἐστὶ τὰ θερμανθέντα καὶ ἀπολειπούσης αὐτὰ τῆς θερμότητος, καὶ ζωῆς καὶ νοῦ πολλὰ τῶν ὄντων ἄμοιρα· καὶ οὐσίας ὁ θεὸς ἐξῄρηται καὶ ἐστιν ὑπερουσίως *. Καὶ ἁπλῶς, ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων πάντων, καὶ ἀπελθούσης ἢ μηδὲ ἐγγενομένης * πάντῃ τῆς ἕξεως, ἔστι τὰ ὄντα καὶ ὑφίσταται δύναται·*

τὸ δὲ κατὰ πάντα τρόπον τοῦ ἀγαθοῦ ἐστερημένον, οὐδαμῇ οὐδαμῶς οὔτε ἦν οὔτε ἐστὶν οὔτε ἔσται οὔτε εἶναι δύναται.

*202. Οἷον ὁ ἀκόλαστος, εἰ καὶ ἐστέρηται τἀγαθοῦ * κατὰ τὴν ἄλογον ἐπιθυμίαν, ἐν τούτῳ μὲν οὔτε ἐστὶν οὔτε ὄντων ἐπιθυμεῖ, μετέχει δὲ ὅμως τἀγαθοῦ * κατ' αὐτὸ τὸ τῆς ἑνώσεως καὶ φιλίας ἀμυδρὸν ἀπήχημα.*

*Καὶ ὁ θυμὸς δὲ [C] μετέχει τἀγαθοῦ * κατ' αὐτὸ τὸ κινεῖσθαι καὶ ἐφίεσθαι τὰ δοκοῦντα κακὰ πρὸς τὸ δοκοῦν καλὸν ἀνορθροῦν καὶ ἐπιστρέφειν·*

Et ipse pessimam vitam desiderans et optimam ipsi apparentem, secundum ipsum, desiderare et ad optimam vitam respicere, participat bono *.

Et si omnino bonum * auferas, neque substantia erit neque vita neque desiderium neque motus neque aliud nihil.

203. — Quare et fieri ex corruptione generationem non est mali virtus, sed minoris boni praesentia, inquantum et morbus est defectus ordinis, non omnis; si enim hoc fiat, neque morbus ipse subsistet. Manet autem et est morbus substantiam habens minimum ordinem et in ipso subsistens.

Quod est enim omnino expers boni, neque existens est neque in existentibus; quod autem est mixtum, propter bonum est in existentibus et secundum hoc in existentibus existens, secundum quod ipso participat.

204. — Magis autem: existentia omnia intantum erunt magis et minus, inquantum bono participant. Etenim in ipso esse, quod nusquam nullo modo existit, hoc non potest esse neque erit *.

Quod autem secundum aliquam partem quidem est, secundum aliquam autem non est, inquantum quidem cecidit a semper existente non est, inquantum autem esse participat intantum est; et, totaliter, esse et non-existens ipsius tenetur et salvatur.

Et malum, quod quidem omnino a bono cecidit, neque in magis neque in minus bonis * erit;

quod autem secundum aliquam partem quidem est bonum, secundum aliam autem non bonum, adversatur quidem bono cuidam, non toti autem bono *; tenetur autem et ipsum, boni participatione et substantificat ipsius privationem bonum totaliter ipsius participatione. Omnino enim abeunte bono, neque universaliter aliquid erit bonum neque mixtum neque ipsum malum.

Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfecta boni et imperfectum et perfectum bonum aberit et tunc solum erit et videbitur malum, quando istis quidem est malum quibus adversatur, ab istis autem sicut bonum segregatur *.

Adversari enim sibi invicem eadem secundum eadem in omnibus est impossibile. Non igitur existens est malum ».

*Καὶ αὐτὸς ὁ τῆς χειρίστης ζωῆς ἐφιέμενος ὡς ὅλως ζωῆς ἐφιέμενος καὶ τῆς ἀρίστης αὐτῷ δοκούσης κατ' αὐτὸ τὸ ἐφίεσθαι καὶ ζωῆς ἐφίεσθαι καὶ πρὸς ἀρίστην ζωὴν ἀποσκοπεῖν, μετέχει τἀγαθοῦ *.*

*Καὶ εἰ πάντῃ τἀγαθὸν * ἀνέλῃς, οὔτε οὐσία ἔσται οὔτε ζωὴ οὔτε ἔφεσις οὔτε κίνησις οὔτε ἄλλο οὐδέν.*

203. — Ὥστε καὶ τὸ γίνεσθαι ἐκ φθορᾶς γένεσιν οὐκ ἔστι κακοῦ δύναμις ἀλλ' ἥττονος ἀγαθοῦ παρουσία, καθ' ὅσον καὶ νόσος ἔλλειψις ἔστι τάξεως οὐ πάσης· εἰ γὰρ τοῦτο γένηται, οὔτε ἡ νόσος αὐτὴ ὑποστήσεται, μένει δὲ καὶ ἔστιν ἡ νόσος οὐσίαν ἔχουσα τὴν ἐλαχίστην τάξιν καὶ ἐν αὐτῇ παρυφισταμένη.

Τὸ γὰρ πάντῃ ἄμοιρον τοῦ ἀγαθοῦ, [D] οὔτε ὂν οὔτε ἐν τοῖς οὖσι· τὸ δὲ μικτὸν διὰ τὸ ἀγαθὸν ἐν τοῖς οὖσι· καὶ, κατὰ τοῦτο ἐν τοῖς οὖσι καὶ ὄν, καθ' ὅσον τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει.

*204. — Μᾶλλον δέ· τὰ ὄντα πάντα κατὰ τοσοῦτον ἔσται μᾶλλον καὶ ἧττον καθ' ὅσον τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει· καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ αὐτὸ εἶναι τὸ μηδαμῇ μηδαμῶς ὂν οὔτε ἔσται *.*

Τὸ δὲ πῇ μὲν ὂν πῇ δὲ μῇ ὄν, καθ' ὅσον μὲν ἀποπέπτωκε [721 A] τοῦ ἀεὶ ὄντος, οὐκ ἔστιν· καθ'ὅσον δὲ τοῦ εἶναι μετείληφε, κατὰ τοσοῦτόν ἐστι καὶ τὸ ὅλως εἶναι καὶ τὸ μὴ ὂν αὐτοῦ διακρατεῖται καὶ διασώζεται.

*Καὶ τὸ κακὸν τὸ μὲν πάντῃ τοῦ ἀγαθοῦ ἀποπεπτωκὸς οὔτε ἐν τοῖς μᾶλλον οὔτε ἐν τοῖς ἧττον ἀγαθοῖς * ἔσται.*

*Τὸ πῇ μὲν ἀγαθὸν πῇ δὲ οὐκ ἀγαθὸν μάχεται μὲν ἀγαθῷ τινι οὐχ ὅλῳ δὲ τἀγαθῷ *· κρατεῖται δὲ καὶ αὐτὸ τῇ τοῦ ἀγαθοῦ μετουσίᾳ καὶ οὐσιοῖ καὶ τὴν ἑαυτοῦ στέρησιν τὸ ἀγαθὸν τῇ ὅλως αὐτοῦ μετέξει· πάντῃ γὰρ ἀπελθόντος τοῦ ἀγαθοῦ οὔτε καθόλου τι ἔσται ἀγαθὸν οὔτε μικτὸν οὔτε αὐτοκακόν.*

*Εἰ γὰρ τὸ κακὸν ἀτελές ἐστιν ἀγαθὸν ἀπουσίᾳ παντελεῖ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τὸ ἀτελὲς καὶ τὸ τέλειον ἀγαθὸν ἀπέσται· καὶ τότε μόνον ἔσται καὶ ὀφθήσεται τὸ κακὸν ἡνίκα τοῖς μὲν ἔστι κακὸν οἷς ἠναντίωται, τῶν δὲ ὡς ἀγαθῶν ἐξήρτηται *.*

Μάχεσθαι γὰρ ἀλλήλοις τὰ [B] αὐτὰ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐν πᾶσιν ἀδύνατον.

Οὐκ ἄρα ὂν τὸ κακόν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

491. — Praepositis dubitationibus de existentia et causa mali, hic incipit solvere; et primo, solvit particulariter id quod obiectum est de concomitantia generationis et corruptionis; secundo, universaliter, omnia quae supra opposita sunt, investigans veritatis radicem [195].

492. — Dicit ergo primo quod *ad* praemissa *verus sermo* respondet *quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam facit* neque *generationem,* sed per se loquendo causat solummodo *malum* et corruptionem *existentium.* Et *si aliquis* obiiciat quod *malum* est *operativum generationis*

per hoc quod ex *corruptione* unius datur generatio alterius, *respondendum est* secundum veritatem quod *corruptio non dat generationem,* sed *corruptio solum corrumpit et malum solum* male *facit* per se loquendo; sed *generatio et substantia fit propter bonum.* Quod quidem patet tam in naturalibus quam in moralibus. Manifestum est enim quod ignis generat ignem et corrumpit aërem; coniungitur enim in igne forma ignis quae pertinet ad bonum, et privatio formae aëris quae pertinet ad malum. Quod autem ignis generat ignem non est ex hoc quod caret forma aëris, sed ex hoc quod habet formam ignis. Alioquin quod careret forma aëris, faceret ignem quod falsum est, sed corrumpit aërem inquantum ex necessitate formae ignis adiungitur privatio formae aëris. Similiter in moralibus, adulterium corrumpit virtutem in quantum caret ordine debito, quod pertinet ad rationem mali; sed secundum quod est delectabile, quod pertinet ad rationem boni, delectat et multa alia bona facit. Sic igitur apparet quod *malum* secundum *seipsum* est corruptivum, sed *generativum* nonnisi per accidens, scilicet *propter bonum. Et* ulterius sequitur quod *secundum quod est malum neque existens neque effectivum existentium,* sed per accidens, scilicet *propter bonum* adiunctum, est *existens et bonorum effectivum.*

493. — Deinde, cum dicit [195]: *Magis autem...* hic Dionysius manifestat praedictam solutionem et virtutem totius dubitationis profundius investigat; et circa hoc, tria facit: primo, enim, ostendit differentiam mali et boni; secundo, universalem virtutem boni in essendo; ibi [201]: *Magis autem: ut comprehendens dicam...*; tertio, universalem virtutem boni in hoc quod est facere magis vel minus bona et magis et minus existentia; ibi [204]: *Magis autem: existentia...*

494. — Circa primum, tria facit: primo, distinguit malum a bono; secundo, ostendit quid conveniat malo; ibi [196]: *Igitur...*; tertio, quid conveniat bono; ibi [197]: *bonum autem...*

495. — Dixerat autem supra quod malum non generat, inquantum est malum, sed inquantum est bonum. Ne autem aliquis crederet quod idem secundum idem esset malum et bonum, subiungit quod non est *idem secundum idem et bonum et malum.* Unde cum dicitur quod malum non generat inquantum malum, sed inquantum bonum, non est distinctio secundum rationem tantum, scilicet quasi eadem res secundum unam rationem sit bona et secundum aliam mala; sed aliqualiter secundum rem, scilicet secundum quod una et eadem res, inquantum habet de esse, est bona; quantum vero ad hoc quod privatur perfectione debita, est mala. Et similiter, *generatio et corruptio non est eadem virtus eiusdem* et *secundum idem.* Non enim idem secundum idem malum generatur et corrumpitur. Et quia dixerat quod non est idem bonum et malum nec generatio et corruptio et posset aliquis credere quod malum seorsum invenitur a bono per se existens et corruptio seorsum a generatione, hoc consequenter removet dicens quod non est aliqua *virtus per se* existens, sed est in bono sicut in subiecto, ita quod idem subiectum est bonum et malum, secundum aliud et aliud. Et similiter *neque corruptio* est *per se* existens absque generatione, sed simul est et generatio et corruptio in subiecto, sed non secundum idem, quia generatio unius est cum corruptione alterius.

496. — Quod autem dicit: *Magis autem,* idem est quod in libris Aristotelis transfertur: « Amplius autem », et signat additionem rationis supra rationem.

497. — Deinde, cum dicit [196]: *Igitur ipsum malum...* concludit ex praemissis quid pertineat ad malum. Si enim malum non est per se virtus, sequitur quod ipsum malum, ita quod ly *ipsum* ponatur loco articuli et *malum* accipiatur pro essentia mali, sic inquam malum acceptum *neque existens est neque bonum* neque operatur generationem *neque* est *effectivum existentium* et *bonorum;* sed res quae est mala inquantum habet aliquid de bono est existens et operativa generationis et effectiva existentium et bonorum.

498. — Deinde, cum dicit [197]: *bonum autem...* ostendit quid pertineat ad bonum; et circa hoc, duo facit: primo, enim, ostendit quod bonum est universalis causa rerum omnium bonarum; secundo, ostendit quomodo causalitas boni extendit se etiam ad mala; ibi [200]: *Nunc autem...*

499. — Circa primum, tria facit: primo, proponit quod per bonum fiunt quaedam bona perfecta et quaedam imperfecta; secundo, assignat modum per quem hoc fiat; ibi [198]: *Quoniam...*; tertio, probat, rationem assignando praemissorum; ibi [199]: *Si enim...*

500. — Dicit ergo primo quod cum malum non sit operativum bonorum *bonum* est quod quidem, ea in quibus interius

generatur *perfecte* ab Eo quod est per suam essentiam bonum, *facit* formaliter loquendo *bona: perfecta*, quidem secundum participationem bonitatis; *immixta*, secundum remotionem mali; *et integra*, secundum remotionem corruptionis. Sed illa *quae minus participant* bono *sunt imperfecta bona* et habent aliquam permixtionem mali propter defectum boni quod non perfecte in eis participatur. Et sic *universaliter malum non est* existens *neque* est *bonum neque* facit *bonum; sed* et *quod magis et minus approp-inquat* Ei quod est per essentiam bonum scilicet Deo, est *bonum* secundum eam proportionem boni; propter distantiam autem a primo bono, hoc dicitur malum, non quasi sit universaliter privatum a bono, sed inquantum est in eo aliquis defectus boni.

501. — Deinde, cum dicit [198]: *Quoniam...* assignat modum praedictorum, scilicet quomodo magis et minus bonum inveniatur in rebus; et dicit quod hoc ideo est, quia *perfecta bonitas*, scilicet divina *vadens per universa*, inquantum scilicet communicat se omnibus per similitudinem suae bonitatis, *non proficiscitur usque ad solas sanctissimas substantias* Angelorum *quae* propinquae Deo *sunt, sed* se extendit diffundendo per bonitatem, *usque ad* infimas substantias. Illis enim sanctissimis substantiis Angelorum divina bonitas est *totaliter praesens* sicut perfecte participata ab eis secundum modum possibilem creaturae; aliis *autem subiecte*, idest inferiori modo praesens est, a quibus scilicet participatur, sed non ita perfecte sicut ab Angelis, quod potest referri ad animas humanas; *aliis* vero *extreme*, idest infimo modo praesens est sicut irrationalibus creaturis; et hoc quidem contingit secundum possibilitatem uniuscuiusque ad participandam divinam bonitatem. Quaedam enim *omnino* perfecte secundum modum possibilem creaturae *participant* divinam bonitatem, propter quod dicit quod eis divina bonitas *totaliter praesens* est. Alia vero *privantur* ista perfecta participatione, recedendo ab ea secundum *magis et minus*, ut patet in diversis gradibus entium et maxime in creaturis viventibus. *Alia* vero *habent obscuriorem participationem boni*, sicut creaturae corporales et praecipue non viventes, in quibus obscuratur quodammodo divinae bonitatis claritas, propter eorum materialitatem et corruptionem; unde eorum obscuritas in hoc attenditur quod non sunt intelligibilia actu, sed secundum potentiam tantum. Quibusdam vero *adest bonum secundum ultimam resonantiam*, quae scilicet tenent ultimum gradum in bonitate, ut sunt corrupta et ea quae dicuntur mala. Et loquitur ad similitudinem eius quod in sonis accidit. Qui enim propinqui sunt, audiunt totum sonum et secundum quod magis distant, minus audiunt de sono, ita quod in fine non audiunt ipsum sonum, sed solum quamdam resonantiam aut reboationem.

502. — Deinde, cum dicit [199]: *Si enim...* assignat duas rationes praedictae diversitatis. Ad quarum evidentiam considerandum est quod aliter assignatur ratio diversitatis in effectibus causae per necessitatem naturae agentis et aliter in effectibus causae agentis per voluntatem. In his enim quae per necessitatem naturae agunt, tota diversitatis ratio est ex diversa proportione materiae. Non enim potest assignari ratio quare ignis ceram liquefaciat et lutum induret, nisi propter diversam materiae recipientis dispositionem, quia agens naturale quantum est de se semper natum est unum facere. Sed in his quae agunt per voluntatem, duplex ratio assignatur diversitatis effectuum: primo quidem ex parte finis; secundo, ex diversa dispositione materiae. Sicut aedificator alio modo facit fundamenta et alio modo parietes et alio modo tectum propter quemdam finem, scilicet propter complementum domus quod recipit hanc diversitatem; secundo, ad hoc quod ista diversitas possit esse in partibus, quaerit materiam diversimode dispositam vel ipse etiam eam diversimode disponit ad diversitatem partium constituendam.

503. — Et similiter duplicem rationem assignat diversitatis effectuum divinorum: Primam quidem, quantum est ex parte finis qui est complementum universi, quod non esset si esset unus tantum gradus bonitatis in entibus omnibus aequalibus; et hoc est quod dicit quod [199]: *si bonum non adesset unicuique* secundum proportionem suam diversimode, sed omnia essent aequalia, sequeretur quod illa quae sunt Deo propinquissima in rebus et perfectissima, essent in gradu et ordine *extremorum*, idest inferiorum et sic non esset universum completum. Secundam rationem assignat ex diversa capacitate rerum, quae tamen diversitas est a Deo provisa propter finem, unde dicit: *Quomodo autem esset possibile* quod *omnia uniformiter* participarent *bono, cum non omnia existentia sint eodem modo* disposita *ad* perfectam *ipsius participationem?*

504. — His autem rationibus assignatis, ulterius protendit virtutem boni usque ad malum; et dicit [200] quod in hoc apparet *excellens* virtus boni; quod non solum bona producit, sed etiam *firmat* et statuit ea quae privantur bono *et* etiam *sui ipsius privationem* et hoc fit *secundum totalem ipsius participationem*, idest secundum rationem suae universalis participationis quia necesse est, quocumque modo est aliquid, quod participet bono et sic oportet quod subiectum privationis participet bono, cum sit quoddam ens et per consequens ipsa privatio per bonum firmatur, inquantum non posset esse nisi in subiecto. Et non solum per virtutem boni et privata et privatio firmantur, sed etiam, *si oportet confidenter dicere* veritatem, ea quae adversantur bono, *virtute ipsius* boni *et sunt et adversari possunt*, quia hoc ipsum quod agunt adversando est ex virtute boni.

505. — Deinde, cum dicit [201]: *Magis autem, ut comprehendens dicam...* ostendit universalitatem boni in essendo, quod valet ad manifestationem eius quod dixerat quod privata et privatio firmantur per bonum; et circa hoc tria facit: primo, proponit propositum; secundo, manifestat propositum per exempla; ibi [202]: *Sicut impudicus...*; tertio, adaptat ad solutionem, more distinctionis; ibi [203]: *Quare et fieri...*

506. — Dicit ergo primo quod non solum bonum invenitur in singulis gradibus existentium, sed, *ut* universaliter comprehendendo *dicam omnia* entia *inquantum sunt et sunt bona et ex bono;* sed *inquantum sunt privata bono*, non solum non *sunt bona*, sed *neque existentia;* non enim ita est de bono, sicut de *aliis* particularibus *habitibus* et privationibus. Patet enim in *caliditate* et *frigiditate* quod substantia quae fuerit calida remanet existens, postquam totaliter deseritur a caliditate *et multa* sunt in entibus, quae carent vita et mente, idest intellectu; *et* etiam *Deus* est absque *substantia*, quasi super omnem substantiam existens; *et* universaliter *in* omnibus *aliis* formis et perfectionibus invenitur hoc quod aliqua et *sunt et subsistere* etiam *possunt*, recedente perfectione et non habendo talem perfectionem. Sed illud quod omnino *privatum est bono*, in nullo loco nullo *modo* nullo tempore aut *est* aut *esse potest.*

507. — Deinde, cum dicit [202]: *Sicut impudicus...* manifestat quomodo ea quae dicuntur mala in moribus, habent aliquid de bono; et primo, manifestat hoc in malo impudicitiae quae est secundum corruptionem concupiscibilis. *Impudicus* enim *privatus est bono*, inquantum eius concupiscentia privatur ordine rationis et quantum ad hoc non est; privari enim ordine rationis non ponit aliquid esse, sed non esse; et sic etiam quantum ad hoc non *concupiscit existentia*, sed concupiscit inordinata quae, inquantum sunt inordinata, sunt non existentia; sed tamen impudicus *participat bono secundum* quamdam *resonantiam obscuram* et defectivam *unitionis et amicitiae*, quam supra diximus [501] bono convenire. Secundo, ostendit idem in malo iracundiae, quod est secundum inordinationem irascibilis; et dicit quod *furor*, idest ira inordinata *participat bono, secundum* hoc *ipsum* quod movetur in quiddam quod ei apparet bonum et iustum, scilicet vindicare offensam, et inquantum desiderat illa quae secundum se videntur mala, sicut laesiones proximi, reducere et *convertere* in aliquid *apparens* bonum, et *pulchrum*; est enim proprium iracundi semper ad hoc niti quod videatur iuste vindictam inferre. Unde et Philosophus dicit, in VIII° Ethicorum [1]), quod iracundus assimilatur ei qui audit quasdam leges quantum ad hoc quod est vindicare peccata, sed statim movetur antequam totum audiat, scilicet a quo et qualiter et quantum offensam illatam debeat vindicare. Tertio, ostendit idem in eo qui ex malitia peccat, non per passionem, sed per electionem malum agens; et dicit quod ille qui *pessimam vitam* desiderat quae tamen sibi optima videtur, ut dicitur, *participat bono*, quantum ad *ipsum* motum desiderii et quantum ad hoc quod respicit *optimam vitam*, quia malam vitam eligit inquantum sibi apparet bona. Et universaliter comprehendit quod, *si omnino bonum* auferatur, *neque erit substantia neque vita neque* aliquod *desiderium neque motus neque aliud nihil.*

508. — Deinde, cum dicit [203]: *Quare et fieri...* applicat praedictam veritatem ad solutionem dubitationis motae; et dicit, dum ita sit, quod cum nihil, quodcumque videatur malum, est totaliter privatum bono, hoc ipsum quod per corruptionem unius, quae appropriatur malo, fit generatio alterius, *non est* ex parte mali, sed ex *praesentia boni* imperfecti: sicut *morbus* qui corrumpit naturam *est* quidem *defectus* alicuius *ordinis*, scilicet proportionis humorum in qua consistit sanitas, non tamen est defectus cuiuslibet or-

[1]) C. 7: 1149, a, 25-32; S. Th. lect. 6, n. 1387.

dinis; quia, si omnis ordo tollatur, *neque ipse morbus* remanebit, humoribus ab invicem totaliter recedentibus; sed *manet* ordo et ipsa aegritudo habet pro substantia vel essentia quod sit quidam ordo minimus, idest imperfectus. Et quantum ad hunc ordinem aegritudo aliquid est et corrumpere potest, sicut per calorem excedentem vel aliquid huiusmodi. Illud *enim quod omnino est expers boni neque est existens neque* est *in existentibus;* sed illud *quod est mixtum,* idest partem habens de bono et partem de malo, secundum hoc quod habet de bono, connumeratur inter existentia et est aliquo modo existens.

509. — Deinde, cum dicit [204]: *Magis autem: existentia omnia...* ostendit quod ex bono est diversitas graduum in entibus et hoc ad solutionem applicat. Dicit, ergo, quod *omnia existentia intantum magis et minus* de esse participant, *inquantum* magis et minus *participant bono;* quia ens inquantum ens est bonum. Item est de bono sicut et de ente; quia *in ipso esse* si aliquid nullo modo existit participans, sequitur quod *nullo modo* erit. Illud autem quod *secundum aliquam partem est* et *secundum aliquam* partem *non est,* sicut homo caecus qui est quidam homo, sed non est videns, *inquantum* quidem deficit ab Eo quod est *semper* et perfecte existens, *non est; inquantum autem participat esse, intantum est; et,* ut universaliter loquamur, ipsum *non-existens* per ipsum *esse tenetur et salvatur;* tamdiu enim remanet caecitas, quamdiu remanet homo. Ita et similiter est de malo: quia si aliquid sit *malum* quod totaliter recedat *a bono,* illud nullo modo potest esse, neque inter ea quae sunt *magis vel minus* bona. Sed illud *quod est secundum aliquam partem bonum, secundum* vero *aliam* partem *non bonum,* contrariatur *quidem bono non* universali, quia non deficit universaliter a bono, sed alicui *bono* a quo deficit, sicut malum caecitatis opponitur bono visionis. Sed *ipsum* malum quod opponitur particulari bono, retinetur per participationem *boni,* inquantum scilicet subiectum privationis participat aliquo bono et ipsum bonum dat subiectum alicuius boni, inquantum bonum universaliter participatur in omnibus entibus. Nec est inconveniens quod bonum, universaliter loquendo, sit subiectum privationis alicuius particularis boni, sicut quod est subiectum alicuius particularis entis continetur sub ente communi.

Omnino autem recedente *bono, neque aliquid erit* totaliter *bonum, neque* erit aliquod bonum *mixtum* cum malo, *neque* erit *ipsum malum,* quia subiecto subtracto et privatio subtrahitur. *Si enim malum est* in aliquo bono imperfecto, manifestum est quod si totaliter subtrahatur bonum, tolletur totaliter et *bonum imperfectum et bonum perfectum* et per consequens tolletur malum. *Tunc* igitur *solum* potest esse *malum quando* respectu quorumdam bonorum *est malum quibus* opponitur, sed *ab* aliis bonis distinguitur *sicut bonum* a bono. Non enim est possibile quod aliqua opponantur *sibi* secundum omnia, quia saltem oportet quod in esse conveniant. Sic *igitur* cum malum non sit totaliter privatum bono, sed aliquo particulari bono, relinquitur quod hoc ipsum quod est *malum, non est* aliqua res per se *existens.*

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 194: « non corruptio... sed et corruptio... »; « non *inquantum* (ᾗ) est corruptio dat generationem, sed *inquantum* (ᾗ) corruptio... ».

* ad n. 198: « boni obscuriorem participationem »; « *tenuiorem* ».

* : « adest bonum »; « adest *bonum ipsum* ».

* ad n. 199: « ταύτῃ pro ταὐτῶς corrige » (Turturro); « hoc modo ».

* ad n. 201: ex bono; ex *ipso Bono.*

* : « supersubstantialis », al. ὑπερουσίως - « supersubstantialiter ».

* : « et non ingenito » h. e. « sive penitus non fuerit » (Cordier).

* ad n. 202: « privatus est bono *ipso,* ... participat autem bono *ipso* »; item, infra, bis; deinde: « si omnino *bonum ipsum* auferas ».

* ad n. 203: « in ipso subsistens » - ἐν αὐτῇ παρυφισταμένη exprimit notionem specialem subsistendi iuxta aliud per virtutem eius, unde posset verti: « in ipso *parasubsistens* » sicut appellatur quis « *parasitus* ».

* ad n. 204: « Etenim in ipso esse, quod nusquam nullo modo existit, hoc non potest esse neque erit » - καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ αὐτὸ εἶναι τὸ μηδαμῆ μηδαμῶς ὂν οὔτε ἔσται: superfluit in vers. latina: « *hoc non potest esse* »; al. « nam quod ad ipsum etiam *statum* attinet, quod nusquam ullo modo est, id non erit etiam » (Perionius). « [On sait que] quiconque n'aurait aucune part d'aucune façon à l'*Etre pur* serait pur néant » (M. de Gandillac). Hanc propono vers. ut sensus metaphysicus clarius elucescat: « et-

enim, *etiam* in *esse ipso,* quod nusquam nullo modo est, neque erit ».

* : « neque in minus *bonis* »; confirmat Turturro: « ἀγαθοῖς pro ἀγαθόν, eligendum ».

* : « adversatur quidem bono cuidam, non toti autem bono *ipso* » (τἀγαθῷ).

* « ab istis autem sicut bonum segregatur » - τῶν δὲ ὡς ἀγαθῶν ἐξήρτηται (Stiglmayr; *confirmat* Turturro: « *minime* ἐξῆρηται »), « ab istis autem tamquam *bonis suspensum se tenet* ». Ambrosius: « ab aliis vero tamquam *bonis exceptum est* » et intelligitur, ni fallor, illud « *excipere* » quasi bonum *sustineat* impetum mali, *parhypostatice* adhaerentis. Doctrina manifestatur clarius: ex una parte *contrarie se habet* (ἠναντίωται) ex alia *suspensum se tenet* bono cui adversatur, tamquam parasitus.

2ª Quoad « parallelia »:

Praetereo quae referuntur ad textus compositionem quoad *statum criticum,* nam codicum diligens examen supponit haec consideratio. Positio doctrinalis Dionysii est consona his quae supra (188-190) dicta sunt, nisi quod hic supponitur profundior analysis « privationis » per quam habetur notio mali tamquam *parhypostasis:* quae omnia, si bene intelligo a Simplicio explicata, diffuse et pulchre tractavit Iamblichus commentario in Arist. Categorias (cfr. Simpl., *in Arist. Categ. Com.,* edit. Kalbfleisch, pag. 354-395; 403; 417-418).

Proclus vero, in processu suae tractationis (14) ulterius « secundum alteram viam » prosequitur « quod quaeritur » et opinionem praecedentium auctorum ponit qui viam mediam tenent (15-21).

Ex hoc diverso modo procedendi utrobique, difficultas parallelia quae inveniunt critici iudicandi maxime augetur, ratione iam dicta. Iuxta vires idiotae concessas, quae de Proclo derivata videntur in textum Dionysii pono, mittens cetera peritioribus excutienda.

Dionysius - 194:
« Malum secundum quod est malum nullam substantiam aut generationem facit; solum autem, malum facit et corrumpit existentium substantiam, quantum in ipso est ».

Proclus - 13:
« Malum corruptivum est uniuscuiusque »;
id. 135: (Malum ipsum) « corruptivum est et divisivum quibuscumque affuerit ».

Videtur sufficere principium generale a Platone traditum *de Rep. X,* 9; 608 E, de quo supra dictum est (pag. 167).

Dionysius - 194:
« Si autem generationis operativum ipsum aliquis esse dicat ... respondendum est vere non inquantum est corruptio dat generationem, sed inquantum est corruptio et malum, corrumpit et malum facit, solum; generatio autem et substantia propter bonum fit et erit malum corruptio propter seipsum, *generativum autem propter bonum* ».

Proclus - 142:
« *Neque agere malum neque posse dicendum sed et agere ipsi et posse a contrario;* etenim bonum debile et inefficax propter mixturam mali fit et malum virtute et operatione *transortitur propter boni praesentiam* »; cfr. 138: « ipsum (malum) assumit potentiam et speciem ab illo » (scil. habitu suo).

Ipse Plotinus tamquam principium generale ponit hanc doctrinam: « Malum autem non est malum solum, propter potentiam (διὰ δύναμιν) et naturam boni » (*En.* I, 8, 15). Ratio huius est quia hic habetur « *mistum ex bono atque malo;* item quod plus mali participat ad id iam declinare quod est *totum malum,* quod vero minus habet mali hoc ipsum quod minus habet *ad bonum spectare* » (Ficinus), secundum doctrinam Plotini (*ibidem*).

Dionysius - 200:
« Nunc autem haec est boni *virtutis excellens magnitudo* quod et privata et sui ipsius privationem *firmat* [δυναμοῖ - *potentificat*] secundum totalem ipsius participationem
« Et si oportet confidenter dicere vera, et adversantia ipsi, *ipsius virtute* et sunt et adversari possunt ».

Dionysius - 203:
« Inquantum et morbus est *defectus ordinis non omnis;* si enim hoc fiat, neque morbus ipse subsistet. Manet autem et est morbus, substantiam habens minimum ordinem et *in ipso parasubsistens* ».

Proclus - 19:
« Bonum ergo *propter potentiae excellentiam, potentificat* sui ipsius privationem », id. 20:... « Boni complicata privatio *illius* (scil. boni) *usa potentia* fit quidam contraria bono, roborata ea quae ad ipsum mixtura et potentiam ad oppugnandum ad id quod prope sumens ».

Proclus - 20:
« Neque umbra corporis aut aegritudo in privatis omnino contrario habitu: ordine enim non ente, neque corpus salvari possibile; *defectus autem ordinis aegritudo, non omnis* ». cfr. 98: « dico autem *velut aegritudo in corpore, inordinatione* quidem *praesente, sed non omni* ».

Aristoteles notat in *Metaphys.* X, 4, 5 (1055, a, 33-35): « prima vero contrarietas habitus et privatio est. Sed *non omnis* (οὐ πᾶσα) privatio... sed quaecumque *perfecta* (τελεία) fuerit ». Necessitas determinandi quonam sensu intelligi debeat *oppositio secundum habitum et privationem* causa fuit qua impulsus Iamblichus multa et pulchra docuit circa hanc quaestionem, ut videre est apud Simplicium (*in Arist. Categ. Com.,* edit. Kalbfleisch, pag. 415). « *Malum, iniustitia, aegritudo* et similia, cum sint potius infortunia et mutationes et aberrationes ab eo quod est secundum naturam et *parasubsistentiae* » (παρυποστάσεις) habent « quod est *omnino* (ὅλως) *praeter naturam* » (παρὰ φύσιν).

In oppositione secundum habitum et privationem adest contrarietas quando agitur de *privatione in fieri* (στερισκέσθαι), sicut aegrotari, infirmari oculis, quia tunc ex complexione privationis cum habitu, bonum huius *dat virtutem* [cfr. δυναμοῖ, « potentificat »] illi. Quando vero agitur de *privatione in facto esse* (ἐστερῆσθαι) sicut defunctum esse, caecum esse, « *propter totalem impotentiam* » (διὰ τὸ παντελῶς ἀδύναμον), adest « privatio pura » et tunc non est oppositio contrariorum, « sed *potius* oppositio secundum habitum et privationem », sicut inter visum et caecitatem. Hinc « qui iniustitiam eligunt *a specie boni in ipsa existentis alliciuntur* et ex infortunio (κατὰ ἀποτυχίαν) in ipsam (iniustitiam) delabuntur, quaerentes quod eos explet et conveniens est et primum ».

Difficile quidem est discernere quae apud magnum « collectorem » Simplicium sunt huius vel illius temporis; attamen quae de « parasubsistentiis » dicuntur antecedere videntur tum Proclum tum Dionysium. Unde mirum non est si Dionysius per « veram rationem » dubitationem solvit et Proclus, quae viam mediam tangunt referens, diversimode eadem habet.

Dionysius - 204:
« adversatur quidem bono cuidam, non toti autem bono ipso »
...« et tunc solum erit et videbitur malum, quando *istis quidem est malum quibus adversatur, ab istis autem tamquam bonis suspensum se tenet* ».

Proclus - 23:
« Quod autem non omniquaque malum subcontrarium est quidem bono cuidam, et non omni ».
id. 23: « et iis quidem est malum quibus contrariatur, *ab aliis autem tamquam bonum dependet* ».

In hac parte disputationis, Proclus suam sententiam ponit (22): quae supra exposuit, nunc (23-25) denuo examinat, concludens: « omnes dicunt sic quidem recte, sic autem non recte » (25).

Illud « subcontrarium » est ex Platone (*Theaet.* XXV; 176 A) et quaestio ista semper viva fuit, ut videre est apud Plotinum (*En.* I, 8, 6) et alios. Notio communis apud Dionysium fluit ex doctrina circa *parhypostasim* et probabiliter hinc eruitur illa diversitas quae in textu utrobique notatur.

Nam apud Proclum agitur de concordantia sententiarum cum platonico effato de necessitate quorumdam malorum: « *ab aliis* » hic refertur ad excellentiam « totorum bonorum », inde « malum » ab his bonificatum, tamquam « bonum » dependet; ibi, malum est *parasita* bonorum.

LECTIO XVII (27a)

Solvitur tertia quaestio: in quibus sit malum, tum in generali tum in speciali et primo quod non potest esse in Deo.

SYNOPSIS

(Lect. XVII; cap. IV; textus nn. 205-209; expositio nn. 510-519).

Incipit ostendere quod malum non est aliquid in existentibus
A) ostendit hoc in generali (205; **511-513**);
B) ostendit hoc in speciali:
1° - non potest esse in Deo:
a) ostendit quod malum non est aliquod primum principium contrarium Deo (206; **515**);
b) ostendit quod malum non est in Deo (207; **516**);
c) ostendit quod malum non est ex Deo:
α) simpliciter (208; **518**);
) secundum aliquod tempus (209; **519**);
2° - in creaturis non est aliquid (lect. 18-21).

TEXTUS DIONYSII

§ 21. 205. — « Sed neque in existentibus est malum. Si enim omnia existentia ex bono * et in omnibus est existentibus et omnia continet bonum * aut non erit malum in exsistentibus aut in bono * erit. Et quidem in bono * non erit: etenim neque in igne frigidum neque malum in eo fieri quod et malum bonum facit. Si autem erit in bono * malum, videtur hic deficere quomodo erit.

Si quidem ex ipso, inconveniens et impossibile: *non* enim *potest*, sicut eloquiorum veritas dicit, *arbor bona fructus malos facere* neque quidem e converso.

Si autem non ex ipso, manifestum quod ex alio principio et causa: etenim aut malum ex bono erit aut bonum ex malo; aut si non hoc est possibile, ex alio principio et causa erit bonum et malum. Omnis enim binarius non principium; unitas autem erit omnis binarii principium. Etenim inconveniens ex uno et eodem duo perfecte contraria procedere et esse et ipsum principium non simplex et singulare esse, sed divisibile et biforme et contrarium sibi ipsi et variatum.

206. — Et quidem, neque duo existentium contraria principia possibile est esse et ista in se invicem et in omnibus adver-

*§ 21. 205. — Ἀλλὰ οὐδὲ ἐν τοῖς οὖσιν ἐστι τὸ κακόν. Εἰ γὰρ πάντα τὰ ὄντα ἐκ τἀγαθοῦ * καὶ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι καὶ πάντα περιέχει τἀγαθόν*, ἢ οὐκ ἔσται τὸ κακὸν ἐν τοῖς οὖσιν ἢ ἐν τἀγαθῷ* ἔσται· καὶ μὲν ἐν τἀγαθῷ* οὐκ ἔσται — καὶ γὰρ οὐδὲ ἐν πυρὶ τὸ ψυχρὸν οὐδὲ τὸ κακύνεσθαι τῷ καὶ τὸ κακὸν ἀγαθύνοντι — εἰ δὲ ἔσται, πῶς ἔσται ἐν τἀγαθῷ* τὸ κακόν;*

εἰ μὲν ἐξ αὐτοῦ ἄτοπον καὶ ἀδύνατον· « οὐ δύναται » γάρ, ὡς ἡ τῶν λογίων ἀλήθειά φησι « δένδρον ἀγαθόν καρπούς πονηρούς » ποιεῖν[1] οὐδὲ μὲν τὸ ἀναπάλιν

εἰ δὲ οὐκ ἐξ αὐτοῦ, ἐξ ἄλλης δῆλον ὅτι ἀρχῆς καὶ αἰτίας· καὶ γὰρ ἢ τὸ κακὸν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ἔσται ἢ τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ κακοῦ ἤ, εἰ μὴ τοῦτο δυνατόν, ἐξ ἄλλης ἀρχῆς καὶ αἰτίας ἔσται καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν. Πᾶσα γὰρ δυὰς οὐκ ἀρχή. Καίτοι ἄτοπον ἐξ ἑνὸς καὶ τοῦ [D] *αὐτοῦ δύο παντελῶς ἐναντία προϊέναι καὶ εἶναι καὶ αὐτὴν τὴν ἀρχὴν οὐχ ἁπλῆν καὶ ἑνιαίαν, ἀλλὰ μεριστὴν καὶ δυοειδῆ καὶ ἐναντίαν ἑαυτῇ καὶ ἠλλοιωμένην.*

206. Καὶ μὲν οὔτε δύο τῶν ὄντων ἐναντίας ἀρχὰς δυνατὸν εἶναι καὶ ταύτας ἐν ἀλλήλαις καὶ ἐν τῷ παντὶ καὶ μαχομένας· εἰ γὰρ τοῦτο

[1]) MAT. 7, 18, mutato verbo *ἐνεγκεῖν* (« producere » v. 18a) in aliud: *ποιεῖν* (« facere » v. 18b).

santia. Si enim hoc datum sit, erit et Deus non sine laesione neque extra molestiam, si sit aliquid ipsi adversans: postea erunt omnia inordinata et semper pugnantia.

207. — Et quidem, de amicitia omnibus existentibus bonum tribuit et per se pax et pacis donator laudatur a sanctis theologis. Propter quod et amica bona * et convenientia omnia et unius vitae germina et ad unum bonum ordinata et mansueta et similia et se invicem adiuvantia. Quare non in Deo est malum et malum non est res mota * a Deo.

208. — Sed neque ex Deo est malum; aut enim non est bonus aut bona facit et bona producit.

209. — Et non aliquando quidem et quaedam, aliquando autem non et non omnia. Transmutationem enim in hoc patietur et variationem circa seipsum quod est omnium divinissimum secundum causam *.

Si autem in Deo bonum * essentia * est, erit transiens ex bono * Deus, aliquando quidem existens aliquando non existens.

Si autem participatione bonum habet et ex altero habebit et aliquando quidem habebit aliquando autem non habebit. Non igitur ex Deo malum neque in Deo neque simpliciter neque secundum tempus ».

δοθείη ἔσται καὶ ὁ θεὸς οὐκ ἀπήμων οὐδὲ ἐκτὸς δυσχερείας, εἴπερ εἴη τι καὶ αὐτῷ τὸ ἐνοχλοῦν· ἔπειτα ἔσται πάντα ἄτακτα καὶ ἀεὶ μαχόμενα.

207. Καίτοι φιλίας πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ ἀγαθὸν μεταδίδωσι καὶ αὐτοειρήνη καὶ [724 *A*] *εἰρηνόδωρος ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων*[1]. *διὸ καὶ φίλα τἀγαθὰ* * *καὶ ἐναρμόνια πάντα καὶ μιᾶς ζωῆς ἔκγονα καὶ πρὸς ἓν ἀγαθὸν συντεταγμένα καὶ προσηνῆ καὶ ὅμοια καὶ προσήγορα ἀλλήλοις· ὥστε οὐκ ἐν θεῷ τὸ κακὸν καὶ τὸ κακὸν οὐκ· ἔνθεον* *.

208. — Ἀλλ' οὐδὲ ἐκ θεοῦ τὸ κακόν· ἢ γὰρ οὐκ ἀγαθὸς ἢ ἀγαθοποιεῖ καὶ ἀγαθὰ παράγει·

209 — καὶ οὐ ποτὲ μὲν καὶ τινὰ ποτὲ δὲ οὐ καὶ οὐ πάντα· μεταβολὴν γὰρ ἐν τούτῳ πείσεται καὶ ἀλλοίωσιν καὶ περὶ αὐτὸ τὸ πάντων θειότατον τὴν αἰτίαν.

*Εἰ δὲ ἐν θεῷ τἀγαθὸν * ὕπαρξίς * ἐστιν, ἔσται ὁ μεταβάλλων ἐκ τἀγαθοῦ * θεὸς ποτὲ μὲν ὢν ποτὲ δὲ οὐκ ὤν.*

Εἰ δὲ μεθέξει τὸ ἀγαθὸν ἔχει καὶ ἐξ ἑτέρου ἕξει καὶ ποτὲ μὲν ἕξει ποτὲ δὲ οὐχ ἕξει. Οὐκ ἄρα ἐκ θεοῦ τὸ κακὸν οὔτε ἐν θεῷ οὔτε ἁπλῶς οὔτε κατὰ χρόνον.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

510. — Postquam Dionysius ostendit quod malum non est aliquid existens per seipsum, hic incipit ostendere quod malum non est aliquid in existentibus, ut pars vel accidens, ut color in corpore; et primo, ostendit hoc in generali; secundo, in speciali; ibi [206]: *Et quidem...*

511. — Quod autem *in existentibus* non sit *malum*, tamquam aliquid inhaerens, sic probat communi ratione: *Omnia existentia* causantur *ex bono*, ut ex praemissis patet [139, **349**; 150, **352**; 142; **358**; 197, **500**); sed effectus assimilatur causae; ergo bonum invenitur *in* quolibet existente. Omne autem illud quod in aliquo invenitur bonum, continetur sub illo, sicut omne in quo invenitur animal, continetur sub animali. Omne ergo subsistens continetur sub bono, tamquam bonum existens. *Aut* ergo oportet quod *malum non* sit aliquid in aliquo existente *aut* oportet quod sit *in bono;* sed hoc est impossibile; ergo impossibile est quod malum sit in existente.

512. — Quod autem malum *non* sit *in bono*, probat dupliciter: primo, sic: Nullum contrariorum est in suo contrario, sicut *frigidum* non est *in igne;* sed si malum est aliquid quod sit contrarium bono, malum non potest convenire bono, cum bonum etiam de malo faciat *bonum*. Secundo, probat sic: *si malum* est aliquid *in bono*, sicut in subiecto, cum omne accidens causetur vel ex subiecto vel ex aliquo alio extrinseco, oportebit quod malum causetur *ex ipso* bono vel ex aliqua causa alia. Sed *inconveniens et impossibile* est quod malum causetur ex bono naturali effluxu, sicut accidentia naturalia causantur a suis subiectis, quia, ut Dominus dicit, Matth. 7 [18], « *non potest arbor bona fructus malos facere* » nec *e converso*. *Si* dicatur quod malum quod ponitur accidens boni *non* causatur *ex ipso* bono, *manifestum* est *quod* oportet ipsum causari *ex* aliquo *alio principio et causa*: omne enim accidens, cum non sit de esse subiecti, ex aliqua causa in subiecto causatur. Similiter autem bonum, quod ponitur subiectum mali, oportet esse causatum, cum sit bonum per participationem non au-

[1]) *Psal.* 28, 11; I *Thess.* 5, 23 (cfr. II *Thess.* 3, 16); II *Cor.* 13, 11; *Rom* 15, 33; *Phil.* 4, 9; *Hebr.* 13, 20.

tem per essentiam. Oportet ergo alterum duorum ponere: quorum unum est quod *malum* sit *ex bono;* secundum est quod *bonum* sit *ex malo; aut, si* ista duo sunt impossibilia, ut patet per auctoritatem inductam, oportet ponere tertium, scilicet quod *et bonum et malum* causentur *ex* quodam *principio et causa* boni. Quartum enim poni non potest, scilicet, quod neque bonum sit causatum neque malum, quia *binarius non* potest esse *principium*, sed *omnis binarii principium* est *unitas* et sic oportet quod contraria duo vel ita se habeant quod unum sit causa alterius vel ab una causa causentur. Sicut autem duo prima sunt impossibilia, ita et tertium: *inconveniens* enim est, quod *ex uno et eodem* principio procedant et sint aliqua quae totaliter sunt *contraria*, sicut bonum et malum.

513. — Et quia posset aliquis dicere quod idem secundum diversa facit contraria, ad hoc excludendum subiungit quod impossibile est dicere, quod *ipsum* primum *principium non* sit *simplex et singulare*; idest uniforme, *sed divisibile, biforme et contrarium sibi ipsi et variatum* a seipso. Oportet enim, si aliquid idem causet contraria secundum aliud et aliud, quod ex contrariis componatur et sic non erit primum principium, quod oportet esse simplex. Patet ergo quod malum non est in existente.

514. — Deinde, cum dicit [206]: *Et quidem...* ostendit per singula, quod malum non est aliquid in existentibus; et primo, quod non potest esse in Deo; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quod malum non est aliquod primum principium contrarium Deo; secundo, quod malum non est in Deo; ibi [207]: *Et quidem de amicitia...;* tertio, quod malum non est ex Deo; ibi [208]: *Sed neque ex Deo...*

515. — Primum ostendit duabus rationibus, quarum prima talis est: si malum esset aliquod primum principium contrarium Deo, quod est ponere *duo principia existentium contraria* et sibi *invicem* totaliter *adversantia*, cum omne illud cui potest suum contrarium adversari possit ab eo laedi et molestari, sequeretur quod *Deus*, qui est ipsum bonum, *non* esset absque *laesione* et molestia. Sed hoc est impossibile: non enim esset summum bonum nec summe beatus, si laederetur et molestaretur. Non ergo sunt duo prima principia contraria: bonum et malum.

Secunda ratio talis est: Effectus sequuntur conditionem causarum et principiorum. Si ergo prima principia sunt contraria et sibi invicem adversantia, sequeretur quod *omnia* in effectibus contra se invicem pugnarent et unum ad aliud non ordinaretur, quod est impossibile et contra hoc quod apparet de ordine universi. Non igitur sunt duo prima principia contraria.

516. — Deinde, cum dicit [207]: *Et quidem, de amicitia...* ostendit quod malum non est in Deo; et quidem hoc evidenter apparet ex hoc quod Deus est ipsum bonum et malum non potest esse in ipso bono, sicut nec frigidum in igne. Sed quia haec ratio supra tacta est [205; **512**], ostendit alia ratione sumpta ab effectu: ipsum enim bonum, quod est Deus, *laudatur* ut *pax*; Ephes. 2 [14]: « *Ipse est pax nostra* »; et ut *pacis dator*, secundum illud I[a] Corinth. 14 [33]: « *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis* », inquantum dat *de amicitia omnibus* entibus; et ex hoc consequitur quod *omnia bona* sunt *amica* sibi invicem et conveniunt, utpote generata ex uno primo uniente principio.

Et iterum, sicut sunt ab uno primo principio procedentia, ita *ad unum bonum* ultimum ordinantur. Et quamvis, quantum ad aliqua propria dissideant, tamen in ordine ad illud unum bonum omnia mansuete et sine impedimento se habent ad invicem et omnia in hoc similantur et iuvant *se invicem*. Non autem ista pax et convenientia esset in rebus a Deo et per comparationem ad Deum, si in Deo esset aliqua contrarietas boni et mali. Unde manifestum est quod *in Deo non est* aliquod *malum;* et ulterius etiam, quod *malum non est* aliqua *res* quae subdatur divinae motioni, quia omnia quae moventur *a Deo*, concordant in uno fine saltem ultimo, ut dictum est [120, **316**; 121, **317**; 122, **318**; 146, **367**].

517. — Deinde, cum dicit [208]: *Sed neque ex Deo...* ostendit quod malum non est ex Deo; et primo, quod non est ab Eo simpliciter; secundo, quod non est ab Eo secundum aliquod tempus; ibi [209]: *Et non...*

518. — Primum ostendit hoc modo: Bonum non est productivum mali, ut ex dictis patet [206; **515**]; *aut* igitur oportet dicere quod Deus *non* sit *bonus aut* quod *facit et producit bona* et non mala.

519. — Deinde, cum dicit [209]: *Et non aliquando...* ostendit quod Deus non producit malum secundum aliquod tempus; et dicit quod non potest dici quod Deus quandoque *quaedam* mala producat, quandoque *autem non et non omnia*: quia, cum malum non possit produci a bono, si Deus quan-

doque produceret malum, sequeretur quod transmutaretur a sua bonitate et variaretur, secundum *seipsum*, quod patet esse impossibile dupliciter: primo quidem, quia illud *quod est divinissimum*, idest optimum et causa omnis bonitatis, non potest mutari a bonitate, sicut nec ignis a caliditate.

Secundo, quia Deus aut est bonus per essentiam suam aut per participationem. *Si* per essentiam, idem erit Deo recedere a bonitate et recedere ab essentia et fieri totaliter *non existens; si autem* sit *bonum* participative oportet quod habeat causam suae bonitatis et hoc modo poterit *aliquando* bonus *aliquando* non bonus esse. Sed hoc est contra hoc quod intelligimus per hoc nomen Deus aliquod primum bonum et causam omnis bonitatis. Sic igitur patet quod *malum* nec *simpliciter in Deo* vel a *Deo* est nec *secundum* aliquod *tempus*.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 205: « ex *ipso* Bono »; « continet *ipsum* Bonum »; « in *ipso* Bono » (ter).

* ad n. 207: « et amica *bona ipsa* ».

* : « res mota a Deo » - *ἔνθεον*, « divinitus inspiratum ».

* ad n. 209: « Variationem circa seipsum quod est omnium divinissimum secundum causam » - « *καὶ περὶ αὐτὸ τὸ πάντων θειότατον, τὴν αἰτίαν* » « *etiam circa id quod omnium divinissimum est, id est causam* » (Cordier).

* : « ex *ipso* Bono », « in Deo *ipsum* Bonum *existentia* (*ὕπαρξις*) est ».

2ª Quoad sensum huius doctrinae (205-209).

Haud spernenda est forsan consideratio de sensu historico huius doctrinae, quae prima fronte distinguit Dionysium a Proclo. Hic enim statim tractat quaestionem, excludens malum *a diis* (27-34) et concludens: « Non ergo *in diis* malum neque simpliciter neque secundum tempus » (34). Ille ponit quaestionem et solvit excludens malum *a Deo* (205-209) et concludens: « Non igitur *ex Deo* malum neque *in Deo*, neque simpliciter neque secundum tempus ».

Ponere quaestionem de bonitate Dei scandalum videtur intelligenti quid apud homines veniat nomine Dei: « hoc *evidenter* apparet ex hoc quod Deus est *ipsum Bonum* » (516) et Dionysius ipse hanc rationem tangit (205), quae ex platonicis verbis evolvitur a Clemente Alexandrino (supra, pag. 166). Sensum quaestionis manifestat determinatio: « etiam circa id quod omnium divinissimum est: (Deum esse) causam » (209). Sic scandalum tollitur.

Eodem radio lucis, apparet tenebrosa facies « impugnationis Dei » a qua liberari debent homines per pulcherrimam doctrinam christianam, quae docet Deum esse unum, trinum, *causam sapientem et pulchram*, hominum amantem (14) et « *unitim* » esse *unum, bonum et pulchrum* (142).

Maximus hoc advertit: « nota adversus Manichaeos »; « haec nota, bene enim pugnat (*ἀγωνίζεται*) adversus Manichaeos » (MG. IV, 285 B). Non ambigo, cum haud pauci hoc notent ad explicandam prolixiorem tractationem harum quaestionum.

Quae supra (pag. 65; 92-94; 105) breviter illustrata sunt, denuo nos adiuvant ad sensum harum tenebricosarum quaestionum eruendum: si tamen est possibile; haud enim inepte Plotini verba (*En.* I, 8, 4) mihi accommodantur: « aspiciens quod non cernit et, ut dici solet, tenebras aspicit » (Ficinus). Verba S. Basilii protegant perquirentem et legentem adiuvent, ne idiotae, « cuius nil nescimus amplius » — ut quidam me laudans scripsit, abhinc pluribus annis — imbecillitate lassum taedeat.

« *Sed et tenebrae*, ait, *super abyssum*. Aliae rursus fabularum occasiones et commentorum magis impiorum causae, cum haec verba ad suas divertant opiniones.

« Tenebras enim non exponunt, ut mos est, aërem quemdam lucis expertem aut locum obiectu corporis obumbratum aut denique locum quacumque ex causa lumine privatum, sed *potentiam malam* (*δύναμιν κακήν*) imo *malum ipsum* (*αὐτὸ τὸ κακόν*) *a seipso originem trahens, oppositum Dei bonitati atque contrarium*.

« Etenim si Deus lux est, absque dubio, aiunt, adversans Ei potentia (*ἀντιστρατευομένη αὐτῷ δύναμις*) tenebrae utique fuerint, iuxta sententiae consequentiam.

« Tenebrae ab alio non habent quod sint, sed sunt malum per se genitum (*κακὸν αὐτογέννητον*). Tenebrae hostes animarum, mortis conciliatrices, virtutis adversariae, quae per haec Prophetae verba, ut falso putant, et *subsistere* nec tamen a Deo prodiisse indicantur.

« Ex hoc sane principio, quid non pravorum et impiorum dogmatum confictum est? Qui lupi graves gregem Dei discerpentes, sumpto ab hac parva voce initio, animas non invaserunt? Nonne hinc Marciones? Nonne Valentini? Nonne abominanda Manichaeorum haeresis, quam si quis putredinem appellet ecclesiarum a decoro non aberrabit? » (*hom.* II *in Hexaem.* n. 4; Opp. I, 15, C. E).

Vigilanti verbo usus est Basilius in determinanda adversaria potentia: « *ἀντιστρατευομένη* » dicitur de *militia in aciem prodeunte*. Est conceptus iranicus universalis pugnae inter Bonum et Malum, unde fidelis discipulus Mithrae tamquam miles lucis pugnare debet contra regnum tenebrarum. Transcriptio huius thematis in expositione doctrinae revelatae inducit scissionem notionalem Dei Boni a Creatore, cum omnibus consectariis quae in Marcionismo, Gnosticismo, Manicheismo inveniuntur. Hinc necessitas *tum theologica tum pastoralis* veram doctrinam vin-

dicandi ut *Causa* Creatrix manifestetur « *ipsum Bonum* ».

Hoc efficaciter praestat S. Basilius per « veram rationem » quae aliquo modo in textu Dionysii resonare videtur.

En « vera ratio » S. Basilii: « ... Itaque id quod subiungitur: abyssus incumbebat et ea erat tenebris obducta in causa est cur terra fuerit invisibilis.

« Neque igitur abyssus adversariarum potestatum est multitudo, ut quidam imaginati sunt, neque tenebrae sunt principalis quaedam et mala potentia Bono oppositа.

« *Duo enim inter se contrarietate paria mutuo suam naturam destruent ac indesinenter capient, exhibebuntque molestias, iugi inter se bello implicata.*

« *Quod si adversantium alterum alteri viribus praestet victum omnino absumit. Quare si mali contrarietatem cum bono aequilibrem esse dicant, continuum bellum perpetuamque corruptionem inducunt, quandoquidem partim vincunt, partim vincuntur.*

« *Iam si viribus praepollet bonum, quid fuit causae, cur mali natura non funditus sublata sit? Sin aliter, quod non licet dicere, miror quomodo se ipsi non abhorreant ad tam nefanda maledicta delapsi* ».

Hic certe responsio, quae ipso silentio datur, recte erui potest ex verbis Sallustii: « si autem non omnia faciunt, aut volentes non possunt aut si possunt nolunt, quorum neutrum deum decet » (v. pag. 159).

« At neque malum a Deo generatum esse dicere fas est, propterea quod *nullum contrarium a contrario gignatur*. Neque enim vita mortem generat neque tenebrae lucis principium sunt neque morbus opifex est sanitatis, sed *in dispositionum mutationibus e contrariis ad contraria fiunt transitiones: in generationibus vero, res singulae quae fiunt, non ex contrariis, sed ex congeneribus producuntur.*

« Proinde, inquiunt, si neque ingenitum est malum neque a Deo genitum, unde naturam habet? Nam mala esse nemo vitae particeps negaverit.

« Quid igitur dicimus? *Malum non est substantia vivens aut animata* (*οὐσία ζῶσα καὶ ἔμψυχος*) *sed in anima dispositio* (*διάθεσις ἐν ψυχῇ*) *contrarie se habens ad virtutem* (*ἐναντίως ἔχουσα πρὸς ἀρετήν*), *desidiosis se ingenerans propter lapsum a bono* (*διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ* [corrige mendum: *κακοῦ!*] *ἀπόπτωσιν τοῖς ῥαθύμοις ἐγγινομένη - in Hexaem. hom.* II, n. 4; Opp. I, 16 ABCD). Haec quae pastoraliter explicantur per doctrinam qua animae fidelium initiantur « parvis mysteriis », theologice evolvuntur et subtiliori investigatione dialectice manifestantur a Dionysio. Quae enim supra (200-203) exponuntur processum huius mutationis manifestant, ni fallor, et quae hic dicuntur (205-209) errorem iranicum tamquam radicem venenosam expellunt.

3ª Quoad « parallelia »:

Dionysius - 205:	*Proclus* - 84:
« Omnis enim binarius non principium; unitas autem erit omnis binarii principium ».	...« neque... duo prima... Si enim utrumque duorum unum oportet ante ambo esse *τὸ* unum ».

Proclus exponit positionem quamdam quae excludit *materiam* esse malum ipsum: « sed si malum materia — iterum enim *ad altera* transeundum — necesse est alterum duorum: aut bonum mali causam facere aut *duo entium principia* ».

Meminit Plotini (*En.* V, 1, 5): « numerus enim non est primus. Nam *ante duitatem est ipsum Unum;* secundum vero duitas quae ab uno facta ipsum habet definitorem... » (Ficinus); cfr. *ibid.* 3, 12; 4, 1.

Dionysius *monotheismo* innixus, « notionem communem » quaerit et invenit apud omnes qui ad illam Unitatem aspirant a qua dependent. Aristotelem in primis habet: « Unitas (*ἡ μονάς*) prius est duitate » (*Metaphys.* XIII, 8, 15; 1083 B) et maxime: « Unus ergo princeps » (*ibid.* XII, 10, 16; 1076 A, *ex Iliade* II, 204). Unde et in *Theol. Arith.* I: « Unitas est principium (*ἀρχή*) numeri », fortius cum Aristotele affirmans « principium » ne theologiae pythagoricae favere videatur: « Numerorum mathematicorum duo primissima et suprema ponenda principia: *Unum*... et *aliud* rursum *principium multitudinis... materiae... simile...* » (*de Com. Math. Scientia* IV; edit. Festa, pag. 15).

Apud Sallustium haec leguntur: « Primam Causam *unicam* (*μίαν*) esse decet multitudinem enim omnem *Unitas* (*μονάς*) praecedit, *potentia et bonitate* vincit et propter hoc necesse est omnia Illius participare... Si *Anima* esset, omnia forent animata; si *Mens*, omnia intellectualia; si autem *Substantia*, omnia participarent substantiae. Hoc autem in omnibus quidam videntes, Illud appellarunt substantiam.

« Et si solum essent entia non autem bona, ratio vera esset. Si vero entia sunt propter bonitatem et boni participarunt, *Primum* et supersubstantiale (*ὑπερούσιον*) et bonum *necesse est esse* » (*de diis et mundo*, cap. 5: *de prima Causa*).

Dionysius - 207:	*Proclus* - 123:
« ... et amica bona ipsa et convenientia omnia et unius vitae germina et ad unum Bonum ordinata et mansueta et similia et se invicem adjuvantia »	« ... si bona quidem omnia commensurata et similia et amica... quae enim ex una causa omnia amica sunt et compatientia et appellantia invicem ».

Proclus analytice procedens (108-127) quaerit an mali sit una causa tantum (109-122) vel complexus causarum (123-127). Iamblichus hanc tenet sententiam: « at enim recte fecerimus si adiiciamus *causas* unde aliquando mala ortum habeant etiam et quot qualesque sunt: nec enim una et simplex causa est, sed multiplex cum sit, est etiam fons malorum multiplicium... Quicquid sibi constat, sibi consentit sibi eodem semper modo simile est, id melioribus naturis convenit... » (*de Mysteriis* IV, 7).

Probabile est « *appellantia* invicem » Procli respondere « se invicem *adiuvantia* » Dionysii, nam « *προσήγορα ἀλλήλοις* » (cfr. *Theaet.* III, 146 A: « amicosque et *collocutores* invicem fieri » - Ficinus) potest tali et tali modo verti. Attamen notare velis Iamblichum « commune vinculum deorum et animarum » explicare et per hoc quod « etiam ascensum ab inferioribus ad superiora (sternunt) aequo quodam modo, ordinemque et *mensuras* statuunt quibus tum descendet a melioribus communicatio tum modum iuxta quem naturaliter imperfectiora eam recipient; *omnia* prorsus *omnibus conciliant* (*ποιεῖ πάντα πᾶσι προσήγορα*) et uniunt, causas omnium a diis desuper accipientia » (*de Mysteriis* I, 5).

Dionysius - 207:
« Quare non in Deo est malum nec divinitus inspiratum (*ἔνθεον*) est malum ».

Proclus - 31:
« ... si igitur et animabus divinis (*ψυχαὶ ἔνθεοι*, cfr. « animae diis assimilatae » *ibid.*) entibus, malum non est, quomodo erit in ipsis diis? ».

Conclusio Procli diversa videtur: « neque igitur *in diis* malum, neque *in malis* quod *ἔνθεον* » [*idest* divinum (*vel:* divinitus inspiratum)]. Argumentatio Procli est a minori ad maius: si animae *ἐφήμεροι* (*de Rep.* X, 15; 617 D: « animae unius diei » - Ficinus) « diis assimilatae manent in bono » *a fortiori* malum non est in diis, « neque enim saxo caliditas, aiunt, neque igni frigiditas inest » (cfr. pag. 166).

Dionysius - 209:
« Transmutationem enim in hoc patietur et variationem circa seipsum *etiam* circa id quod omnium divinissimum est, idest causam. Si autem *in Deo ipsum Bonum existentia* est, erit transiens ex *ipso* Bono, Deus... ».

Proclus - 34:
« Utrum igitur *deos* bonos esse falsum esse dicemus aut bonos entes *transmutari*... quod autem tale *neque transmutans* » (*deus*). id. 32: « ... quibus (*diis*) *non aliud esse et existentia praeter* unum et *bonum* ».

Sallustius haec *de diis* habet: « Si quis autem deos quidem *non mutari* (*μὴ μεταβάλλεσθαι*) consentaneum et verum putat, sed dubitat quomodo bonis laetentur, malos aversentur et peccantibus irascantur, delenimentis autem propitii reddantur, dicendum... neque fas est ex humanis operibus divinum vel bene vel male se habere. Sed illi quidem *semper* sunt boni (*ἀγαθοὶ... ἀεί*) et tantum prosunt, obsunt autem numquam, quia *secundum eadem eodem modo* (*κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως*) se habent » (*de diis et mundo*, cap. 14). Iamblichus vero in quaestione de malo notat: « Dii boni sunt et bonorum causae; immo *bonum diis est essentiale* (*οἱ θεοὶ κατ'οὐσίαν ἔχουσι τὸ ἀγαθόν*), iniusti ergo nihil faciunt ». Et concludit: « Multo melius est nostrarum virium imbecillitatem profiteri ad malorum causas assignandas, quam mendacium de diis et impossibile aliquid concedere; quandoquidem his de rebus *tum Graeci omnes tum Barbari* contraria (istis opinionibus) vere sentiant » (*de Mysteriis* IV, 6).

Dionysius - 209:
« Non igitur ex Deo malum neque in Deo, *neque simpliciter neque secundum tempus* ».

Proclus - 34:
« Non ergo *in diis* malum, *neque simpliciter neque secundum tempus*, totaliter enim et *aeternum* et *tempus post deos* ».

« Neque simpliciter neque secundum tempus » est *formula technica; an eius origo exclusive procliana sit, determinare non possum.* Noto ex Maximo (MG. IV, 288 A): « « simpliciter », pro *ἀϊδίως - aeterne;* « secundum tempus » pro *μεθεκτῶς - participative* ».

LECTIO XVIII (28ª)

Malum non est in Angelis bonis.

SYNOPSIS

(Lect. XVIII; cap. IV; textus nn. 210-213; expositio nn. 520-527).

Incipit ostendere quod in creaturis **malum** non sit aliquid:
A) ostendit de Angelis bonis quod in eis nullo modo sit malum:
1° - ostendit veritatem:
a) ponit expositionem angelici nominis (210; **522**);
b) notificationem manifestat:
j° - manifestat quomodo sit imago Dei (211; **524-525**);
jj° - quomodo manifestat divinam bonitatem (212; **526**);
2° - excludit obiectionem (213; **527**).
B) ostendit quod daemones non sunt naturaliter mali et qualiter mali sunt (lectio 19ª).
C) quomodo sit malum in animabus (lectio 20ª)
D) ostendit quod in rebus naturalibus non sit malum (lectio 21ª).

TEXTUS DIONYSII

§ 22. 210. — « Sed neque in Angelis est malum. Si enim enuntiat bonitatem divinam boniformis Angelus, illud existens secundum participationem secundario, quod est secundum causam enuntiatum primo, imago Dei est Angelus, manifestatio occulti luminis;

211. — speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens totam, si est conveniens dicere, pulchritudinem boniformis deiformitatis;

212. — et munde resplendere faciens in seipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentii quod est in abditis.
Non igitur neque in Angelis est malum.

213. — Sed eo quod puniunt peccantes sunt mali? Hac igitur ratione et castigatores peccantium sunt mali, et sacerdotes qui immundum a divinis abigunt mysteriis.

Et quidem neque puniri est malum, sed fieri poena dignum; neque secundum dignitatem abigi a sanctis, sed inquinatum et non sanctum fieri et ad incontaminata non idoneum ».

§ 22. 210. — [B] *Ἀλλ' οὔτε ἐν ἀγγέλοις ἐστὶ τὸ κακόν. Εἰ γὰρ ἐξαγγέλλει τὴν ἀγαθότητα τὴν θείαν ὁ ἀγαθοειδὴς ἄγγελος ἐκεῖνο ὢν κατὰ μέθεξιν δευτέρως ὅπερ κατ'αἰτίαν τὸ ἀγγελλόμενον πρώτως, εἰκὼν ἐστι τοῦ θεοῦ ὁ ἄγγελος φανέρωσις τοῦ ἀφανοῦς φωτός,*

211. — *ἔσοπτρον ἀκραιφνές, διειδέστατον, ἀλώβητον, ἄχραντον ἀκηλίδωτον, ἐισδεχόμενον ὅλην — εἰ θέμις εἰπεῖν — τὴν ὡραιότητα τῆς ἀγαθοτύπου θεοειδείας,*

212 — *καὶ ἀμιγῶς ἀναλάμπον ἐν ἑαυτῷ — καθάπερ οἷόν τε ἐστι — τὴν ἀγαθότητα τῆς ἐν ἀδύτοις σιγῆς.*
Οὐκ ἄρα οὐδὲ ἐν ἀγγέλοις ἐστὶ τὸ κακόν.

213. — *Ἀλλὰ τῷ κολάζειν τοὺς ἁμαρτάνοντάς εἰσι κακοί· τοὑτῳ γοῦν τῷ λόγῳ καὶ οἱ σωφρονισταὶ τῶν πλημμελούντων κακοὶ καὶ τῶν ἱερέων οἱ τὸν βέβηλον τῶν θείων μυστηρίων ἀπείργοντες.*
Καίτοι οὐδὲ τὸ κολάζεσθαι κακόν, ἀλλὰ τὸ ἄξιον γενέσθαι κολάσεως, οὐδὲ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπείρ[C]*γεσθαι τῶν ἱερῶν, ἀλλὰ τὸ ἐναγῆ καὶ ἀνίερον γενέσθαι καὶ τῶν ἀχράντων ἀνεπιτήδειον.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

520. — Postquam Dionysius ostendit quod in Deo non est malum, incipit ostendere quod in creaturis malum non sit aliquid; et primo, ostendit de Angelis bonis, quod *in* eis nullo modo sit *malum;* et circa hoc, duo facit: primo, ostendit veritatem; secundo, excludit obiectionem; ibi [213]: *Sed eo quod puniunt...*

521. — Circa primum, duo facit: primo, ponit expositionem angelici nominis; secundo, ex illa expositione accipit definitionem Angeli; ibi [211]: *Speculum...*

522. — Circa primum, sciendum est quod Angelus « nuntius » interpretatur. Dicitur ergo divinae bonitati conformis annuntiare *divinam bonitatem*, inquantum in Angelis *secundario* per *participationem* existit *quod primo* enuntiatur de Deo, non secundum participationem, sed *secundum causam;* sicut si dicerem quod aër illuminatus annuntiat claritatem solis, inquantum secundario et participative est in aëre et primo et causaliter est in sole. Et quia illud quod participative et secundario habet aliquid, est *imago* eius quod primo et causaliter habet illud et actus imaginis est ut manifestet illud cuius est imago, consequenter concludit notificationem quamdam boni Angeli, manifestationem divini *luminis* quod est nobis occultum propter sui excellentiam et simplicitatem.

523. — Hanc autem notificationem manifestat consequenter; et primo, manifestat quomodo Angelus sit imago Dei; secundo, quomodo sit *manifestatio occulti luminis;* ibi [212]: *et munde...*

524. — Quod autem angelus sit *imago Dei*, manifestat per quoddam sensibile exemplum [211]. Videmus enim sensibiliter quod in speculo repraesentatur imago videntis. Est autem in speculo duo considerare: primo quidem substantiam ipsius speculi, unde per quamdam similitudinem, Angelum secundum suam naturam vocat *speculum*. Requiritur autem in speculo quaedam opportunitas ad recipiendum imaginem alicuius rei; quae quidem opportunitas invenitur in Angelo: qui quidem dicitur *speculum purum*, propter simplicitatem et immaterialitatem suae naturae; *clarissimum* autem propter perfectissimam participationem intellectualis luminis; *incontaminatum* autem inquantum nihil est in Angelo repugnans rectitudini eius, quae ad sanctitatem pertinet, nam proprie sancta contaminari dicuntur; dicitur autem *incoinquinatum*, inquantum nihil est in Angelo repugnans puritati naturae; *et immaculatum*, inquantum nihil est in eo repugnans claritati intellectus.

525. — Sic autem descripta opportunitate istius speculi, exponit receptionem similitudinis, secundum quam imago dicitur; et dicit quod suscipit *totam pulchritudinem boniformis deiformitatis*, idest similitudinis ad Dei bonitatem comparatam, quia si optime disposita est natura Angeli, oportet quod perfecte suscipiat dictam similitudinem.

Sed considerandum est, quod non dicit quod suscipiat *totam pulchritudinem* Deitatis, sed *deiformitatis* quia impossibile est quod in aliquo creato speculo, recipiatur tota pulchritudo Dei; sed in aliquo creato speculo, propter sui puritatem et claritatem, recipitur perfecte tota pulchritudo quae est possibilis esse in creatura per assimilationem ad Deum. Et quia deiformitas creaturae semper est ex parte et non tota, propter hoc temperavit addens: *si est conveniens dicere.*

526. — Ostenso igitur quomodo Angelus sit imago, ostendit consequenter quomodo manifestat divinum bonum; et dicit [212] quod ex hoc ipso quod perfecte recipit divinae pulchritudinis similitudinem, fit hoc consequenter quod *in* ipso resplendet quodammodo, sicut est possibile creaturae, bonitas *silentii quod est in abditis*, idest occultis Dei, qui exprimi non potest propter hoc quod occultus est intellectui creato. Dicit autem *faciens* non active, sed dispositive sicut si dicerem quod speculum facit in seipso resplendere imaginem alicuius corporis ex hoc ipso quod est dispositum ad recipiendum eius similitudinem. Quia *igitur* Angelus est tam perfecta imago divinae bonitatis, divina autem bonitas nullum malum compatitur, sequitur quod *neque in Angelis* sit *malum*.

527. — Deinde, cum dicit [213]: *Sed eo quod puniunt...* excludit obiectionem; et primo, ponit eam: posset enim aliquis dicere quod in *eo* ipso *quod* Angeli *puniunt* peccatores, *sunt mali*. Et quod puniant peccatores, expresse habetur Matth. 13 [41-42. 49-50] quod eiicient de regno omnia scandala. Est ergo quaestio: an eo quod puniunt sint mali.

Secundo, ostendit quod non propter hoc possunt dici mali, quia secundum eamdem rationem etiam illi qui castigant malos puniendo eos essent *mali*, sicut iudices et magistri; *et* similiter sequeretur quod aliqui sacerdotum *qui* excludunt *immundum*, idest peccatorem *a divinis mysteriis* excommunicando eum essent mali, quod est contra Apostolum qui hoc praecipit I[a] Corinth. 5 [3-5].

Sed quia multiplicare inconveniens non est solvere, ideo tertio solvit omnia praemissa; et dicit quod *puniri non est malum* simpliciter et secundum se, sed est secundum se bonum, cum sit iustum; sed est malum secundum quid, inquantum privat aliquod bonum alicuius. *Sed fieri* peccatorem, hoc est simpliciter malum; et ideo ille qui punit peccatorem non est malus, sed est malus ille qui peccat. Eadem ratione, non est secundum se malum excludi *a sanctis secundum* iustitiam, sed secundum se malum est quod inquinetur aliquis per peccatum et discedat a sanctitate et per hoc fiat *non* idoneus *ad* divina, quae sunt secundum se *incontaminata*. Et non peccat ille qui excommunicat, sed ille peccat qui facit aliquid, unde fit excommunicatione dignus.

OBSERVATIONES

1[a] De « angelis » apud quosdam philosophos neo-platonicos.

Admirationem facit sermo de « angelis » apud Proclum in hoc tractatu: pura enim eius notio invenitur in sacra Scriptura et in theologia christiana. Quid sibi velit haec mentio quaerendum non pro dignitate obiecti, sed iuxta vires quaerentis et secundum modum alicuius notulae.

Porphyrius in epistola ad Anebonem Aegyptium quaerit: « quo iudicio cognoscamus aut *deum* apparere aut *angelum* aut *archangelum* aut *daemonem* aut aliquem *archontem* aut *animam* ». Th. Gale multa quidem et erudite scribit in nota (*de Mysteriis*, pag. 206-207), ex quibus unum tantum excipio, dum lectorem mittit ad auctorem *Arithm. Theolog.* capite « de septenario »: ibi invenitur quoddam excerptum ex altero libro *de Arithmetica*, Nicomachi Geraseni et septenarium planetarum illustrans. Babilonii et Persae « astrales spheras » ἀγέλας vocant; « in sacris libris » ἀγέλους nominant ἀγγέλους per insertionem unius literae (*Theolog. Arithm.* edit. de Falco, pag. 56-57). Notio astralis accipitur ex eo quod « vagantes » (ἀγέλας-ἀγέλους) « perfecte aguntur (ἄγονται) circa aliquod centrum » et « similiter nominantur daemones, angeli et archangeli ».

Apud Iamblichum series potentiarum porphyriana explicatur (*de Mysteriis* II, 3-9) *heroas*, quos Porphyrius praetermiserat, adiungens, unde aliud septenarium habetur. « Omnia haec genera ordinem sibi proprium ostendunt: aërii ignem aërium; terrestres terrestrem et nigricantem; et coelestes qui sunt splendidiorem ostendunt. Atque ita, in his tribus terminis secundum *tres ordines* in principio, in medio, in fine, omnia eorum genera distribuuntur » (*ibid.* II, 7).

Iulianus imperator in *epistola ad Senatum Populumque Athen.* cum quadam animi laetitia meminit protectionis « Athenae » quae « usquequaque posuit *custodes angelos*, quos accepit a *Sole* et a *Luna* » (275 B; edit. Hertlein I, 354). « Angeli solares » (*Orat.* IV, 141 B; 142 B; edit. cit. I, 183, 184) habent in seipsis, *tamquam in exemplari ideam et realitatem* Solis; illud ἐν παραδείγματι speculari theoria evolvitur et notionem astralem *ethice* perficit.

Alibi inter « pueros et filios » Dei, distinguit illos « qui sunt *salvatores et auxiliares* humanae naturae »; alios qui sunt « *inexorabiles iudices delictorum* », hominibus qui corpus blandientes vivunt, promptam et terribilem iustitiam applicant; alios denique, « velut quidam publici punitores et iudicatum facientes alteram *tribum ignobilium et stultorum daemonum* » constituit (*Orat.* II; 90 BC; edit. Hertlein I, 115-116).

Haec quae breviter tetigi de Angelis apud quosdam philosophos neo-platonicos clarius manifestant non solum doctrinam Procli, sed forsan et quasdam christianorum scriptorum observationes.

2[a] De malo culpae et de malo poenae (213).

Haec est propria doctrina fidei christianae ex qua salutaria praecepta pro rectificatione et compositione humanae vitae fluunt, ut manifestum est. S. Basilius hac distinctione utitur in homilia quod *Deus non est auctor* malorum (n. 3): « malum itaque aliud est habita ratione sentiendi, aliud sua ipsius natura.

« Quod igitur natura (φύσει) malum est, ex nobis pendet, iniustitia, lascivia, vecordia... ac reliqua eiusdem generis vitia quae animam ad Conditoris imaginem factam dum contaminant, ad pulchritudinem eius obtenebrandam apta sunt. Rursus *malum dicimus id quod nobis molestum est, doloremque infert sensibus:* morbum corporis, eiusdem plagas, rerum necessariarum penuriam... Quae singula nobis a prudente Domino et bono ad nostram utilitatem irrogantur...

« Quemadmodum igitur beneficus est medicus sive labores sive dolores inferat corpori, nam *cum morbo pugnat* non cum aegrotante, sic *bonus est Deus qui particularibus poenis totum salvat* » (Opp. II, 74 BCD); cfr. Origenis *contra Celsum* VI, 55-56 (MG. 11, 1382 C - 1386 A).

Iuxta ea quae in Sacra Scriptura traduntur, Dionysius notat quaedam symbola, quae Angelis affinguntur, significare « alia quidem *correctricem disciplinam vindicemque iustitiam*, alia vero *periculi liberationem* vel *disciplinae finem* vel *pristinae felicitatis restitutionem* » (Cordier, CH. XV, 5). Inde in textu (213), necessitas penitius explicandi hoc officium angelorum, ne con-

fusio aliqua oriatur et quia puniunt mali dicantur (cfr. pag. 189).

Proclus e contra cum Iuliano (*Orat.* II, 90 BC) et Sallustio (*de diis et mundo* 14: « δαίμοσι... κολαστικοίς » - « d. *tortoribus* ») hoc « punitoris » officium daemonibus tribuit (43). Inde omnino diversa notio poenae quia diversa est notio culpae.

Notionem culpae in sensu christiano habemus quae connectitur cum doctrina redemptionis per Christum Iesum Salvatorem hominum benigne et efficaciter operantem in Ecclesia Catholica per doctrinam salutarem et per sacramenta gratiae.

Hinc spes maxima exurgit in corde hominum, ut pulcherrime docet S. Basilius in libro « *adversus Manichaeos* » cuius meminit S. Augustinus *Contra Iulianum Pelagianum* I, n. 16 (ML. 44, 650-651): « Sed si vis, addimus huic (Gregorio Naz.) et sanctum Basilium, immo velis nolis addendus est maxime quia et tu de *libro eius quem scripsit adversus Manichaeos,* in quarto volumine huius operis tui, aliquid putasti esse ponendum, quod ad causam peccati originalis per unum intrantis in mundum et per omnes homines transeuntis, omnino non pertinet. Ibi quippe agit ne malum substantiale credatur, habens suam quamdam materiam, sicut sapiunt Manichaei.

Dicit ergo: « non esse substantiam, sed *conversionem quae de sola voluntate contingat,* non his qui contagium mortis antiquae prima nativitate traxerunt, sed iis qui *aegritudinem conversionis de voluntate propria collegerunt,* idest *iam maioribus ratione utentibus et arbitrio voluntatis.*

Hanc conversionem ex accidenti venientem, *facillime,* dicit, posse ab aegrotantium separari ».

« Dicit etiam: " si evenisset malum ita ut non valeret ulterius a voluntate removeri ", « idest: quamvis accidisset, si ita accidisset, ut separari ulterius a voluntate non valeret », " merito dici posset substantiale quidem malum non esse, sed ipsam substantiam, sine malitia quae accidit iam esse non posse.

" *Si autem accessit,* inquit, *et principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, facile potest malum a substantia separari ut et subiecta voluntati substantia munda possit per omnia possideri, ita ut nullius mali vel signa remaneant* " ».

Quae verba expendens Augustinus scribit: « sed quod ait " facile posse a voluntate vel a substantia separari ", non humanae facile est voluntati, sed misericordiae Dei... Ideo non ait sanctus Basilius ipsam voluntatem hominis sive substantiam vel naturam malum a se posse facile separare, sed ab ea posse facile separari, sic verba sua librans ut et Manichaeos contra quos agebat refelleret et contra divinam gratiam humanam superbiam non extolleret. Ille quippe Omnipotens... malum quod nobis accidit... ita suae gratiae largitate consumet ut subiecta substantia voluntati... munda possit per omnia possideri, sic omnino ut nullius mali vel signa remaneant.

« Fiet hoc et *ipsa spes est indubitata fidelium...* » (*ibid.*).

* Clar. P. Stiglmayr putat inexplicabile (unerklärlich) remanere quod dicit Dionysius: « τῶν ἱερέων οἱ ... ἀπείργοντες » - « et *sacerdotes* qui immundum a divinis abigunt mysteriis » (213).

Optime enim notat: si agatur de *excommunicatione,* hoc est *munus hierarchae* idest episcopi, non sacerdotis, iuxta doctrinam traditam in EH. VII, 3, 7: « antistites habent potestatem segregandi » (Cordier); si vero quaestio est de ianuarum ecclesiae custodia, hoc est munus illorum qui *πυλωροί* vocantur, licet Dionysius in EH. *numquam* hoc termino utatur, sed simpliciter: « *ministrorum* quidem alii clausis templi foribus assistunt » (EH. III, 2) et in genere ordo *ministrorum* est purificativus et discretivus (EH. V, 1, 6). Sacerdotibus autem numquam tribuit hoc vel illud officium.

Et certe si intelligatur, sicut v. g. legitur in quibusdam versionibus latinis, textus evadit inexplicabilis. Ambrosius vertit: ... et qui *de sacris ordinibus* profanos a divinis mysteriis arcent »; Perionius et Cordier « *et sacerdotes* »; M. de Gandillac: « ceux des sacrificateurs », diligentius. Notare liceat constructionem textus: *τῶν ἱερέων οἱ ... ἀπείργοντες* quam Ambrosius *latius,* Perionius et Cordier *arctius* interpretantur: ibi enim, ni fallor, habetur genitivus non *qualitatis,* sed *partitivus,* qui sic reddi potest: « *inter sacerdotes,* illi qui immundum a divinis abigunt mysteriis » (cfr. pag. 191).

3ª QUOAD « PARALLELIA »:

Dionysius - 210:

« Si enim enuntiat bonitatem divinam boniformis Angelus... *imago Dei* est Angelus, manifestatio occulti luminis ». id. 211: « speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, *immaculatum,* suscipiens totam, si est conveniens dicere, pulchritudinem boniformis deiformitatis ». id. 212: « et munde resplendere faciens in seipso, quemadmodum possibile est, *bonitatem silentii quod est in abditis* ».

Proclus - 37:

« Quibus igitur esse hoc est: *bonum elucidare,* quomodo in iis malum?... Angelorum *φῶλον* [*idest,* tribus] assimilatur differenter diis *a quibus dependet* ut *per expressam similitudinem* elucidare ipsius proprietatem possint ».

id. 38: « immalignabilem habet et sincere bonum... Oportet... *imaginem* ferre *primae Causae.*

id. 39: « ...*immaculatum... impermixtum ad malum* ».

id. 36: « Genus autem *interpretativum deorum* continuum est diis et intellectum novit deorum et *elucidat divinam voluntatem* et est utique etiam ipsum divinum *lumen ex lumine* iis abditis ente... ».

Diversitatem angelici muneris liceat notare: etiam Angelorum genus est « lumen ex lumine », unde coniicere quis posset Iesum Christum Filium Dei qui dicitur « lumen de lumine », in « genere angelorum » a Proclo consideratum fuisse.

Dum Angeli procliani sunt ultimus terminus « notionis astralis » (pag. 189), apud Dionysium statim considerantur ex sacra Scriptura tamquam ministri divinae Revelationis (104; pag. 91) et *biblice* describuntur (cfr. *Sap.* 7, 22. 25-26). Alicuius momenti est illud proclianum (36): « velut in *προθύροις* [*idest,* proforiis] deorum ordinatus et *pronuncians illorum silentium* ». Duo continet: « pronuncians illorum silentium », de quo 104, 212 apud Dionysium; « in *προθύροις*... ordinatus », de quo in CH. VII, 2, 3 et infra 276. Inter christianos auctores, Clemens Alex. tali modo describit *vitam spiritualem:* « quaeque virtutem elegerint semper in melius proficere animas, donec ad ipsum Bonum venerint ut quae *in vestibulis* (*ἐν προθύροις*), ut ita dicam, *Patris,*

magno Pontifici (*Verbo*) propinquae evaserint » (*Strom.* VII, 7; edit. Potter II, 858). Eusebius, evolvens quae dixerat Clemens Alex. de sensu et valore religionis astralis (*Strom.* VI, 14; ibid. 795), haec habet: « quae quidem (*sol, luna, stellae*) cum vel in cadente sub visum nostrum, universi natura praeniteant, sursum... tamquam *in ipsis omnium Regis vestibulis,* ipsos intuentium aspectus alliciunt » (*Dem. Evang.* IV, 8). Plotinus *in vestibulis ponit Mentem* (*En.* V, 9, 2): « *Mens* ipsa nobis in altum progredientibus prior occurrit quam Principium omnium primum, quasi *in ipsius Boni vestibulo* (*ὥσπερ ἐν προθύροις τἀγαθοῦ*) constituta, omnia in seipsa *nuntians* (*ἀπαγγέλλων*) et significans » (Ficinus). Quae quidem omnia patrimonium quoddam commune manifestant, dum unusquisque ex eo sumit quae ad propriam utilitatem conferunt. Unde perdifficile est cuique comparationem materialem verborum instituere; semper tamen sacrum esto: autonomam christianae mentis vim recognoscere, quae sua doctrina vivit et externam assimilat, novo quodam modo illam vivificando, etiam per glossas

Dionysius - 213:

« Hac igitur ratione et *castigatores peccantium* sunt mali, et *inter sacerdotes,* illi qui immundum a divinis abigunt mysteriis.

Et quidem neque puniri est malum, sed fieri poena dignum; neque secundum dignitatem abigi a sanctis, sed inquinatum et non sanctum fieri et ad incontaminata non idoneum ».

Proclus - 43:

« Si autem sibi ipsis quidem boni, aliis autem mali in ad deterius ducere, simile ac si quis et doctores vocaret nequam et paedagogos quosdam qui *castigatores peccatorum* ordinati, non permittunt persequentibus fluctuose meliorem ordinem pro conveniente ipsis, aut si quis ipsos *ante sacra stantes* et inquinatum detinentes extra *περιβολάς* [*idest* cortinas], malos nominaret. Erit igitur malum non extra manere dignis, sed esse talis ordinis et talibus prohibitionibus dignum ».

Quae de textu dionysiano obscura videntur, supra (pag. 190) explicata sunt, iuxta vires concessas. Mira quae videntur apud Proclum « extra *περιβολάς* (sic!) » respiciunt, ut puto, non terminum graecum per se, quia pluries Guillelmus noster tali modo agendi utitur, sed valorem vel sensum in textu. An sit possibile determinare hunc sensum vel valorem termini ambigor. Aliquid forsan eruitur ex facto quod Proclus hoc dicit *quando tractat non de Angelis, sed de daemonibus.*

Quaerit Proclus: « ergone in daemonibus malum prime? » (40) et opiniones praecedentium exponit: « Sunt igitur aliqui et passiones daemonum dicentes, ii quidem et secundum naturam... alii autem ex electione... »; inde examinat opiniones (41-43) et concludit sententiam (44).

Duplex exemplum (43) ex paedagogia unum, ex cultu mysterico alterum, sumptum est. Hoc invenitur et in testimonio Euripidis: « te scire non fas » (apud Clement. Alex., *Strom.* IV, 25; edit. Potter I, 638) et pluries alibi apud auctores qui de his tractant.

Notum est officium « ianitorum » apud hebraeos: « at quid tandem sibi voluit magnus ille Moses qui *non omnia quae erant in templo passus sit omnibus esse pervia, sed profanos extra sacros cancellos* (περιβόλων!) *statuit* » (Basil., *de Spiritu Sancto* XXVII, 66; Opp. III, 55 B); cfr. I *Paral.* IX, 24; XXIII, 5.

Inde in « *Carmine Orphico* » cuius origo iudaica nota est, quodam sensu metaphorico dicitur: « *Loquar quibus fas* est: portas occludite, profani sunt qui fugiunt iustorum leges » (Clem. Alex., *Protreptico* 7; edit. Potter I, 63; Pseudo-Iustinus, *Cohort. ad Gentes* 15; Opp. Parisiis 1742, pag. 18 BC et nota; *de Monarchia* 2; ibid. 37 D; *plenius* apud Eusebium, *Praep. Evang.* XIII, 12, 5; edit. Dindorf II, pag. 191); vel, ut legitur apud Tatianum, *Contra Graecos* 8; Opp. Paris. 1742, pag. 251 A): « portas obserate *profanis* ».

Bene quidem ratiocinatur Proclus per exempla quae citat, sed hoc stare non potest, nisi cum sententia affirmante *omnes daemones sensu graecorum, esse bonos.*

Aliae diversitates substantiales patent utrobique: apud Proclus agitur de ianitoribus: « ante sacra [*τὸ ἱερόν* est « templum », inde *τὰ ἱερά* non « sacra » sed « *templa* » verti debet] stantes »; apud Dionysium agitur non de ianuarum templi custodia, secundum eius doctrinam, catecumeni arcebantur, sed non ratione *poenae;* poenitentes vero poenas luebant et per « *ministros* » a divinis mysteriis arcebantur, sed usque ad praefinitum tempus; peccatores qui excommunicatione plectebantur, ne imagines quidem mysteriorum cernebant (EH. III, 3, 6; cfr. pag. 158). Est ergo duplex poena, quarum una « *poenitentes* » tangit, altera « *peccatores* » excommunicatos. Et talis videtur ratio quare in textu non loquitur de *hierarcha,* sed simpliciter: « inter sacerdotes », inter quos sunt etiam « summi sacerdotes », qui « habent potestatem segregandi » (cfr. pag. 190), poenam canonice infligunt (v. pag. 158), dum alii sacerdotes, per sacramentum poenitentiae, culpa remissa, poenam exteriorem iuxta stata et praxim applicant.

Maxima diligentia quam Dionysius demonstrat in mysteriorum et doctrinae sanctitate servanda ex notione peccati fluit, unde altissima sunt eius verba quae verum malum statuunt: « inquinatum et non sanctum fieri et ad incontaminata non idoneum ».

Hinc fluit exhortatio ut « ea quae sunt *Dei absconditi* » (*Is.* 45, 15) honorentur *mente* a luce fidei illuminata (EH. I, 1; 372 A). Inde eius assiduitas in proportionanda doctrina mysteriorum ad psychagogiam *animarum* per elevationem introductivam (EH. II, 3, 1; III, 3, 1; IV, 3, 1) ut altius *mentes* ducat (EH. II, 2-8; III, 3, 2-15; IV, 3, 2-12).

Ex reverentia procedit praeceptum ne « sancta sanctorum » *profanentur* (*μὴ ἐξορχήσῃ* - EH. I, 1; 372 A) et hoc non tantum eo sensu quo Clemens Alexandrinus eodem verbo utitur (*Protrept.* 2; edit. Potter I, 11; *Paedag.* III, 3; ibid. 264; *Strom.* I, 2; ibid. 328), sed, ni fallor, ea ratione qua in epistola ad Romanum Pontificem Dionysium, episcopi Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum, viro qui *catholice sentit* opponunt « *τὸν ἐξορχησάμενον τὸ μυστήριον* » (Euseb. EH. VII, 30, 16; edit. Grapin II, Paris 1911, pag. 392; Mansi, *Collectio* I, 1099 A), hominem nempe qui « mysterium » christianae fidei (I *Tim.* 3, 16) *profanavit,* non in publicum prodendo, sed *pravae opinioni Artemae adhaerendo.*

Ex lege proportionis procedunt gradualis penetratio a *vestibulis* ad intima sanctuarii (EH. III, 3, 2) vel elevatio ad Theologiae summum fastigium (MTh. I, 1)

et veluti contactus cum angelicis mentibus (cfr. pag. 122-123, ad n. 148; **376**).

Propter hoc, ni fallor, etiam tractando de metaphysica mali, manifestat veritatem sui asserti, per exemplum sumptum a praxi disciplinae poenitentialis in Ecclesia sui temporis.

Haec omnia paulisper enucleare coactus sum ut psychologia Dionysii distinctius percipiatur in *suo* textu redigendo. Quid alii fecerint, ignoramus et forsan adhuc ignorabimus quoad primaevi manuscripti statum. Aliquid coniicere dabitur ex critico examine codicum, quoad actualis redactionis statum: caetera parvi momenti videntur, at omnia confundere non licet; mihi, *nefas*.

LECTIO XIX (29ª)

Daemones non sunt naturaliter mali, et quomodo in eis malum inveniatur.

SYNOPSIS

(Lect. XIX; cap. IV; textus nn. 214-221; expositio nn. **528-541**).

Ostendit quod malum non est in daemonibus:

A) ostendit quod daemones non sunt naturaliter mali (214; **529-530**).

B) ostendit quomodo sit malum in daemonibus:
- 1° - quaestionem movet (215; **531**);
- 2° - solvit propositam quaestionem:
  - a) ostendit quod daemones dicuntur mali non secundum aliquam naturam, sed secundum defectum boni:
    - α) per auctoritatem Sacrae Scripturae (216; **533**);
    - β) per rationem:
      - j° - ostendit quod daemones non sunt naturaliter mali sed per defectum alicuius boni (217; **535**);
      - ij° - ostendit quod non totaliter bono privantur (218; **536**);
      - iij° - ostendit secundum cuius boni defectum dicuntur mali (219; **537**);
    - γ) tertio modo... secundum opinionem aliorum (220; **538-540**);
  - b) ostendit quod iste defectus in eis non est ex variatione ipsius boni, sed ex eorum voluntate (221; **541**).

TEXTUS DIONYSII

§ 23. 214. — « Sed neque daemones sunt natura mali; etenim si natura mali, neque ex bono * neque in existentibus neque quidem ex bono transmutati essent, natura et semper mali existentes.

Postea igitur *: sibi ipsis sunt mali aut aliis? Si sibi ipsis quidem et corrumpunt seipsos; si autem aliis, quomodo corrumpentes aut quid corrumpentes? Substantiam aut virtutem aut operationem? Si substantiam quidem, prius quidem non praeter naturam; nam naturā incorruptibilia non corrumpunt, sed susceptibilia corruptionis.

Postea: neque hoc omnibus et omnino malum. Sed neque corrumpitur aliquid existentium, secundum quod est substantia et natura; sed defectu ordinationis, quae est secundum naturam, harmoniae et commensurationis ratio infirmatur, manere similiter habens.

Infirmitas autem non perfecta est; etenim perfecta et corruptionem et subiectum destrueret et erit talis corruptio et suimet coruptio. Quae tale non malum, sed deficiens bonum; quod enim est expers omnino boni neque in existentibus est.

Et de corruptione virtutis et operationis eadem ratio est.

§ 23. 214. — Ἀλλ' οὔτε οἱ δαίμονες φύσει κακοί· καὶ γὰρ εἰ φύσει κακοὶ οὔτε ἐκ τἀγαθοῦ οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν, οὔτε μὴν ἐξ ἀγαθῶν μετέβαλον φύσει καὶ ἀεὶ κακοὶ ὄντες.*

Ἔπειτα· ἑαυτοῖς εἰσι κακοὶ ἢ ἑτέροις; εἰ μὲν ἑαυτοῖς καὶ φθείρουσιν ἑαυτούς· εἰ δὲ ἄλλοις, πῶς φθείροντες ἢ τι φθείροντες; οὐσίαν ἢ δύναμιν ἢ ἐνέργειαν; εἰ μὲν οὐσίαν πρώτον μὲν οὐ παρὰ [D] φύσιν· τὰ γὰρ φύσει ἄφθαρτα οὐ φθείρουσιν, ἀλλὰ τὰ δεκτικὰ φθορᾶς

Ἔπειτα· οὐδὲ τοῦτο πάντι καὶ πάντῃ κακόν· ἀλλ'οὐδὲ φθείρεταί τι τῶν ὄντων καθ' ὃ οὐσία καὶ φύσις, ἀλλὰ τῇ ἐλλείψει τῆς κατὰ φύσιν τάξεως, ὁ τῆς ἁρμονίας καὶ τῆς συμμετρίας λόγος ἀσθενεῖ μένειν ὡσαύτως ἔχων.

Εἰ δὲ ἀστένεια οὐ παντελής· εἰ γὰρ παντελὴς καὶ τὴν φθορὰν καὶ τὸ ὑποκείμενον ἀνεῖλε καὶ ἔσται ἡ τοιαύτη φθορὰ [725 A] καὶ ἑαυτῆς φθορά· ὥστε τὸ τοιοῦτον οὐ κακόν, ἀλλ' ἐλλειπὲς ἀγαθόν· τὸ γὰρ πάντῃ ἄμοιρον τοῦ ἀγαθοῦ, οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν ἔσται·

καὶ περὶ τῆς εἰς δύναμιν καὶ ἐνέργειαν φθορᾶς ὁ αὐτὸς λόγος.

215. — Deinde: quomodo a Deo facti, sunt mali daemones? Etenim bonum bona producit et subsistere facit.

216. — Et quidem mali dicuntur, dicat aliquis, sed non secundum quod sunt, ex bono * enim sunt et bona obtinuerunt substantiam, sed secundum quod non sunt, infirmi existentes, ut eloquia dicunt, servare sui ipsorum principatum. In quo enim, dic mihi, malos fieri dicimus daemones, nisi in carentia habitus et operationis divinum bonorum?

217. — Et aliter: si natura mali daemones, semper mali; et quidem malum instabile est; igitur si semper eodem modo se habent, non mali. Quod enim est semper idem, boni est proprium. Si autem non semper mali, non natura mali, sed defectu angelicorum bonorum.

218. — Et non omnino expertes boni, secundum quod sunt et vivunt et intelligunt et totaliter quidam est in ipsis desiderii motus.

219. — Mali autem esse dicuntur propter hoc quod infirmantur circa operationem secundum naturam. Aversio est igitur ipsis malum et convenientium ipsis excessus et non consecutio et imperfectio et impotentia et salvantis ipsius * perfectionem virtutis infirmitas et fuga et casus.

220. — Et aliter: quid est in daemonibus malum? Furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterva.

Sed ista, si et * sunt in daemonibus, non omnino neque in omnibus neque ipsa secundum seipsa mala. Etenim in aliis animalibus non habitus horum, sed ablatio est * et corruptio animali et * malum. Habitus autem salvat et esse facit ista habentem animalis naturam. Non igitur mala est daemonum tribus secundum quod est secundum naturam, sed secundum quod non est.

221. — Et non variatum est datum ipsis totum bonum, sed ipsi deciderunt a dato toto bono;

et data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus, sed sunt et integra et splendidissima; quamvis ipsi non vident, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes.

Quare quod sunt et ex bono * sunt et boni et pulchrum et bonum desiderant, esse et vivere et intelligere, quae sunt existentia, desiderantes; et privatione et recessione et casu a convenientibus ipsis bonis, dicuntur mali et sunt mali secundum quod non sunt et, non-existens desiderantes, malum desiderant ».

[1]) *Epist. Jud.* v. 6.

215. — Εἶτα· πῶς οἱ ἐκ θεοῦ γενόμενοι δαίμονες εἰσὶ κακοί; τὸ γὰρ ἀγαθὸν ἀγαθὰ παράγει καὶ ὑφίστησι.

*216. — Καίτοι λέγονται κακοί, φαίη τις ἄν, ἀλλ' οὐ καθ' ὅ εἰσι — ἐκ τἀγαθοῦ * γάρ εἰσι καὶ ἀγαθὴν ἔλαχον οὐσίαν — ἀλλὰ καθ' ὅ οὐκ εἰσίν, ἀσθενήσαντες — ὡς τὰ λόγιά φησι — τηρῆσαι « τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν » [1]. Ἐν τίνι γάρ, εἰπέ μοι κακύνεσθαί φαμεν τοὺς δαίμονας εἰ μὴ ἐν τῇ παύσει τῆς τῶν θείων ἀγαθῶν ἕξεως καὶ ἐνεργείας;*

217. — Ἄλλως τε· εἰ φύσει κακοὶ οἱ δαίμονες ἀεὶ κακοί· καίτοι τὸ κακὸν ἄστατόν ἐστιν. Οὐκοῦν εἰ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχουσιν οὐ κακοί· τὸ γὰρ ἀεὶ ταὐτὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἴδιον. Εἰ δὲ οὐκ ἀεὶ κακοὶ οὐ φύσει κακοὶ ἀλλ' [B] *ἐνδείᾳ τῶν ἀγγελικῶν ἀγαθῶν.*

218. — Καὶ οὐ πάντῃ ἄμοιροι τοῦ ἀγαθοῦ καθ' ὅ καί εἰσι καὶ ζῶσι καὶ νοοῦσι καὶ ὅλως ἐστί τις ἐν αὐτοῖς ἐφέσεως κίνησις·

*219. — κακοὶ δὲ εἶναι λέγονται διὰ τὸ ἀσθενεῖν περὶ τὴν κατὰ φύσιν ἐνέργειαν. Παρατροπὴ οὖν ἐστιν αὐτοῖς τὸ κακὸν καὶ τῶν προσηκόντων αὐτοῖς ἔκβασις καὶ ἀτενξία καὶ ἀτέλεια καὶ ἀδυναμία καὶ τῆς σωζούσης τὴν ἐν αὐτοῖς * τελειότητα δυνάμεως ἀσθένεια καὶ ἀποφυγὴ καὶ ἀπόπτωσις.*

220. — Ἄλλως τε· τί τὸ ἐν δαίμοσι κακόν; θυμὸς ἄλογος, ἄνους ἐπιθυμία, φαντασία προπετής.

Ἀλλὰ ταῦτα, εἰ καὶ ἐν δαίμοσιν εἰσί, οὐ πάντῃ οὐδὲ ἐπὶ πάντων οὐδὲ αὐτὰ καθ' αὑτὰ κακά. Καὶ γὰρ ἐφ' ἑτέρων ζώων οὐχ ἡ σχέσις τούτων, ἀλλ' ἡ ἀναίρεσίς ἐστι καὶ φθορὰ τῷ ζώῳ καὶ κακόν· ἡ δὲ σχέσις σώζει καὶ εἶναι ποιεῖ τὴν ταῦτα ἔχουσα τοῦ ζώου φύσιν. Οὐκ [C] *ἄρα κακὸν τὸ δαιμόνιον φῦλον ᾗ ἐστι κατὰ φύσιν, ἀλλ' ᾗ οὐκ ἔστι.*

221. — Καὶ οὐκ ἠλλοιώθη τὸ δοθὲν αὐτοῖς ὅλον ἀγαθόν, ἀλλ' αὐτοὶ τοῦ δοθέντος ἀποπεπτώκασιν ὅλου ἀγαθοῦ.

Καὶ τὰς δοθείσας αὐτοῖς ἀγγελικὰς δωρεὰς οὐ μήποτε αὐτὰς ἠλλοιῶσθαί φαμεν· ἀλλ' εἰσὶ καὶ ὁλόκληροι καὶ παμφαεῖς εἰσι, κἂν αὐτοὶ μὴ ὁρῶσιν ἀπομύσαντες αὐτῶν τὰς ἀγαθοπτικὰς δυνάμεις.

*Ὥστε ὅ εἰσι καὶ ἐκ τἀγαθοῦ * εἰσι καὶ ἀγαθοὶ καὶ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἐφίενται τοῦ εἶναι καὶ ζῆν καὶ νοεῖν τῶν ὄντων ἐφιέμενοι· καὶ τῇ στερήσει καὶ ἀποφυγῇ καὶ ἀποπτώσει τῶν προσηκόντων αὐτοῖς ἀγαθῶν λέγονται κακοί· καί εἰσι κακοὶ καθ' ὅ οὐκ εἰσί· καὶ τοῦ μὴ ὄντος ἐφιέμενοι τοῦ κακοῦ ἐφίενται.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

528. — Postquam Dionysius ostendit quod malum non est in Angelis, hic ostendit quod non sit in daemonibus; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quod *daemones non sunt* naturaliter *mali;* secundo, qualiter mali sunt; ibi [215]: *Deinde: quomodo...*

529. — Circa primum ponit quatuor rationes, quarum prima talis est: *Ex bono* non causatur aliquid naturaliter malum. Sed omnia quae sunt in mundo sunt causata a Deo qui est ipsum primum bonum; inter quae sunt daemones. Ergo *daemones* non *sunt* naturaliter *mali.*

Secunda ratio talis est: Ostensum est quod malum neque est existens, neque est *in existentibus.* Si igitur daemones essent naturaliter mali, non essent de numero existentium.

Tertia ratio talis est: Illud quod naturaliter convenit alicui semper ei convenit. Si igitur daemones essent naturaliter mali, *semper* fuissent *mali* et non fuissent *transmutati* de *bono* in malum, ut fides catholica confitetur.

Quarta ratio talis est: Quod si daemones sunt naturaliter mali aut *sunt* naturaliter *mali sibi ipsis aut aliis. Si sibi ipsis,* cum de ratione mali sit quod noceat et corrumpat, sequitur quod corrumpant *seipsos,* quod est impossibile, nihil enim est corruptivum sui ipsius secundum naturam. *Si autem* sunt naturaliter mali *aliis,* ergo naturaliter corrumpunt alia.

530. — Quaeritur ergo *quid* naturaliter corrumpant vel *quomodo* corrumpant, utrum *substantiam aut virtutem aut operationem,* quae tria inveniuntur in rebus omnibus. *Si* detur quod sint naturaliter mali quia corrumpunt *substantiam* alicuius, contra hoc obiicit tribus rationibus, quarum prima talis est: Nihil quod est corruptivum alterius secundum ordinem naturae est malum naturaliter, quia hoc ipsum quod est conservare naturae ordinem est bonum naturae. Sed si malum corrumpat substantiam *non* facit hoc *praeter* naturae ordinem: non enim corrumpit *incorruptibilia,* sed ea quae sunt *corruptionis* susceptiva. Non ergo erit secundum naturam malum.

Secunda ratio talis est: Illud quod est naturaliter tale, simpliciter et respectu cuiuscumque est tale; sicut illud quod est naturaliter calidum, simpliciter et respectu cuiuscumque est calidum, sicut ignis. Si igitur aliquid naturaliter est malum, erit simpliciter *malum* et respectu cuiuscumque et respectu sui ipsius; quod est impossibile, ut dictum est [529].

Tertia ratio talis est: Nullum *existentium corrumpitur* per malum quantum ad ipsam substantiam vel naturam rei quae dicitur mala; sicut in homine malo manet substantia et natura hominis; sed dicitur aliquid malum per hoc quod *ratio,* idest proportio *harmoniae et commensurationis quae est secundum naturam,* debilitatur per aliquem defectum ordinis, ita tamen quod non totaliter tollitur, sed aliquantulum manet. Ista *autem infirmitas,* qua debilitatur talis proportio, *non est perfecta,* quia si esset *perfecta destrueret* ipsum *subiectum* et per consequens *corruptionem* quae est in subiecto *et* sic *talis corruptio* corrumpit seipsam. Hoc ergo quod est infirmum, non simpliciter, sed secundum quid, non est naturaliter malum, *sed bonum* cum defectu; quia illud *quod omnino expers est boni* non potest inveniri inter existentia.

Eadem ratio est de corruptione virtutis naturalis; quia si semper remaneret in re quae dicitur mala vel corrupta per malum, corrumperetur per malum. Relinquitur ergo quod nihil est malum secundum naturam.

531. — Deinde, cum dicit [215]:... *Quomodo a Deo facti, sunt mali daemones?* ostendit quomodo sit malum in daemonibus; et primo, quaestionem movet; secundo, solvit; ibi [216]: *Et quidem mali dicuntur...* Quaeritur ergo primo *quomodo daemones,* cum sint *facti a Deo, sunt mali.* Boni enim est *bona* producere et conservare.

532. — Deinde, cum dicit [216]: *Et quidem...* solvit propositam quaestionem et circa hoc duo facit: primo, ostendit quod daemones dicuntur mali, *non secundum* aliquam naturam, *sed secundum* defectum boni; secundo, ostendit quod iste defectus in eis non est ex variatione ipsius boni, sed ex eorum voluntate; ibi [221]: *Et non variatum...*

533. — Quod autem daemones non sint mali naturaliter, sed secundum quod carent aliquo bono, tripliciter ostendit: primo quidem [216] per auctoritatem sacrae Scripturae; et dicit quod sic debet aliquis dicere quod daemones *dicuntur mali, non* inquan-

tum *sunt* quia *ex bono*, scilicet Deo causatur eorum esse et ab eodem *bonam* essentiam *obtinuerunt*, sed dicuntur mali, inquantum *non sunt*, prout scilicet sunt *infirmi servare principatum sui ipsorum, ut dicunt eloquia* sacrae Scripturae. Et sumitur hoc de canonica Iudae, ubi [v. 6] dicitur: « *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum... vinculis aeternis reservavit* ». Dicuntur autem non servasse sum principatum vel quia non servaverunt suam innocentiam, in qua a principio conditi sunt vel quia a Deo, qui est eorum principium, sunt aversi. Et huic expositioni consonat quod subdit: non enim *dicimus daemones fieri malos nisi in* hoc quod carent habitu et operatione per quam ordinari deberent in bona divina.

534. — Secundo, cum subdit [217]: *Et aliter: si natura...* subdit idem per rationem; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quod *daemones* non sunt naturaliter *mali*, sed per defectum alicuius boni; secundo, quod non totaliter bono carent; ibi [218]: *Et non omnino...*; tertio, ostendit cuius boni in eis defectus sit; ibi [219]: *Mali autem...*

535. — Circa primum, ponit talem rationem: *Si daemones* essent naturaliter *mali*, *semper* essent *mali*, quia quod naturaliter inest alicui, semper inest ei. Sed si semper sunt mali non naturaliter sunt mali, quod sic probat: quia omne *instabile* est quoddam *malum* et esse *semper idem est proprium boni;* unde videmus quod omnia sempiternitatem desiderant, quantum possibile est. Et sic apparet quod *si semper se habent eodem modo, non* sunt naturaliter *mali*; ergo de primo ad ultimum, si sunt naturaliter mali, non sunt naturaliter mali, quod est impossibile. Sic igitur patet quod *si non semper* sunt *mali*, quia hoc est proprium boni, *non* erunt naturaliter *mali*, *sed* per defectum aliquorum *bonorum* quae debentur Angelis.

536. — Deinde, cum dicit [218]: *Et non omnino...* ostendit quod non totaliter bono privantur; et dicit quod *non* sunt *omnino expertes boni*, participant enim bono, inquantum *sunt et vivunt et intelligunt* et inquantum *est in* eis aliquis *motus desiderii*, qui non tendit nisi in bonum verum vel apparens.

537. — Deinde, cum dicit [219]: *Mali autem...* ostendit secundum cuius boni defectum, dicantur mali; et dicit quod *dicuntur mali propter hoc quod* defective se habent in operatione quae competit naturae eorum. Et quo ordine hoc eveniat, consequenter ostendit dicens: *aversio igitur est ipsis malum.*

Ubi considerandum est quod omne illud quod est naturaliter subiectum alicui, bonum suum habet in hoc quod ei subdatur, sicut bonum appetitus sensibilium in homine est quod reguletur ratione. Omnis autem voluntas et angeli et hominis est Deo naturaliter subdita. Bonum igitur voluntatis angelicae et humanae est ut a divina voluntate reguletur. Aversio igitur a regula divinae voluntatis est malum in daemonibus. Omnis autem appetitus deficiens a sua regula tendit in suum obiectum ultra quam rectum sit, sicut concupiscibilis in delectabile secundum sensum plus debito tendit, quando ratione non regulatur. Sic igitur voluntas daemonum, aversa a regula divinae voluntatis, magis debito in appetitum sui boni tendit; et hoc est quod subdit: *et convenientium ipsis excessus;* quia scilicet appetiverunt sibi aliquid quod excedebat conditionem eorum. Omne autem quod natum est consequi aliquem finem per determinatum modum, si recedat ab illo modo finem consequi non potest. Modus autem quo Angeli nati sunt consequi ultimum finem suae voluntatis est per voluntatem moderatam secundum divinam regulam. Si igitur excedant istum modum, non consequentur finem; et hoc est quod subdit: *et non consecutio.* Omne autem quod non consequitur suam perfectionem remanet imperfectum, unde subditur: *et imperfectio.* Omne autem imperfectum inquantum huiusmodi est impotens, unde subditur: *et impotentia.* Et quia virtus est perfectio potentiae sequitur circa virtutem, quae salvare *perfectionem* ipsorum poterat, *infirmitas et fuga et casus.* Et ponit haec tria secundum ea quae accidunt circa homines: si enim aliquis sit infirmus ad resistendum alicui vel ad consequendum aliquid, fugit ab illo et fugiens propter infirmitatem cadit. Et similiter daemones infirmati circa consecutionem divini finis, fugiunt ab eo et cadunt, praecipitati in peccatum.

538. — Deinde, cum dicit [220]: *Et aliter: quid est...* ostendit, tertio modo, quod daemones non dicuntur mali secundam naturam, sed secundum defectum alicuius boni; et hoc secundum opinionem aliorum. Quidam enim posuerunt daemones esse *animalia corpore aërea, mente rationalia, animo passiva, tempore aeterna*, ut Apuleius dicit et Augustinus introducit IX *de Civitate Dei* [1]).

[1]) Cap. 8: « ...quod ait daemones esse genere *animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aëria, tempore aeterna* » (Opp. t. VII. Parisiis 1685 cor. 224 CD; ML 41, 263); cfr. *Summ. Theol.* I, q. 115, a. 5.

Secundum ergo horum opinionem, in daemonibus est vis sensibilis et appetitus passivus, qui est sensitivus et dividitur per irascibilem et concupiscibilem. Haec autem opinio non fuit Dionysii, quod patet ex eo quod supra dixit [211]. Angelos immateriales et incorruptibiles. Hic autem [217] dicit daemones esse malos per defectum *angelicorum bonorum.* Unde manifestum est quod non est opinatus daemones esse corporales et per consequens sensitivos aut animo passivos. Sed quia ipse intendit ostendere quod daemones non sunt naturaliter mali, postquam hoc ostenderat secundum opinionem propriam, scilicet si daemones sint de natura angelica, ostendit consequenter quod idem sequitur si ponatur quod sit eis natura sensitiva; tunc enim idem iudicium erit de malo daemonum et de malo hominis.

539. — In nobis autem malum est per hoc quod pars sensitiva non regulatur ratione; et hoc quantum ad tria, scilicet: quantum ad irascibilem quae, dum non regulatur ratione, irrationabiliter furit vel irascitur; et quantum ad concupiscibilem quae, dum non regulatur ratione, stulte concupiscit; et quantum ad phantasiam sive imaginativam quae, dum non regulatur ratione, contra veritatem protervit. Secundum ergo praedictam opinionem, malum in daemonibus non est aliud quam *furor irrationabilis et demens concupiscentia et phantasia proterva.* Dicit autem: *demens concupiscentia, furor irrationabilis*, quia concupiscentia nihil attendit ad rationem; furor autem attendit, sed imperfecte, ut supra dictum est [507].

540. — *Si* ergo ista tria *sunt in daemonibus* secundum opinionem aliorum, *non* tamen *omnino*, quia non contra quamlibet veritatem proterviunt, neque quaelibet eorum concupiscentia est demens. Naturaliter enim bonum et optimum concupiscunt; *neque* est etiam *in omnibus* daemonibus, eodem modo; *neque* etiam ista tria, scilicet furor et concupiscentia et phantasia, *secundum seipsa* sunt *mala*, sed secundum quod carent ordine rationis et debito obiecto. Unde videmus quod *in animalibus* irrationalibus habere ista non est malum, sed habere ista, conservat et facit quod habeatur animalis natura. Si vero Dionysius loquitur hic secundum propriam opinionem, dicendum est quod loquitur metaphorice: sic enim huiusmodi animae passiones Angelis attribuuntur in Scripturis, ut Augustinus dicit in *de Civitate Dei* [1]). Sic ergo, concludit quod genus *daemonum non est* malum *secundum quod est* in sua natura, sed *secundum quod non est;* idest secundum quod privatur aliquo bono.

541. — Deinde, cum dicit [221]: *Et non variatum...* ostendit unde provenit defectus boni in daemonibus. Posset enim aliquis credere quod, sicut defectus vel infirmitas naturalis operationis provenit in hominibus ex ipsa variatione naturae quae senescens deterioratur et sic operationes naturales debilitantur, ita etiam ex transmutatione alicuius boni, defectus bonae operationis in daemonibus provenit. Sed hoc ipse excludit et quantum ad bonum universale quod Deus est a quo aversi sunt et quantum ad bona participata quae sunt naturalia bona Angelis data. Dicit ergo, quod universale *bonum*, scilicet divinum quod *datum* est eis inquantum aliqualiter facti sunt eius participes, *non est variatum* aliquo modo. Unde non sunt facti mali propter boni variationem, sed quia *ipsi deciderunt* ab universali *bono dato* eis; et similiter, *dona angelica* ad angelicam naturam pertinentia, quae in principio sunt data eis, *nequaquam dicimus esse mutata*, ut ex eorum mutatione mali effecti sint, sed permanent adhuc *integra*, idest absque corruptione naturae *et splendidissima*, idest absque diminutione naturalis luminis intellectualis. Sed quod *ipsi non vident*, hoc provenit ex hoc quod ipsi per liberum arbitrium clauserunt suas *virtutes inspectivas boni*, idest averterunt voluntarie suum intellectum non a consideratione veri, sed ab inspectione boni, inquantum est bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. Unde patet quod inquantum *sunt* et bonam causam habent *et boni* sunt secundum suam naturam *et bonum* desiderant, scilicet *esse, vivere et intelligere;* sed inquantum privantur hoc per voluntarium recessum, quo quidem recessu infirmati decidunt *a bonis* quae eis conveniebant secundum ordinem suae naturae, *dicuntur et sunt mali* inquantum *non sunt*; idest, inquantum aliquod bonum eis deest; et similiter cum *desiderant malum*, desiderant *non-existens*. Dicuntur enim malum desiderare, inquantum desiderant aliquod bonum, cum defectu debiti modi et ordinis.

[1]) Cap. 5: « sancti vero Angeli et *sine ira* puniant quos accipiunt aeterna Dei lege puniendos et miseris *sine miseriae compassione* subveniant et periclitantibus eis quos diligunt *sine timore* opitulentur *et tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanae etiam in eos usurpentur* propter quamdam operum similitudinem non propter affectionum infirmitatem » (Opp. t. VIII, col. 222 G 223 A; ML 41, 261).

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 214: « neque ex *ipso* Bono »; « postea igitur » (ἔπειτα) unum aut aliud superfluit nisi consecutionem (*postea*) et consequentiam (*igitur*) simul exprimere voluerit.

* ad n. 216: « ex *ipso* Bono enim ».

* ad n. 219: « salvantis ipsius perfectionem... » – « salvantis *in ipsis* (ἐν αὐτοῖς) perfectionem... ».

* ad n. 220: corrigo: « *si et sunt* » mendum: « etsi sint »; eleganter M. de Gandillac: « Mais si ces caractères appartiennent aux démons ».

* : corrigo: « *est* et corruptio animali *et* malum » mendosam lectionem: « et corruptio animali malum ».

* ad n. 221: « et ex *ipso* Bono sunt ».

2ª DE « MALIS DAEMONIBUS »
APUD QUOSDAM PHILOSOPHOS NEOPLATONICOS.

Inquietudo illa quae saec. III-IV post C. excultiores animos occupavit, criticâ christianorum apologetarum et scriptorum acuebatur, qui veterem cultum opus malorum daemonum affirmabant.

Hinc cogebantur quadam acutiori reflexione iterum iterumque examinare qua ratione, hoc concesso, possent nihilominus patrum consuetudines sequi. Porphyrius « daemonas mali operatores » agnoscit (*de Abstin.* II, 38) et « *malum daemonem* » affirmat esse « ducem malarum actionum » (*ad Marcel.* 16); inde « anima vel deorum vel daemonum est receptaculum: si dii adsunt, verbis et operibus bona faciet; si (anima) malum excipit contubernalem, omnia propter pravitatem operatur » (*ibid.* 21).

In tractatu *de philosophia ex oraculis* quasdam cultus manifestationes « pravis daemonibus » tribuit (apud Eusebium, *Praep. Evang.* IV, 23, 1; edit. Dindorf I, 206), hinc factum est ut plura ex Porphyrii critica ipse Eusebius excipiat.

Sed firmiter tenet Porphyrius et *bonos* quosdam *daemonas* esse et « theosophiam » posse ex oraculis haurire, unde vita humana melioretur (apud Euseb., *ibid.* IV, 6, 3; edit. cit. I, 169).

Acrius urget epistola ad Anebonem: « sunt qui opinantur esse quoddam genus... natura fallax, omniforme, multimodum, simulans deos ac daemonas [bonos] et animas defunctorum ». Cui Iamblichus: « adhuc *deterior* rerum sacrarum explicatio adfertur quae vaticinii causam credit esse genus quoddam daemonum natura deceptorium » (*de Mysteriis* III, 31), « daemonas pravos quos et antitheos » vocant, sed « haec numquam in sermone de *sacerdotali divinatione* pones. *Bonum* quippe *est magis contrarium malis quam non-bono* » (*ibid.* cfr. X, 2).

Attamen Iamblichus ipse « malos daemonas » affirmat esse unde affluit « *malefica tribus* » (*τὸ κακοποιὸν φύλον*); « ad iniusta subservit » quoniam « naturaliter apta est (*πέφυκεν*) pravam (*πονηρόν*) esse ».

« Diis *bonisque daemonibus* pulchrum tantum et iustum quod est tribuere oportet, dum *iniusta et turpia pravi natura* (*φύσει πονηροί*) *daemones* operantur » (*de Mysteriis* IV, 7).

Iamblichus principium quoddam universale vere pretiosum ponit.

« Quod ubique agnitum est *sibi cohaerens* (*σύμφωνον πρὸς ἑαυτό*) et *semper aequaliter se habens ad seipsum* (*ἀεὶ ἑαυτῷ ὡσαύτως ἔχον*) melioribus convenit; contrarium vero et *inharmonicum* et *numquam idem* (*μηδέποτε τὸ αὐτό*) propriissimum est daemoniacae oppositionis » (*de Mysteriis* IV, 7).

Sallustius negat daemonas malos esse (*de diis et mundo* VI; v. pag. 159); sunt quidem « tortores », sed tamquam deorum ministri, peccantes puniunt (*ibid.* XIV; Iulian., *Oratio* II, 90 BC; v. pag. 189).

Proclus optime statum quaestionis describit, quando sententias praecedentium philosophorum circa malos daemonas refert: « sunt igitur aliqui et passiones daemonum dicentes: ii quidem et *secundum naturam* quando mortes ipsorum et generationes alias et alias tragoedizant; alii autem *ex electione* solum quando nequam quosdam et malos nominant daemonas... » (40).

Difficillimum est determinare in particulari quibus tribuenda sit una et altera opinio. Illud: « *divini*... qui horum sermonum *patres* » (41) sufficit philosopho tam pulchre speculanti de malo; sufficiat et mihi ludice ramenta ferenti.

Ex doctrina hic exposita, unum datum est colligere, ni fallor: Proclum non agnoscere malum culpae in illis quos christiana doctrina daemonas appellat, manifestum videtur; quae sint propria haud faciliter discernenda. Facilius tamen est in quovis opere glossare aliquem textum, quam textum ipsum *musivo* componere.

3ª QUOAD « PARALLELIA »:

Dionysius - 214:
« *Postea:* sibi ipsis sunt mali aut aliis? si sibi ipsis quidem et corrumpunt seipsos; si autem aliis, quomodo corrumpentes aut quid corrumpentes?...
Si substantiam quidem, prius quidem non praeter naturam, nam natura incorruptibilia non corrumpunt, sed susceptibilia corruptionis... »

Proclus - 41:
« *Utrum* daemones quos malos esse *dicitis* et sibi ipsis esse *dicitis* tales aut sibi ipsis quidem non tales et malos, aliis autem malos?
id. 42: « Si quidem enim sibi ipsis... aut manent in malo sempiterno tempore aut transmutationis sunt susceptivi... ».

Quae enucleat Dionysius in textu: « *substantiam, potentiam, actum* » habentur et apud Porphyrium et apud Iamblichum (*de Mysteriis* II, 1), et haec distinctio alibi quoque (supra 97; CH. XI, 2; 284 D; v. pag. 94) invenitur. An sit argumentatio *musiva* peritiores iudicent.

Dionysius - 215:
« *Deinde:* quomodo a Deo facti, sunt mali daemones? ».
id. 216... « mali dicuntur, *dicat aliquis*, sed non secundum quod sunt... sed secundum quod non sunt, infirmi existentes, *ut eloquia dicunt*, servare sui ipsorum principatum... in carentia *habitus* et operationis divinorum bonorum ».

Proclus - 42:
« Quomodo quod ex diis subsistit *semper* malum? ».
« Si autem transmutantur non sunt eorum qui substantia daemonum, sed eorum qui in *habitudine* talium ».

Proclus - 44:
« Non ergo malum neque in iis ratio adinvenire videtur: *secundum enim ipsorum naturam singuli faciunt quae faciunt et semper eodem modo;* hoc autem non malum ».
id. 45: « *instabile* enim natura et illocabile omne malum ».

Quae supra notata sunt ex Iamblicho (pag. 198) recolantur. Cum nº. 45 incipit tractatio de *heroum* genere (45-50). Dionysius praetermittit nam iuxta doctrinam saepius expositam animae deiformes sanctorum numero adscribuntur qui sunt virtutum christianarum heroes.

Dionysius - 219:
« Aversio est igitur ipsis malum *et convenientium ipsis excessus* et non consecutio et *imperfectio* et *impotentia* et salvantis in ipsis perfectionem, virtutis *infirmitas* et fuga et casus ».

Proclus - 47:
« ex perversione eius quod secundum naturam infierent est et in iis malum et suae potentiae inordinatio et *convenientis ipsis perfectionis egressio* ubique, nam *malum impotens et imperfectum et naturae debilis* ad salvare ipsam ».

« Aversio », « casus » sunt prima et ultima pagina historiae peccati in sensu christiano: « mala fit anima cum *avertit* se (*παρατραπεῖσα*) ab eo quod est secundum naturam » (Basil., *hom. quod Deus non est auctor malorum*, 6; Opp. II, 78 E); « Satanas... a suo ordine penitus *excidit* » (*ἐξέπεσε*).

... « Hoc est malum, abalienatio a Deo. Parva oculi conversio facit ut aut cum sole aut cum corporis nostri umbra simus. Et illuc quidem si respicias prompte ac cito illustraris, ad umbram vero si declines, necessaria est obtenebratio. Hunc ad modum, pravus est diabolus *ex electione habens malitiam; natura* non *est opposita bono* » (*ibid.* 8; ibid. 80 C).

Dionysius - 220:
« Et *aliter:* Quid est in daemonibus malum? Furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterva (*προπετὴς - praeceps*). Sed ista... neque ipsa secundum seipsa mala.
« Etenim in aliis animalibus non habitus horum sed ablatio est et corruptio animali et malum. Habitus autem salvat et esse facit ista habentem animalis naturam ».

Proclus - 48b:
« Igitur et *heroum*, quorumcumque *phantasia praeceps* agit et *furor* et iracundia et praecipitium et pertinacia, non extra naturam ».
id. - 48 a:
« Secundum naturam autem non-entis erit malum, *si malum unicuique praeter sui ipsius naturam:* neque enim leonum neque pardalium malum dices utique esse furorem... ».

Porphyrius animas maleficis daemonibus assimilat « quando *irae* et *concupiscentiae* spiritus *impetum* faciunt » (*de Abst.* II, 38-39). Praetermissa Apuleii opinione, etiam in doctrina Porphyrii et Iamblichi, multa et de malis daemonibus *metaphorice* dicta sunt (540). Attamen constructio ipsa propositionis simplicem concessionem implicat opinioni quae inducitur per « *aliter* ».

LECTIO XX (30a)

Quomodo malum sit in animabus.

SYNOPSIS

(Lect. XX; cap. IV; textus nn. 222-225; expositio nn. **542-547**).

I. — Ostendit quomodo malum sit in animabus:
A) excludit modum falsum (222; **543**);
B) ponit modum verum (223; **544**);
C) concludit propositum (224; **545**);
II. — Ostendit quod malum non est naturaliter in animalibus irrationalibus (225; **546-547**).

TEXTUS DIONYSII

§ 24. 222. — « Sed animas aliquis dicat esse malas. Si ideo quidem quod coassistunt malis provisive et salvative; hoc autem non malum, sed bonum et ex bono * quod et malum bonum facit.

223. — Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malae fiunt nisi in bonorum habituum et operationum defectu et propter propriam infirmitatem non consecutione et prolapsu? Etenim et aërem qui est super nos dicimus obtenebrari defectu et absentia luminis; ipsum autem lumen est quod et tenebras illuminat.

224. — Non igitur neque in daemonibus neque in nobis est malum ut existens, sed est sicut defectus et desertum perfectionis propriorum bonorum.

§ 25. 225. — Sed neque in animalibus irrationalibus est malum; si enim auferas furorem et concupiscentiam et alia quaecumque dicuntur et non sunt simpliciter eorum naturae mala: etenim * animosum * et superbum leo cum perdiderit neque leo erit; mansuetus autem omnibus factus canis non erit canis: si quidem canis est custodire et accedere quidem ad familiarem, abiicere autem alienum. Quare quod non corrumpit naturam, non malum. Corruptio autem naturae est defectus et infirmitas naturalium habitudinum et virtutum et operationum; et si omnia per generationem in tempore habent perfectum, neque imperfectum omnino praeter omnem naturam ».

*§ 24. 222. — [D] 'Αλλὰ ψυχὰς τίς εἶναι λέγει κακάς; Εἰ μὲν ὅτι συγγίνονται κακοῖς προνοητικῶς τε καὶ σωστι [728 A]κῶς τοῦτο οὐ κακόν, ἀλλ' ἀγαθὸν καὶ ἐκ τἀγαθοῦ * τοῦ καὶ τὸ κακὸν ἀγαθύνοντος.*

223. — Εἰ δὲ τὸ κακύνεσθαι ψυχάς φαμεν ἐν τίνι κακύνονται, εἰ μὴ ἐν τῇ τῶν ἀγαθῶν ἕξεων καὶ ἐνεργειῶν ἐλλείψει καὶ δι' οἰκείαν ἀσθένειαν ἀτευξίᾳ καὶ ἀπολισθήσει; καὶ γὰρ καὶ τὸν ἀέρα τὸν περὶ ἡμᾶς ἐσκοτῶσθαί φαμεν ἐλλείψει καὶ ἀπουσίᾳ φωτός· αὐτὸ δὲ τὸ φῶς ἀεὶ φῶς ἐστι τὸ καὶ τὸ σκότος φωτίζον.

224. — Οὐκ ἄρα οὔτε ἐν δαίμοσιν οὔτε ἐν ἡμῖν τὸ κακὸν ὡς ὂν κακόν, ἀλλ' ὡς ἔλλειψις καὶ ἐρημία τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν τελειότητος.

*§ 25. 225. — [B] 'Αλλ' οὐδὲ ἐν ζώοις ἀλόγοις ἐστὶ τὸ κακόν· Εἰ γὰρ ἀνέλῃς θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν καὶ τἄλλα ὅσα λέγεται καὶ οὐκ ἔστιν ἁπλῶς τῇ ἑαυτῶν φύσει κακὰ τὸ μὲν * ἀῤῥὸν * καὶ γαῦρον ὁ λέων ἀπολέσας οὐδὲ λέων ἔσται· προσηνὴς δὲ πᾶσι γενόμενος ὁ κύων οὐκ ἔσται κύων εἴπερ κυνὸς τὸ φυλακτικὸν καὶ τὸ προσίεσθαι μὲν τὸ οἰκεῖον, ἀπελαύνειν δὲ τὸ ἀλλότριον. Ὥστε τὸ μὴ φθείρεσθαι τὴν φύσιν οὐ κακόν, φθορὰ δὲ φύσεως ἀσθένεια καὶ ἔλλειψις τῶν φυσικῶν ἕξεων καὶ ἐνεργειῶν καὶ δυνάμεων.*

Καὶ εἰ πάντα τὰ διὰ γενέσεως ἐν χρόνῳ ἔχει τὸ τέλειον οὐδὲ τὸ ἀτελὲς πάντῃ παρὰ πᾶσαν τὴν φύσιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

542. — Postquam Dionysius ostendit quomodo malum sit in daemonibus, hic ostendit quomodo sit in animabus; et primo, excludit modum falsum; secundo, ponit modum verum; ibi [223]: *Si autem...*; tertio, concludit propositum; ibi [224]: *Non igitur...*

543. — Dicit ergo, primo, quod forte *aliquis* dicit *animas* humanas *esse malas*, quod quidem verum est de aliquibus; sed inquirendum est quomodo mala dicantur. *Si* autem aliquis dicat quod ideo dicuntur mala quia assistunt *malis* quibus provident et quos salvare intendunt, sicut aliquis bonus homo cohabitat malis ut eos salvet vel sicut etiam ipsa anima communicat et coassistit corruptioni corporis et passionibus animae inordinatis et huiusmodi ad ordinem reducere intendens, *hoc non* est *malum, sed* est *bonum et ex* primo *bono* derivatur, cuius virtute etiam mala fiunt bona vel inquantum mala transmutantur et fiunt bona vel inquantum ex malis divina ordinatione eliciuntur bona.

544. — Deinde, cum dicit [223]: *Si autem...* ponit verum modum; et dicit quod *si* nos *dicimus animas fieri malas*, hoc non possumus *nisi* inquantum deficiunt a bono, et quantum ad habitum et quantum ad actum, et sic infirmatae ex defectu boni, non possunt consequi debitum finem, sed prolabuntur ad aliquid contrarium fini; sicut *et aërem qui est super nos dicimus obtenebrari* per defectum et absentiam *luminis*. Sed *lumen est quod et tenebras illuminat*; idest quae prius tenebrosa erant facit luminosa et sic bonum de malo facit bonum.

545. — Deinde, cum dicit [224]: *Non igitur...* concludit propositum, quod scilicet *neque in daemonibus neque in* hominibus sit *malum*, quasi aliquid *existens* positive, sed *sicut defectus et* quasi quoddam *desertum perfectionis propriorum bonorum*. Sic igitur intendit ostendere quod in existentibus non est malum; quia, in quibusdam quidem nullo modo est malum, sicut in Deo vel in Angelis; in quibusdam vero est malum, sed sicut privatio et defectus, non sicut aliquid existens.

546. — Deinde, cum dicit [225]: *Sed neque...* ostendit quod non est naturaliter *in animalibus irrationalibus;* et excludit duo secundum quae posset videri quod in eis esset naturaliter malum, scilicet passiones et passionis defectus. Posset enim aliquis videns in brutis animalibus naturaliter furorem et concupiscentiam quae in hominibus dicuntur mala, existimare huiusmodi animalia naturaliter esse mala. Sed hoc excludit dicens quod *si auferas* ab huiusmodi animalibus *furorem et concupiscentiam et* alias huiusmodi passiones, quae ab aliquibus *dicuntur* mala *et* tamen *non sunt mala simpliciter eorum naturae*, si inquam ista auferantur, natura eorum iam interimitur. Nam cum *leo perdiderit* animositatem et superbiam, iam non *erit leo;* et similiter *canis*, cum perdiderit furorem *omnibus factus mansuetus, non erit canis*. Et hoc apparet in utilitate quam facit in rebus humanis, in quibus officium *canis est custodire* domum vel alia huiusmodi; et hoc facit accedendo *ad familiarem* et abiiciendo *alienum*. Manifestum est autem quod ea per quae servatur natura nə corrumpatur, *non* sunt mala, sed *corruptio* ipsius *naturae est infirmitas et* quicumque *defectus* alius *naturalium* habituum *et virtutum et operationum* et hoc est malum, ut supra dictum est [**544**]. Unde patet quod praedictae passiones, quibus interemptis, interimitur natura brutorum animalium, non sunt in eis mala, sed bona.

547. — Posset autem aliquis dicere quod ex hoc quod sunt imperfecta ratione carentia secundum suam naturam, huiusmodi animalia sunt naturaliter mala; sed hoc ipse excludit dicens: quaecumque enim generantur, non perveniunt ad suam perfectionem nisi post determinatum tempus; ex quo patet quod esse *imperfectum* ante illud tempus est naturale et secundum naturam; ex quo patet, quod non omnis imperfectio est *praeter naturam*, sed solum illa imperfectio, per quam tollitur perfectio debita secundum illud tempus, est mala.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 222: « ex *ipso* Bono ».

* ad n. 225: « animosum *quidem* »; abest « etenim » in textu, adest: τὸ *μέν*... inde postea: « mansuetus *autem* (δέ). Ex lect. ἀδρόν (*fortis*) oscitans scriptor fecit ἄνδρον et quia hoc nihil significat, alius correxit in ἀνδρεῖον « virile », *animosum*.

2ª QUOAD « PARALLELIA »:

Dionysius - 222:

« Si ideo quidem quod coassistunt malis provisive et salvative; hoc autem non malum, sed bonum et *ex ipso* Bono quod et malum bonum facit ».

Proclus - decem dubit. circa Providentiam, III 10 114 37:

« Oportet quamdam experientiam malorum eorum quae hic ipsis (sc. animabus) inesse a quibus provocatis faciet appetere eam quae hinc translationem ad illum qui extra mala locum ».

Multa afferuntur quae Procli doctrinam ex Platonis dial. *Phaedro, Timaeo, Republ.* suffulciunt, at singula percurrere huius loci non est. Proclus quidem explicat in sensu platonico quid sit *bonum fieri* ex experientia malorum et ibi est radix auto-redemptionis quae sive per philosophiam sive per theurgiam compleatur, superfluam christianam religionem reddere *debet* in aestimatione hominum.

Dionysius in sensu christiano et a Paulo edoctus (*Rom.* 8, 28; 12, 21) valorem apostolatus affirmat et Omnipotentiam divinam laudat. Maximus (MG. IV, 293 C) citat illud Pauli (I *Cor.* 9, 20. 21): « *Factus sum... iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem... ut lucrifacerem eos qui sine lege erant* ». Pachymeres consentit (800 A), simulque varios casus examinat iuxta christianae prudentiae regulas.

Dionysius - 223 a:

« Si autem malas fieri animas dicimus... in bonorum habituum et operationum defectu et propter propriam *infirmitatem* non consecutione et *prolapsu* ».

Proclus - 63:

« Mali quidem enim nobis exhibuit generationem *quae ad deterius nobis semper communicatio et convivere et oblivio et ignorantia...* ».

id. 64:

« de anima... qualiter malum in ipsa et *debilitas* et *casus* ».

Proclus utrum malum sit in anima determinans (51-70), plura exponit secundum platonicam doctrinam quam mythus Phaedri poëtice comprehendit. Hinc « infirmitas » vel « debilitas » et « prolapsus » vel « casus » utrobique omnino diversimode intelliguntur, licet nominibus communibus uterque utatur nec video quomodo aliter fieri posset, si hominibus aliquid manifestare quis intendat.

Dionysius - 223b:

« Etenim et *aerem* qui est super nos *dicimus obtenebrari* defectu et absentia luminis; ipsum autem lumen est quod et tenebras illuminat ».

Proclus - 53:

« Etenim *lumen obtenebrari dicimus* quod propter extraneitatem eius quod circum grossi et nebulosi entis, propinqua illuminare non potest ».

Nil hic dicendum occurrit: pulchra similitudo utrobique quae optime aliquam mali notionem nobis veluti pictorice manifestat. An et hoc sufficiat, inter alia multa quae occurrunt musive composita, ad aliquid affirmandum vel negandum, nescio.

Dionysius - 225:

« Si enim auferas furorem et concupiscentiam et alia quaecumque dicuntur et *non sunt simpliciter eorum naturae mala,* animosum quidem et superbum *leo* cum perdiderit neque leo erit, mansuetus autem omnibus factus canis non erit canis, siquidem canis est custodire et accedere quidem ad familiarem abiicere autem alienum ».

Proclus - 68:

« Et quod virtutis autem non idem in omnibus, sed hic quidem eam quae equi possidens virtutem habet τὸ bene esse suae naturae, *hic autem leonis,* hic autem alterius animalis et omnes in bono species eae quidem magis eae autem minus. Si autem hic quidem *vulpis pro leone fiat elatum et virile naturae laxans... ipsis conveniente virtute sublata* et malum in iis enuntiat ».

Dionysii textus de animalibus, Procli vero de anima tractat et utrobique iudicatur de iis quae *secundum* uniuscuiusque *naturam* sunt. An et hic aliquid concludi possit peritiores iudicent: hoc me latet.

Dionysius - 225 d:

« Et si *omnia per generationem in tempore habent perfectum* neque imperfectum omnino praeter omnem naturam ».

Proclus - 70:

« Totaliter autem *omne per generationem progrediens in imperfecto nascitur et in tempore perfectum ipsi...* ».

Commune principium metaphysicum utrobique diversimode evolvitur. Procli estne tale principium ita proprium ut alterius esse nequeat? Conducibilius videtur expositionem Pachymeris hic subnectere, ex qua clarius diversitas ista manifestatur et intelligitur. « *Et cum generatio motus sit, omnis autem motus sit in tempore et imperfecti ad perfectionem, neque imperfectum est praeter naturam sed in natura quae exigit suscipere perfectionem, unde etiam imperfectum non est omnino non-ens, quia non est omnino praeter naturam.*

« Hoc autem dicit ut supra dictis sensum adaptet: dixerat enim ibi quod si anima fit mala, *passione mala fit;* passio autem non est malum aliquod subsistens, sed defectus et perfectionis bonorum vacuitas, haec autem est imperfectio. Quod itaque imperfectum est, non est praeter naturam, quandoquidem etiam ex hoc non existente, perfectum quid gignatur. Si igitur imperfectum non est praeter naturam, *ens est secundum hoc,* quia secundum naturam est.

« Totius itaque orationis sensus talis est: si anima mala fit, bonorum defectu fit mala et malum non est quid subsistens; per oppositionem dicens quod si omnibus essent et passiones malae forent.

« Deinde dat instantiam quod *non omnibus sint malae:* nam in brutis earum (*passionum*) quaedam sunt salvativae naturae et *magis propter hoc non sunt malae.*

« Caeterum hinc manet dubium: in (animalibus) *rationalibus* en privatio boni malum est vel certe imperfectio, quando nimirum bonum non promovetur, sed anima imperfecta manet.

« In animalibus autem *irrationalibus,* cum non sint capacia rationis, quomodo dicemus *per boni absentiam passiones exurgere*? Cogemur itaque hinc dicere quod (passiones) *secundum se sint malae* et non absentia boni parasubsistentes.

« Certe respondemus, etiam in (*animalibus*) irrationalibus passiones, ut sunt irae et concupiscentiae, quantumlibet ponunt, sed malae non sunt, potius vero naturarum salvativae.

« Ablata ergo acceptione: *passiones in* (animalibus) *irrationalibus malas esse,* dubium quoque tollitur. *Si* enim *malae non sunt,* superfluum erit quaerere num per se malae sint et non secundum absentiam boni; est enim simpliciter entis. Quaerimus etiam num sic vel sic se habeat; de eo autem quod non est, quaestio superflua est et insipiens » (*Pachymeres,* 800 C - 801 B).

Quae Proclus pulchre enucleat videri possunt in textu ex integro (70); Dionysii mentem quoad passiones ex Pachymere cognoscere, ne videatur alicui « quaestio superflua et insipiens »; nam maximi momenti est, sub consideratione ethica et paedagogica.

Et hoc ex Aristotele sumptum, qui docet: « non irasci enim in quibus oportet insipientis esse videtur » (*Ethica* IV, 11; 1126 a; edit. Spiazzi n. 559; n. **804**). Quod non est, si passio *per se mala* iudicatur. Haec omnia dicta esse volui ut difficultas utrinque distinctius percipiatur, non ut aliquid definitive determinetur. Tanti non sum. Sed operis pretium videtur, dum ex una et altera parte quid sentiendum de malo quaeritur, omnia distinctim ponere quae cuique propria sunt, ut si fieri potest quae cuique apposita sunt distinctius quoque videantur.

LECTIO XXI (31ª)

Quomodo malum sit in rebus naturalibus.

SYNOPSIS

(Lect. XXI; cap. IV; textus nn. 226-236; expositio nn. 548-569).

Ostendit quod in rebus naturalibus non est malum aliquod existens.

A) In ipsa natura:
   1° - non est malum in natura universali (226; **550-551**);
   2° - ostendit quomodo sit malum in natura particulari (227; **552**);

B) In corpore naturali:
   1° - ostendit quid dicatur malum corporis (228; **554**);
   2° - excludit quamdam obiectionem (229; **555**);
   3° - universaliter colligit quid sit malum in omnibus quae dicuntur mala (230; **556**);

C) In materia:
   1° - ostendit veritatem:
      a) proponit veritatem (231; **559**);
      b) probat eam tribus rationibus:
         j° - prima ratio (232; **560**);
         ij° - secunda ratio (233; **561-562**);
         iij° - tertia ratio (234; **563-565**);
   2° - excludit obiectionem (235; **566-568**);

D) Quomodo privatio se habeat ad malum (236; **569**).

TEXTUS DIONYSII

§ 26. 226. — « Sed neque in tota natura malum.

Si enim omnes naturales rationes sunt ab universali natura, nihil est ipsi contrarium.

227. — Particulari autem hoc quidem secundum naturam erit, illud autem non secundum naturam: alii enim aliud * est praeter naturam et hoc huic secundum naturam, illi autem praeter naturam.

Naturae autem malitia est hoc quod est praeter naturam, scilicet privatio ordinis naturalium. Quare non est mala natura, sed hoc est naturae malum: impotentem esse ea quae sunt propriae naturae perficere.

§ 27. 228. — Sed neque in corpore est malum: turpitudo enim et infirmitas est defectus formae et privatio ordinis; hoc autem non omnino malum, sed minus bonum. Si enim perfecta fiat solutio pulchritudinis et formae et ordinis, peribit et ipsum corpus.

229. — Quoniam autem neque malitiae causa est animae corpus, manifestum est ex eo quod potest et sine corpore malitia esse, sicut in daemonibus.

§ 26. 226. — [C] 'Αλλ' οὐδὲ ἐν τῇ ὅλῃ φύσει τὸ κακόν.

Εἰ γὰρ οἱ πάντες φυσικοὶ λόγοι παρὰ τῆς καθόλου φύσεως, οὐδέν ἐστιν αὐτῇ τὸ ἐναντίον·

*227. — τῇ καθ'ἕκαστον δὲ τὸ μὲν κατὰ φύσιν ἔσται τὸ δὲ οὐ κατὰ φύσιν. Ἄλλῃ γὰρ ἄλλο * παρὰ φύσιν· καὶ τὸ τῇδε κατὰ φύσιν, τῇδε παρὰ φύσιν.*

Φύσεως δὲ κακία τὸ παρὰ φύσιν ἡ στέρησις τῶν τῆς φύσεως. ὥστε οὐκ ἔστι κακὴ φύσις ἀλλὰ τοῦτο τῇ φύσει κακὸν τὸ ἀδυνατεῖν τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἐκτελεῖν.

§ 27. 228. — 'Αλλ' οὐδὲ ἐν σώμασι τὸ κακόν. Αἶσχος γὰρ καὶ νόσος ἔλλειψις εἴδους καὶ στέρησις τάξεως· τοῦτο δὲ [D] οὐ πάντῃ κακόν, ἀλλ'ἧττον καλόν· εἰ γὰρ παντελὴς γένοιτο λύσις κάλλους καὶ εἴδους καὶ τάξεως, οἰχήσεται καὶ αὐτὸ τὸ σῶμα.

229. — Ὅτι δὲ οὐδὲ κακίας αἴτιον τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, δῆλον ἐκ τοῦ δυνατὸν εἶναι καὶ ἄνευ σώματος παρυφίστασθαι κακίαν ὥσπερ ἐν δαίμοσι·

230. — Hoc enim est et mentibus et animabus et corporibus malum, habitus propriorum bonorum infirmitas et casus.

§ 28. 231. — Sed neque multum vulgatum in materia est malum, sicut dicunt, secundum quod est materia:

232. — Etenim ipsa ornatus et pulchritudinis et formae habet participationem. Si autem extra hoc materia existens secundum seipsam sine qualitate est et sine forma, quomodo facit aliquid materia, quae neque pati posse secundum seipsam habet?

233. — Et aliter: quomodo est materiae malum? Si enim nusquam quidem nullo modo est, neque bonum neque malum est: si autem * existens, existentia autem omnia ex bono * sunt et ipsa ex bono fit *. Et aut bonum mali est effectivum aut malum, sicut ex bono existens est bonum; aut malum boni est effectivum aut bonum, sicut ex malo existens est malum; aut duo rursus principia, et ipsa ab alio uno vertice segregata *.

234. — Si autem necessariam dicunt materiam ad completionem omnis mundi, quomodo materia est malum? aliud enim est malum et aliud necessarium.

Quomodo autem bonus ex malo deducit quaedam ad generationem? Aut quomodo est malum, quod est necessarium * bono? Fugit enim boni naturam malum. Quomodo autem gignit et nutrit naturam, materia existens mala? Etenim malum, secundum quod malum, est nullius generativum aut nutritivum aut totaliter effectivum aut salvativum.

235. — Si autem dicant ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas, quomodo erit hoc verum? Multae enim ipsarum ad bonum aspiciunt. Et quidem, quomodo factum est hoc, materia omnino ipsas ad malum attrahente? Quare, non ex materia in animabus malum est, sed ex inordinato et peccante motu.

Si autem et hoc dicunt materiae esse omnino consequens et necessaria est instabilis materia his quae in seipsis collocari non possunt, quomodo malum est necessarium aut necessarium malum?

§ 29. 236. — Sed neque hoc quod dicimus privationem, secundum virtutem propriam adversatur bono.

Etenim perfecta privatio universaliter impotens; particularis, autem, non secundum hoc quod privatio est, habet virtutem, sed secundum hoc quod non perfecta est privatio. Privatione enim boni particulari existente, nondum est malum; et recedente *, et mali natura abiit ».

230. — τοῦτο γὰρ ἐστι καὶ νοῖς καὶ ψυχαῖς καὶ σώμασι κακόν· ἡ τῆς ἕξεως τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀσθένεια καὶ ἀπόπτωσις.

§ 28. 231. — [729 A] 'Αλλ' οὐδὲ τὸ πολυθρύλλητον « ἐν ὕλῃ τὸ κακόν », ὡς φασί, καθ' ὅ ὕλη.

232. — Καὶ γὰρ καὶ αὐτὴ τοῦ κόσμου καὶ κάλλους καὶ εἴδους ἔχει μετουσίαν. Εἰ δὲ τούτων ἐκτὸς οὖσα ἡ ὕλη καθ' ἑαυτὴν ἄποιός ἐστι καὶ ἀνείδεος, πῶς ποιεῖ τι ἡ ὕλη ἡ μηδὲ τὸ πάσχειν δύνασθαι καθ' ἑαυτὴν ἔχουσα;

*233. — Ἄλλως τε· πῶς ἡ ὕλη κακόν; εἰ μὲν γὰρ οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἐστιν, οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν· εἰ δέ πως * ὂν τὰ δὲ ὄντα πάντα ἐκ τἀγαθοῦ * καὶ αὐτὴ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ἂν εἴη * καὶ ἢ τὸ ἀγαθὸν τοῦ κακοῦ ποιητικὸν ἢ τὸ κακόν, ὡς ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ὄν, ἀγαθόν· ἢ τὸ κακὸν τοῦ ἀγαθοῦ ποιητικὸν ἢ καὶ τὸ ἀγαθόν, ὡς ἐκ τοῦ κακοῦ, κακόν. Ἡ δύο αὖθις ἀρχαὶ καὶ αὗται ἄλλης μιᾶς ἐξημμέναι * κορυφῆς.*

234. — Εἰ δὲ ἀναγκαίαν φασὶ τὴν ὕλην πρὸς συμπλήρωσιν τοῦ παντὸς κόσμου, πῶς ἡ ὕλη κακόν; ἄλλο [B] γὰρ τὸ κακὸν καὶ ἄλλο τὸ ἀναγκαῖον.

*Πῶς δὲ ὁ ἀγαθὸς ἐκ τοῦ κακοῦ παράγει τινὰ πρὸς γένεσιν; ἢ πῶς κακὸν τὸ τοῦ ἀγαθοῦ δεόμενον *; φεύγει γὰρ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν τὸ κακόν. Πῶς δὲ γεννᾷ καὶ τρέφει τὴν φύσιν ἡ ὕλη κακὴ οὖσα; τὸ γὰρ κακὸν ἢ κακὸν οὐδενός ἐστι γεννητικὸν ἢ θρεπτικὸν ἢ ὅλως ποιητικὸν ἢ σωστικόν.*

235. — Εἰ δὲ φαῖεν αὐτὴν μὲν οὐ ποιεῖν κακίαν ἐν ψυχαῖς, ἐφέλκεσθαι δὲ αὐτάς, πῶς ἔσται τοῦτο ἀληθές; πολλαὶ γὰρ αὐτῶν εἰς τὸ ἀγαθὸν βλέπουσι· καίτοι, πῶς ἐγίνετο τοῦτο τῆς ὕλης πάντως αὐτὰς εἰς τὸ κακὸν ἐφελκομένης; ὥστε οὐκ ἐξ ὕλης ἐν ψυχαῖς τὸ κακόν, ἀλλ' ἐξ ἀτάκτου καὶ πλημμελοῦς κινήσεως.

Εἰ δὲ καὶ τοῦτό φασι, τῇ ὕλῃ πάντως ἕπεσθαι καὶ ἀναγκαῖα ἡ ἄστατος ὕλη τοῖς ἐφ' ἑαυτῶν ἱδρύσθαι μὴ δυναμένοις, πῶς τὸ κακὸν ἀναγκαῖον ἢ τὸ ἀναγκαῖον κακόν;

§ 29. 236. — [C] 'Αλλ' οὐδὲ τοῦτο, ὅ φαμεν, ἡ στέρησις κατὰ δύναμιν οἰκείαν μάχεται τῷ ἀγαθῷ·

*ἡ γὰρ παντελὴς στέρησις καθόλου ἀδύναμος ἡ δὲ μερικὴ οὐ καθ' ὃ στέρησις ἔχει τὴν δύναμιν, ἀλλὰ καθ' ὃ οὐ παντελής ἐστι στέρησις. Στερήσεως γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ μερικῆς οὔσης, οὔπω κακόν· καὶ γενομένης * καὶ ἡ τοῦ κακοῦ φύσις ἀπελήλυθε.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

548. — Postquam ostendit Dionysius quod, in his quae per cognitionem agunt, non est malum aliquod existens, ostendit idem in rebus naturalibus; et primo, in ipsa natura; secundo, in corpore naturali; ibi [228]: *Sed neque...*; tertio, quod neque in materia; ibi [231]: *Sed neque multum...*; quarto, ostendit quomodo privatio se habeat ad malum; ibi [236]: *Sed neque hoc quod dicimus privationem...*

549. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quod non est malum in natura universali; secundo, quomodo sit malum in natura particulari; ibi [227]: *Particulari...*

550. — Circa primum, sciendum est quod natura universalis dicitur causa universalis omnium quae naturaliter fiunt. Est autem Deus universalis causa omnium quae naturaliter fiunt; unde et quidam Ipsum nominant naturam naturantem [1]). Sed melius est ut natura universalis intelligatur causa universalis eorum quae naturaliter fiunt in genere rerum naturalium. Quidam ergo posuerunt naturam universalem esse aliquid separatum, communiter se habens ad omnia naturalia, sicut homo separatus, secundum Platonicos, communiter se habet ad homines singulares. Sed quia species rerum non sunt separatae, sed ipsae formae in materia existentes sunt principia actionum, ut probatur in VII° Metaphys. [2]), melius est dicendum quod natura universalis dicitur vis activa primi corporis, quod est primum in genere causarum naturalium.

551. — *In* hac igitur *natura* universali, non potest esse *malum:* malum enim in qualibet natura est recessus ab ordine illius naturae, sicut oculus est aeger quando non est in sua dispositione naturali. Licet autem aliquid possit esse praeter ordinem alicuius particularis naturae, *nihil* tamen potest contrariari naturae universali: non enim discediturab ordine alicuius naturae, nisi aliquo in contrarium agente, puta ab ordine sanitatis, quod est naturale bonum corporis humani, discediturper actionem calidi aut frigidi. *Omnes* autem *naturales* actiones, quae sunt virtutes activae, dependent *ab universali natura* et sic *nihil* potest agere in contrarium toti universali naturae. Unde patet quod in natura universali, non potest esse malum.

552. — Deinde, cum dicit [227]: *Particulari autem...* ostendit quomodo sit malum in particulari natura; et dicitur particularis natura principium motus alicuius rei determinatae. Dicit ergo quod alicui *particulari* naturae aliquid est *secundum naturam* et aliquid *non secundum naturam:* sicut igni secundum naturam est moveri sursum; moveri autem deorsum, non secundum naturam. Nec est idem omnibus praeter naturam; sed unum et idem potest esse alicui *secundum naturam* et alicui *praeter naturam:* sicut moveri deorsum est praeter naturam igni, et secundum naturam terrae. Nihil *est* autem malum aliquod *naturae* quam *praeter naturam* esse, hoc est privari aliquo naturali. Ex quo patet quod ipsa *natura non est mala, sed hoc est malum naturae:* non posse pertingere ad ea quae pertinent ad perfectionem *propriae naturae.*

553. — Deinde, cum dicit [228]: *Sed neque...* ostendit qualiter in corpore est malum; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quid dicatur malum corporis; secundo, excludit quamdam obiectionem; ibi [229]: *Quoniam autem...*; tertio, universaliter colligit quid sit malum in omnibus quae dicuntur mala; ibi [230]: *Hoc enim...*

554. — Dicit ergo primo quod, sicut dictum est quod in daemonibus [*lectio* 19ª] et in animabus [*lectio* 20ª] non est malum quasi aliquid existens, ita et *neque in corpore est malum* quasi aliquid existens. Malum *enim* corporis dicitur esse vel *turpitudo* vel *infirmitas* et utrumque horum *est defectus* alicuius *formae* aut *privatio* alicuius *ordinis.* Requiritur enim ad pulchritudinem et claritatem forma et commensuratio quae ad ordinem pertinet. Utrolibet autem privato, sequitur turpitudo. Nec tamen ita est malum in corpore quod omnino privetur forma et ordine, quia si totaliter tolleretur omnis forma et omnis ordo et per consequens totum id quod est in pulchritudine, nec *ipsum corpus* remanere posset et per consequens neque turpitudo corporis. Unde patet quod hoc quod dicitur turpe non est totaliter malum, nihil retinens de bono, *sed* est *bonum* minoratum a debita perfectione.

555. — Deinde, cum dicit [229]: *Quoniam autem...* excludit quamdam obiectionem: Posset enim aliquis dicere: Hoc corpus ex hoc ipso est malum quod *animae, malitiae causa est.* Sed hoc ipse excludit dicens, quod *causa malitiae animae* non *est corpus.* Remota enim causa per se, removetur effectus; remoto autem corpore, non *removetur* malitia in natura spirituali, ut patet *in daemonibus* qui sunt incorporei et tamen mali. Relinquitur ergo quod causa malitiae animae non sit corpus. Sed in peccato actuali, manifestum est quod malitia animae est ex libero arbitrio, in hoc quod male utitur corporalibus rebus; in peccato autem originali, hanc maculam attraxit ipsa infectio corporis, secundum quam inficit animam sibi unitam et primo ex anima primi parentis.

556. — Deinde, cum dicit [230]: *Hoc enim...* colligit universaliter quid sit malum in omnibus quae dicuntur mala; et dicit quod tam in *mentibus* daemonum, quam in *animabus,* quam etiam in *corporibus,* malum non est aliquid existens; sed infirme et debiliter habere propria bona quae eis conveniunt vel totaliter cadere ab habendo, hoc dicitur malum in singulis.

557. — Deinde, cum dicit [231]: *Sed neque multum...* ostendit quomodo materiae attribuitur malum; et primo, ostendit veritatem; secundo, excludit obiectionem; ibi [235]: *Si autem...*

558. — Circa primum, duo facit: primo proponit veritatem; secundo, probat eam; ibi [232]: *Etenim ipsa...*

559. — Circa primum, sciendum est quod apud multos antiquorum vulgariter dicebatur quod materia est secundum se mala et hoc ideo quia non distinguebant inter privationem et materiam; privatio autem est non-ens et malum. Unde, sicut Plato, dicebant materiam esse non-ens et ita quidem materiam esse secundum se malam. Sed Aristoteles in I Physic. [1]) dicit quod materia non est non-ens nec malum, nisi per accidens, idest ratione privationis quae ei accidit; et hoc est etiam quod hic Dionysius dicit quod *in materia* non *est malum, secundum quod est materia;* et hoc probat tribus rationibus;

560. — Quarum prima, sumitur per comparationem ad formam, quae talis est [232]: Materia potest dupliciter considerari: uno modo, ut sub forma existens et sic *habet participationem formae* quantum ad esse substantiale *et pulchritudinis* quantum ad commensurationem et decorem, ad quem operantur etiam accidentia intrinseca *et* etiam *ornatus* quantum ad exteriora quae ipsam circumstant.

Alio modo potest accipi materia prout intelligitur *secundum seipsam,* praeter praedicta, quasi carens *qualitate et* omni *forma.* Et si aliquis dicat quod materia sic accepta sit primum malum, hoc non potest esse: quia primum malum dicunt quod facit omnia mala. *Materia* autem *secundum seipsam existens sine qualitate et forma* non potest aliquid facere, quia principium agendi est forma per quam aliquid est actu; unumquodque autem agit secundum quod actu est. Similiter etiam *neque* potest per se *pati,* secundum quod pati est in abiiciendo aliquid a substantia, prout pati dicitur contrarium a contrario; sed secundum quod pati dicit recipere tantum, sic materiae convenit pati secundum seipsam; manifestum est ergo quod materia non est secundum seipsam mala tamquam primum malum.

561. — Secundam rationem ponit ibi [233]: *Et aliter; quomodo...* quae sumitur ex comparatione ad causam; quae talis est: Aut materia *nullo modo est* aut est. Si non est neque in aliquo loco neque per aliquem modum; quod autem non est, *neque bonum neque malum est.* Sequitur ergo quod materia *neque* sit *bonum neque* sit *malum.* Si vero materia sit, cum *omnia* existentia sint *ex bono,* sequitur quod materia sit *ex bono.* Quod autem est ex bono, non est secundum se malum; ergo materia non est secundum se malum.

562. — Ad hoc autem ostendendum, inducit divisionem quinque membrorum; circa causalitatem enim rerum oportet alterum istorum quinque dicere: quorum primum est quod *bonum* sit causa *mali,* permanentis mali; secundum membrum est quod *malum* ex hoc ipso quod procedit *ex bono,* sit *bonum;* tertium membrum est quod e converso *malum* sit *effectivum boni,* permanentis boni; quartum membrum est quod *bonum,* eo ipso quod procedit *ex malo,* sit *malum.* Et haec quatuor sunt impossibilia: quia dicere quod *bonum* sit *effectivum mali* vel

[1]) *Formula natura naturans usitata erat tempore S. Thomae, ut refert S. Bonaventura, quatenus natura aeterna seu increata quae est natura divina dicebatur naturans, dum natura creata consuevit dici natura naturata* (J. M. Ramírez cit. a P. Caramello - Summa Theologiae I-II, adnotationes q. 85, a. 6, pag. 617). *Naturans et naturata* ortum ducere videtur ex versione latina paraphraseos Averrois in II Physicorum; de quibus op. cit. conf. H. Siebeck *Ueber die Entstehung der Termini natura naturans und natura naturata,* apud Archiv für Gesch. der Philos. t. III, 1890 pag. 370 ss.; H. A. Luck, *Natura naturans - natura naturata* in *The New Scholasticism* 1935 pag. 1-24.

[2]) C. 7: 1032, a, 17-19; S. Th. lect. 6, n. 1386.

[1]) C. 9: 191, b, 35-192, a, 2; S. Th. lect. 15, n. 2.

malum boni, est ponere quod unum oppositorum sit causa alterius; dicere vero quod malum sit bonum, aut e converso, est dicere quod opposita sint simul. Quintum membrum est quod si sint *duo principia*, bonum et malum, sic oportet dicere quod ista duo, quae in se sunt distincta, procedant ab uno primo principio, quia ante omnem multitudinem est unitas. Illud autem primum principium oportet esse bonum vel malum et sic redibunt iterum quatuor prima inconvenientia. Si dicatur quod bonum sit aliquid et malum sit aliquid, oportet ergo dicere quod primum sit bonum; et omne quod est aliquid existens est bonum tamquam a bono principio causatum; et sic materia prima, si sit existens, est secundum se bona tamquam a bono causata.

563. — Tertiam rationem ponit ibi [234]: *Si autem necessariam...* quae sumitur ex utilitate materiae, et haec ratio habet quasi tria media, secundum tres utilitates materiae: quarum prima est quod materia est complementum universi; non enim esset universitas entium completa, si tolleretur ens in potentia. Et hoc medium tangit dicens quod si aliqui hoc concedant quod materia sit necessaria *ad completionem* totius *mundi, quomodo* potest esse quod *materia* sit secundum se *malum*? *Necessarium* enim est diversum a malo: ex hoc enim dicitur aliquid necessarium quod habet ordinem ad bona et ex ipso, habet rationem boni.

564. — Secunda utilitas materiae est respectu particularium entium quae ex materia generantur. Et hoc medium tangit dicens: *Quomodo bonus*, scilicet Deus *quaedam* entia *deducit ad generationem ex malo*? quod videtur inconveniens: sicut enim calidum non facit aliquid ex ipsa frigiditate, ita nec bonum facit aliquid ex ipso malo et tamen hoc sequeretur si materia esset secundum se mala. Aut iterum, *quomodo* potest esse *malum quod est necessarium* ad generationem boni? Hoc enim pertinet ad rationem mali, quod fugiat *naturam boni* et non inducat ad ipsam. Dicit autem *quaedam ad generationem* deduci ex materia, propter substantias immateriales quae non habent materiam.

565. — Tertia utilitas materiae est quod nutrit sustentando formam, unde Plato comparavit materiam nutrici. Et hoc tangit cum dicit: *quomodo materia*, cum sit *mala* secundum seipsam, potest gignere et nutrire *naturam* rei generatae, suscipiendo et retinendo formam eius? *Malum* enim, inquantum huiusmodi, non est *generativum aut nutritivum* alicuius *aut*, ut universalius loquamur, non est *effectivum aut salvativum* alicuius. *Effectivum* enim continet sub se *generativum* sicut minus commune et similiter *salvativum* continet sub se *nutritivum*. Efficere autem et salvare pertinet ad rationem boni, unde non possunt convenire malo, inquantum huiusmodi.

566. — Deinde, cum dicit [235]: *Si autem dicant...* removet quamdam obiectionem: Dixerat enim supra [555] quod corpus non potest dici malum quasi sit causa malitiae ipsius animae. Posset autem aliquis dicere quod licet corpus *non* faciat *malitiam in animabus*, tamen materia corporalis attrahit animas ad malitiam, alliciendo eas. Sed ipse dicit *hoc* non esse *verum*. Si enim materia esset causa attrahens animas ad malitiam, sequeretur quod hoc ex necessitate faceret: posita enim causa, ex necessitate sequitur effectus, nisi aliquis impediat. Sed hoc videmus esse falsum: *multae enim* animarum respiciunt *ad bonum*, quod non posset esse si *materia* totaliter attraheret eas *ad malum*. Unde manifestum est quod *malum in animabus non est ex materia, sed ex inordinato* motu liberi arbitrii; qui est ipsum peccatum.

567. — Si autem aliquis hoc ipsum imputet materiae corporali, inquantum exterius existens allicit aliquo modo et coniuncta animae inclinat, licet non ex necessitate, non propter hoc removetur quin materia sit secundum se bona; quia aliquid potest esse occasio mali alicuius, quod tamen secundum se est bonum.

568. — Hoc est ergo quod dicit, quod *si* aliqui *hoc* ipsum *dicunt* esse ex materia quod anima movetur ad malum, oportet nihilominus dicere quod *materia*, licet sit *instabilis*, tamen *omnino consequens* est, idest consequentiam et ordinem habens in universo et *necessaria* est formis, quae non possent in seipsis firmari. *Quomodo* autem *malum* potest esse *necessarium aut* id quod *necessarium* est potest esse secundum se *malum*? Et notandum quod signanter dicitur *instabilis materia*, quia inclinari ad materiam, intantum videtur esse malum, inquantum, deserto incommutabili bono, adhaeret commutabilibus bonis. Principium autem mutabilitatis est materia, inquantum est in potentia ad diversa. Nec tamen hoc ipsum quod est in potentia ad diversa, ostendit eam malam; quinimmo per hoc ipsum habet ordinem ad diversa bona, idest ad diversas formas, quae in ipsa firmantur.

569. — Deinde, cum dicit [236]: *Sed neque hoc...* ostendit quomodo se habeat privatio ad rationem mali; et dicit quod nec ipsa privatio *adversatur bono*, agendo contra ipsum *secundum propriam virtutem*, sed secundum virtutem boni: *quia*, si sit *perfecta privatio*, idest quae totum removeat omnino, excludet omnem potentiam et ita erit non potens ad agendum contra bonum. Si autem sit *particularis* privatio, excludens unam formam et non aliam, *habet virtutem* agendi *non* ex *hoc quod est privatio, sed* ex *hoc quod non est perfecta privatio*, idest ex forma coniuncta, qua non privatur. Sed si bonum particulariter privetur, *nondum est* totaliter *malum*, et si [recedat privatio particularis vel quia non sit aliquid privatum vel quia sit totaliter ablatum, sequitur quod *natura mali* pereat.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 227: « alii enim aliquid est... » (*edit*); corr. « alii enim *aliud* (ἄλλο) est praeter naturam ».

* ad n. 233: « Si autem existens »; « Si autem aliquo modo (πως) ens »...

* : « omnia ex bono sunt et ipsa ex bono fit »; « ... omnia ex *ipso* Bono et ipsa ex Bono *erit* ».

* : « ab alio uno vertice segregata »; ... « *suspensa* » (ἐξημμέναι).

* ad n. 234: « aut quomodo est malum quod est necessarium bono? »; ... id quod bono *indiget* (τοῦ ἀγαθοῦ δεόμενον).

* ad n. 236: « et recedente » - καὶ γενομένης, technice verti deberet: « in facto esse » (cfr. pag. 179): « *et si facta sit*, natura etiam mali abiit » (Perionius).

2ª DE CORPORIS DOCTRINA THEOLOGICA (228).

Aliud fragmentum S. Basilii ex libro *adversus Manichaeos* referre libet iuxta textum a S. Augustino in libro *Contra Iulianum Pelagianum* (I, n. 17) traditum, saltem ut catholicae fidei pulcherrima doctrina clarius elucescat.

« Si castitas virtus est, corpus vero substantialiter malum esset, impossibile erat castum corpus inveniri quia *corpus turpitudinis*, virtutis non fieret corpus; cum autem sanctificatur, virtutis efficitur et ita communicat virtus corpori corpusque virtuti per quam et templum efficitur Dei.

« Unde si omne corpus fornicationis esset, impossibile utique erat castitatem in corporibus inveniri; tumque demum naturae corporum possemus malum substantiale deputare.

« Si vero usque eo corporis merita processerunt, tantoque honore decoratum est ac tale indumentum pudicitiae suscepit ut domus sui Factoris esse mereretur ac fieret thalamus Filii Dei, ut venientes Pater et Filius habitationem corporum eligere dignarentur, quomodo non exsecrabilis et ridendus Manichaei sermo convincitur? ».

Quae verba a Iuliano prave intellecta Augustinus expendens, scribit: « Quid potuit dici verius et catholicae regulae congruentius? ».

3ª QUOAD « PARALLELIA »:

Dionysius - 226:
« Sed neque in *tota natura* malum.
Si enim *omnes naturales rationes sunt ab universali natura*, nihil est ipsi contrarium ».

Proclus - 71:
« *Omnis* quidem itaque *naturam*... neque dicimus neque aestimamus a sui ipsius habitu exire aliquando ».

id. 227: « Particulari autem *hoc quidem secundum naturam, illud autem non secundum naturam: alii enim aliud est praeter naturam* et hoc huic secundum naturam, illi autem praeter naturam ».

id. 227:
« Quare non est mala natura, sed hoc est naturae malum: *impotentem esse ea quae sunt propriae naturae perficere* ».

id. 72:
« Toti quidem enim naturae praeter naturam nihil, *omnes enim rationes ab ipsa*, ei autem quae per singula, *hoc quidem secundum naturam erit, hoc autem non secundum naturam, alii enim aliud praeter naturam* ».

id. 75:
« Si autem alius quidem huius finis et quae secundum naturam via, aliud autem quod praeter hoc et *naturae impedimentum*... quid utique aliud dicemus quam hanc esse naturae malitiam? ».

Quaedam coincidentia metaphysicorum principiorum, quae ex communibus notionibus manant, sufficiatne ad aliquid determinandum circa unius ab altero dependentiam non omnes forsan agnoscunt (cfr. *En.* III, 3, 1).

Dionysius - 228:
« *Turpitudo* enim et *infirmitas* est defectus formae et privatio ordinis; hoc autem non omnino malum, sed minus bonum.
« Si enim perfecta fiat solutio pulchritudinis et formae et ordinis, peribit et ipsum corpus ».

Proclus - 76:
« Corporum autem malitiam ponendum, si quae super ipsis species non sit invincibilis a deteriore: *et enim turpitudo quae corporalis est victa ratione et aegritudo ordine soluto* ».

Citatur Plotinus (*En.* I, 8, 5): « Fortasse vero morbum dicent esse defectum aut excessum in corporibus compositis ex materia, ordinem et mensuram non sustinentibus; deformitatem vero esse materiam forma minime superatam » (Ficinus). Forsan nec necesse est Dionysium vel Proclo vel Plotino adhaerentem ponere cum de communibus exemplis agatur et de doctrina communi circa sensum et valorem privationis et habitus, ut supra manifestatur (pag. 179).

Dionysius - 231:
« Sed neque multum vulgatum in materia est malum, *sicut dicunt*, secundum quod est materia ».

Proclus - 81:
« Si autem est totaliter malum, *sicut aiunt* quidam, secundum substantiam est malum quod et dicunt illi... ».

Proclus quaerit an malum sit in materia (80-96) et primo ponit argumenta eorum qui ipsum malum materiam affirmant (81-83), maxime Plotini (*En.* I, 8, 3. 7); deinde « *ad altera transeundum* » et positionem doctrinalem describit quae praecedentem affirmationem negat (84-87); tandem: « videbitur autem utique

et ipse Plato *velut trahi ad ambas rationes* » sententiam ponit (88-96).

Quando statum quaestionis describit, dialectice ludit sua promens vel historice agit aliorum praecedentium sententiam proferens? Pro parte materiam ipsum malum affirmante Plotinum certe habemus. Iamblichus quemdam dualismum ponit (cfr. pag. 185), at subiungit: « malum et turpe tale ponere forsan conveniens non est » (*de Com. Math. Scientia* IV; edit. Festa, pag. 15; cfr. pag. 16). Inde in *de Mysteriis* V, 23, pulchra suo modo docet de bonitate materiae quae est « pulchra et divina » *ut formas sensibiles religiosi cultus vindicet.*

Dionysius - 233:
« Si autem aliquo modo ens, omnia autem entia ex ipso Bono et ipsa [*materia*] ex Bono erit. Et *aut Bonum mali est effectivum ... aut duo rursus principia* et ipsa ab alio *uno vertice* suspensa ».

Proclus - 84:
« Sed si malum materia, iterum enim ad altera transeundum, necesse *alterum duorum aut bonum mali causam facere aut duo entium principia* ... sed impossibile: neque enim duo prima ... *oportet ante ambo esse τὸ unum* ».

Recolantur quae supra dicta sunt (205; pag. 185) et notandum in dominio rationis humanae effectum sanativum doctrinae christianae de creatione. Cetera quae utrobique inveniuntur diversimode iudicantur: ibi « Dionysius dat argumentum » von seiner *dialektischen Routine* ». Proclus e contra perspicue sua argumenta enucleat.

Dionysius - 234:
« Si autem necessarium *dicunt* materiam ad complementionem omnis mundi quomodo materia est malum? *Aliud enim est malum et aliud necessarium.*

Quomodo autem *Bonus* ex malo deducit quaedam ad generationem?
Aut quomodo est malum id quod bono indiget? Fugit enim boni naturam, malum ».
« Quomodo autem *gignit* et *nutrit* naturam, materia existens mala? Etenim malum, secundum quod malum est, nullius generativum aut nutritivum aut totaliter effectivum aut salvativum ».

Proclus - 85 a:
« Si autem et necessarium materia ad omne et non utique esset mundus omnimode magnus iste et felix deus, materia absente, quomodo adhuc mali naturam ad hanc reducendam? *Aliud enim τὸ malum et τὸ necessarium aliud* ... ».
Id. 85 c: ... « *Quomodo autem adhuc malum bono indigens? Fugit enim boni naturam, malum* »

Id. 85 b: « Si igitur et ad condituram simul omnis mundi sui ipsius exhibet opportunitatem et producta est primitus susceptaculum generationis futura et velut *nutrix* et *mater*, quomodo utique adhuc dicitur malum? ».

Notatu dignum videtur illud « dicunt »; simul haud difficile alterum critices musivum opus signare. Sunt tamen res parvi momenti. Citatur Plotinus (*En.* III, 6, 19) acriter metaphoras Platonis (in *Timaeo* XVIII; 50 D, susceptaculum assimilatur *matri*) et Aristotelis (in *Physic.* I, 9, 3: 192, a, 22-23, materia tamquam femina appetens masculum; cfr. *En.* II, 4, 16), cribrans et teletas quasdam philosophice manifestans:... « Quam ob rem, nomen eius maxime proprium est *susceptaculum atque nutrix*. At vero quanam ratione *mater* etiam est appellata? Nihil enim haec generat... Sola enim species est fecunda, natura vero altera sterilis. Hinc prisci, ut arbitror, sapientes, in sacris mysteriis id suboscure significantes, antiquum Mercurium introducunt instrumentum generationis ad operis effectum semper habentem... Introducunt enim " Matrem omnium "... imponentesque nomen eiusmodi... ut quod volunt planius indicent scilicet materiam non esse matris omnino persimilem... His, inquam, id procul quidem pro viribus tamen demonstraverunt sterilem esse materiam neque omnino *feminam* esse, sed ea ratione feminam qua proprie *suscipit*, quantum vero spectat *ad generandum* nullo modo... ».

Mythicam descriptionem et teletas quas hic Plotinus tangit, quodam religioso furore percitus Iulianus imperator philosophice simul et mysterice enucleat in altero hymno quem in laudem « Matris deorum » composuit (*Orat.* V; edit. Hertlein I, pag. 206 ss.). In fine orat « Matrem deorum atque hominum » ut *omnibus hominibus beatitudinem tribuat.*

Tunc temporis, quaestio metaphysica maximas insidias vitae humanae simul et christianae nectebat, inde necessitas sanam doctrinam vindicandi, non quidem per lusum dialecticum, sed viriliter in metaphysicali fortitudine veritatem firmando. Quid postea evenerit peritiores patefacient, nisi eis sufficiat quod habent.

Dionysius - 235 a:
« Si autem *dicant* ipsam [materiam] non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas, quomodo erit hoc verum? Multae enim ipsarum *ad bonum adspiciunt* ... Quare, *non ex materia in animabus malum, sed ex inordinato et peccante motu* ».

Dionysius - 235 b:
« Si autem *et hoc dicunt* materiae esse omnino consequens et *necessaria est instabilis materia his quae in seipsis collocari non possunt*, quomodo malum est necessarium aut necessarium malum? ».

Proclus - 87:
« Verum autem et adducit ad se ipsam materia animas aut a se ipsis illae ducuntur et separatae fiunt potentia et impotentia sui ipsarum: si quidem itaque a seipsis ducuntur *hoc erat ipsis malum qui ad deterius impetus et appetitus sed non materia* ... Aut qualiter earum quae in materia generatarum animarum, hae quidem *ad Intellectum adspiciunt et Bonum?* ».

Proclus - 93:
... « necessarium utique ad generatione ipsam [scil. materiam] et non malum dicendum et factum esse divinitus tamquam necessarium et *esse necessarium speciebus in seipsis firmari non potentibus* ».

Bis in textu Dionysii opinio alicuius introducitur: prima vice, ut patet ex textu Procli, agitur de quadam praecedenti affirmatione; altera autem vice Proclus ipse sententiam suam promit (88-96).

Interrogatio finalis supponit praecedentem distinctionem (234, 85a; cfr. supra) secundum doctrinam « alteram ». « Medium » argumentationis utrobique *idem* videtur. Estne Procli proprium? Et si ita est ipsius ut alterius esse non possit, quid sibi vult illud: « *et* hoc dicunt »? Quis valorem huius patefaciet? Modeste quaero, non diffidenter iudico.

Dionysius - 236:
« Privatione enim boni particulari existente, nondum est malum; et in facto esse, natura etiam mali abiit ».

Proclus - 98:
« ... inordinatione quidem praesente sed non omni, omnis enim ordinis privatio simul subiectumque perimit et quod in ipso malum ».

Proclus primo (97) ponit opinionem de privatione « malefica » (cfr. Aristot., *Physic.* I, 9, 2: 192, a, 15; Plotin., *En.* I, 8, 12); deinde doctrinam tradit (98-99). Sed de hac quaestione satis videtur quod supra notatum est (pag. 179).

LECTIO XXII (32ª)

Solvuntur quaedam quaestiones secundariae et primo utrum malum causetur ex bono aut ex aliqua alia causa.

SYNOPSIS

(Lect. XXII; cap. IV; textus nn. 237-247; expositio nn. **570-592**).

Prosequitur alias quaestiones adiunctas principalibus quaestionibus:
A) utrum malum causetur ex bono aut ex aliqua alia causa:
- 1° - praemittit quasdam considerationes de causa mali:
  - a) prima (237; **572**);
  - b) secunda (238; **573**);
  - c) tertia (239; **574**);
- 2° - manifestat eas:
  - a) manifestat primam tribus rationibus:
    - j° - prima (240; **576**);
    - ij° - secunda (241; **577-578**);
    - iij° - tertia (242; **579**);
  - b) manifestat secundam considerationem:
    - j° - ostendit quod bonum sit principium mali (243; **581-582**);
    - ij° - ostendit per quem modum:
      - α) ostendit propositum (244; **584-586**);
      - β) infert conclusionem (245; **587-590**);
  - c) manifestat tertiam considerationem:
    - j° - prima ratio (246; **591**);
    - ij° - secunda ratio (247; **592**);

B) quomodo Providentia compatitur malum (248, **593**; lectio 23ª);
C) quomodo aliquid existentium desiderat malum (ib. 251).

TEXTUS DIONYSII

§ 30. 237. — « Est autem colligentem dicere: Bonum ex una et tota est causa; malum autem ex multis et particularibus defectibus.

§ 30. 237. — Συνελόντι δὲ φάναι τὸ ἀγαθὸν ἐκ τῆς μιᾶς καὶ ὅλης αἰτίας· τὸ δὲ κακὸν ἐκ πολλῶν καὶ μερικῶν ἐλλείψεων.

238. — Vidit Deus malum ut bonum et apud ipsum causae malorum virtutes sunt bonum facientes.

238. — Οἶδεν ὁ θεὸς τὸ κακὸν ἢ ἀγαθὸν καὶ παρ' αὐτῷ αἱ αἰτίαι τῶν κακῶν δυνάμεις εἰσὶν ἀγαθοποιοί.

239. — Si autem malum aeternum est et creat et potest et est et facit, unde ipsi hoc? Aut ex bono aut bono ex malo aut ambobus ex alia causa.

239. — Εἰ δὲ τὸ κακὸν ἀΐδιον καὶ δημιουργεῖ καὶ δύναται καὶ ἔστι καὶ δρᾷ πόθεν αὐτῷ ταῦτα; ἢ [732 A] ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ; ἢ τῷ ἀγαθῷ ἐκ τοῦ κακοῦ; ἢ ἀμφοῖν ἐξ ἄλλης αἰτίας;

240. — Omne quod est secundum naturam ex causa determinata generatur. Sed * malum est sine causa et indiffinitum non est secundum naturam: neque enim est in natura, quod contra naturam; neque inartificii est in arte ratio *.

*240. — Πᾶν τὸ κατὰ φύσιν ἐξ αἰτίας ὡρισμένης γεννᾶται· εἰ δὲ * τὸ κακὸν ἀναίτιον καὶ ἀόριστον οὐ κατὰ φύσιν· οὐδὲ γὰρ ἐν τῇ φύσει τὸ παρὰ φύσιν, οὐδὲ ἀτεχνίας ἐν τῇ τέχνῃ λόγος *.*

241. — Utrum anima malorum est causa quemadmodum ignis calefaciendi, et omnia quibus appropinquat, malitia implet?

241. — Ἆρα ἡ ψυχὴ τῶν κακῶν αἰτία, καθάπερ τὸ πῦρ τὸ θερμαίνειν καὶ πάντα οἷς ἂν γειτνιάσῃ κακίας ἀναπίμπλησιν;

Bona quidem est animae natura; operationibus autem aliquando quidem habet ita, aliquando autem non * ita.

Si natura quidem et esse ipsius est malum et unde ipsi est esse nisi ex creativa totorum bona causa? Sed si ex ista quomodo secundum substantiam est malum? Bona enim cuncta sunt ex hac genita.

Si autem operationibus, neque hoc est intransmutabile. Alioquin unde sunt virtutes et * boniformiter ipsa facta?

Relinquitur igitur malum infirmitatem et defectum boni esse.

§ 31. 242. — Bonorum causa est una. Si bono malum est contrarium mali causae sunt multae. Non quidem quae efficiunt mala sunt rationes et virtutes, sed impotentia et infirmitas et mixtio dissimilium, non commensurabilis.

Neque immobilia sunt et semper eodem modo habentia mala, sed infinita et interminata et in aliis * portata et istis infinitis.

243. — Omnium et malorum principium et finis erit bonum: etenim boni gratia sunt omnia, quaecumque * bona et quaecumque contraria. Etenim ista * facimus, bonum desiderantes; nullus enim ad malum respiciens facit quae facit; propter quod neque subsistentiam habet malum, sed privationem substantiae *, boni gratia et non sui ipsius factum.

§ 32. 244. — Malo, esse ponendum est secundum accidens et propter aliud et non ex principio proprio. Quare quod fit, rectum quidem esse apparere, quoniam boni gratia fit; revera autem non rectum esse, idcirco quod non bonum, bonum opinamur *. Demonstratum est aliud esse desideratum et aliud factum. Igitur malum est praeter viam et praeter intentionem et praeter naturam et praeter causam et praeter principium et praeter finem et praeter diffinitionem et praeter voluntatem, et praeter substantiam.

245. — Igitur, privatio est malum et defectus et infirmitas et incommensuratio et peccatum et sine intentione et sine pulchritudine et sine vita et sine mente et sine ratione et imperfectum et non collocatum et sine causa et indefinitum et sine germine et vacuum et non operans et inordinatum et dissimile et infinitum et obscurum et sine substantia et ipsum nullo modo usquam nihil existens.

246. — Sicut totaliter potest aliquid malum ad bonum mixtione *: quod enim omnino boni expers neque est aliquid neque potest.

Etenim si bonum et existens est et voluntate appetitum * et potens, et activum; quomodo poterit aliquid, quod est bono * contrarium, quod est substantia et voluntate et * operatione privatum?

*ἡ ἀγαθὴ μὲν ἡ τῆς ψυχῆς φύσις, ταῖς δὲ ἐνεργείαις ποτὲ μὲν οὕτως ἔχει ποτὲ δὲ οὕτως *;*

Εἰ μὲν φύσει καὶ τὸ εἶναι αὐτῆς κακόν, καὶ πόθεν αὐτῇ τὸ εἶναι; ἢ ἐκ τῆς δημιουργικῆς τῶν ὅλων ὄντων ἀγαθῆς αἰτίας; ἀλλ' εἰ ἐκ ταύτης, πῶς κατ'οὐσίαν κακόν; ἀγαθὰ γὰρ πάντα ταύτης ἔκγονα.

*Εἰ δὲ ταῖς ἐνεργείαις, οὐδὲ τοῦτο ἀμετάβλητον· εἰ δὲ μή, πόθεν αἱ ἀρεταί, μὴ * καὶ ἀγαθοειδοῦς αὐτῆς γινομένης;*

Λείπεται ἄρα τὸ κακὸν [B] *ἀσθένεια καὶ ἔλλειψις τοῦ ἀγαθοῦ εἶναι.*

§ 31. 242. — Τῶν ἀγαθῶν τὸ αἴτιον ἕν. Εἰ τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν ἐναντίον, τοῦ κακοῦ τὰ αἴτια πολλά, οὐ μὲν τὰ ποιητικὰ τῶν κακῶν λόγοι καὶ δυνάμεις, ἀλλ' ἀδυναμία καὶ ἀσθένεια καὶ μίξις τῶν ἀνομοίων ἀσύμμετρος.

*Οὔτε ἀκίνητα καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα τὰ κακά, ἀλλ'ἄπειρα καὶ ἀόριστα καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλως * φερόμενα καὶ τούτοις ἀπείροις.*

*243. — Πάντων καὶ τῶν κακῶν ἀρχὴ καὶ τέλος ἔσται τὸ ἀγαθόν· τοῦ γὰρ ἀγαθοῦ ἕνεκα πάντα καὶ * ὅσα ἀγαθὰ καὶ ὅσα ἐναντία· καὶ γὰρ καὶ * ταῦτα πράττομεν τὸ ἀγαθὸν ποθοῦντες — οὐδεὶς γὰρ εἰς τὸ κακὸν ἀποβλέπων ποιεῖ ἃ ποιεῖ — διὸ οὔτε ὑπόστασιν ἔχει τὸ κακόν, ἀλλὰ παρυπόστασιν *, τοῦ* [C] *ἀγαθοῦ ἕνεκα καὶ οὐχ ἑαυτοῦ γινόμενον.*

*§ 32. 244. — Τῷ κακῷ τὸ εἶναι θετέον κατὰ συμβεβηκὸς καὶ δι' ἄλλο καὶ οὐκ ἐξ ἀρχῆς οἰκείας· ὥστε τὸ γιγνόμενον ὀρθὸν μὲν εἶναι δοκεῖν ὅτι τοῦ ἀγαθοῦ ἕνεκα γίνεται, τῷ ὄντι δὲ οὐκ ὀρθὸν εἶναι διότι τὸ μὴ ἀγαθὸν ἀγαθὸν οἰόμεθα *. Δέδεικται ἄλλο τὸ ἐφετὸν καὶ ἄλλο τὸ γινόμενον. Οὐκοῦν τὸ κακὸν παρὰ τὴν ὁδὸν καὶ παρὰ τὸν σκοπὸν καὶ παρὰ τὴν φύσιν καὶ παρὰ τὴν αἰτίαν καὶ παρὰ τὴν ἀρχὴν καὶ παρὰ τὸ τέλος καὶ παρὰ τὸν ὅρον καὶ παρὰ τὴν βούλησιν καὶ παρὰ τὴν ὑπόστασιν.*

245. — Στέρησις ἄρα ἐστὶ τὸ κακὸν καὶ ἔλλειψις καὶ ἀσθένεια καὶ ἀσυμμε[D]*τρία καὶ ἁμαρτία, καὶ ἄσκοπον καὶ ἀκαλλὲς καὶ ἄζωον καὶ ἄνουν καὶ ἄλογον καὶ ἀτελὲς καὶ ἀνίδρυτον καὶ ἀναίτιον καὶ ἀόριστον καὶ ἄγονον καὶ ἀργὸν καὶ ἀδρανὲς καὶ ἄτακτον καὶ ἀνόμοιον καὶ ἄπειρον καὶ σκοτεινὸν καὶ ἀνούσιον καὶ αὐτὸ μηδαμῶς μηδαμῇ μηδὲν ὄν.*

*246. — Πῶς ὅλως δύναταί τι τὸ κακὸν τῇ πρὸς τὸ ἀγαθὸν μίξει *; τὸ γὰρ πάντῃ τοῦ ἀγαθοῦ ἄμοιρον* [733 A] *οὔτε ἔστί τι οὔτε δύναται.*

*Καὶ γὰρ εἰ τὸ ἀγαθὸν καὶ ὂν ἔστι καὶ βουλητὸν καὶ ἐνδύναμον καὶ δραστήριον, πῶς δυνήσεταί τι τὸ ἐναντίον τἀγαθῷ *, τὸ οὐσίας καὶ βουλήσεως καὶ δυνάμεως * καὶ ἐνεργείας ἐστερημένον;*

247. — Non omnia omnibus et omnino eadem secundum idem mala.

Daemoni est malum praeter boniformem intellectum esse; animae praeter rationem; corporis praeter naturam ».

247. — Οὐ πάντα πᾶσι καὶ πάντῃ τὰ αὐτὰ κατὰ τὸ αὐτὸ κακά.

Δαίμονι κακὸν τὸ παρὰ τὸν ἀγαθοειδῆ νοῦν εἶναι· ψυχῇ τὸ παρὰ λόγον, σώματι τὸ παρὰ φύσιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

570. — Pertractatis principalibus quaestionibus quas supra moverat de malo, scilicet an malum sit aliquid [*lect.* 14ª]; et unde sit malum [*lect.* 15ª-16ª]; et in quibus sit malum [*lect.* 17ª-21ª], hic prosequitur alias quaestiones adiunctas; et primo, illam qua quaerebatur: utrum malum causaretur ex bono aut ex aliqua alia causa; secundo, qua quaerebatur: quomodo Providentia compatitur malum; ibi [248]: *Quomodo...*; tertio, quaestionem quae quaerebatur: quomodo aliquid existentium desiderat malum; ibi [251]: *Non igitur...*

571. — Circa primum, duo facit: primo, praemittit quasdam considerationes de causa mali per quas solvitur praedicta quaestio; secundo manifestat eas; ibi [240]: *Omne...*

572. — Ponit ergo primo tres considerationes: quarum prima est [237] quod ex omnibus colligi potest quod *bonum* procedit *ex una et* perfecta *causa, malum autem* procedit *ex multis particularibus defectibus.* Et hoc apparet tam in naturalibus, quam in moralibus. Sanitas enim et pulchritudo causantur per hoc quod corpus, quantum ad omnes partes, est bene proportionatum, sed ad hoc quod sit turpitudo vel aegritudo, sufficit quod desit debita proportio in quacumque parte. Et ideo multipliciter contingit esse aegrum et turpe, sed uno modo esse sanum et pulchrum. Similiter, ad actum requiritur quod sit commensuratus secundum omnes debitas circumstantias, quarum quaecumque tollatur, efficitur actus vitiosus. Et ideo Philosophus dicit in II Ethic. [1]) quod bonum contingit uno modo, malum vero multipliciter.

573. — Deinde, cum dicit [238]: *Vidit Deus...* ponit secundam considerationem quae talis est: Quidquid est in mundo, sive bonum sive malum, sic est visum a Deo; omne autem visum, inquantum est visum, est in vidente; et quia Deo convenit nobilissimus modus videndi, qui est videre aliquid per causam, manifestum est quod in Deo, qui videt bona et mala, sunt causae et bonorum et malorum. Sed *causae malorum*, quae *apud* Deum sunt, *sunt* ipsae *virtutes* quae faciunt *bonum*: eadem enim virtus est quae facit bonum, inquantum est perfecta et quae facit malum, inquantum est deficiens: sicut patet de libero arbitrio, quod est causa boni et mali et, universaliter, omne quod est causa mali est etiam causa alicuius boni.

574. — Deinde, cum dicit [239]: *Si autem...* ponit tertiam considerationem, quae est contra hoc quod malum non sit primum principium: quia *si malum* sit ab aeterno non causatum, sed potius alia causans et habeat potestatem aliqua faciendi et habeat existentiam et habeat causalitatem, dum aliqua facit, quaerendum remanet *unde hoc* habeat: quandocumque enim aliquod unum convenit multis, oportet quod illius unius sit una aliqua causa: non est enim causa multiplicior quam effectus, ut scilicet effectus sit unus et causae sint multae. Si igitur aeternitas et creatio et potentia et esse et facere communiter conveniant bono et malo, oportet quod hoc procedat ab una causa. *Aut* igitur malum hoc habet a *bono aut* bonum a *malo aut* ambo *ex* aliqua *causa* priori; et quid horum verius sit, posterius ostendetur [246; **591**].

575. — Deinde, cum dicit [240]: *Omne quod est secundum naturam...* manifestat tres praemissas considerationes; et primo primam; secundo, secundam; ibi [243]: *Omnium...*; tertio, tertium; ibi [246]: *Sicut totaliter...*

576. — Primam considerationem, scilicet: quod malum non sit ex aliqua causa determinata, probat tribus rationibus, quarum prima talis est [240]: Videmus enim quod omne quod habet causam determinatam aut est a natura aut est ab arte: *omne* enim *quod est secundum naturam generatur ex* aliqua *causa determinata;* et similiter quod est secundum artem. *Sed malum non est secundum naturam* neque secundum artem: quia omne quod est secundum naturam est aliquo modo *in natura*, sicut effectus sunt in suis causis; neque est secundum artem: quia omne quod est secundum artem habet

[1]) C. 5: 1106, b, 35; S. Th. lect. 7, n. 320.

aliquam rationem *in arte*. Malum autem in rebus naturalibus est *contra naturam* esse et in rebus artificialibus malum est etiam inartificiatum esse. Non autem potest dici quod id quod est *contra naturam* sit *in natura neque* quod *ratio* eius quod est inartificiatum, sit *in arte*. Et ita malum non est a natura neque ab arte. Ex quo sequitur quod *malum* sit *sine causa* et indeterminatum, sicut non proveniens ex aliqua determinata causa.

577. — Secundam autem rationem ponit ibi [241]: *Utrum...* Maxime enim videtur quod anima per liberum arbitrium sit causa mali. Unde si anima non sit per se causa mali, videtur quod nihil aliud sit per se causa mali. Quaerit ergo *utrum anima* sit per se *causa malorum* ita quod *omnia* quibus adiungitur impleat *malitia*, sicut *ignis omnia quibus appropinquat* calefacit, quia est per se causa calefaciendi.

578. — Et ad huius quaestionis solutionem, proponit duo: quorum primum est quod *natura animae est bona;* secundum est quod anima secundum suas operationes *aliquando* est bona, *aliquando* mala. Primum horum sic probat: Si enim detur quod *natura* animae sit mala, *et esse* eius *malum*, hoc videtur impossibile, quia anima non habet suum *esse nisi ex causa creativa* omnium quam oportet esse bonum; quia producere bonum pertinet ad rationem boni. Quaecumque autem sunt creata *ex bona causa, sunt bona*. Nullo modo igitur potest esse quod anima, *secundum* suam *substantiam* et naturam, sit mala. *Si autem* detur secundum membrum, scilicet quod anima sit mala propter suam operationem, *hoc* non *est* quasi operatio mala ex necessitate et intransmutabiliter ab anima per se sit causa malae operationis: non enim possent in anima esse *virtutes* et virtuosi actus, nisi ipsa bono conformaretur. Sic igitur anima non est per se causa mali determinata. Unde *relinquitur* quod *malum* sit magis ex quadam debilitate causae et defectu boni.

579. — Tertiam rationem ponit ibi [242]: *Bonorum causa...* quae talis est: *Causa bonorum est una*; sed sicut *bono malum est* oppositum, ita et uni multitudo: ergo *causae mali sunt multae* et indeterminatae. *Non quidem* quod mala efficiantur per aliquas *rationes et virtutes* (et dicit *rationes* quantum ad ea quae fiunt per artem, et *virtutes*, quantum ad ea quae fiunt per naturam), sed causa malorum est totalis defectus, ratione qua dicitur *impotentia* vel debilitas potentiae quae dicitur *infirmitas* vel etiam hoc quod aliquid dissimile adiungitur alteri absque debita commensuratione; sicut si calidum adiungitur frigido absque debita commensuratione, sequitur aegritudo. Quod autem aliqua immobiliter et eodem modo perseverent, contingit ex fortitudine causae imprimentis et conservantis. Quia igitur mala proveniunt ex subtractione potentiae et debilitate ipsius, sequitur quod non sint *immobilia neque semper eodem modo* se *habentia*, sed quod habeant infinitas varietates et quod sint indeterminata; quia quod ex debilitate causae provenit, aliquando accidit sic aliquando aliter, propter hoc quod causa debilis non potest conservare eumdem ordinem in causando. Et quia sunt quaedam debilitates, oportet quod portentur *in aliis*, idest sustententur sicut privationes in subiectis et quod habeant subiecta determinata sicut habent causas determinatas.

580. — Deinde, cum dicit [243]: *Omnium et malorum...* manifestat secundam considerationem, scilicet quod causae malorum sint virtutes bonum facientes; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quod bonum sit principium mali; secundo, ostendit per quem modum; ibi [244]: *Malo esse ponendum...*

581. — Quod autem *bonum* sit *principium mali* sic ostendit: Semper finis respondet principio activo; ad hoc enim operatur unumquodque quod est conveniens suae naturae, sicut ignis agit ad generationem ignis. Sed *finis omnium malorum* est *bonum* num. Ergo et *principium omnium malorum est bonum*. Quod autem finis malorum sit bonum, sic probat: Illud enim finis alicuius est propter quod illud fit; sed quodcumque facit aliquid sive bonum sive malum facit illud propter bonum et hoc manifestat in his quae faciunt mala de quibus minus videtur; non enim *facimus* mala, nisi ex desiderio alicuius boni; *nullus enim facit* ea *quae facit, respiciens* per intentionem *ad malum:* sicut ille qui committit adulterium non allicitur ex inordinatione propter quam adulterium est malum, sed ex delectatione quae est aliquod bonum. Ergo *finis malorum* est *bonum;* et ita sequitur quod *bonum* sit etiam *malorum principium*. Omne autem quod habet aliquam substantiam habet principium et finem suae substantiae convenientem: quod non potest dici de malo, ut ostensum est. Ergo relinquitur quod *malum* non habeat substantiam, *sed* quod sit privatio *substantiae*, cum sit factum *boni gratia et non* gratia *sui ipsius*, sicut ostensum est.

582. — Sed si ille qui facit malum intendit ad bonum, ut hic dicit, videtur quod non peccet, quia peccatum praecipue ex intentione dependet. Sed dicendum est quod si aliud malum coniunctum bono esset ignoratum, utpote adiunctum ei, raro et in paucioribus intentio quae fertur in bonum esset mala. Sed quando malum adiunctum non latet, utpote semper adiunctum huic bono in quod intentio fertur, aliquo etiam modo fertur in malum, licet non principaliter. Ex quo enim non recusat illud bonum propter malum adiunctum, sequitur quod magis velit illud malum quam carere bono et quod minus velit maius bonum, quo privatur per illud malum, quam minus bonum cui adiungitur malum.

583. — Deinde, cum dicit [244]: *Malo esse ponendum...* ostendit qualiter bonum sit principium mali; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit propositum; secundo, infert conclusionem ex dictis; ibi [245]: *Igitur privatio...*

584. — Quia ergo supra ostenderat quod bonum est principium mali [581], ne aliquis crederet quod sit per se principium eius, ad hoc excludendum dicit quod *malo* assignandum *est esse* per *accidens et propter aliud et non* quasi *ex proprio* et per se *principio;* quod sic probat: Quandocumque est *aliud factum et aliud desideratum*, illud quod fit habet causam per accidens: sicut si aliquis fodiens sepulchrum inveniat aurum, dicimus inventionem auri per accidens provenisse. Sed quando aliquis facit malum, aliud est quod fit et aliud quod desideratur sive intenditur: quia illud *quod fit* apparet esse bonum; quod omnino necesse est, quia *fit boni gratia* omne quod fit, ut ostensum est [581]; sed secundum rei veritatem *non* est bonum, quia contingit quod aliquis opinatur esse *bonum quod non* est *bonum*. Ergo relinquitur quod malum non habeat principium nisi per accidens.

585. — Et inde ulterius concludit quod *malum est praeter viam* quia motus qui est via ad non-ens, non per se terminatur ad malum; *et* iterum est *praeter intentionem* moventis, quia omnis intentio agentis fertur in bonum; *et* iterum est *praeter naturam*, quia non progreditur ab agente secundum convenientiam suae naturae, cum omne agens agat virtute boni; *et* ulterius est etiam *praeter causam*, quia non habet causam per se, sed solum per accidens, sive per causam intelligatur *principium* effectivum sive causa finalis; et sicut est praeter naturam ita est etiam praeter artem. Est etiam *praeter diffinitionem* rationis quae dirigit in operibus artis *et praeter voluntatem* quae manet in eis; *et* similiter est *praeter substantiam* subsistentem, quia non habet formam per quam subsistat, sed est privatio formae.

586. — Si quis obiiciat quod alicui peccanti apparet bonum illud quod facit et sic videtur ex ignorantia peccare omnis peccans et ita a peccato excusari, dicendum est quod huiusmodi error, propter quem opinatur esse bonum quod non est bonum, est secundum ignorantiam electionis qua ignoratur in particulari quod scitur in universali. Ille enim qui in universali scit adulterium esse malum, in particulari iudicat bonum esse nunc adulterare, inquantum praeponderat in sua voluntate bonum delectabile bono honesto, cui opponitur malum delectationi adiunctum. Unde huius ignorantia magis est ex inordinatione voluntatis quam quod sit causa inordinatae voluntatis. Et propter hoc dicit Philosophus in III Ethicor [1]). quod peccat quidem ignorans, sed non ex ignorantia. Unde non excusatur, nec in toto nec in parte.

587. — Deinde, cum dicit [245]: *Igitur...* infert conclusionem ex dictis, in qua multiplicat rationes mali. Cum igitur *malum* sit *privatio* boni dupliciter variari potest: aut ex parte privationis, quia contingit multipliciter aliquid privari; aut ex parte boni, quia multipliciter bonum contingit privari.

588. — Concludit ergo quod quia *malum* non habet subsistentiam, quod sit *privatio* privans totaliter aliquod particulare bonum, sicut caecitas est malum quia privat totaliter visum; *et* iterum malum est *defectus* quando scilicet non totaliter aliquid tollitur, sed deficienter habetur, ut patet in eo qui obscure videt; *et* est etiam *infirmitas* quando scilicet non firmiter habetur bonum, etiam si intense habeatur: sicut si quis acute videat et tamen non habeat firmum visum, sed facile visus eius destituatur. Tria haec ergo accipiuntur ex parte privationis.

589. — Sed ex parte eius quod privatur per malum, primo accipienda est ratio boni in communi, ad quam tria pertinent: scilicet, commensuratio aliquorum ex quibus aliquid componitur, ut sanitas est commensuratio humorum et pulchritudo commensuratio membrorum et, per oppositum, malum est

[1]) Cap. II; 1110 b, S. Th. lect. 3, edit. Spiazzi n. 257, n. 409-410.

incommensuratio, sicut aegritudo et turpitudo.

Secundum quod pertinet ad rationem boni, est quod actus pertingat ad debitum finem et, per oppositum, dicit quod malum est *peccatum*: nam peccatum dicitur et in natura et in arte et in voluntate, quando actus non pertingit ad debitum finem: sicut cum natura producit partum monstruosum et cum scriptor non facit bonam scripturam et cum voluntas non facit actum virtuosum. Est etiam de ratione boni quod sit intentum, quia bonum est quod omnia appetunt et, per oppositum, dicit quod malum est *sine intentione*. Et haec tria possunt reduci ad modum, speciem et ordinem, quem ponit Augustinus: [1]) nam *incommensuratio* est per privationem modi; *peccatum*, per privationem speciei; hoc autem quod dicit: *sine intentione*, per privationem ordinis.

590. — Deinde, ponit ea quae consequuntur communem rationem boni; et primo dicit: *sine pulchritudine*, quia pulchrum convertitur cum bono, ut supra dictum est [141; **355-356**]. Et postea ponit quaedam particularia bona, quae privantur per malum; et dicit quod est *sine vita et sine mente*, idest intellectu *et sine ratione*; *et* est *imperfectum*, perfectio enim ad rationem boni pertinet; *et* est *non collocatum*, idest non firmatum in aliquo, firmari enim in aliquo est de ratione boni; *et* est *sine causa*, ordo enim ad causam est quoddam bonum; *et* est *indefinitum*, sicut non ex proprio causa procedens; et est *sine germine*, quasi non habens proprium et per se effectum; *et* est *vacuum*, idest absque plenitudine; et est *non operans*, quia et ipsa operatio est quoddam bonum et perfectio operantis; *et* est *inordinatum*, quia etiam ordo ad rationem boni pertinet; *et* est *dissimile*, quia etiam similitudo quidam ordo est et ad rationem boni pertinens; *et* est *infinitum*, quia finis est bonum et perfectio uniuscuiusque; *et* est *obscurum*, idest sine claritate; *et* breviter *sine* omni *substantia et* non est *existens* aliquo *modo* nec in aliquo tempore nec aliquid est malum inquantum est malum.

591. — Deinde, cum dicit [246]: *Sicut totaliter*... procedit ad manifestandam tertiam considerationem supra positam [239] scilicet quod malum non est aeternum et causativum quoddam primum principium; et hoc probat dupliciter; primo sic: Malum enim eo modo quo aliquid potest facere, potest hoc per bonum sibi adiunctum, quia illud *quod omnino* est *expers boni neque est aliquid neque potest* aliquid. Et hoc sic probat: *Si* enim ita est, quod existere et appeti per voluntatem et esse *potens* et esse effectivum pertinent ad rationem boni, *quomodo* illud *quod est bono contrarium*, scilicet malum, *quod est* absque *substantia et operatione et/ voluntate*, ut supra dictum est [244-245], *poterit aliquid* propria virtute? Quasi diceret: nullo modo. Si igitur malum nihil potest per seipsum, sed solum virtute boni, manifestum est quod malum non est primum principium causativum.

592. — Secundo, ibi [247]: *Non omnia*... probat idem sic: Nos videmus quod *non omnia* sunt *omnibus mala*, nec *eadem omnino* sunt *mala* omnibus *secundum idem;* malum enim uniuscuiusque opponitur proprio bono eius: *malum* enim daemonis *est esse intellectum* non conformem divinae bonitati et malum *animae* est esse *praeter rationem* et malum corporis est esse *praeter* naturalem dispositionem. Non ergo est aliquod malum quod idem sit malum omnibus. Hoc autem oporteret, si esset aliquod primum malum causativum omnium malorum, sicut primum causativum omnium bonorum est omnibus bonum. Patet igitur quod malum non est primum principium causativum.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 240: « sed malum » - « *si autem* malum ».

* : *edit.* inepte omnino vel ex oscitantia vel ex neglegentia: « neque enim in natura *omnia, neque* contra naturam, neque *in artificiis aut* in arte ratio » (T, Ve[2], ib. 459); corr. ut legitur in textu versionis. Altera pars reddi potest: « neque in arte (est) ratio *inartificationis* »: termino isto usus est Guillelmus de Moerbeka in Procli versione (118).

* ad n. 241: « ita... non ita »; *οὕτως... οὕτως* - « ita... ita » vel « sic ... aliter ».

* : « et boniformiter ipsa facta » « *non et boniformi* ipsa facta? ».

* ad n. 242: « et in aliis portata »; « *ἐν ἄλλοις ἄλλως φερόμενα* » (Turturro) - « et in aliis *aliter* pervagantia » (Ambrosius); « il *flotte à travers d'autres réalités* » (M. de Gandillac). Unde quae exponuntur (**579** in fine) quomodo recte legenda sint peritiores dicent.

Sensus huius textus apud Dionysium satis manifestus apparet: « Bonum est ex una tantum causa, malum autem bono contrarium, est ex multis causis quae non sunt rationes constitutivae rerum et virtualitates, quasi hae sint factivae malorum, sed impotentia et infirmitas et mixtio asymmetra rerum dissimilium. Neque mala sunt immobilia et *semper* in eodem statu, sed infinita et indeterminata et in his infinitis pervagantia *in aliis uno modo, in aliis alio modo* » - *ἐν ἄλλοις ἄλλως φερόμενα καὶ ἐν τούτοις ἀπείροις. Ἄλλως*, alicubi omissum, respondet *ἀεί* (Turturro).

* ad n. 243: « quaecumque bona » - *et* quaecumque bona ».

* : « ista facimus » - « *et* ista facimus ».

* : « sed privationem substantiae »; *παρυπόστασιν - parasubsistentiam;* cfr. 158, 178.

* ad n. 244: « Quare quod fit... opinamur »; distinctius: « ... ut quod dum fit rectum quidem esse videatur quia boni gratia fit, revera autem rectum non sit, quandoquidem id bonum *opinemur* quod bonum non est » (Cordier); cfr. quae docet Sallustius ex doctrina, ni fallor, Aristotelis (pag. 159).

* ad n. 246: « sicut... mixtione »; « *πῶς ... μίξει* »; « quomodo... mixtione? ».

* : « voluntate appetitum » - « *βουλητόν* », « *volitum* » (*obiective*, Plat., *Leg.* V, 6; 733 D).

* : « quomodo ... privatum? », distinctius: « quomodo aliquid poterit, quod est bono *ipso* contrarium, cum substantia et voluntate et *potentia* et actu careat? ».

2ª Quoad « parallelia »:

Dionysius - 237:	*Proclus* - 107:
« Bonum ex una et tota est causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus ».	« ...sive est horum [scil. *malorum*] aliqua una et eadem causa sive non » cfr. id. 110: « bonis quidem omnibus ex una causa progressum supponens [*Plato*] malorum autem generationem ad alias causas et non ad divinam reducens ».

Proclus quaerit causam mali (107-127); positiones praecedentes exponit (107) inde positis diversis causis (108) excludit causam mali divinam (109-114).

Quae ex Platone referuntur nota omnibus (*Rep.* II, 19; 379 C): « Non igitur Deus quum bonus sit omnium causa est ut multi dicunt, multorum vero extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona quam mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam praeter Deum causam quaerere decet » (*Ficinus*).

Ex Iamblicho quaedam supra citantur (pag. 198); determinans de malorum causis hoc principium enuntiat: « non enim simplex earum (causarum) species existit, sed multiplex cum sit, multiplicium malorum fit causa » (*de Mysteriis* IV, 7). Quae propius accedunt ad mentem Aristotelis (*Ethic. Nic.* II, 5; 1106, b, 28-31): « ... peccare quidem multis modis dicitur. Malum enim infiniti, ut *Pythagorici* aestimaverunt, bonum autem finiti, dirigere autem uno modo » et huius meminit S. Thomas (**572**). In expositione vero *Ethic. ad Nic.* (lect. 7, edit. Spiazzi n. **320**) Dionysium citat.

Dionysius - 238:	*Proclus* - 115:
« *Vidit Deus malum ut bonum et apud ipsum causae malorum virtutes sunt bonum facientes* ».	« ... *cognoscunt dii malum qua bonum* et faciunt. Eodem igitur modo et cognoscentes habent et *apud ipsos causae malorum sunt potentiae bonificae* horum naturae » (cfr. 110; 112).
Dionysius - 239:	*Proclus* - 115:
« Si autem malum *aeternum* est et creat et potest et est et facit, *unde ipsi hoc?* aut ex Bono? aut Bono ex Malo? aut ambobus ex alia Causa? ».	« Si itaque malum aeternum... *quid τὸ aeternum ipsius* et unde? ». *id. ibid...* « *neque* utique *in Intellectu exemplaria erunt malorum* »; cfr. 117: « ... aut non volentem *neque generare ipsa neque producere neque habere rationes ipsorum quibus singula mundialium instituit* ».

Proclus methodice procedens in sua analysi quaerit an *Ideae Exemplares* (cfr. *Teaet.* XXV; 176 E - 177 A; apud Proclum, 107) sint causae malorum (115-118). Ni fallor in fine n. 117 citatur dilemma simile illi quod apud Sallustium invenitur (*de diis et mundo* XII; pag. 159); sequitur enim iudicium criticum: « *sed ille quidem sermo neque iste per seipsum persuadere sufficiens quod sit verus* » (118).

Dionysius - 240:	*Proclus* - 118:
« Omne quod est secundum naturam ex causa determinata generatur. *Si autem malum est sine causa et indiffinitum non est secundum naturam: neque enim in natura* (est) *quod praeter naturam* (est) *neque in arte est ratio inartificationis* ».	« *Omne* igitur *secundum naturam* ens et semper ens *ex causa determinata generatur, malum autem non secundum* naturam: *neque enim* quae claudicationis *in natura ratio, neque inartificationis in arte* ».

Doctrina Plotini (*En.* V, 9, 10): « Quam ob rem nihil eorum ibi quae *praeter naturam* sunt, quemadmodum neque quicquam praeter artem artibus inest neque est in seminibus claudicatio: clauda namque conditio pedum in generatione contingit ubi ratio seminaria (*λόγος*) minime superat, nempe speciei iactura casu accidit et fortuna » (*Ficinus*).

Dionysius - 241:	*Proclus* - 119:
« Utrum *anima malorum est causa quemadmodum ignis calefaciendi et omnia quibus appropinquat malitia implet?* Bona quidem est *animae natura, operationibus autem aliquando quidem habet sic, aliquando autem non sic* ».	« Tertio igitur *animam* specu-landum si et hanc omnium *malorum causabimus* quam *κακεργάτιν* nominamus; utrum enim esse ipsius et *sicut ignis calefacere* infrigidare autem; nihil... sic utique et huius mala generare et *omnia quibuscumque vicinaverit malitia inficere*, aut quod quidem *naturae ipsius semper bonum, operationibus autem hoc quidem sic, hoc autem non sic* ».
« *Si natura quidem et esse ipsius est malum et unde ipsi est esse nisi ex creativa totorum bona causa? Sed si ex ista quomodo secundum substantiam est malum? Bona enim cuncta sunt ex hac genita* » (*ἔκγονα*).	*id.* 120: « Si autem, *sicut quidam aiunt, essentia et per esse* (scil. mala est anima), *unde esse hoc ipsius aestimabimus?* Ergo aliunde quam *ex conditiva causa* et ex iis qui in mundo diis?... Sed *si ex iis quomodo secundum substantiam malum? Bona enim omnia* et quae horum *ἔκγονα...* ».

[1]) Cfr. *de natura Boni contra Manichaeos* cap. 3: « ...haec ergo tria *modus, species, ordo*, tamquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis sive in spiritu sive in corpore » (Opp. t. VIII, col. 502 A; ML 42, 553); cfr. *Sum. Theol.* I, q. 5 a. 5.

« Si autem operationibus, neque hoc est intransmutabile.
« Alioquin unde (sunt) virtutes, non et boniformi ipsa facta?

« Relinquitur igitur malum infirmitatem et defectum boni esse ».

id. 121: « Si autem *καχεργέτην* nominat talem animam Atheniensis Xenus, *propter eam quae in potentiis ipsius et operationibus malitiam, neque hanc semper permanentem*, sed *quod aliquando dictum est a me et hac boniformi aliqualiter facta* et operationes sui ipsius superiori animae cooptante, quid mirum? ».
Cfr. 121: « *Relinquitur* ergo *quod debilitatis solum:* namque animae oculi perseverare ad verum ipsum et eam quae ibi claritatem aspicientes impotentes sunt; multo ergo prius in animabus malum et non ex secunda vita ».

Proclus de illa *anima malefica* (Plat., *Leg.* X, 7; 896 E) disserit (119-122) quam *Atticus* (Schröder, pag. 57, n. 2) in mundo ponebat originem inordinati motus: hanc doctrinam alii philosophi amplexati sunt, quam Porphyrius reiecit (*ibid.*, pag. 187, n. 1) « *quia omnis anima deorum est proles* ».

In textu Dionysii manifestissime agitur de anima particulari hominis, ut patet ex argumentatione ab effectu virtutis quae animam boniformem efficit. Notio culpae non eruitur ex infirmitate et impotentia quae alarum fracturam causent et inde descensum in corpora ex attractione materiae, sed ex aversione a vero bono causatur (223). Haec diversitas, ni fallor, profundiorem elaborationem doctrinae supponit, quam simplex transcriptio revelare nequit.

Dionysius - 242:
« *Bonorum causa est una.* Si bono malum est contrarium, *mali causae sunt multae* ».

« Non quidem *quae efficiunt mala* sunt *rationes et virtutes sed impotentia et infirmitas* et *mixtio dissimilium non commensurabilis* »;
« *neque immobilia sunt et semper eodem modo habentia mala, sed infinita et interminata et in aliis* aliter *delata et istis infinitis* ».

Proclus - 123:
« Unam quidem itaque secundum se malorum causam nullatenus ponendum. Si enim *bonorum causa una, malorum multa* et non unum ».
id. 125: « Neque igitur *factivae malorum rationes* et *potentiae*, sed *impotentia et debilitas* et *similium commensurata communio et mixtio* »;
« *neque rursus exemplaria immobilia* quaedam *et semper eodem modo habentia, sed infinita et indeterminata et in aliis delata et in iis infinita* ».

Redit principium iam a Iamblico expressum (pag. 217). Proclus examinat an ponendus sit *complexus causarum* tamquam origo malorum (123-127) et acute omnia examinat. In textu ubi legitur: « Similium commensurata... mixtio » mendum suspicor; forsan enim legendum ut in textu Dionysii: « [dis]similium [in]commensurata... mixtio », ubi enim concludit, ita scribit: « quod autem malum... in corporibus autem *propter dissimilium permixtionem* » (127).

Dionysius - 243:
« Omnium et *malorum* principium et *finis erit bonum:* etenim *boni gratia sunt omnia et quaecumque bona et quaecumque contraria* ».
« Etenim et *ista facimus bonum desiderantes, nullus enim ad malum respiciens facit quae facit* »; propter quod neque subsistentiam habet malum sed parasubsistentiam (*παρυπόστασιν*), boni gratia et non sui ipsius factum ».

Proclus - 126:
« Sic utique *aliquis forte putabit* et *malorum finem esse bonum*, huius ergo *boni gratia omnia et quaecumque bona et quaecumque contraria* ».
id. 128: « ... *et agimus omnia... boni participationis gratia et ad illud respicientes* et velut parientes ipsum *et semper desiderantes?* ».
id. 126: « ...Etenim species et natura ipsorum [scil. malorum] defectus est et indeterminatio et privatio et hypostaseos modus qui utique, ut dicere consueverunt *παρυποστάσει* magis assimilatur, unde utique et involuntarium esse malum, saepe dictum est ».

Hanc doctrinam pluries legimus expositam; *de parasubsistentia* vero quaedam notavimus, cum in textu Dionysii sit notio communis (203; 229), quam longius Proclus exponit (128-132), tamquam « magnus collector ».

Dionysius - 244:
« Malo, *esse ponendum est secundum accidens et propter aliud et non ex principio proprio* ».
« Ut quod dum fit rectum quidem esse videatur quia boni gratia fit, revera autem rectum non sit, quandoquidem id bonum opinemur quod bonum non est ».
« Demonstratum est *aliud esse desideratum et aliud factum* ».
« Igitur malum est praeter viam et praeter intentionem et praeter naturam et praeter causam et praeter principium et praeter diffinitionem et praeter voluntatem et praeter substantiam ».

Proclus - 128:
« ...Consequenter nobis dicendum dictam *παρυπόστασιν* hic *ponentibus:* non enim est aliter subsistere ».
« ...Utrum igitur *malum ponendum* aut horum *quibus esse secundum accidens et propter aliud et non ex principio proprio.*
id. 129: « Et quod fit sic quidem recte sic autem non recte, quia quidem enim *τὸ* non bonum aestimamus non recte, quia autem bonum adipisci appetentes agimus recte... Aliud ergo quod *desiderabile nobis et aliud quod fit et cuius adeptio...* ».
id. 130: « *παρυπόστασιν* ergo talem generationem dicendum imperfectam et *ὄκνηρον* [idest: non intentam] et non causatam... et indeterminatam ».

Habemus ex una parte analysim Procli qui in hac sectione quaerit *quid sit malum* (128-154) et primo examinat modum existentiae qui *παρυπόστασις* dicitur (128-132): musive potest colligi omne id quod in alio textu invenitur. Ex altera vero parte, auctor semper procedit iuxta principia iam ab initio posita, absque ulla praeoccupatione discutiendi quae illi acquisita sunt. « Demonstratum est... aliud factum » glossa marginalis mihi videtur.

Dionysius - 245:
« Igitur privatio est malum et defectus et infirmitas et incommensuratio et peccatum et sine intentione et sine pulchritudine et sine vita et sine mente et sine ratione et imperfectum et non collocatum et sine causa et indefinitum et sine germine [*ὄγονον*] et vacuum [*ἀργόν - otiosum*] et non operans et inordinatum et dissimile et infinitum et obscurum [*σκοτεινόν - tenebrosum*] et sine substantia et ipsum nullo modo usquam nihil existens ».

Proclus - 134:
« ...malum ipsum omnium expers bonorum, dico autem qua malum et defectus illorum et privatio ».
id. 135:... infinitum... debilitas... incommensuratio et falsum et turpido... illocabile... et instabile... et *ἀζώτα* [idest: invitalitas.]... corruptivum et divisivum... indeterminatum... *τὸ ἄγονον* [idest: infecundum]... *τὸ* otiosum... debilitas... et dissimilitudinis... causa... et ab ordine... inefficax... et tenebrosum et materiale ».
id. 137: « Sed quod quidem malum omniquaque tale, privatio bonorum et defectus, dictum est ».

Proclus examinat quid malum constituat (133-137) et pulchre omnia manifestat. Quae in textu Dionysii leguntur hericio similantur.

Dionysius - 246:
« Quomodo totaliter potest malum ad bonum mixtione? quod enim omnino boni expers neque est aliquid neque potest ».
« *Quod enim omnino boni expers, neque est aliquid neque potest.* Etenim si bonum existens est *et volitum et potens et activum,* quomodo aliquid poterit, quod est bono ipso contrarium, cum substantia et *voluntate et potentia et actu careat?* ».

Proclus - 142:
« ... neque agere malum neque posse dicendum, sed et agere ipsi et posse a contrario.

id. 144: « Si autem et involuntarium est, ut ait ille [Plato in *Timaeo* XLI; 86 E]. et involitum erit utique et sic primissimae trinitati boni *privatio voluntatis potentiae et operationis: bonum quidem enim et volitum est et potens et efficax* secundum ipsius naturam, malum autem involitum et debile et ine-f ficax ».

Proclus ulterius procedendo in sua tractatione *relationem mali ad bonum* examinat (138-146). In textu Dionysii quaedam difficultas solvitur.

Dionysius - 247:
« Non omnia omnibus et omnia eadem secundum idem mala: daemoni est malum *praeter* boniformem *intellectum* esse; animae, *praeter rationem;* corpori *praeter naturam* ».

Proclus - 149:
... necessarie utique malum huic quidem [« ei... quae sursum animae »] praeter intellectum;
...huic autem [... « irrationali »] praeter rationem;
... huic autem [« corpori »] praeter naturam ».

Proclus quaerit « quot autem ipsius (mali) differentiae et quae » (147) et distinctim omnia tractat (148-154) secundum doctrinam quae in theoria potentiarum evolvitur, ut videre est in textu. In textu Dionysii est omnino diversae doctrinae epilogus.

3ª Paralipomena:

* In scholio Maximi ad finem huius capitis legitur: « nota autem caput hoc habere *viginti et tres syllogismos,* demonstrantes malum non esse ens » (MG. IV, 308 C). Logices amantes habent unde exerceantur, qui vero quaestionis solutioni incumbunt habent unde acrius urgeantur.

Dionysius ille qui theologiam considerat tamquam *Dei laudem,* difficilius in hac sectione de malo arduos dialecticae et metaphysicae vertices ascendens recognoscitur, tanto mutatus ab illo apparet.

Ex alia parte, sub orationis contextu, quaedam fundamentalis, ut ita dicam, textura cernitur quae saltem firmam et unam eamdemque positionem auctoris manifestat in hac quaestione, dum ex notione *parasubsistentiae* caetera enucleantur.

Sartagines quae hinc et illinc cernuntur adventitiae an sint vel non, sola critica textualis decernere potest.

Quaedam, tamen, possibile videtur determinare ex his quae hucusque vidimus et certa sunt.

1° Antiqui scriptores propinquitatem quamdam inter Dionysium et Proclum recognoscentes, quaestionem ita solverunt ut Proclus « fur » aestimaretur: « sciendum est aliquos externorum philosophorum et *praesertim* Proclum saepe beati Dionysii *principiis* (*θεωρήμασι*) et *verbis ipsis* literaliter usum » (inter scholia Maximi - MG. IV, 21 D; apud Pachym. MG. III, 116 A).

2° Moderni critici, quos praecessit monachus Simeon Petritsi nobis nunc noti ex diligentia R. P. Hausherr S. I. (pag. 156), propinquitatem ideologicam et lexicalem duplicant in historicam, positionem antiquorum vertentes: Dionysius *principiis et verbis ipsis* Procli literaliter usus fuit.

3° Plurima coacervantes ex diversis operibus Procli, tractationem *de Malorum subsistentia* maxima cura examinatam, prae caeteris plurimi faciunt ita ut iam fere nemo sit qui factum scientifice probatum non acceptet.

4° Ne videar difficultatem minuere, quae R. P. Stiglmayr S. I. excerpsit utrinque, maiori qua potui diligentia retuli, quaedam adiungens non quidem dialectice pugnando, sed historice quaerendo. Textum integrum tractationis proclianae lector in appendice huius operis inveniet, ut inde et doctrinam et caetera omnia obiective perpendere possit.

5° Quamdam difficultatem psychologicam occulere nequeo, quae talis est: quomodo potuit auctor, personam Dionysii Areopagitae induens, *principiis et verbis* uti philosophi Constantinopolitani (410 † 485) qui Athenis universitatem regebat et inter cultissimos viros notus erat? Subtilis orientalium mens multa excogitare potest quae nos latent, at numquam inveni virum ingenio et sinceritate praestantem, tali et tanta contradictione implexum. Tunc dixi: forsan hoc aenigma nihil aliud est quam fictio critica.

6° Caetera nota sunt per ea quae hucusque publici iuris feci ita ut necesse non sit repetere quae alibi examinare quisque potest. Tantum addam quae Exc. D. Athenagoras posuit pro solutione huius quaestionis in opere: « *Dionysius Magnus Episcopus Alexandriae... auctor areopagiticorum operum* » (Alexandriae in Aegypto 1934).

Excel.mus D.us propinquitatem Dionysii et Procli quadam nova methodo illustrat quae sic breviter recenseri potest:

a) « Et ante omnia quis nos certiores facit modo authentico, librum hunc [*de Malorum Subsistentia*]... esse opus neoplatonici Procli? In aliis operibus nobis notis huius philosophi numquam ipsius meminit, quod contra consuetudinem auctoris est. Sed neque in libro ipso est quaedam demonstratio. E contra quoad notionem mali quaedam contradictio notatur inter hanc tractationem et alia opera Procli... ».

b) « Supposito quod haec tractatio Proclo tribui debeat... nullus alius ante hos docuit, scripsit, tractavit de malo...? Nemo ignorat quaestionem de malo a mundi aetate vetustissimam semper homines exercuisse... ».

c) « Supposita similitudine » (*in doctrina Dionysii et Procli de malo*) « les mêmes causes produisent les mêmes effets » [ita in textu graeco] « patienter collegimus... summam citationum ex Platone et Plotino ad quas refertur celebris haec tractatio ». Sequitur elenchus citationum... « Si aliqua affinitas et similitudo observantur inter *Dionysium et Plotinum* ex eo est quia ambo ex eadem fonte hauserunt, philosophia nempe *Ammonii Sacca* ».

d) « Sed haec affinitas est tantum externa, quia in profundo fundamentalis differentia inter ipsos adest quoad omnes quaestiones scholam Neo-platonicorum et scholam Alexandrinorum Patrum occupantes » (pag. 68-73).

** Posset quis omnia concedere, quaestio enim non mutatur et difficultas manet in sua obscuritate, maxime quia affinitas quae videtur tantum externa et interiorem doctrinam attingit: *principia*, nempe, secundum aestimationem antiquorum. Quae communia sunt inter auctores exposui iuxta vires et cognitiones haud multas, sufficientes tamen, ni fallor. Prae ceteris vero difficultas psychologica me premit, quam tamen solvendam necesse, saltem per hypothesim.

a) *Dionysius* meus, qui theologiam Dei (sacram Scripturam) legit et inde notiones doctrinales haurit, quas sibi clarificat per theologiam quae est laus Dei, *realis est persona* cuius anima alaris simul et lucens Christum Iesum et Ecclesiam ardenti amore prosequitur.

Conditiones sui temporis (hypothetice: 330-400) omnes, quod sciam, *personae et operi* conveniunt, nec desunt signa quaedam alicuius determinati « ambientis » tum geographici tum spiritualis, quale datum est *in schola Basilii Magni* cognoscere.

Opera omnia quae supersunt et quae citat, substantialiter sunt huius Dionysii qui, perenniter, *doctus et sincerus sibique consentiens* apparet, eo vel magis quod de hoc praeclare historia testatur, ut patet.

b) Suppono Anonymum quemdam, « *κεφαλαιωδέστερον, ὡς ἡ βίβλος ἐχώρησε* », ut legitur pro scholiis suis fecisse Maximum (21 C); hanc tractationem de malo, « *compendiosius*, quantum margo libri capiebat » glossis quibusdam, *forsan* ex libro « de Malorum subsistentia » formatis, ditasse vel explicando vel addendo quae obscura vel consona videbantur.

c) Quando Corpus Dionysianum compactum fuit et sub patrocinio « Dionysii Magni » positum, « Areopagitica » *absque dolo* nata et *cum errore historico*, quibusdam lineamentis larvam antiquitatis praeferentibus contecto, inde cognita et vulgata fuere (cfr. pag. 348).

Hos tres status (D^1, A^d, D^a) examen criticum textus manifeste patefaciet, simulque ipsis realitatem obiectivam dabit aut huius possibilitatem tollet.

LECTIO XXIII (33ª)

Secundo, quomodo mala possint esse, divina Providentia existente; tertio, de desiderio mali.

SYNOPSIS

(Lect. XXIII; cap. IV; textus nn. 248-256; expositio nn. **593-605**).

B) Solvit secundam quaestionem: quomodo mala possint esse, divina Providentia existente:
- a) ostendit quod non cadit sub Providentia quasi ex Providentia causatum (248; **594**);
- b) ostendit quod cadit sub Providentia, quia a Providentia ordinatum (249; **595**);
- c) ostendit quod malum non debet esse totaliter per Providentiam impeditum (250; **596**);

C) Solvit tertiam quaestionem de desiderio mali:
- a) quomodo malum contingit esse in desiderio:
  - 1° - resumit quaedam quae sunt in malo (251; **598**);
  - 2° - resumit quaedam specialiter de malo daemonum (252; **599**);
  - 3° - ostendit quomodo desiderium se habet ad bonum et ad malum (253; **600**);
- b) ostendit quomodo peccatum contingat esse in cognitione:
  - 1° - ostendit propositum (254; **602**);
  - 2° - excludit obiectionem (255; **603-604**);
  - 3° - epilogat quae in hoc capitulo dicta sunt (256; **605**).

TEXTUS DIONYSII

§ 33. 248. — « Quomodo autem totaliter mala sunt et Providentia existente? Non est malum, secundum quod est malum, neque existens neque in existentibus
et nihil existentium est improvisum: neque enim est malum conspicuum subsistens * bono.

Et si nullum existentium non particeps boni, malum autem defectus boni, nihil autem existentium privatur universaliter bono, in omnibus existentibus divina Providentia et nihil existentium non provisum.

249. — Sed et factis malis benigne Providentia utitur aut ad ipsorum aut aliorum aut propriam * aut communem utilitatem:

250. — et proprie unumquodque existentium providet. Propter quod et vanam multorum non recipiemus rationem qui oportere dicunt Providentiam et invitos nos ad virtutem agere:
etenim corrumpere naturam, non Providentiae. Unde, sicut Providentia uniuscuiusque naturae est salvativa, per se mobilia providet ut per se mobilia, et tota et particularia iuxta proprietatem totius et uniuscuiusque, inquantum provisorum natura suscipit totius largissimae Providentiae proportionaliter attributas unicuique provisivas bonitates.

§ 33. 248. — Πῶς ὅλως τὰ κακὰ Προνοίας οὔσης; Οὐκ ἔστι τὸ κακὸν ἢ κακὸν οὔτε ὂν οὔτε ἐν τοῖς οὖσι.

*Καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶν ἀπρονόητον· οὐδὲ γάρ ἐστι τὸ κακὸν ἀμιγὲς ὑπάρχον * τοῦ ἀγαθοῦ.*

Καὶ εἰ μηδὲν τῶν ὄν[B]των ἀμέτοχον τοῦ ἀγαθοῦ κακὸν δὲ ἡ ἔλλειψις τοῦ ἀγαθοῦ, οὐδὲν δὲ τῶν ὄντων ἐστέρηται καθόλου τοῦ ἀγαθοῦ, ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι ἡ θεία Πρόνοια καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων ἀπρονόητον·

*249. — ἀλλὰ καὶ τοῖς γινομένοις κακοῖς, ἀγαθοπρεπῶς ἡ Πρόνοια κέχρηται πρὸς τὴν αὐτῶν ἢ ἄλλων ἢ ἰδικὴν * ἢ κοινὴν ὠφέλειαν·*

250. — καὶ οἰκείως ἑκάστου τῶν ὄντων προνοεῖ. Διὸ καὶ τὸν εἰκαῖον τῶν πολλῶν οὐκ ἀποδεξόμεθα λόγον οἳ « χρῆναί φασι τὴν Πρόνοιαν καὶ ἄκοντας ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ἀρετὴν ἄγειν ».

τὸ γάρ φθεῖραι φύσιν οὐκ ἔστι προνοίας. Ὅθεν ὡς Πρόνοια τῆς ἑκάστου φύσεως σωστική, τῶν αὐτοκινήτων ὡς αὐτοκινήτων προνοεῖ καὶ τῶν ὅλων καὶ τῶν καθ' ἕκαστον οἰκείως ὅλῳ καὶ ἑκάστῳ καθ' ὅσον ἡ τῶν προνουμένων φύσις ἐπιδέχεται τὰς τῆς ὅλης καὶ παντοδαπῆς προνοίας, ἐκδιδομένας ἀναλόγως [C] *ἑκάστῳ προνοητικὰς ἀγαθότητας.*

§ 34. 251. — Non igitur existens est malum, neque in existentibus est malum. Nusquam enim est malum, secundum quod est malum, et fieri malum non est secundum virtutem, sed propter infirmitatem.

252. — Et daemonibus quod quidem sunt et ex bono * est et bonum; malum autem est ipsis, ex casu a propriis bonis et variatio quae est circa identitatem et habitum; infirmitas convenientis ipsis, Angelos decentis perfectionis.

253. — Et desiderant bonum, inquantum esse et vivere et intelligere desiderant; non existens bonum desiderant et non est hoc desiderium, sed peccatum desiderii existentis *.

§ 35. 254. — In cognitione autem peccantes vocant eloquia circa cognitionem boni non obliviscibilem aut actionem infirmos existentes et scientes voluntatem et non facientes; qui audierunt quidem, infirmantur autem circa fidem aut operationem boni; et quod nolunt quidem intelligere ut bene agant, secundum aversionem aut infirmitatem voluntatis.

Et totaliter malum, ut multoties diximus, est infirmitas et impotentia et defectus aut cognitionis * aut fidei * aut desiderii aut operationis boni.

255. — Et quidem dicat aliquis: non est punienda infirmitas, sed e contra condonanda.

Si non quidem esset posse, bene quidem se habet sermo;

si autem ex bono * posse, quod dat, secundum eloquia, omnibus simpliciter convenientia, non est laudabile * peccatum habitus propriorum bonorum ex bono * et aversio et fuga et casus.

Sed haec quidem a nobis in his quae sunt "*de Iustitia et divinae Iustitiae observantia*" secundum virtutem sufficienter sunt dicta. In quo sancto negotio eloquiorum veritas, sophisticas et iniustitiam et mendacium contra Deum loquentes contrivit sicut insipientes rationes.

256. — Nunc autem sufficienter sicut secundum nos laudatum est bonum *, sicut vere amabile, sicut principium et finis omnium, sicut circuitus existentium, sicut informans non existentia, sicut omnium bonorum causa, sicut malorum non causa, sicut Providentia, et donatrix boni perfecta et superegrediens existentia et non existentia et mala secundum ipsius privationem ad bonum redigens, omnibus desiderabile et amabile et diligibile et quaecumque alia in prioribus verus sermo demonstravit ».

§ 34. 251. — Οὐκ ἄρα ὂν τὸ κακὸν οὔδε ἐν τοῖς οὖσι τὸ κακόν. Οὐδαμοῦ γὰρ τὸ κακὸν ἢ κακόν· καὶ τὸ γίνεσθαι τὸ κακὸν οὐ κατὰ δύναμιν, ἀλλὰ δι' ἀσθένειαν.

*252. — Καὶ τοῖς δαίμοσι δ μέν εἰσι καὶ ἐκ τἀγαθοῦ * καὶ ἀγαθόν· τὸ δὲ κακὸν αὐτοῖς ἐκ τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀποπτώσεως καὶ ἀλλοίωσις ἡ περὶ τὴν ταὐτότητα καὶ τὴν ἕξιν ἀσθένεια τῆς προσηκούσης αὐτοῖς ἀγγελοπρεποῦς τελειότητος.*

*253. — Καὶ ἐφίενται τοῦ ἀγαθοῦ καθ' ὃ τοῦ εἶναι καὶ ζῆν καὶ νοεῖν ἐφίενται· καὶ καθὸ οὐκ * ἐφίενται τοῦ ἀγαθοῦ τοῦ μὴ ὄντος * ἐφίενται· καὶ οὐκ ἔστι τοῦτο ἔφεσις, ἀλλὰ τῆς ὄντως * ἐφέσεως ἁμαρτία.*

§ 35. 254. — Ἐν γνώσει δὲ ἁμαρτάνοντας καλεῖ τὰ λόγια [1] τοὺς περὶ τὴν ἄληστον τοῦ ἀγαθοῦ γνῶσιν ἢ τὴν ποίησιν [736 A] ἐξασθενοῦντας καὶ τοὺς εἰδότας τὸ θέλημα καὶ μὴ ποιοῦντας· τοὺς ἀκηκοότας μὲν ἀσθενοῦντας δὲ περὶ τὴν πίστιν ἢ τὴν ἐνέργειαν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ἀβούλητόν τισι τὸ συνίεναι τοῦ ἀγαθοῦναι, κατὰ τὴν παρατροπὴν ἢ τὴν ἀσθένειαν τῆς βουλήσεως·

*Καὶ ὅλως τὸ κακὸν — ὡς πολλάκις εἰρήκαμεν — ἀσθένεια καὶ ἀδυναμία καὶ ἔλλειψίς ἐστιν ἢ τῆς γνώσεως ἢ τῆς ἀλήστου γνώσεως * ἢ τῆς πίστεως * ἢ τῆς ἐφέσεως ἢ τῆς ἐνεργείας τοῦ ἀγαθοῦ.*

255. — Καίτοι φαίη τις « οὐ τιμωρητὸν ἡ ἀσθένεια τοὐναντίον δὲ συγγνωστόν ».

εἰ μὲν οὐκ ἐξῆν τὸ δύνασθαι καλῶς ἂν εἶχεν ὁ λόγος.

*εἰ δὲ ἐκ τἀγαθοῦ * τὸ δύνασθαι « τοῦ διδόντος », κατὰ τὰ λόγια, τὰ προσήκοντα « πᾶσιν ἁπλῶς » [2], οὐκ ἐπαινετὸν * ἡ τῆς ἐκ τἀγαθοῦ * τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἕξεως ἁμαρτία καὶ παρατροπὴ καὶ ἀποφυγὴ καὶ ἀπόπτωσις.*

*Ἀλλὰ [B] ταῦτα μὲν ἡμῖν ἐν τοῖς « περὶ δικαίου καὶ θείου δικαιωτηρίου * » κατὰ δύναμιν ἱκανῶς εἰρήσθω καθ' ἣν ἱερὰν πραγματείαν ἡ τῶν λογίων ἀλήθεια τοὺς σοφιστικοὺς καὶ ἀδικίαν καὶ ψεῦδος κατὰ τοῦ θεοῦ λαλοῦντας ἀπερράπισεν ὡς παράφρονας λόγους.*

*256. — Νῦν δέ, ὡς καθ' ἡμᾶς ἀρκούντως ὕμνηται τἀγαθὸν * ὡς ὄντως ἀγαστόν, ὡς ἀρχὴ καὶ πέρας πάντων, ὡς περιοχὴ τῶν ὄντων, ὡς εἰδοποιὸν τῶν οὐκ ὄντων, ὡς πάντων ἀγαθῶν αἴτιον, ὡς τῶν κακῶν ἀναίτιον, ὡς πρόνοια καὶ ἀγαθότης παντελὴς καὶ ὑπερβάλλουσα τὰ ὄντα καὶ τὰ οὐκ ὄντα καὶ τὰ κακὰ καὶ τὴν ἑαυτῆς στέρησιν ἀγαθύνουσα, πᾶσιν ἐφετὸν καὶ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητὸν καὶ ὅσα ἄλλα ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ὁ ἀληθὴς ἀπέδειξεν — ὡς οἶμαι — λόγος.*

[1] *Rom.* 14, 23; LUC. 12, 47.

[2] IACOB. 1, 5: ἁπλῶς, Vulg. « *affluenter* » est « facile, libenter, large » (Zorell); τὰ προσήκοντα (« convenientia ») quod Dionysius addit, ad verba Christi de oratione respicit (cfr. MAT. 6, 8; 7, 9-11).

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

593. — Soluta prima quaestione de causa mali, hic solvit secundam de Providentia, quomodo scilicet mala possint esse, divina Providentia existente; et circa hoc, tria facit: primo [248], ostendit quod non cadit sub Providentia, quasi ex Providentia causatum; secundo, ostendit quod cadit sub Providentia, quia a Providentia ordinatum; ibi [249]: *Sed et factis...*; tertio, quod malum non debet esse totaliter per Providentiam impeditum; ibi [250]: *Et proprie...*

594. — Dicit ergo primo quod *malum*, inquantum *est malum*, non *est existens neque in existentibus*, ut supra probatum est [*lectio* 16ª; *lect.* 17ª-21ª]; *et* cum *nihil* sit *existentium improvisum*, idest ex divina Providentia non causatum, malum non est intentum seu causatum ex divina Providentia. Quod autem omnia existentia causantur ex divina Providentia et nullum malum sic probat: *Nullum* enim est *existentium* quin aliquo modo participet bono; sed de ratione mali est quod sit *defectus boni*. Nullum autem *universaliter existentium privatur* seu deficit a *bono;* proprius autem effectus Providentiae videtur esse bonum: hoc enim quilibet providens intendit ut sua providentia ea quibus providet in bono statu constituat. Relinquitur ergo quod *divina Providentia* ad omnia existentia se extendit *et nihil existentium* est *non provisum* a Deo; sed malum intantum non causatum est per Providentiam divinam, inquantum non est existens.

595. — Deinde, cum dicit [249]: *sed et factis malis...* ostendit quomodo mala cadunt sub Providentia, ut a Providentia ordinata; et dicit quod divina *Providentia* bene *utitur malis*, quandoque quidem *ad ipsorum utilitatem* in quibus sunt mala; sicut infirmitates corporales vel etiam spirituales, Deo id agente, cedunt in utilitatem eorum qui eas patiuntur; quandoque vero ad utilitatem *aliorum*, et hoc dupliciter: quandoque quidem ad *propriam* utilitatem alicuius, sicut est cum ex poena unius alius emendatur; quandoque vero, ad utilitatem *communem*, sicut cum poena malefactorum ordinatur ad pacem civitatis.

596. — Deinde, cum dicit [250]: *Et proprie...* ostendit quod malum non debet esse totaliter per divinam Providentiam impeditum; et dicit, quod divina Providentia *providet* unicuique *existentium proprie*, idest secundum proprietatem et conditionem suae naturae. Et ideo non sunt recipienda vana obiecta *multorum*, *qui dicunt* quod divina Providentia debet *et nos invitos* inducere *ad virtutem. Non* enim pertinet ad Providentiam quod corrumpat *naturam* rerum, sed quod servet; *unde*, eo modo, Providentia est conservativa *naturae uniuscuiusque* rei; sed *providet* ea quae *per* suam naturam sunt *mobilia*, quasi *per se mobilia*, idest non auferens ab eis quin per se moveri possint; *et* similiter, ea quae sunt *tota* et universalia et perfecta *et* ea quae sunt *particularia* providet *iuxta proprietatem* naturalem *totius et uniuscuiusque* particularis: et hoc *inquantum natura* eorum quibus Deus providet, *suscipit proportionaliter* sibi, *bonitates* datas largissima et universali Dei providentia. Et quia rationalis creatura secundum suam naturam defectibilis est et per liberum arbitrium potest deficere, non pertinet ad divinam Providentiam ut eius mobilitatem impediat; et similiter, non pertinet ad Dei providentiam ut tantam bonitatem attribuat uni particulari enti sicut toti universo vel rei quae est in inferiori gradu, sicut rei quae est in superiori.

597. — [251]: *Non igitur existens est malum...* Hic solvit tertiam quaestionem de desiderio mali; et circa hoc duo facit: primo, ostendit quomodo malum contingit esse in desiderio; secundo, quomodo contingit in cognitione peccare; ibi [254]: *In cognitione autem...*

598. — Circa primum, primo resumit quaedam quae sunt in malo in communi, concludens ex dictis quod *malum* neque *est* per se *existens neque in existentibus*. Ostensum est enim quod *malum, secundum quod est malum, nusquam est*, idest non est aliquid existens in aliquo; et iterum ostensum est quod hoc, quod aliquid dicitur *fieri malum, non* contingit ex aliqua virtute activa, *sed propter infirmitatem* et defectum virtutis.

599. — Secundo, ibi [252]: *Et daemonibus...* resumit quod dictum est specialiter de malo daemonum et dicit quod in daemonibus hoc ipsum *quod sunt est bonum et* eis est *ex bono*, scilicet Deo; sed *malum* invenitur in *ipsis* ex hoc quod ceciderunt *a bonis propriis*, idest ad quae erant ordinati secundum ordinem suae naturae; *et* iterum

variatio, qua decesserunt ab illa identitate in qua sunt boni Angeli *et* ab habendo ea quae illi habent; quod nihil est aliud quam *infirmitas* quaedam *perfectionis* eis naturaliter *convenientis*, prout decet *Angelos*.

600. — Tertio, ibi [253]: *Et desiderant...* ostendit quomodo desiderium se habet ad bonum et malum; et dicit, quod daemones *desiderant bonum inquantum desiderant* bonum naturale quod est *esse vivere et intelligere;* sed inquantum non desiderant bonum, sed malum, *desiderant non-existens:* quia malum, inquantum malum est non-existens; *et hoc* ipsum desiderare, sicut non-existens, *non est* ex perfectione desiderii, *sed* est quaedam infirmitas et *peccatum* circa desiderium : sicut enim opinari falsum, est ex infirmitate intellectus, ita desiderare malum est ex defectu virtutis desiderativae.

601. — Deinde, cum dicit [254]: *In cognitione autem...* ostendit quomodo peccatum contingat esse in cognitione; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit propositum; secundo, excludit obiectionem; ibi [255]: *Et quidem dicat...*; tertio, epilogat quae in hoc capitulo dicta sunt; ibi [256]: *Nunc autem...*

602. — Dicit ergo primo quod sicut peccare in desiderio est quaedam infirmitas desiderii, ita peccare *in cognitione*, secundum sacra *eloquia*, dicitur esse infirmum circa duo: primo quidem, *circa cognitionem boni* quam scire tenetur et quam obliviscitur: si enim aliquis infirmetur in cognitione eius quod scire non tenetur, non est peccatum.

Secundo, circa *actionem* boni, quod quis cognoscit; et quantum ad hunc secundum modum, vituperantur *scientes voluntatem* domini sui *et non facientes*, ut habetur Luc. 12 [47]. Et hi sunt *qui* audiunt *quidem* et non possunt se excusare de ignorantia; sed sunt infirmi ad credendum *aut* ad bonum operandum.

Quantum ad primum vero vituperantur in Psalmo 34 [4], illi qui *nolunt intelligere ut bene agant:* quod quidem fit *secundum* quod avertitur voluntas *aut* infirme se habet ad cognitionem boni.

Et, ut universaliter dicamus, *malum, sicut multoties dictum est, est* quaedam *infirmitas*, idest debilitas potentiae vel totaliter *impotentia et* quicumque potentiae *defectus aut* circa cognitionem *aut* circa fidem aut circa desiderium *aut* circa operationem *boni*. Et loquitur hic de malo culpae, quod circa aliquod horum quatuor necesse est consistere.

603. — Deinde, cum dicit [255]: *Et quidem dicat...* movet quamdam obiectionem: Potest enim aliquis obiiciendo dicere quod *infirmitas non est* imputanda, *sed condonanda*. Parcendum enim est, ut videtur, infirmitati. Si igitur peccatum est infirmitas circa aliquod praedictorum, videtur quod peccatum non sit puniendum.

604. — Sed ad hoc respondet aliquis quod talis obiectio *bene* procederet, *si* omnino peccanti deesset *posse* ad bonum. Sed quia unusquisque habet *posse* bene facere *ex bono*, idest ex auxilio Dei, qui *dat omnibus convenientia* ipsis affluenter ut dicitur Iac. 1, [5], *non est laudabile*, idest, excusabile *peccatum* quod est *aversio et fuga et casus* ab habitu *propriorum bonorum*, quae proveniunt *ex bono*, scilicet Deo. Homo enim se avertit ab auxilio Dei sibi parato et ei imputatur ad culpam quidem peccati; sicut si aliquis infirmus caderet dum nollet uti auxilio manum porrigentis.

Sed dicit quod *haec sufficienter secundum* suam *virtutem* dixit in quodam libro quem fecit « *de Iustitia* », qui ad nos non pervenit: *in quo* quidem secundum veritatem sacrae Scripturae reprobavit *sophisticas rationes* eorum qui *contra* divinam Iustitiam iniuste et mendaciter loquuntur.

605. — Deinde, cum dicit [256]: *Nunc autem...* epilogat ea quae dicta sunt in hoc capitulo; et dicit quod *nunc* in isto capitulo *sufficienter* laudavit, *secundum* suum posse, *bonum sicut vere amabile*, ubi tractavit de amore; *et sicut principium et finis omnium*, in principio, ubi dixit de effectu boni: in quo manifestatur quasi quidam circulus in existentibus, dum habent idem principium et finem, scilicet bonum; et ostensum est etiam ibi quod Deus informat *non existentia* in actu sed in potentia; et quod Deus *omnium bonorum* est *causa;* et quod *non* est *causa malorum;* et quod sua *Providentia* est *perfecta* datrix omnis *boni; et* quod supergreditur tam *existentia* quam *non existentia; et* quod *mala* quae dicuntur *secundum privationem*, ordinat in *bonum* quod est *desiderabile omnibus et diligibile; et quaecumque alia* demonstrata sunt, secundum veritatem in praecedentibus, sunt vera.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 248: « neque enim... subsistens bono »° distinctius: « neque enim est malum ens quod *bon impermixtum* existat ».

* ad n. 249: « aut propriam » - « vel *privatam* vel ».

* ad n. 252: « et ex *ipso* Bono ».

* ad n. 253: « non existens bonum... existentis »; plenius et distinctius: « et inquantum *non* desiderant bonum, *non-ens* desiderant et hoc non est desiderium, sed a desiderio *in realitate fundato* (ὄντως) defectio ».

* ad n. 254: « aut cognitionis »; *add.* « aut non-obliviscibilis cognitionis » (*τῆς ἀλήστου γνώσεως*). Prima est cognitio ex doctrina hausta, quae oblivione saepe oscuratur; altera vero est *ἐκ φυσικῆς θεωρίας*, ut legitur in scholio Maximi (308 C) et intelligenda videtur quae habetur « ex *naturali* contemplatione » ut notitia primorum principiorum. Cognitio non-obliviscibilis quae habetur « ex illuminatione *absque doctore* » (*ἀδιδάκτως*) est a Magistro interiori.

* post « aut fidei » aliqui add. *vel naturae* (*ἢ τῆς φύσεως*) sed superflua additio ex eo quod alicubi ita legitur pro *ἢ τῆς ἐφέσεως*, inde facilis duplicatio.

* ad n. 255: distinctius: « Si autem posse (est) ex *ipso* Bono quod simpliciter omnibus... dat convenientia, *non sunt approbationis obiectum*, ab habitu propriorum bonorum (quae sunt) *ex ipso* Bono, defectio et aversio... ».

* : « *de iusto et divino iudicii loco* ».

* ad n. 256: « laudatum est *ipsum* Bonum ».

2ª QUOAD « VANAM MULTORUM RATIONEM » (250).

Est quaedam apparens iustificatio animi desperantis et in magna angustia versantis necnon, post fugam a Deo, post egressionem a seipso deorsum versus, a pondere et taedio vitae se subtrahere conantis.

Eadem in III libro *Recognitionum* (cap. 26) leguntur: « Et Simon ad haec: "" nonne poterat nos omnes facere tales ut essemus boni et aliud esse non possemus? " " » (MG. I, 1294 CD).

Certe ex quodam populari dicterio Basilius audivit quod dictum legitur in homilia quod *Deus non est causa malorum:* « Sed cur, *inquit* non ita conditi sumus ut peccare natura non possimus, adeo ut ne volentibus quidem nobis facultas inesset peccandi? ».

Et mirabiliter respondit: « quia et tu famulos non cum vinctos detines benevolos putas, sed cum eos *libenter* sua in te officia videris explere.

« Itaque neque Deo gratum est quod coactum est, sed quod virtute geritur. Virtus autem ex voluntate, non ex necessitate proficiscitur. Iam vero voluntas ex his quae penes nos sunt dependet. Quod autem in nobis situm est, liberi arbitrii facultas est.

« Proinde qui Opificem reprehendit quod nos non condiderit natura tales ut peccare nequeamus, nihil aliud facit nisi naturam irrationalem rationali et immotam appetendique incapacem liberae atque actuosae praefert » (Opp. II, 79 DE).

3ª « DE IUSTO ET DIVINO IUDICII LOCO » (255).

Titulus huius tractatus alicubi ita ponitur: « *de iustitia et divinae iustitiae observantia* », *scil. περὶ δικαιοσύνης...*, sed in scholio Maximi (308 C) legitur *περὶ δικαίου* - « de iusto » et coniungitur cum sequenti: « *καὶ θείου δικαιωτηρίου* » non videtur igitur distinguendum ita: « *Du juste et de la Théodicée* » (M. de Gandillac): leibnitziane quidem, at non dionysiane.

Quid sit *δικαιωτήριον* ambigitur, si versionibus attendas: *Iudicium* (*κρίσις*) est quidem pars programmatis theologici iuxta Basilium: « Omnis qui ordinate de rebus divinis disserit (*θεολογῶν*)... gloriam autem auget qui rationes reddere potest quibus creata sunt omnia et quibus conservantur Providentia ipsius ad minima usque pertingente et quibus post praesentem oeconomiam ad Iudicium (*ὑπὸ τὴν κρίσιν*) adducantur... qui postquam ipse contemplatus fuerit, aliis quoque quae ad bonitatem Dei et ad iustum Iudicium (*τῆς δικαίας κρίσεως*) pertinent, exponere potest » (*hom. in psal.* 28 n. 2; Opp. I, 115 CD).

Est rursus quoddam *fundamentum ethicae humanae*, nam « *inobedientia quaelibet, omne iudicium* (*κρίματος*) Dei violans, punitur (*ἐκδικεῖσθαι*) aequaliter » (*de Iudicio Dei*, n. 8; Opp. II, 222 E) unde « numquam cogitationem nostram deserere debet memoria terribilis et ineluctabilis *tribunalis* (*δικαστηρίου*) ad quod omnes quidem festinamus, sed qui illius reminiscantur ac de illius exitu sint solliciti paucissimi » (*Epist.* 173; Opp. III, 261 D).

Illud « *δικαιωτήριον* » (Platon. *Phaedr.* XXIX; 249 A) est « iudicii locus » (Ficinus) ubi sontes poenas luunt. Respicit divinas et iustas sanctiones.

Recte meminit huius operis, respondens alicui dicenti: « non est *punienda* infirmitas, sed e contra condonanda » (255); « qui (*liber*) ad nos non pervenit » (**604**), alii vero numquam a Dionysio compositum putant, attamen quaedam longiores digressiones, quae certam de peccatis et *de poenitentia* doctrinam supponunt et defendunt, in libro actuali de *Ecclesiastica Hierarchia* inveniuntur (cfr. III, 3, 6-7; VII, 3, 7 ubi episcopus vocatur « divinorum *iudiciorum* - *δικαιωμάτων* - interpres »), ex quibus coniicere licet eadem doceri in aliqua tractatione, *materialiter* tantum deperdita (cfr. 344-345).

Si autem diligenter tum quaestio tum responsio examinantur, suspicari licet quamdam historicam haud parvi momenti circumstantiam, aequalem forsan illi quam cognoscimus a Basilio descriptam in *laxismo anomoiorum:* « Tales enim eos qui fidei inopia laborant, diripiunt atque in animas, vero illo sponso Deo Verbo viduas, tyrannidem exercent ».

« Sed et si quempiam Deo orbatum per peccatum viderint, etiam hunc sibi quasi praedam vindicant, illis *promittentes securitatem* et *delectabilem vitam proponentes*, sub ea tantum conditione ut adhaereant *atheismi doctrinae*, eo modo quo agit nunc producta *Anomoiorum haeresis*. Hi enim scortatoribus, adulteris, masculorum concubitoribus... (I *Tim.* 1, 10) *veniam*

peccatorum concedunt, dummodo eos recipiant socios blasphemiae adversus Unigenitum » (*Com. in Is. proph.*, cap. X, n. 232; Opp. I, 555 CD).

Haec quae Basilius legens et explicans verba prophetae Sanctitatis Dei docebat, rursus loquens *de renuntiatione vitae et de perfectione vitae spiritualis* discipulis suis dicebat: « Contende ut ad maiores pervenias inter virtutes nec tamen minores negligas. Nullum parvipendas defectum, etsi id quod fit minus sit quam ut ullum scandalum pariat; imo vero *citius emenda per poenitentiam, quamvis multi multa admittant delicta et parva et maiora, nec tamen poenitentiam agant* » (*Sermo de renunt.*, n. 4; Opp. II, 206 B). Ex hac doctrina de *peccato* non tantum evolvitur pulchra doctrina de *poenitentia et de disciplina poenitentiali*, sed etiam doctrina tum *suffragii* tum *purgatorii*.

Dionysius (EH. VII, 3, 7) meminit amoris Dei erga homines qui pie vixerunt: propter bonitatem suam, concedit purificationem « a maculis quae contraxerunt *ex infirmitate* » et Ipse detegit, « quia ut eloquia dicunt, *nemo mundus a sorde* ». Sunt verba Iob (14, 5 iuxta vers. LXX), quae et Basilius citat (*hom. in psal.* XXXII, 4; Opp. I, 135 BC): « Hic itaque misericordia est sine iudicio, *non enim venit ut iudicet mundum, sed ut salvet mundum* (*Ioan.* 3, 17); *illic vero non est sine misericordia iudicium, propterea quod homo a sordibus purus reperiri nequeat* ».

Actus amoris Dei erga homines vita praesenti functos, designatur per participium παροράσης (EH. VII, 3, 7; 561 D) quod implicat, ut supra exposuit, *concessionem purificationis:* nam παροράω est « *limis oculis aspicio* » ob sordes ex infirmitate quidem contractas, sed animae pulchritudinem maculantes.

Inde suffragium Ecclesiae quae orat « divinam bonitatem ut defuncto peccata omnia dimittat quae per humanam infirmitatem contracta sunt » (EH. VII, 3, 4; 560 A) nempe « parva peccata » (Maximi *schol.* 177 C) quae nos « venialia » dicimus. His connectitur doctrina de purgatorio, ut distinctim eruitur ex Basilio.

Haec recolenda visa sunt, ne leviter doctrina Dionysii praetereatur et quaestio, quam breviter solvit, futilis appareat cursim legentibus. In fine tractationis de malo, quando Dionysius meus rursus manifestatur per illud: « *laudatum est* ipsum Bonum » (256), *quis sit* recognosco.

4ª QUOAD ILLUD: « τῶν κακῶν ἀναίτιον » (256).

Potius quam « non-causa », « *extra culpam* » vertendum videtur: circa ea quae mala sunt (malum culpae) vel iudicantur (malum poenae), Deus est « *extra culpam* » nec de hoc in iudicium vocari potest. Est ex Platone (*Republ.* X, 15; 617 E) et Ficinus ita latine reddit platonicum effatum: « Eligentis quidem culpa est omnis; Deus autem *extra culpam* » (ἀναίτως).

Textus iste inter « itinerantes » numerari potest, nam multoties invenitur tum apud externos auctores (v. gr. Porphyr., *ad Marcellam* 12) tum apud christianos scriptores (v. gr. Iust., *Apologia* I, 44; Hippol., *Refut.* I, 19; Eus., *Praep. Evang.* VI, 6; Greg. Naz., *Orat.* IV, 47). Clemens Alexandrinus hoc effato utitur pluries, ni fallor, quam quilibet alius christianus scriptor (*Paed.* I, 8; *Strom.* I, 1. 17; IV, 23. 26; V, 14; VII, 2. 4).

In *Paedagogo* respondit quaestioni Marcionitarum: « quomodo, si amans homines et bonus est Dominus, irascitur et punit? » et multa de *poenis* quae affligunt homines dicit sensu vere humano, v. gr. quando notat: « est velut quaedam chirurgia passionum animae, reprehensio », quae fit *per disciplinam vitae* et etiam *per doctrinam contemplationum quorumdam* (edit. Potter I, 136). Inde loquens de *ira Dei* concludit: « Non igitur Deus irascitur, ut nonnullis visum est, sed plerumque homines cohibet, semper autem hortatur et quae sunt agenda indicat. Bona autem est haec ars: terrere ne peccemus...

Unusquisque autem nostrum supplicium eligit, cum sponte peccat: *culpa autem est eligentis; in Deum culpa conferri nequit* » (ibid. 139).

CAPUT QUINTUM

De Existente, in quo et de Exemplaribus.

LECTIO I (34ª)

Praemissis quibusdam necessariis ad propositam intentionem prosequitur de causalitate primi Entis.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. V; textus nn. 257-274; expositio nn. **606-650**).

Determinat de ente:

A) Praemittit quaedam necessaria ad propositam intentionem:
- 1° - manifestat suam intentionem (257; **609-611**).
- 2° - excludit errorem (258; **612-613**)
- 3° - solvit quamdam obiectionem:
  - a) ponit eam (259; **614**)
  - b) solvit praemissam obiectionem (260; **615-617**).

B) Prosequitur de Causalitate primi Entis:
- 1° - ostendit processum essendi universalem in omnia:
  - a) ostendit omnia existentia universaliter esse a Deo:
    - j° - ostendit divinum esse universalem causalitatem respectu omnium existentium:
      - α) ostendit de quo est intentio (261; **622**)
      - β) prosequitur propositum:
        - I. ostendit quod Deus est causa omnium quae ad esse pertinent (262; **624-628**),
        - II. ostendit quod Ei, omnia quodammodo conveniunt (263; **629**),
        - III. ostendit quod omnia ab Eo removentur (264; **630**),
      - γ) epilogat ea quae dicta sunt (265; **631**).
    - ij° - ostendit quod ex ipso esse, Deus proprie magis denominatur:
      - α) prima ratio (266; **633-635**),
      - β) secunda ratio (267; **636-639**).
  - b) ostendit omnia in Ipso esse
    - j° - proponit quod intendit (268; **641**).
    - ij° - probat propositum:
      - α) per exempla:
        - I. proponit exempla (269; **644**; 270; **645**; 271; **646**; 272; **647**)
        - II. per exemplum arguit (273; **648**).
      - β) per rationem (274; **649-650**).
- 2° - ostendit quod a divino Esse effluunt etiam singula in speciali (Lectio 2ª).

TEXTUS DIONYSII

C. V, § 1. 257. — « Transeundum autem est nunc ad vere existentem vere existentis Dei theologicam laudationem *.

Tantum autem memorabimus quod sermonis intentio est non supersubstantialem substantiam, secundum quod supersubstantialis est, manifestare, ineffabile enim hoc et ignotum est et perfecte non manifestabile et ipsam excedens unitionem *,

sed substantificum thearchicae substantiae principatus * processum ad omnia existentia laudare.

Etenim boni * Dei-nominatio *, totos causae omnium processus manifestans et ad existentia et ad non existentia extenditur et, super existentia et super non-existentia est*;

existentis autem ad omnia existentia extenditur et super existentia est *;

vitae autem ad omnia viventia extenditur et super viventia est;

sapientiae vero ad omnia intellectualia et rationalia et sensibilia extenditur et super omnia ista est.

§ 2. — Istas igitur Providentiae manifestativas Dei-nominationes sermo laudare desiderat;

non enim promittit enarrare per se substantialem bonitatem et Deitatem *, et substantiam et vitam et sapientiam per se substantialis Divinitatis * quae est super omnem bonitatem et deitatem et substantiam et vitam et sapientiam in absconditis, sicut eloquia dicunt, supercollocatam; sed manifestatam * bonitatem et excedenter beneficam Providentiam et omnium bonorum causam laudat et existentem et vitam et sapientiam, quae facit substantiam et vivificat et est sapientia * donatrix causa his quae substantia et vita et ratione et sensu participant.

258. — Non autem aliud esse bonum * dicit et aliud existens et aliud vitam aut sapientiam neque multas causas et aliorum alias productivas deitates, excedentes et subiectas,

sed unius * esse omnes bonos processus et a nobis laudatas Dei-nominationes;

et hanc quidem esse perfecte unius Dei Providentiae manifestativam, quasdam autem universaliorum eiusdem et magis particularium.

§ 3. 259. — Et quidem, dicat aliquis: Quare existente excedente vitam et vita sapientiam, existentibus quidem viventia, viventibus autem sensibilia, istis autem rationabilia et rationabilibus mentes excellunt et circa Deum sunt et magis Ipsi appropinquant?

C. V. § *1. 257.* — [*816* B] *Μετιτέον δὲ νῦν ἐπὶ τὴν ὄντως ὄυσαν τοῦ ὄντως ὄντος θεολογικὴν οὐσιωνυμίαν *.*

*τοσοῦτον δὲ ὑπομνήσομεν ὅτι τῷ λόγῳ σκοπὸς οὐ τὴν ὑπερούσιον οὐσίαν ἢ ὑπερούσιος ἐκφαίνειν, — ἄρρητον γὰρ τοῦτο καὶ ἄγνωστόν ἐστι καὶ παντελῶς ἀνέκφαντον καὶ αὐτὴν ὑπεραῖρον τὴν γνῶσιν * —*

*ἀλλὰ τὴν οὐσιοποιὸν εἰς τὰ ὄντα πάντα τῆ, θεαρχικῆς οὐσιαρχίας * πρόοδον ὑμνῆσαι.*

*Καὶ γὰρ ἡ τἀγαθοῦ * θεωνυμία *. τὰς ὅλας τοῦ πάντων αἰτίου προόδους ἐκφαίνουσα, καὶ εἰς τὰ ὄντα καὶ εἰς τὰ οὐκ ὄντα ἐκτείνεται καὶ ὑπὲρ τὰ ὄντα καὶ ὑπὲρ τὰ οὐκ ὄντα ἐστίν *·*

*ἡ δὲ τοῦ ὄντος εἰς πάντα τὰ ὄντα ἐκτείνετα, καὶ ὑπὲρ τὰ ὄντα ἐστίν *·*

ἡ δὲ τῆς ζωῆς εἰς πάντα τὰ ζῶντα ἐκτείνεται καὶ ὑπὲρ τὰ ζῶντα ἐστίν·

*ἡ δὲ τῆς σοφίας εἰς πάντα τὰ νοερὰ καὶ τὰ * λογικὰ καὶ αἰσθητικὰ ἐκτείνεται καὶ ὑπὲρ πάντα ταῦτα ἐστίν.*

§ 2. [C] *Ταύτας οὖν ὁ λόγος ὑμνῆσαι ποθεῖ τὰς τῆς προνοίας ἐκφαντορικὰς θεωνυμίας· ,*

*οὐ γὰρ ἐκφράσαι τὴν αὐτοϋπερούσιον ἀγαθότητα καὶ οὐσίαν καὶ ζωὴν καὶ σοφίαν τῆς αὐτοϋπερουσίου θεότητος * ἐπαγγέλλεται, τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ἀγαθότητα καὶ θεότητα καὶ οὐσίαν καὶ σοφίαν καὶ ζωὴν ἐν ἀποκρύφοις — ὡς τὰ λόγιά φησιν — ὑπεριδρυμένης, ἀλλὰ τὴν ἐκπεφασμένην * ἀγαθοποιὸν πρόνοιαν, ὑπεροχικῶς ἀγαθότητα καὶ πάντων ἀγαθῶν αἰτίαν, ὑμνεῖ καὶ ὄν καὶ ζωὴν καὶ σοφίαν, τὴν οὐσιοποιὸν καὶ ζωοποιὸν καὶ σοφοδότιν * αἰτίαν τῶν οὐσίας καὶ ζωῆς καὶ νοῦ καὶ λόγου καὶ αἰσθήσεως μετειληφότων*

*258. — οὐκ ἄλλο δὲ εἶναι τὸ * ἀγαθόν φησι καὶ ἄλλο τὸ ὂν καὶ ἄλλο τὴν ζωὴν ἢ τὴν σοφίαν οὐδὲ πολλὰ τὰ αἴτια καὶ ἄλλων ἄλλας παρακτικὰς θεότητας ὑπερεχούσας καὶ ὑφειμένας·*

ἀλλ' [D] *ἑνὸς θεοῦ * τὰς ὅλας ἀγαθὰς προόδους καὶ τὰς παρ'* [*817* A] *ἡμῶν ἐξυμνουμένας θεωνυμίας·*

καὶ τὴν μὲν εἶναι τῆς παντελοῦς τοῦ ἑνὸς θεοῦ προνοίας ἐκφαντικήν, τὰς δὲ τῶν ὁλικωτέρων τοῦ αὐτοῦ καὶ μερικωτέρων.

§ 3. 259. — Καίτοι φαίη τις· ἀνθ' ὅτου, τοῦ ὄντος τὴν ζωὴν καὶ τῆς ζωῆς τὴν σοφίαν ὑπερεκτεινομένης, τῶν ὄντων μὲν τὰ ζῶντα, τῶν δὲ ὅσα ζῇ τὰ αἰσθητικὰ καὶ τούτων τὰ λογικὰ καὶ τῶν λογικῶν οἱ νόες ὑπερέχουσι καὶ περὶ θεόν εἰσι καὶ μᾶλλον αὐτῷ πλησιάζουσι;

Et quidem, oportet ea quae maioribus donis ex Deo participant et meliora esse et reliquis excellere.

260. — Sed si non subsistentia quidem et non viventia aliquis supponeret esse ea quae sunt intellectualia, bene quidem se haberet sermo;

si autem et sunt divinae mentes super reliqua existentia et vivunt super reliqua viventia et intelligunt et cognoscunt super sensum et rationem et plus quam omnia existentia pulchrum et bonum desiderant et eo participant, ipsae magis sunt circa bonum * abundanter ipso participantes et plura et maiora ex ipso dona possidentes,

sicut et rationabilia sensibilibus excellunt, abundantia rationis plus illis possidentia et quaedam sensu et alia, vita.

Et est, sicut arbitror, hoc verum, quod magis uno et infiniti doni Deo participantia, imaginis Ipsi sunt propinqua et diviniora derelictis.

§ 4. 261. — Quoniam autem et de istis diximus, age, bonum * sicut vere existens et existentium universorum substantificum laudemus,

262. — Quod * totius esse secundum virtutem supersubstantialem est substantificatrix causa et causatrix existentis, mentis *, personae, substantiae, naturae; principium et mensura saeculorum et quod facit esse * tempora et aevum existentium, tempus eorum quae fiunt, esse quocumque modo existentibus, generatio * quocumque modo genitis.

Ex existente et aevum et substantia et existens et tempus et generatio * et genitura et ea quae sunt in existentibus et ea quae, quocumque modo, insunt et substant.

263. Etenim Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter et incircumscripte, totum in seipso esse qui accepit et praeaccepit;

propter quod et Rex dicitur saeculorum, sicut in seipso et circa seipsum, omnium esse existentibus et substantifico et existente *;

264. — Et neque erat neque erit neque factus est neque gignitur * neque gignetur *; magis autem neque est, sed Ipse est esse existentibus; et non existentia solum, sed ipsum esse existentium est ex existente ante saecula:

Ipse enim est aevum aevorum, qui est ante saecula.

§ 5. 265. — Resumentes * igitur dicimus, quod omnibus existentibus et saeculis est esse a praeexistente

[1]) *Exod.* 3, 14.
[2]) I *Tim.* 1, 17.
[3]) Cfr. *Gen.* 21, 33; *Rom.* 16, 26.

καίτοι ἔδει τὰ τῶν μειζόνων ἐκ θεοῦ δωρεῶν μετέχοντα καὶ κρείττονα εἶναι, καὶ τῶν λοιπῶν [B] *ὑπερέχειν.*

260. — Αλλ' εἰ μὲν ἀνούσια καὶ ἄζωά τις ὑπετίθετο τὰ νοερά, καλῶς ἂν εἶχεν ὁ λόγος·

*εἰ δὲ καὶ εἰσιν οἱ θεῖοι νόες ὑπὲρ τὰ λοιπὰ ὄντα, καὶ ζῶσιν ὑπὲρ τὰ ἄλλα ζῶντα καὶ νοοῦσι καὶ γινώσκουσιν ὑπὲρ αἴσθησιν καὶ λόγον, καὶ παρὰ πάντα τὰ ὄντα τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ ἐφίενται καὶ μετέχουσιν, αὐτοὶ μᾶλλόν εἰσι περὶ τἀγαθὸν * οἱ περισσῶς αὐτοῦ μετέχοντες καὶ πλείους καὶ μείζους ἐξ αὐτοῦ δωρεὰς εἰληφότες·*

ὥσπερ καὶ τὰ λογικὰ τῶν αἰσθητικῶν ὑπερέχει πλεονεκτοῦντα τῇ περισσείᾳ τοῦ λόγου, καὶ ταῦτα τῇ αἰσθήσει καὶ ἄλλα τῇ ζωῇ.

Καὶ ἐστιν, ὡς οἶμαι, τοῦτο ἀληθὲς ὅτι τὰ μᾶλλον τοῦ ἑνὸς καὶ ἀπειροδώρου θεοῦ μετέχοντα, μᾶλλόν εἰσιν αὐτῷ πλησιαίτερα καὶ θειότερα τῶν ἀπολειπομένων [C].

*§ 4. 261. — Ἐπεὶ δὲ καὶ περὶ τούτων εἴπομεν, φέρε, τἀγαθὸν * ὡς ὄντως ὂν καὶ τῶν ὄντων ἁπάντων οὐσιοποιὸν ἀνυμνήσωμεν·*

*262. — « ὁ ὢν * »*[1] *ὅλου τοῦ εἶναι κατὰ δύναμιν ὑπερούσιός ἐστι ὑποστάτις αἰτία καὶ δημιουργὸς ὄντος, ὑπάρξεως, ὑποστάσεως, οὐσίας, φύσεως· ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων καὶ χρόνων ὀντότης * καὶ αἰὼν τῶν ὄντων· χρόνος τῶν γινομένων, τὸ εἶναι τοῖς ὁπωσοῦν οὖσι, γένεσις * τοῖς ὁπωσοῦν γινομένοις.*

*Ἐκ τοῦ ὄντος, αἰὼν καὶ οὐσία καὶ ὂν καὶ χρόνος καὶ γένεσις * καὶ γινόμενον· τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ὄντα καὶ τὰ ὁπωσοῦν ὑπάρχοντα καὶ ὑφεστῶτα.*

263. — Καὶ γὰρ ὁ θεὸς οὐ πώς ἐστιν ὢν ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ἀπεριορίστως ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς καὶ προειληφώς·

[D] *διὸ καὶ βασιλεὺς λέγεται*[2] *τῶν αἰώνων ὡς ἐν αὐτῷ καὶ περὶ αὐτὸν παντὸς τοῦ εἶναι καὶ ὄντος καὶ ὑφεστηκότος *·*

*264. — καὶ οὔτε ἦν οὔτε ἔσται οὔτε ἐγένετο οὔτε γίνεται * οὔτε γενήσεται *, μᾶλλον δὲ οὔτε ἐστίν, ἀλλ' αὐτός ἐστι τὸ εἶναι τοῖς οὖσι· καὶ οὐ τὰ ὄντα μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τῶν ὄντων ἐκ τοῦ προαιωνίως ὄντος·*

αὐτὸς γὰρ ἐστιν ὁ αἰὼν τῶν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων[3].

§ 5. 265. — [*820* A] *Ἀναλαβόντες *, οὖν, εἴπωμεν ὅτι πᾶσι τοῖς οὖσι καὶ τοῖς αἰῶσι τὸ εἶναι παρὰ τοῦ προόντος·*

et omne quidem aevum et tempus ex Ipso. Omnis autem et saeculi et temporis et omnis quocumque modo existentis, praeexistens est principium et causa

et omnia Ipso participant et a nullo existentium recedit et Ipse est ante omnia, et omnia in Ipso consistunt;

et simpliciter, si aliquid quocumque modo est, in praeexistente et est et intelligitur et salvatur;

266. — Et ante alias ipsius participationes, esse propositum est * et est ipsum secundum se esse senius * eo quod est per se vitam esse et eo quod est per se sapientiam esse et eo quod est per se similitudinem divinam esse; et alia quaecumque existentia participantia, ante omnia illa esse participant; magis autem, et ipsa secundum seipsa omnia, quibus existentia participant, ipso secundum se esse participant et nihil est existens, cuius non sit substantia et aevum,ipsum esse.

Convenienter igitur cunctis aliis principalius sicut existens Deus laudatur ex digniore * aliorum donorum eius.

267. — Etenim praeesse et super-esse praehabens et superhabens, ex ipso quod est *, ipsum dico, secundum se esse praeexistere fecit, et per ipsum esse omne quocumque modo existens subsistere fecit.

Et quidem, principia existentium omnia esse participant et sunt et principia sunt et primum sunt, postea principia sunt;

et, si vis, viventium, sicut viventium principium dicere per se vitam; et similium sicut similium per se similitudinem; et unitorum sicut unitorum per se unitionem; et ordinatorum sicut ordinatorum per se ordinationem; et aliorum quaecumque hoc aut hoc aut ambobus aut multis participant, hoc aut hoc aut utraque aut multa participata *, per se participationes invenies ipso esse * primum illas participantes et ipso esse * quidem primum existentes *, postea huius aut huius principia existentes et participare esse et existentes et participatas.

Si autem ista essendi participatione sunt, multo quidem magis ea quae ipsis primum participant.

§ 6. Primum igitur per se essendi donum, per se bonitas proponens *, digniore prima participatione laudatur.

268. — Et est * ex ipsa et in ipsa et ipsum esse et existentium principia et existentia omnia et quae quocumque modo ab esse sunt contenta; et hoc incomprehensibiliter * et coniuncte et singulariter.

269. — Etenim in unitate omnis numerus uniformiter praeexistit et habet omnem numerum unitas in seipsa singulariter; et omnis numerus unitur quidem in unitate, inquantum autem ab unitate procedit, tantum discernitur et in multitudine agitur.

270. — Et in centro omnes circuli lineae secundum unam unitionem coextiterunt et omnes habet signum in seipso lineas uniformiter unitas et ad se invicem et ad unum principium a quo processerunt; et in ipso quidem centro perfecte uniuntur, parum autem ab ipso distantes, parum et discernuntur; magis autem distantes et discernuntur magis;

et simpliciter, in quantum centro sunt propinquiores in tantum et ipsi et sibi invicem uniuntur; et in quantum ab ipso procedunt, in tantum a se invicem discernuntur.

§ 7. 271. — Sed et in tota totorum natura, omnes naturae uniuscuiusque rationes congregatae sunt secundum unam inconfusam unitionem.

272. — Et in anima uniformiter particularium omnium provisive totius corporis virtutes.

273. — Nihil igitur est inconveniens ex obscuris imaginibus ad omnium causam ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causa et sibi invicem contraria uniformiter et unite.

274. — Principium enim est existentium a quo et ipsum esse et omnia quocumque modo existentia: omne principium, omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia, omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio, omnis intellectus, omnis sermo, omnis sensus, omnis habitus, omnis statio, omnis motus, omnis unitio, omnis concretio, omnis amicitia, omnis concordatio, omnis discretio, omnis diffinitio et alia quaecumque, per esse existentia, existentia omnia figurant * ».

καὶ πᾶς μὲν αἰὼν καὶ χρόνος ἐξ αὐτοῦ, παντὸς δὲ καὶ αἰῶνος καὶ χρόνου καὶ παντὸς ὁπωσοῦν ὄντος, ὁ προὼν ἀρχὴ καὶ αἰτία·

καὶ πάντα αὐτοῦ μετέχει καὶ οὐδενὸς τῶν ὄντων ἀποστατεῖ καὶ « αὐτός ἐστι πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε »[1].

καὶ, ἁπλῶς, εἴ τι ὁπωσοῦν ἐστιν, ἐν τῷ προόντι καὶ ἔστι καὶ ἐπινοεῖται καὶ σώζεται·

*266. — καὶ πρὸ τῶν ἄλλων αὐτοῦ μετοχῶν τὸ εἶναι προβέβληται * καὶ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ τὸ εἶναι πρεσβύτερον * τοῦ αὐτοζωὴν εἶναι καὶ αὐτοσοφίαν εἶναι καὶ αὐτοομοιότητα θείαν[2] εἶναι καὶ τὰ ἄλλα ὅσων τὰ ὄντα μετέχοντα, πρὸ πάντων αὐτῶν τοῦ εἶναι μετέχει· μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὰ καθ' αὑτὰ* [B] *πάντα ὄντα τὰ ὄντα μετέχει τοῦ αὐτὸ καθ' αὑτὸ εἶναι μετέχει καὶ οὐδέν ἐστιν ὄν, οὗ μὴ ἔστιν οὐσία καὶ αἰὼν τὸ αὐτὸ εἶναι.*

*Πάντων οὖν εἰκότως τῶν ἄλλων ἀρχηγικώτερος ὡς ὢν ὁ θεὸς ἐκ τῆς πρεσβυτέρας * τῶν ἄλλων αὐτοῦ δωρεῶν ὑμνεῖται·*

*267. — καὶ γὰρ τὸ προεῖναι καὶ ὑπερεῖναι προέχων καὶ ὑπερέχων τὸ εἶναι πᾶν *, αὐτό φημι καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι προὔπεστήσατο καὶ τῷ εἶναι αὐτῷ πᾶν τὸ ὁπωσοῦν ὂν ὑπεστήσατο.*

Καὶ γοῦν αἱ ἀρχαὶ τῶν ὄντων πᾶσαι τοῦ εἶναι μετέχουσαι καί εἰσι καὶ ἀρχαί εἰσι καὶ πρῶτόν εἶσιν ἔπειτα ἀρχαί εἰσι·

καὶ, εἰ βούλει, τῶν ζῶντων ὡς ζώντων ἀρχὴν φάναι τὴν αὐτοζωὴν καὶ τῶν ὁμοίων ὡς ὁμοίων τὴν αὐτοομοιότητα καὶ τῶν ἡνωμένων ὡς ἡνωμένων τὴν αὐτοένωσιν καὶ τῶν τεταγμένων ὡς τεταγμένων τὴν αὐτοτάξιν καὶ [C] *τῶν ἄλλων ὅσα τοῦδε ἢ τοῦδε ἢ ἀμφοτέρων ἢ πολλῶν μετέχοντα, τόδε ἢ τόδε ἢ ἀμφότερα ἢ πολλά ἐστι *, τὰς αὐτομετοχὰς εὑρήσεις τοῦ εἶναι πρῶτον αὐτὰς μετεχούσας καὶ τῷ εἶναι πρῶτον μὲν οὔσας *, ἔπειτα τοῦδε ἢ τοῦδε ἀρχὰς οὔσας καὶ τῷ μετέχειν τοῦ εἶναι καὶ οὔσας καὶ μετεχομένας.*

Εἰ δὲ ταῦτα τῇ μετοχῇ τοῦ εἶναί ἐστι, πολλῷ γε μᾶλλον τὰ αὐτῶν μετέχοντα.

*§ 6. — Πρώτην οὖν τὴν τοῦ αὐτὸ εἶναι δωρεὰν ἡ αὐτοὑπεραγαθότης προβαλλομένη *, τῇ πρεσβυτέρᾳ πρώτῃ τῶν μετοχῶν ὑμνεῖται,*

*268. — Καὶ ἔστιν * ἐξ αὐτῆς καὶ ἐν αὐτῇ καὶ αὐτὸ το εἶναι καὶ τῶν ὄντων ἀρχαί* [D] *καὶ τὰ ὄντα πάντα καὶ τὰ ὁπωσοῦν τῷ εἶναι διακρατούμενα καὶ τοῦτο ἀσχέτως * καὶ συνειλημμένως καὶ ἑνιαίως.*

269. — Καὶ γὰρ ἐν μονάδι πᾶς ἀριθμὸς ἑνοειδῶς προὔφέστηκε καὶ ἔχει πάντα ἀριθμὸν ἡ μονὰς ἐν ἑαυτῇ μοναχῶς· καὶ πᾶς ἀριθμὸς ἥνωται μὲν ἐν τῇ μονάδι, καθ' ὅσον δὲ τῆς μονάδος πρόεισι κατὰ τοσοῦ[821A]*τον διακρίνεται καὶ πληθύνεται.*

270. — Καὶ ἐν κέντρῳ πᾶσαι αἱ τοῦ κύκλου γραμμαὶ κατὰ μίαν ἕνωσιν συνυφεστήκασι καὶ πάσας ἔχει τὸ σημεῖον ἐν ἑαυτῷ τὰς εὐθείας ἑνοειδῶς ἡνωμένας πρός τε ἀλλήλας καὶ πρὸς τὴν μίαν ἀρχὴν ἀφ' ἧς προῆλθον καὶ ἐν αὐτῷ μεν τῷ κέντρῳ παντελῶς ἥνωνται, βραχὺ δὲ αὐτοῦ διαστᾶσαι, βραχὺ καὶ διακρίνονται, μᾶλλον δὲ ἀποστᾶσαι μᾶλλον·

καὶ ἁπλῶς καθ' ὅσον τῷ κέντρῳ πλησιαίτεραί εἰσι κατὰ τοσοῦτον καὶ αὐτῷ καὶ ἀλλήλαις ἥνωνται, καὶ καθ' ὅσον αὐτοῦ κατὰ τοσοῦτον καὶ ἀλλήλων διεστήκασιν.

§ 7. 271. — Ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ ὅλῃ τῶν ὅλων φύσει πάντες οἱ τῆς [B] *καθ' ἕκαστον φύσεως λόγοι συνειλημμένοι εἰσὶ κατὰ μίαν ἀσύγχυτον ἕνωσιν,*

272. — καὶ ἐν τῇ ψυχῇ μονοειδῶς αἱ τῶν κατὰ μέρος πάντων προνοητικαὶ τοῦ ὅλου σώματος δυνάμεις·

273. — οὐδὲν οὖν ἄτοπον ἐξ ἀμυδρῶν εἰκόνων ἐπὶ τὸ πάντων αἴτιον ἀναβάντας, ὑπερκοσμίοις ὀφθαλμοῖς θεωρῆσαι πάντα ἐν τῷ πάντων αἰτίῳ καὶ τὰ ἀλλήλοις ἐναντία μονοειδῶς καὶ ἡνωμένως·

274. — ἀρχὴ γάρ ἐστι τῶν ὄντων ἀφ' ἧς καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι, καὶ πάντα τὰ ὁπωσοῦν ὄντα· πᾶσα ἀρχή, πᾶν πέρας, πᾶσα ζωή, πᾶσα ἀθανασία, πᾶσα σοφία, πᾶσα τάξις, πᾶσα ἁρμονία, πᾶσα δύναμις, πᾶσα φρουρά, πᾶσα ἵδρυσις, πᾶσα διανομή, πᾶσα νόησις, πᾶς λόγος, πᾶσα αἴσθησις, πᾶσα ἕξις, πᾶσα στάσις, πᾶσα κίνησις, πᾶσα ἕνωσις πᾶσα κρᾶσις, πᾶσα φιλία, πᾶσα ἐφαρμογή, πᾶσα διάκρισις, πᾶς ὅρος καὶ [C] *τὰ ἄλλα ὅσα τῷ εἶναι ὄντα, τὰ ὄντα πάντα χαρακτηρίζει *.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

606. — Postquam Dionysius tractavit de bono in 4° capitulo, hic in 5° determinat de ente; de quo determinat primum post bonum, quia bonum quodammodo ad plura se extendit, ut Platonici dixerunt: nam etiam non existens actu, quod est ens in potentia, ex hoc ipso quod habet ordinem ad bonum, habet rationem boni; sed causalitatem entis participat quando fit ens actu. Et quia quidam ponebant res fieri in actu, secundum aliquod exemplum alicuius formae praeexistentis, ideo in capitulo de ente, determinat etiam et de exemplis ad quae sunt entia [*lectio* 3ª], ut ex titulo patet.

607. — Dividitur autem hoc capitulum in duas partes: in prima, praemittit quaedam quae sunt necessaria ad propositam intentionem; in secunda, prosequitur de causalitate primi Entis; ibi [261]: *Quoniam autem...*

608. — Circa primum, tria facit: primo, manifestat suam intentionem; secundo, excludit errorem; ibi [258]: *Non autem...;* tertio, respondet cuidam obiectioni; ibi [259]: *Et quidem...*

[1]) *Colos.* 1, 17: pulcherrime et profundissime quae S. Paulus dicit de « Imagine Dei invisibilis », Dionysius in *theologia unita* inserit et exponit.

[2]) Cfr. cap. XI, 6; 421-426.

609. — Dicit ergo primo quod a consideratione boni *transeundum est nunc ad* veram laudem Dei secundum quod a sanctis Theologis nominantur ut *vere* existens. Sed hoc praescire oportet quod *non est* in praesenti sermone *intentio* quod ipsa supersubstantialis substantia Dei, *secundum quod* in seipsa supersubstantialiter existit, manifestetur, idest ut cognoscatur Dei essentia, *hoc enim* sermone explicari non potest nec nostra cognitione capi: quidquid enim intellectus noster apprehendit, minus est quam Dei essentia et quidquid lingua nostra loquitur, minus est quam esse divinum nec potest divina essentia manifestari *perfecte* unicuique intellectui creato ita quod eam comprehendat; sed excedit *ipsam unitionem* intellectus beatorum, qui essentiam Dei vident per unitionem sui intellectus ad ipsam Dei essentiam: quamvis enim videant hoc ipsum quod Deus est, non tamen est tanta perfectio visionis, quanta est perfectio ipsius esse divini et quanta est perfectio visionis qua Deus se videt.

610. — Non est ergo praesentis intentionis ut manifestetur ipsa Dei essentia, per quam omnia substantificantur, secundum quod in se est, sed quod laudetur processus essendi a divino Principio in *omnia existentia*. Quolibet enim divino nomine manifestatur aliquis processus alicuius perfectionis a Deo in existentia et secundum quod de Deo dicitur est supra omnia entia. Sicut nomen *boni* manifestat omnes processus universalis essentiae rerum et extendit se tam *ad existentia*, quam *ad non existentia*, inquantum non existentia habent aliquid boni, prout sunt in potentia ad esse.

Nomen vero entis designat processum essendi a Deo in *omnia* entia et secundum quod de Deo dicitur, *est super* omnia *existentia*.

Nomen vero *vitae extenditur ad omnia viventia* et secundum quod de Deo dicitur, *est super omnia viventia*.

Nomen vero *sapientiae* significat processum qui extenditur *ad omnia intellectualia et rationalia et sensibilia*, quia etiam ipse sensus, inquantum est cognitio quaedam, est participatio divinae Sapientiae, cum tamen divina Sapientia sit *super omnia ista*.

611. — Ad hoc ergo tendit iste *sermo* ut exponat Dei nomina secundum quod sunt manifestativa divinae *Providentiae*, per quam perfectiones rebus attribuuntur. *Non enim promittit* sermo iste quod narret istam Dei supersubstantialem *bonitatem et substantiam et vitam et sapientiam*, secundum quod in seipsa supersubstantialiter existit super omnia quae in creaturis inveniuntur; unde de Sapientia Dei dicitur Iob 28 [21], quod « *abscondita est ab oculis omnium viventium* ». Intentio ergo praesentis sermonis est laudare Deum nomine boni, secundum quod est causa *omnium bonorum;* et nomine existentis, secundum quod *facit* omnem *substantiam;* et nomine vitae, secundum quod *vivificat* omnia; et nomine sapientiae, secundum quod dat sapientiam.

612. — Deinde, cum dicit [258]: *Non autem...* excludit errorem quorumdam Platonicorum qui universales effectus in intelligibiliores causas reducebant. Et quia videbant effectum boni universalissimum esse, dicebant suam causam esse ipsum bonum quod effundit bonitatem in omnia, et sub ea ponebant aliam causam quae dat vitam et sic de aliis et huiusmodi principia dicebant deos.

613. — Hoc ergo excludit ipse Dionysius, dicens quod praesens sermo *non dicit aliud* principium *esse* ipsum *bonum et aliud* ipsum *existens et aliud vitam* et aliud *sapientiam. Neque* dicit praesens sermo esse *multas causas et* diversas *deitates productivas* diversorum, quorum quaedam sunt *excedentes* et quaedam inferiores, secundum omnes processus perfectionum in creaturis. Et omnia nomina quae hic exponuntur, dicit praesens sermo, esse *unius* Principii, et aliquod nomen esse quod manifestat totam providentiam Dei, universaliter, scilicet nomen boni; quaedam vero manifestant divinam providentiam, quantum ad aliquos determinatos effectus vel magis universales vel magis particulares, sicut ens, vivens et sapiens et huiusmodi.

614. — Deinde, cum dicit [259]: *Et quidem...* solvit quamdam obiectionem; et primo, ponit eam quae talis est: Cum ipsum esse excedat *vitam et vita* excedat *sapientiam*, unde est quod *viventia* supereminent *existentibus* et sentientia *viventibus* et *rationabilia* sentientibus, *et mentes*, idest intellectus angelici, *rationabilibus* creaturis, idest hominibus *et* magis *sunt circa Deum* et quasi magis assimilatae Ei *et magis* Ei *appropinquant* secundum dignitatem naturae, cum tamen oporteat *ea quae* maiora dona *participant* a *Deo, esse meliora et* supereminere aliis quae minora dona participant?

615. — Secundo, ibi [260]: *Sed si...* solvit praemissam obiectionem; et dicit quod *sermo* praedictae obiectionis recte *se haberet, si ea quae sunt intellectualia supponeret esse aliquis non* existentia vel *non* esse *viventia;*

tunc enim sicut esse praeemineret vitae et vita sapientiae, ita existentia praeeminerent viventibus et viventia sapientibus. Sed *divinae mentes* Angelorum non carent esse, quinimmo habent excellentius *super* alia *existentia* creata et habent vitam *super* alia *viventia et intelligunt et cognoscunt super* cognitionem sensus animalium et rationis humanae; et quantum ad ordinem ad bonum, super *omnia existentia desiderant pulchrum et bonum; et* non solum magis desiderant, quasi perfectius ordinatae in ipsum, sed *eo* magis *participant*, perfectiorem bonitatem actu habentes.

616. — His enim duobus modis, bonum in creaturis invenitur: aut secundum participationem actualem boni aut secundum ordinem ad bonum, sicut supra dictum est in 4° cap. quod bonum se extendit etiam ad non-ens actu [298, 355, 463]. Unde rationabiliter substantiae angelicae *magis sunt circa bonum* divinum per quamdam appropinquationem ad ipsum, quasi abundantius *ipso* divino bono *participantes*, quasi *possidentes* ab eo plura *et maiora* bona quam alia: plura quidem, quia habent intelligentiam quod multa non habent; maiora vero, quia ipsum esse et vivere quod alia habent, perfectius ab Angelis possidetur.

617. — Et similiter etiam *rationalia*, scilicet homines, supereminent *sensibilibus*, idest brutis animalibus, quia praeabundant eis in ratione quam prae eis possident; *et quaedam*, sicut animalia bruta, superant alia, ut plantas, in sensibili; *et alia*, scilicet plantae, superant cetera corpora inanimata in *vita*. Et universaliter hoc verum dici potest quod illa quae *magis* participant ipso *Uno*, quod est Deus, *et infiniti doni Deo* qui donativus est affluenter omnibus, ut dicitur Iac. 1 [5], propinquiora sunt Deo et magis Ei similia *derelictis*, idest his quae exceduntur.

618. — *Quoniam autem...* Praemissis quibusdam quae erant necessaria ad praesentem intentionem, hic [261], Dionysius accedit ad exponendum nomen entis, secundum quod de Deo dicitur. Et quia, sicut iam dixit [609], non est suae intentionis ineffabilem Dei essentiam manifestare secundum quod in se est, sed secundum quod nomen entis, de Deo dictum, manifestat processionem essendi a Deo in creaturas; ideo primo ostendit processum essendi universalem in omnia; secundo, ostendit quod a divino esse effluunt etiam singula in speciali; ibi [275]: *Et ex eadem...* [lectio 2ª].

619. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit omnia existentia universaliter esse a Deo; secundo, ostendit omnia in Ipso esse; ibi [268]: *Et est ex ipsa...*

620. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit divini esse universalem causalitatem respectu omnium existentium; secundo, ostendit quod ex ipso esse, Deus proprie magis denominatur, ibi [266]: *Et ante alias...*

621. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit de quo est intentio; secundo, prosequitur propositum; ibi [262]: *Quod totius...*; tertio, epilogat; ibi [265]: *Resumentes...*

622. — Dicit ergo primo [261]: Quia de praemissis dictum est, quorum cognitio praeexigebatur ad praesentem intentionem, debemus laudare ipsum bonum, quod est Deus, *sicut* in se *vere existens et* sicut faciens substantiam omnium *existentium*.

623. — Deinde cum dicit [262]: *Quod, totius...* prosequitur propositum, et circa hoc tria facit: primo, ostendit quod Deus est causa omnium quae ad esse pertinent; secundo, quod omnia Ei quodammodo conveniunt, ibi [263]: *Etenim...*; tertio, quod omnia ab Eo removentur, ibi [264]: *Et neque...*

624. — Dicit ergo primo quod ipsum bonum quod est Deus, *secundum* suam supereminentem *virtutem*, est *causa substantificatrix* omnium substantiarum, et creatrix omnium existentium, quia scilicet non producit substantias ex aliquo praeexistente, sed simpliciter omne existens ex virtute Ipsius provenit.

625. — Deinde, enumerat ea quae ad esse pertinere videntur: et primo, ponit duo universalia: scilicet existens et mentem, idest intellectum. Nam mens comprehensiva est totius esse. Sed quia mens, idest intellectus non fit actu intelligens nisi per participationem intelligibilis quod est ipsum existens, posuerunt Platonici quod ipsum existens, quod separatum ponebant, est supra intellectum creatum primum, sicut intelligibile est ante intelligens et participatum ante participans. Et propter hoc, Dionysius hic dixit, quod Deus est et ipsius *existentis causa* creatrix et ipsius *mentis*.

626. — Deinde, ponit ea quae pertinent specialiter ad ipsas substantias existentium; in quibus tria possunt considerari: quorum unum est ipsum singulare, quod in se actu complectitur principia et universalia et individualia ut Socrates vel Plato; et quantum ad hoc, dicit: *personae*.

Secundum vero est species vel genus, ut

homo vel animal, in quibus comprehenduntur universalia principia in actu, singularia antem in potentia: homo enim dicitur qui habet humanitatem, absque praecisione individualium principiorum; et quantum ad hoc, dicit: *substantiae*.

Tertium vero est ipsa essentia generis vel speciei, ut significetur nomine humanitatis (in quo quidem nomine comprehenduntur sola principia) speciei ratio: nullum enim individualium principiorum pertinet ad rationem humanitatis, nisi praecise significet hoc quod homo est homo. Nullum autem individualium principiorum est huiusmodi; unde in nomine humanitatis, non includitur nec actu nec potentia, aliquod individuale principium; et quantum ad hoc dicit: *naturae*.

627. — Ad rationem autem essendi pertinet primo quidem substantia rei, de qua iam dictum est; secundo vero ipsa mensura durationis rerum; et quantum ad hoc, subdit quod Deus est *principium et mensura saeculorum*. Dicitur autem saeculum mensura durationis uniuscuiusque rei. Unde unum saeculum dicitur tempus quo una generatio hominum durare potest vel quo solet durare communiter memoria factorum humanorum; unde, spatium mille annorum a quibusdam saeculum dicitur. Manifestum est autem quod a Deo praefigitur mensura durationis uniuscuiusque rei et ideo dicit quod est principium in quolibet genere et est mensura eorum quae sunt in genere illo, sicut unitas numerorum et tonus in melodiis. Ipsum ergo divinum Esse est mensura omnium saeculorum, non quidem adaequata, sed excedens.

Et consequenter exponit in speciali, quomodo sit principium saeculorum. Dupliciter enim aliqua existentia durationem habent: Quorumdam enim esse subiectum est mutationi; et horum duratio tempore mensuratur, et quantum ad hoc, dicit: *et quod facit esse tempora*. Quorumdam vero esse non subiacet mutationi et horum duratio aevo mensuratur; et quantum ad hoc, dicit: *et* facit *aevum existentium*. Sicut enim se habet tempus ad motum, ita se habet aevum ad ipsum esse; et ideo subdit quod Deus causaliter est *tempus eorum quae fiunt* et ipse est *esse* causaliter *omnibus quocumque modo existentibus;* in quo excludit opinionem Platonicorum qui ponebant et tempus et ipsum esse quasi separata subsistere sub Deo.

628. — Tertio, ad rationem essendi pertinet generatio quae est mutatio ad esse; et ideo subdit quod Deus est *generatio* causaliter *omnibus quocumque modo* generatis, quia Ipse omnibus generationem tribuit ut dicitur Esa. ult. 66 [9].

Et sic patet quod *ex* ipso primo *existente*, quod est Deus, causatur *et aevum* quod est mensura essendi; *et substantia*, quae est per se existens; *et* omne *existens* quocumque modo; et iterum, ex Deo causatur quod est mensura motus *et* ipsa *generatio* et id quod generatur, et non solum ipsa existentia causantur a Deo, sed etiam quaecumque *sunt in existentibus*, ut partes et proprietates naturales et ea quae quocumque modo vel *insunt*, ut accidentia, vel *substant*, ut substantiae.

629. — Deinde, cum dicit [263]: *Etenim Deus*... ostendit quod omnia conveniunt Deo, quodam modo. Ad cuius evidentiam considerandum est quod omnis forma, recepta in aliquo, limitatur et finitur secundum capacitatem recipientis; unde, hoc corpus album non habet totam albedinem secundum totum posse albedinis. Sed si esset albedo separata, nihil deesset ei quod ad virtutem albedinis pertineret. Omnia autem alia, sicut superius dictum est [623-625], habent esse receptum et participatum et ideo non habent esse secundum totam virtutem essendi, sed solus Deus, qui est ipsum esse subsistens, secundum totam virtutem essendi, esse habet; et hoc est quod dicit, quod ideo Deus potest esse causa essendi omnibus, quia Ipse *non est existens quodam modo*, idest secundum aliquem modum finitum et limitatum, sed Ipse universaliter et infinite *accepit in Seipso totum » esse et praeaccepit*, quia in Eo praeexistit sicut in Causa et ab Eo ad alia derivatur. Et ideo dicitur I Timoth. 1 [17]: *Rex saeculorum*, quia *in Seipso* habet totum *esse* et omnem substantiam et omnia existentia et iterum sicut *circa* Ipsum, inquantum ex Eo derivantur.

630. — Deinde, cum dicit [264]: *Et neque erat*... ostendit quod omnia ab Eo removentur, quantum ad illum modum quo creaturis conveniunt; et dicit quod Ipse *non erat*, quasi aliquid de suo esse in praeterito dilapsum sit; *neque erit*, quasi aliquid de suo esse expectetur in futurum; et hoc ideo, quia Ipse non *est factus*, solum autem illorum esse per praeteritum et futurum variatur, quae contingit fieri; neque etiam Ei contingit quod generetur in praesenti vel in futuro ad modum generationis temporalis; et quod plus est, *neque est*, secundum scilicet quod significatur tempus praesens, quia Eius esse tempore non mensuratur, *sed Ipse est esse existentibus*, non quidem ita quod ipse Deus sit esse formale existentium, sed eo modo loquendi utitur quo Platonici utebantur qui esse separatum dicebant esse existentium, inquantum compositiva per participationem abstractorum participantur. Et quod causaliter sit intelligendum, apparet per hoc quod subdit quod *non solum existentia* sunt ex Deo, *sed* etiam *ipsum esse existentium est* ex Deo, qui est *ante saecula;* et dicitur esse ante saecula quia *est aevum aevorum*, idest mensura omnium dimensionum.

631. — Deinde, cum dicit [265]: *Resumentes*... colligit ea quae dicta sunt et dicit resumendo quod omnia existentia et mensurae essendi habent *esse a Praeexistente; et omne aevum et tempus*, quae sunt durationes, sunt *ex ipso* et Ipse *est principium* effectivum *et causa* finalis *omnis saeculi et temporis et* cuiuslibet quocumque modo *existentis; et* iterum *omnia Ipso participant*, sicut prima forma exemplari; *et* non solum est causa quantum ad fieri rerum, sed et quantum ad totum esse et durationem, quod manifestat cum dicit: *et a nullo existentium recedit:* aedificatore enim recedente, domus remanet, quia est causa domus quantum ad fieri et non quantum ad esse, sed si Deus ab effectu recederet, effectus non remaneret, quia est causa ipsius esse. Et quia causa praeeminet effectibus, *Ipse est ante omnia et omnia consistunt in Ipso*, Colos. 1 [17], sicut effectus virtute praeexistunt in causa; et universaliter, quidquid quocumque modo est, praeexistit in primo ente, scilicet Deo et quantum ad esse quod habet in intellectu et quantum ad conservationem sui esse.

632. — Deinde, cum dicit [266]: *Et ante alias*... ostendit quod ens dictum de Deo, signat processum existentium a Deo; et ostendit quod hoc nomen ens, vel « qui est » convenientissime de Deo dicitur. Ostendit autem hoc duabus rationibus; quarum secunda incipit ibi [267]: *Etenim praeesse*...

633. — Prima ratio talis est: Si qua causa nominetur a suo effectu, convenientissime nominatur a principali et dignissimo suorum effectuum. *Ipsum* autem *esse* inter alios Dei effectus est principalius et dignius. Ergo Deus, qui a nobis nominari non potest nisi per suos effectus, convenientissime nominatur nomine entis. Hoc est ergo quod dicit, quod ipsum *esse propositum* est creaturis ad participandum *ante alias* Dei *participationes*. Quamcumque enim perfectionem creatura habeat, fit per hoc in Dei participatione, qui quasi proponitur et offertur omnibus ad participandum; sed per prius participatur quantum ad ipsum esse, quam quamcumque aliam perfectionem: *et ipsum* per *se esse est senius*, idest primum et dignius *eo quod est per se vitam esse et eo quod est per se sapientiam esse et eo quod est per se similitudinem divinam esse*.

634. — Considerandum autem hic occurrit, quod hic dicatur per se esse vel per se vita et huiusmodi.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod Platonici, quos multum in hoc opere Dionysius imitatur, ante omnia participantia compositionem, posuerunt separata per se existentia, quae a compositis participantur; sicut ante homines singulares qui participant humanitatem, composuerunt hominem separatum sine materia existentem, cuius participatione singulares homines dicuntur. Et similiter dicebant quod, ante ista viventia composita, esset quaedam vita separata, cuius participatione cuncta viventia vivunt, quam vocabant per se vitam; et similiter per se sapientiam et per se esse. Haec autem separata principia ponebant ab invicem diversa a primo principio quod nominabant per se bonum et per se unum.

Dionysius autem in aliquo eis consentit et in aliquo dissentit: consentit quidem cum eis in hoc quod ponit vitam separatam per se existentem et similiter sapientiam et esse et alia huiusmodi; dissentit autem ab eis in hoc quod ista principia separata non dicit esse diversa, sed unum principium quod est Deus, sicut supra dixit [258; 612-613].

Cum ergo dicitur per se vita, secundum sententiam Dionysii, dupliciter intelligi potest: uno modo, secundum quod per se importat discretionem vel separationem realem et sic per se vita est ipse Deus. Alio modo, secundum quod importat discretionem vel separationem solum secundum rationem et sic per se vita est quae inest viventibus, quae non distinguitur secundum rem, sed secundum rationem tantum a viventibus. Et eadem ratio est de per se sapientia et sic de aliis; et istam expositionem ponit infra in 6° cap. [421-426].

Hic autem per se vitam accepit pro vita quae inest viventibus: loquitur enim hic de participationibus, vita autem per se existens non est participatio.

635. — Quod autem per se esse sit primum et dignius quam per se vita et per se

sapientia, ostendit dupliciter: primo quidem, per hoc quod *quaecumque* participant aliis participationibus, primo *participant* ipso *esse:* prius enim intelligitur aliquod ens quam unum, vivens, vel sapiens.

Secundo, quod ipsum esse comparatur ad vitam, et alia huiusmodi sicut participatum ad participans: nam etiam ipsa vita est ens quoddam et sic esse, prius et simplicius est quam vita et alia huiusmodi et comparatur ad ea ut actus eorum. Et ideo dicit quod non solum ea quae participant aliis participationibus, prius *participant* ipso *esse*, sed, quod *magis* est, *omnia* quae nominantur per se ipsa, ut per se vita, per se sapientia et alia huiusmodi *quibus existentia participant, participant ipso* per *se esse:* quia *nihil est existens cuius ipsum* per se *esse non sit substantia et aevum*, idest forma participata ad subsistendum et durandum. Unde cum vita sit quoddam existens, vita etiam participat ipso esse.

Ex hoc ergo concludit principale propositum, scilicet quod *Deus convenienter, principalius* prae omnibus *aliis* nominibus, *laudatur sicut existens*, quasi ex *digniore donorum* suorum. Et quod principalius sic laudetur, patet Exod. 3 [14], ubi dicitur: « *Qui est misit me ad vos* ».

636. — Deinde, cum dicit [267]: *Etenim praeesse...* ponit secundam rationem quae talis est: Si alia causa nominetur a suo effectu, oportet quod principalius nominetur Deus per ipsum esse a primo effectu per quem omnia fecit; huiusmodi autem est ens; ergo principalius nominatur Deus per ipsum esse. Hoc ergo est quod dicit quod ipse Deus *praeesse et superesse* praehabet et superhabet.

637. — Hic ergo considerandum est quod dupliciter unum potest alteri praeferri, scilicet: quantum ad hoc quod habetur et quantum ad modum habendi, sicut unus homo qui habet maiorem scientiam quam alius, praefertur ei quantum ad quantitatem eius quod habetur. Sed Angelus in sapientia praefertur homini, non solum quantum ad quantitatem sapientiae, sed etiam quantum ad modum habendi, quia homo habet rationaliter, Angelus vero intellectualiter et sic utroque modo excedit, scilicet et quantum ad id quod habet et quantum ad modum habendi.

638. — Quantum autem ad id quod habet, excedit dupliciter, scilicet: secundum ordinem, quia prius habet esse et propter hoc dicit *praeesse;* et quantum ad dignitatem, quia excellentius esse habet et propter hoc dicit *superesse*. Et similiter quantum ad modum habendi potest intelligi ratio ordinis et dignitatis et ideo dicit: *praehabens et superhabens*. Sic igitur, Deus, eminentius esse habens ex seipso, per quamdam similitudinem inter alios effectus prius fecit esse *quod est*, idest *ipsum secundum se esse, et per ipsum esse fecit subsistere* omnia quaecumque sunt: per hoc enim unumquodque est causatum a Deo, per suum esse ex Deo et non solum alia existentia causata participant esse, sed etiam ipsa *principia existentium participant esse*, inquantum *sunt et principia sunt. Et primum* competit eis esse secundum se et *postea* quod sint *principia* aliorum.

639. — Etiam si aliquis velit dicere, secundum opinionem Platonicorum, quod per se vita, idest vita quaedam separata sub Deo, sit *principium viventium*, inquantum sunt viventia *et similium, per se* similitudo et similiter de omnibus aliis participantibus, *quaecumque participant hoc* vel illo vel *ambobus* vel *multis*, semper *invenies* quod huiusmodi, licet participentur ab aliis, tamen ipsa etiam participant *ipso esse*, et primo intelliguntur ut *participantes esse*, quam quod sinprincipia aliorum, per hoc quod ab aliis partia cipantur. Potest autem et hoc intelligi, see cundum quod per se vita intelligitur ipsvita quae inest viventibus, quae est formalt viventibus principium et similiter de aliis. Ergo *si ista* quae sunt principia aliorum, non *sunt* nisi per participationem *essendi, multo magis ea quae participant ipsis*, non sunt nisi per participationem ipsius esse. Et sic patet quod Deus per ipsum esse omnia causat. Ex quo concludit principale intentum et dicit quod Deus, qui est *per se bonitas* et primo *proponens* idest tribuens rebus creatis hoc *donum* quod est *per se* esse, *laudatur* hoc nomine, quod est quasi a *digniore et prima* suarum participationum.

640. — [268]: *Et ex ipsa et in ipsa est ipsum esse...* Postquam Dionysius ostendit quod omnia existentia universaliter sunt a Deo, hic intendit ostendere quod omnia universaliter sunt in Ipso; et circa hoc duo facit: primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum; ibi [269]: *Etenim...*

641. — Dicit ergo primo quod non solum *ex ipsa* Dei bonitate, sed etiam *in ipsa* est *ipsum* per se *esse*, quod est Dei participatio *et* omnia *principia existentium et omnia existentia*, tam substantiae quam accidentia *et* omnia *quocumque modo* continentur sub

esse, sicut entia imperfecta, ut ens in potentia et motus et alia huiusmodi. Et ne aliquis crederet quod ista hoc modo sint in Deo sicut in seipsis, consequenter hoc excludit. In seipsis enim omnia causata sunt finita, in Deo autem sunt infinita, quia in Deo sunt ipsa divina essentia; et ideo dicit: *et hoc incomprehensibiliter*. Iterum, in seipsis oppositionem habent et diversitatem, in Deo autem coniunguntur simul; et ideo dicit: *et coniuncte*. Iterum, in seipsis habent multitudinem, in Deo autem sunt unum; et ideo addit: *et singulariter*, idest unite.

642. — Deinde, cum dicit [269]: *Etenim...* probat propositum; et primo, per exempla; secundo, per rationem; ibi [274]: *Principium...*

643. — Circa primum, duo facit: primo, proponit exempla; secundo, per exemplum arguit; ibi [273]: *Nihil igitur...*

644. — Circa primum, proponit quatuor exempla: quorum primum est de unitate et numero; et dicit quod *numerus uniformiter praeexistit in unitate*, quia unitas virtute est omnis numerus, ut Boëtius dicit in *Arithmetica* [1]). Dicit autem: *uniformiter*, quia omne quod est in altero, est in eo per modum eius in quo est; unde numerus in unitate est existens in ea per modum unitatis et hoc est quod dicit: *uniformiter*. Iterum dicit: *unitas habet in seipsa omnem numerum*, quia omnes proprietates omnium numerorum aliquo modo inveniuntur in unitate: sive enim accipiam numeros quadratos sive cubicos sive quascumque alias figuras numerorum, in qualibet dispositione numerorum, invenitur unitas prima. Et iterum, considerandum est quod *omnis numerus in* ipsa *unitate* est unus, sed quanto magis recedit *ab unitate*, tanto magis distinguitur et in multitudinem deducitur.

645. — Secundum exemplum ponit de centro et dicit [270] quod *in centro omnes lineae* quae deducuntur ad circumferentiam, simul existunt sicut in principio communi; et illud *signum*, idest punctum quod dicitur centrum, *habet in seipso uniformiter, omnes lineas* coniunctas *et* sibi *invicem et* principio *a quo processerunt*, quia sicut ab uno producuntur in multitudinem, ita eorum multitudo terminatur ad centrum, sicut ad terminum.

Et considerandum est quod lineae quae *in ipso centro uniuntur perfecte, parum* recedentes a centro, *parum* distant ab invicem; *et* hoc *simpliciter* dicendum est quod *in quantum sunt centro propinquiores, in tantum et ipsi* centro *et sibi invicem* magis *uniuntur;* quanto vero magis distant a centro, tanto etiam magis distant *a se invicem*, sicut etiam est de numero qui quanto magis recedit ab unitate, tanto magis multiplicatur.

646. — Tertium exemplum ponit de natura universali [271], quae, secundum Platonem, est aliqua substantia separata; secundum Aristotelem vero, est aliqua virtus primi corporis naturalis. Utrolibet autem modo accipiatur natura universalis, manifestum est quod *in* universali *natura* omnium naturalium adunantur |*rationes* cuiuslibet *naturae* particularis, non per modum confusionis, sicut adunantur lapides in acervo, sed per modum unitionis cuiusdam: sicut si dicamus quod rationes generabilium virtualiter consistunt in sole et omnes rationes membrorum virtualiter existunt in semine.

647. — Quartum exemplum ponit de anima [272], quae est causa corporis et sicut efficiens et sicut forma et sicut finis ut dicitur in II° de Anima [2]); et sic *in anima*, sicut in causa communi, praeexistunt omnes *virtutes* partium animalis, quibus toti corpori praevidetur. Omnes enim virtutes radicantur in anima sicut in communi radice.

648. — Ex his igitur exemplis, concludit ulterius [273] quod nos possumus ex praemissis sicut ex quibusdam similitudinibus *obscuris*, idest deficientibus a divina repraesentatione, ascendere *ad* universalem *Causam omnium* per similitudinem causarum particularium, ut sic, *oculis* mentis transcendendo omnia mundana, contemplemur *omnia* simpliciter esse *in* Deo, qui est *omnium causa et* quod ea quae *sibi* sunt *invicem contraria*, prout sunt in suis naturis, in Deo praeexistunt simpliciter *et unite*. Quae enim est proportio particularis causae ad suos effectus, eadem est proportio universalis causae ad omnia.

649. — Deinde, cum dicit [274]: *Principium...* probat idem per rationem, per quam praedicta probatio confirmatur. Omnia enim multa quae sunt ex uno principio, praeexistunt unite in principio primo. Sic igitur

[1]) Lib. I cap. 7: « quare constat primam esse *unitatem* cunctorum qui sunt in naturali dispositione numerorum et etiam rit: *totius*, quamvis prolixae, *genitricem pluralitatis* agnosci » (ML 63, 1085 C). Quae Dionysius ex philosophorum neo-platonicorum *Theologoumenis Arithmeticae* exemplificat de *monade* (cfr. [*Iamblichus*] *Theologoumena Arithmeticae* ed. *de Falco*, Lipsiae 1922, cap. 1, pag. 1) diligenter Angelicus Doctor ex libro *Boëtii de Arithmetica* exponit.

[2]) C. 4: 415, b, 7-28; S. Th. lect. 7, nn. 318-323.

patet quod omnia sunt in Deo unite, cum Ipse sit *principium* omnium.

650. — In hac autem Dei causalitate, primo ponit ea quae pertinent ad ipsum esse; et dicit quod a Deo est *ipsum esse* rerum *et omnia existentia, quocumque modo* sint. Ad esse autem pertinet et principium essendi et finis, quia in omnibus existentibus inveniuntur; et ideo dicit quod ab Ipso est *omne principium et omnis finis*.

Secundo, ponit ea quae pertinent ad vitam; et dicit quod ex Deo est *omnis vita* et *immortalitas*, quae est indeficientia vitae.

Tertio, ponit ea quae pertinent ad sapientiam; et dicit quod ex Deo est *omnis sapientia*. Et quia sapientis est ordinare, subiungit: et *omnis ordo* et *omnis harmonia*, quae est convenientia ordinis.

Quarto, ponit ea quae pertinent ad virtutem; et dicit quod ex Deo est *omnis virtus*. Ad virtutem autem pertinet quod aliquis conservetur a nocivis et quantum ad hoc dicit: *omnis custodia;* et quod firmetur in his quae ei conveniunt et quantum ad hoc dicit: *omnis collocatio;* et quod diffundat ea quae quis habet et quantum ad hoc dicit: *omnis distributio*.

Quinto, ponit ea quae pertinent specialiter ad cognitionem; unde dicit: *omnis intellectus* quantum ad Angelos; *omnis sermo*, idest ratio quantum ad Homines; *omnis sensus* quantum ad animalia; *omnis habitus* quo perficitur ratio cognoscitiva vel appetitiva.

Sexto, ponit ea quae pertinent ad corporalia; et dicit: *omnis statio*, idest quies; et *omnis motus*.

Septimo, ponit ea quae pertinent ad unum; et dicit: *omnis unitio*, universaliter; *omnis concretio* quantum ad unionem corporum; *omnis amicitia* quantum ad unionem affectuum; *omnis concordatio* quantum ad unionem conceptionum et sententiarum.

Ultimo, ponit ea quae pertinent ad multitudinem; et dicit: *omnis discretio*, idest distinctio; et *omnis diffinitio*, idest determinatio uniuscuiusque: unumquodque enim determinatur in se per hoc quod est ab aliis distinctum. Et non solum ista sunt a Deo, sed *quaecumque alia* pertinent ad esse quibus entia informantur.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 257: « laudationem », *οὐσιωνυμίαν* - « *substantiae nominationem* ».

* : « et ipsam excedens unitionem » (*ἕνωσιν* - lect. com.); putat Gale aliter legendum: « semper ego existimavi theologiae scholasticae patres non satis firmo uti fundamento, dum sua dogmata solis Dionysii effatis superaedificant. Locum hunc aliter legi oportere: et ex ipso Dionysio et Iamblicho pro *ἕνωσιν* restitui debere *γνῶσιν, non eget probatione* » (*de Mysteriis*, nota pag. 291 ad VII, 4). Iamblichus ibi agit *de divinis nominibus* pulchre quidem, sed in sensu theurgico; principium eius sic sonat: « et si nobis ignotus existat, hoc ipsum est quod eius est maxime venerandum, nam *excellentior est quam ut in cognitionem* (*εἰς γνῶσιν*) *dividatur* ».

* : « substantiae principatus », *οὐσιαρχίας* - « thearchici principii », *vel* « thearchicae causae substantiae ».

* : boni Dei-nominatio, *τἀγαθοῦ θεωνυμία* - « Ipsius Boni divina nominatio ».

* : « et super existentia [ ] est » (*edit.*) sed recte additur: « *et super non-existentia est; existentis autem ad omnia existentia extenditur et super existentia* »; ex alicuius oscitantia, omissa; additionem confirmat *expositio* (610).

* : « *τά* ante *λογικά* omitti non potest » (Turturro).

* : « bonitatem [et Deitatem] »; superfluit « et Deitatem » add. ex seq. serie.

* : « per se substantialis Divinitatis », *θεότητος* - « *Deitatis* ».

* : « sed manifestatam... et existentem »; hanc versionem propono: « sed beneficam Providentiam quae se manifestavit (*ἐκπεφασμένην*) tamquam bonitatem per eminentiam et omnium bonorum Causam laudat et existentem ».

* : « sapientia donatrix », *σοφοδότιν* - « sapientiae donatrix ».

* ad n. 258: « esse bonum » consentit Maximus: *τὸ ἀγαθόν* (312 A).

* : « unius esse omnes, *ἑνὸς θεοῦ* - « unius Dei (esse) omnes ».

* ad n. 260: « sunt circa bonum »; « sunt circa *Ipsum* Bonum.

* ad n. 261: « bonum »; « *Ipsum* Bonum ».

* ad n. 262: « Quod totius... substantiae »; « "Qui est", totius esse *virtualiter* est *supersubstantialis causa sustentans* et effector entis, existentiae, subsistentiae, substantiae ». Unde lectio « mentis » pro « existentiae » me latet.

* : « quod facit esse tempora », *χρόνων ὀντότης* - « temporum entitas »; inde quod sequitur « et aevum existentium » non unite cum praecedenti, sed distincte legendum.

* : « generatio », *γένεσις* non est generatio (*γέννησις*), sed actio *in fieri* quae dependet ab Eo « qui est », cuius virtualitas tangit et ipsum fieri rerum (« ex Existente... et generatio » h. e. « fieri » rerum « et genitura » h. e. « quod *fit* »).

* ad n. 263: « sicut in seipso... et existente »; « ut in quo et penes quem cuiuslibet esse et sit et constet » (Cordier).

* ad n. 264: « neque gignitur neque gignetur; « neque *fit*, neque *fiet* »: est enim « Qui est ».

* ad n. 265: « resumentes »; « altius... repetentes » (Perionius-Cordier).

* ad n. 266: « propositum est », *προβέβληται* denotat actum divinum in sua virtualitate transeuntem (v. pag. 59 ad n. 56), inde verto: « emissum est »; corrigit Dionysius « emissiones » (*προβολάς*) gnosticorum per metaphysicam perfectionum positivarum in rebus creatis. Infra (421-426) distinctim explicatur haec doctrina, ut Angelicus Doctor notat (634).

* : « senius »; infra: « ex digniore »; *πρεσβύτερον* intellige: « per prius » (633) et: *ἐκ τῆς πρεσβυτέρας*, consequenter: « ex priore ».

* ad n. 267: « et superhabens, ex ipso quod est », *τὸ εἶναι πᾶν* - « *totum esse* »; altera pars: « ipsum dico secundum se esse » determinat quid intelligendum sit per « totum esse »; « *ex ipso* » superfluit in textu licet determinet causalitatem efficientem, forsan per aliquam marginalem glossam.

* : « participant... multa participata »; « participantia (*μετέχοντα*) ... aut multa sunt » (*πολλά ἐστι*).

* : « invenies... et participare esse »; « invenies esse (*τοῦ εἶναι*) primum illas participantes et per esse (*τῷ εἶναι*) primum quidem existentes (*μὲν οὔσας*, sic Turturro corrigit communem lectionem: *μενούσας*), postea huius aut huius principia existentes et participare esse (*τῷ μετέχειν τοῦ εἶναι*) et existentes et participatas ». Barbarice quidem, sed intelligibilius scriberem: « *de* esse... participantes »; « et *per* participare *de* esse ».

* : « proponens », *προβαλλομένη* - « emittens » (266).

* ad n. 268: « Et est »; graecum: *καὶ ἔστιν*, melius vertitur: « et *sunt*... ipsum esse et... existentia omnia ».

* : « incomprehensibiliter », *ἀσχέτως* - « absolute », nam haec relatio est realis ex parte creaturarum tantum; verti etiam potest « incomprehensibiliter » (641), sed primum melius videtur, quia *σχέσις* est *relatio* quae negatur *realis* ex parte Creatoris.

* ad n. 274: ...« per esse existentia »; in textu: « et alia quaecumque per esse existentia, existentia omnia signant »: « et toutes les autres modalités qui procédant de l'être *caractérisent* tous les êtres » (M. de Gandillac): « caractérisent » moderne et eleganter reddit: « *χαρακτηρίζει* », sanctus Doctor metaphysice exponit: « quibus entia *informantur* » (650), textum: « existentia omnia *figurant* » qui aliquoties ponitur initio seq. lectionis, sed non recte.

2ª Glossae marginales:

a) « *in absconditis* (*ἐν ἀποκρύφοις*) sicut eloquia dicunt » (257). Maximus (309 D) citat *psal.* 17, 12: « posuit tenebras *latibulum* (*ἀποκρυφήν*) suum » et *psal.* 80, 8: exaudivi te *in abscondito* (*ἐν ἀποκρύφῳ*) tempestatis ». In *psal.* 30, 21 legitur: « abscondes eos *in abscondito* (*ἐν ἀποκρύφῳ*, sed alia lectio habet: *ἐν ἀποκρύφοις*) faciei tuae ». Praesertim habetur *Isaias* 45, 15: « El Mistatter » iuxta Theodotionem et Symmachum: « *θεὸς κρυφαῖος* » « Deus absconditus » (cfr. CH. IV, 3; IX, 2; EH. I, 1; IV, 3, 1), sed iuxta Aquilam ponticum: « *θεὸς ἀποκρυπτόμενος* » unde *ἐν ἀποκρύφοις* facilior transitus. Hinc sapientiam habemus absconditam (I *Cor.* 2, 7), mysterium absconditum (*Ephes.* 3, 9; *Colos.* 1, 26) et in Christo sunt thesauri absconditi (*ἀπόκρυφοι*) sapientiae et cognitionis (*Colos.* 2, 3).

b) *De notione Dei et de aeone* (262) aliqua iam tetigi cursim et iuxta vires (pag. 64-65; 125). Nunc quaedam occurrunt notanda de quaestione quam diligentissime et acutissime examinat Basilius. Adversus Eunomium disputans, inter alia profundiora scribit: « Hi autem quia principii privatio (*τὸ ἄναρχον*) in Patre, aeternitas nominatur, privationem principii decernunt idem esse atque aeternitatem. Et quoniam Filius non est ingenitus (*ἀγέννητος*) ne aeternum quidem esse profitentur. Sed tamen haec differunt plurimum significatione. Nam ingenitum dicitur quod neque principium sui ipsius neque causam ut sit habet, aeternum vero quod tempore omni et aevo secundum esse antiquius (*κατὰ τὸ εἶναι, πρεσβύτερον*) est. Unde et Filius et non-ingenitus et aeternus » (*Adversus Eunomium* II, 17; Opp. I, 253 AB; cfr. *ibid.*, 13; 248 AB). Unde accurate Dionysius excludit quodlibet *fieri:* « neque factum est, neque fit neque fiet » (264). Deus *est*, unde *ἀγένητος*: absque ullo fieri. In hac profunditate latet mysterium Filii et non-ingeniti et aeterni.

c) « *Totum in seipso esse qui accepit et praeaccepit* » describit Eum qui est (263). « Nonnulla inquit (Billius) apud Gregorium loca sunt Dionysii Areopagitae verbis usque adeo similia ut ea ille ab ipso mutuatus esse non immerito cuipiam videri posse... *Orat.* 2ª de Pascha, de Deo loquens Gregorius « *ὅλον*, inquit, *ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι*. Dionysius autem capite 5 de divinis Nominibus *ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς*. Eodem loco Gregorius Deum esse dicit *πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον*. Quae verba non longe remota sunt ab his Dionysii, libro de Caelesti Hierarchia cap. 9: *θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος* » (MG. IV, 885 C-D). Moderni fere omnes haec excerpta a Dionysio ex *orat.* Gregorii Nazianzeni ponunt. Iuxta meam hypothesim, ex communi patrimonio familiae spiritualis originem habent (cfr. Basil., *Adversus Eunom.* I, 16; Opp. I, 228 B).

3ª De traditione vedantica apud Dionysium.

Quadam cum trepidatione titulum scripsi et quaestionem examino, nam de re difficillima agitur. Tamen quia casu in librum incidi ubi nexus geneticus inter hanc traditionem et doctrinam Dionysii affirmatur, ideo aliquid et de hoc determinare libet, etsi non adaequate et forsan nec sufficienter. Ad diligentiorem huius quaestionis inquisitionem cl. A. Huxley me coëgit qui, in suo libro *Grey Eminence*, « L'Eminenza Grigia » in versione italica, cap. III, de Dionysio tractans haec scribit: « *ex platonismo et ex variis fontibus orientalibus et ex sua propria experientia haustis notionibus philosophicis utitur auctor, qui traditionem mysticam in sua rigidiori forma vedanticam nempe, repraesentat* ».

Ideo hanc postillam appono ad textum huius lectionis, quia quae Dionysius affirmat (257) et distinctius infra (421-426) tractat, quamdam affinitatem habere videntur *cum notione upanishadica*, iuxta quam Deus est « essentia essentiarum » vel « realitas realitatum » (*Satyasya satyam* »; Brhadaranyaka-Upanishad II, 3, 6; vers. ital. Belloni-Filippi, *Due Upa-*

nishad. La dottrina del bianco e del nero Yajurveda, Lanciano 1912, pag. 49). Quam notionem aliquis in « *οὐσιαρχία* » (257) reperire forsan audet; similiter « *via negativa* » ad Deum cognoscendum habet suam formulam respondentem: « non est sic, non est sic » (*neti, neti;* ibid. IV, 2, 4, id., pag. 84) et *conclusio anhelitus* humani ad *Principium sustentans* et perficiens, contineri videtur in illo effato: « tu es Istud » (*Tat tvam asi*), ut legitur in Chandogya-Upanishad (*Lo spirito delle Upanishad* o *Aforismi dei saggi,* a cura del yogi Ramacharaka, Milano 1945, pag. 30).

Quaeri potest an talis influxus sit velut pictacium exterius tantum impositum ex aliqua praeconcepta opinione vel realis sit ex praesentia orientalium doctrinae ortus. Et si realis influxus recognoscitur, quaeri iterum potest an sit mediatus ex influxu nempe Orientalismi in philosophiam Platonis vel Plotini aut immediatus ex quodam contactu auctoris cum « theosophis » Indiarum. Quaestio est complexa et perdifficilis nam et pro summis illis sapientibus non una est sententia.

Quoad Platonem, quae in *Rep.* X, 13; 614 B leguntur (cfr. et Clem. Alex., *Strom.* V, 14; edit. Potter II, 711; Euseb., *Praep. Evang.* XIII, 13, 30; edit. Dindorf II, 205) quemdam influxum iranicum denunciare videntur, forsan ex « parvo Avesta » per illum librum, qui « Ardâ Virâf Nâmâk » audit, iter sacerdotis Ardâ in regionibus transmundanis narrantem. Quae vero leguntur apud Eusebium (*Praep. Evang.* XI, 3, 7-9; II, 5) ex Aristocle iuxta narrationem Aristoxeni *indicam originem* evolutionis theologicae in Socrate supponunt. Si enim « *ignorantes res divinas humanas scire nequeunt* » ex indico ore prolatum est, indicum effatum delphico oraculo: « *nosce teipsum* » novum valorem, theologicum nempe, praeter psychologicum communicat.

De Orientalismo in philosophia Plotini tractant recentiores qui aliqua elementa communia cum doctrina vedantica detegunt et ex Plotino derivationem in Dionysium supponunt. At non abs re, I. Maréchal S. I. nexum geneticum recognoscendum mavult inter doctrinam Plotini et principium Platonis de Bono omnia ad se attrahenti et quod omnes naturaliter appetunt (*Etudes sur la psychologie des mystiques,* II, Paris, 1937, pag. 78-80).

Notare hic placet quae apud Porphyrium (*de Abstin.* IV, 17) inveniuntur hausta ex libro Bardesanis. Si bene intelligo quae ibi leguntur, adest formula conciliationis inter traditionem brahmanicam et philosophiam upanishadicam per identitatem Brahman-Atman, dum scribit: « hoc est eorum principium doctrinale: *adorant Divinum* [Brahman] *et pietatem* [bhakti] *colunt, Ipsum* [Atman] *contemplantes* ».

Doctrinam brahmanicam nobis tradit Hippolytus, ubi scribit: « Hi *Deum lucem* esse dicunt, non qualem quis cernit nec qualis sol et ignis, sed est iis *Deus-Logus* non articulatus, sed *cognitionis* (*ὁ τῆς γνώσεως*) *per quem abscondita naturae arcana cernuntur sapientibus.* Hanc autem lucem quam dicunt *Logum* [Brahman] semet solos novisse qui sint Brahmanes, quippe qui soli abiecerint *vanagloriam,* quae est ultima animae tunica » (*Refut. omnium haeres.* I, 24). Hinc illa perfectiva cognitio est fructus victoriae contra hostes quales sunt gula, ira, voluptas, tristitia, cupiditas et quae sunt reliqua. « *Solus autem ad Deum graditur qui de his tropaeum erexit* » (*ibid.*).

Quae *Evagrius Ponticus* docet de *octo vitiosis cogitationibus* (MG. 40, 1271-1278) hanc brahmanicam ascesim in memoriam revocant et possibile est per *Samanaeos* seu ascetas *Bactrorum* (Clem. Alex., *Strom.* I, 15, edit. Potter I, 359) non tantum quae ad praxim asceticam, sed et quae ad theoriam theologicam pertinent, dum huc illuc peregrinabantur, propagata et pervulgata esse. Tunc melius intelligitur synthesis quae habetur apud Hippolytum: *Deus-Lux* (Iranismus), *Deus-Logus* (Hellenismus) *Deus-Brahman* (Induismus).

Rerum Indicarum notitiae abundantiores et diligentiores sunt apud veteres quam suspicari quis posset: sive ex libro Megasthenis quo utitur Clemens Alexandrinus (*Strom.* I, 15; edit. Potter I, 360) sive ex libro Bardesanis a quo haurit Porphyrius, quae ad indicam doctrinam pertinent non ignorabantur. Sotio alexandrinus qui « successionem philosophorum » descripsit, « ab illorum sententia (non) abhorruit qui philosophiam a barbaris excultam inde in Graeciam venisse nugabantur » (H. Diels, *Doxographi Graeci,* Berolini 1879, pag. 147). At si et ipse usus est libro Megasthenis, diversa culturae visio illi tribuenda est ut patet per Clementis Alex. textum et ex verbis Hippolyti, qui Sotionis libro usus est.

Praeter id quod materialiter sonat in littera, vita quaedam agitatur in verbis per verba loquentium qui ubique terrarum ideas ferunt. Unde quaedam notiones communes inveniuntur quae tamen novo spiritu apud Dionysium vivificantur. Hoc per quam manifestum est quoad notionem Dei tamquam « *satyasya satyam* »: interpretatio enim per exemplarismum divinum et per divinam virtualitatem, totaliter notionem illam transfigurat per lucem veri Hellenismi et christianae doctrinae.

Aliqua difficultas ex illo loco oriri potest qui apud Hippolytum notatur (ib. I, 24): « hunc *Logum* quem Deum vocant corporeum esse (dicunt) *circumamictum corpore extra seipsum* (*ἔξωθεν ἑαυτοῦ*) ... *exuto* autem corpore quo circumamicitur, manifeste (*ὀφθαλμοφανῶς*) apparere ». Quod quidem cum iis quae in Brhadaranyaka-Upanishad IV, 2, 4 (apud Belloni-Filippi *op. cit.,* pag. 84) et IV, 5, 12. 15 (id. ib. pag. 99-100) leguntur, aliquo modo, consona videntur.

Si verba *psalmi* 103, 2: « *amictus lumine sicut vestimento* », iuxta doctrinam Dionysii exposita recoluntur (cfr. 114-131 et maxime 371-372), Theopanismus upanishadicus distinctius forsan intelligitur vel saltem *exponi potest* tamquam manifestatio Illius qui *creator* est omnium.

De coetero, *per viam remotionis,* omnia sensibilia et intelligibilia creata ad Ilium ducunt qui *occultus* manet sed *ad Quem per viam fidei et charitatis pervenitur.*

Pluries autem notata est illa actio divina quae formaliter immanens et *virtualiter transiens* naturas rerum in reali positiva perfectione constituit.

Ex theopanismo upanishadico, *natura naturans* et *natura naturata* tamquam notiones Dei et mundi, aliquo modo, originem etsi remotam habere possunt, ut suspicor. Sed Angelicus Doctor *vigilanter* nos

admonet (**550**), circa usum et valorem huiusmodi notionum, quae *virtualitatem* actionis divinae evacuare videntur.

Periculum haud imaginarium mentem humanam involvendi in metaphysica phantasmatum clare apud gnosticos orientales perspicitur. Inde remotam originem notionum naturae naturantis et naturae naturatae in theopanismo indico suspicatus sum, originem vero proximam etsi non immediatam apud gnosticos alexandrinos.

Quae enim in opere gnostico « *Pistis Sophia* » Valentino adiudicato leguntur, aliquo modo eadem sapiunt: « *idem est genuinum μυστήριον unius eiusdemque Ineffabilis introspicientis et prospicientis* » (vers. M. G. Schwartze, edit. J. H. Petermann, Berolini 1853 pag. 140). Quid ex hac theoria « *cognitionis* » fidem « *salutarem* » transcendentis oriatur, maxime cum philosophi neo-platonici, gnosticismi placita, contra fidem « *salutarem* » per metaphysicam interioritatis theorice et practice fundant, notum.

De actione divina aliqua iam dicta sunt (pag. 59 ad n. 56); Clementis Alex. textum alterum addendum est: « *Ipse* autem... procul quidem essentia... proxime autem est potestate (*δυνάμει*) quae sinu suo omnia complectitur (*ἐγκεκόλπισται*)... et semper adest potestas Dei nos tangens potestate visiva, benefica et paedagogica - *ἐποπτικῇ... ἐνεργετικῇ... παιδευτικῇ... δυνάμει* (*Strom.* **II, 2**; edit. Potter I, 431). Hanc doctrinam *divinae virtualitatis secundum causam efficientem,* pulcherrime Dionysius enucleat per novam theoriam perfectionum primarum quae ad valorem ontologicum positivum rebus creatis communicant (266; **633-634**; cfr. 421-426; pag. 349-350).

LECTIO II (35ª)

Quod Deus est causa omnium particularium entium secundum quod sunt in propriis naturis.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. V; textus nn. 275-281; expositio nn. 651-662).

Ostendit quod Deus est causa omnium particularium entium, secundum quod sunt in propriis naturis.

A) ostendit propositum:
  1°) ostendit proprias naturas rerum esse a Deo:
    a) ponit omnes gradus entium a Deo esse:
      j° - distinguit gradus entium, dicens eos esse a Deo (275; **655**),
      ij° - subiungit gradus supremorum entium (276; **656**),
      iij° - distinguit gradus inferiorum entium (277; **657**).
    b) ostendit quod etiam ipsum esse commune est a Deo:
      j° - ostendit quod ipsum esse est omnibus commune (278; **659**),
      ij° - ostendit qualiter ipsum esse commune se habeat ad Deum (279; **660**).
  2°) infert corollarium ex dictis (280; **661**).
  3°) manifestat per exemplum (281; **662**).
B) determinat de exemplaribus (Lectio 3ª; 282),
C) epilogat quae supra dicta sunt (ib. 284).

TEXTUS DIONYSII

§ 8. 275. — « Et ex eadem omnium causa sunt et intelligibiles et intellectuales deiformium Angelorum substantiae et animarum et omnis * mundi naturae et * quocumque modo * aliis inesse aut secundum cogitationem esse dicta *.

276. — Et quidem, sanctissimae et provectissimae virtutes * existentes et sicut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis collocatae, ab Ipsa et in Ipsa et esse et deiformiter esse habent; et post illas, subiecte * et extreme * sicut ad Angelos, sicut ad nos autem supermundane.

277. — Et animae et alia omnia existentia secundum eamdem rationem et esse et bene esse habent et sunt et bene sunt ex praeexistente esse et bene esse habentia; et in Ipso et existentia et bene existentia; et ex Ipso incipientia et in Ipso custodita et ad Ipsum terminata.

278. — Et quasdam quidem dignitates essendi distribuit superioribus substantiis quas et aeternas vocant eloquia; esse autem ipsum ab existentibus omnibus nequaquam derelinquitur.

*§ 8. 275. — Καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς πάντων αἰτίας αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ τῶν θεοειδῶν ἀγγέλων οὐσίαι καὶ αἱ τῶν ψυχῶν καὶ αἱ τοῦ παντὸς * κόσμου φύσεις καὶ τὰ ὁπωσοῦν ἢ ἐν ἑτέροις ὑπάρχειν ἢ κατ' ἐπίνοιαν εἶναι λεγόμενα *.*

*276. — καὶ γοῦν αἱ πανάγιαι καὶ πρεσβύταται δυνάμεις ὄντως * οὖσαι καὶ οἷον ἐν προθύροις τῆς ὑπερουσίου Τριάδος ἱδρυμέναι πρὸς αὐτῆς καὶ ἐν αὐτῇ καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ θεοειδῶς εἶναι ἔχουσι· [D] καὶ μετ' ἐκείνας αἱ ὑφειμέναι τὸ ὑφειμένως * καὶ αἱ ἔσχαται τὸ ἐσχάτως * ὡς πρὸς ἀγγέλους, ὡς πρὸς ἡμᾶς δὲ ὑπερκοσμίως.*

277. — Καὶ αἱ ψυχαὶ καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὄντα, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι ἔχει καὶ ἔστι καὶ εὖ ἐστὶν ἐκ τοῦ προόντος τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι ἔχοντα καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ὄντα καὶ εὖ ὄντα, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀρχόμενα, καὶ ἐν αὐτῷ φρουρούμενα καὶ εἰς αὐτὸν περατούμενα.

278. — Καὶ τὰ μὲν πρεσβεῖα τοῦ εἶναι νέμει ταῖς κρείττοσιν οὐσίαις, ἃς καὶ αἰωνίας καλεῖ τὰ λόγια· τὸ δὲ εἶναι αὐτὸ τῶν ὄντων πάντων οὐδέποτε ἀπολείπεται·

279. — Et ipsum autem esse est ex [praeexistente
et Ipsius est esse et non Ipse est esse

et in Ipso est esse et non Ipse est in eo quod [est esse
et Ipsum habet esse et non Ipse habet esse

et Ipse est essendi aevum et principium et mensura ante substantiam existens et [ante id quod existit et ante aevum
et omnium substantificator et principium et [medietas et finis.

280. — Et propter hoc, ab eloquiis, qui vere praeexistit secundum omnium existentium intentionem multiplicatur
et erat in Ipso et est et erit et factum est et fit et fiet proprie laudatur:

ista enim omnia ut decet Deum intelligentibus *, ipsum secundum omnem intentionem supersubstantialiter esse significant et existentium ubique causam.

Etenim non hoc quidem est, hoc autem non est; neque alicubi quidem est, alicubi autem non est, sed omnia est, ut omnium causa et in Ipso omnia principia, omnes terminationes omnium * causa totorum comprehendens et praehabens et super omnia est, sicut ante omnia supersubstantialiter superexistens;

propter quod et omnia de Ipso et simul praedicantur et nihil est omnium:

omnis figurae, omnis formae, sine forma, sine pulchritudine;

principia et media et fines existentium incomprehensibiliter et excellenter in seipso praeaccipiens et omnibus esse, secundum unam et superunitam causam, immaculate lucendo superfundens.

281. — Si enim noster sol, sensibilium substantias et qualitates et quidem multas et differentes existentes, tamen ipse, unus existens et uniforme, lucendo superfundens lumen,

renovat et nutrit et custodit et perficit et discernit et unit
et reflorere facit et germinabilia esse facit et auget et commutat
et collocat et ex planta prodire facit et sursum movet et vivificat omnia et totorum unumquodque iuxta proprietatem suam eodem et uno sole participat et multorum participantium * unus sol causas
in seipso uniformiter praeaccepit, *
multo magis in causa omnium * et ipsius et omnium praeexistere existentium exemplaria * secundum unam supersubstantialem unitionem est concedendum,

quoniam et substantias producit secundum excessum a substantia ».

*279. — καὶ αὐτὸ δὲ τὸ [824 A] εἶναι ἐκ [τοῦ προόντος
καὶ αὐτοῦ ἐστι τὸ εἶναι καὶ οὐκ αὐτὸς τοῦ [εἶναι
καὶ ἐν αὐτῷ ἐστι τὸ εἶναι καὶ οὐκ αὐτὸς ἐν [τῷ εἶναι
καὶ αὐτὸν ἔχει τὸ εἶναι καὶ οὐκ αὐτὸς ἔχει [τὸ εἶναι
καὶ αὐτός ἐστι τοῦ εἶναι καὶ αἰὼν καὶ ἀρχὴ καὶ μέτρον πρὸ οὐσίας ὢν καὶ ὄντος καὶ αἰῶνος

καὶ πάντων οὐσιοποιὸς ἀρχὴ καὶ μεσότης καὶ [τελευτή.*

280. — Καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τῶν λογίων ὁ ὄντως προών κατὰ πᾶσαν τῶν ὄντων ἐπίνοιαν πολλαπλασιάζεται·
καὶ τὸ ἦν ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ ἔστι καὶ τὸ ἔσται καὶ τὸ ἐγένετο καὶ γίνεται καὶ γενήσεται κυρίως ὑμνεῖται·
*ταῦτα γὰρ πάντα τοῖς θεοπρεπῶς ὑμνοῦσι * τὸ κατὰ πᾶσαν αὐτὸν ἐπίνοιαν ὑπερουσίως εἶναι σημαίνει καὶ τῶν πανταχῶς ὄντων αἴτιον·*

*καὶ γὰρ οὐ τόδε μέν ἐστι τόδε δὲ οὐκ ἔστιν· οὐδὲ πῇ μὲν ἐστι πῇ δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ [B] πάντα ἐστὶν ὡς πάντων αἴτιος καὶ ἐν αὐτῷ πᾶσας ἀρχάς, πάντα συμπεράσματα πάντων τῶν ὄντων * συνέχων καὶ προέχων· καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ἐστὶν ὡς πρὸ πάντων ὑπερουσίως ὑπερών.*

Διὸ καὶ πάντα αὐτοῦ καὶ ἅμα κατηγορεῖται καὶ οὐδέν ἐστι τῶν πάντων·
πάνσχημος πανείδεος ἄμορφος ἀκαλλής,

ἀρχὰς καὶ μέσα καὶ τέλη τῶν ὄντων ἀσχέτως καὶ ἐξῃρημένως ἐν ἑαυτῷ προειληφῶς καὶ πᾶσι τὸ εἶναι κατὰ μίαν καὶ ὑπερηνωμένην αἰτίαν ἀχράντως ἐπιλάμπων.

281. — Εἰ γὰρ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος τὰς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας καὶ ποιότητας καίτοι πολλὰς καὶ διαφόρους οὔσας, ὅμως αὐτὸς εἷς ὢν καὶ μονοειδὲς ἐπιλάμπων φῶς,

ἀνανεοῖ καὶ τρέφει καὶ φρουρεῖ καὶ τελειοῖ καὶ διακρίνει καὶ ἑνοῖ
καὶ ἀναθάλπει [C] καὶ γόνιμα εἶναι ποιεῖ καὶ αὔξει καὶ ἐξαλλάττει
καὶ ἐνιδρύει καὶ ἐκφύει καὶ ἀνακινεῖ καὶ ζωοῖ πάντα καὶ τῶν ὅλων ἕκαστον οἰκείως ἑαυτῷ τοῦ ταὐτοῦ καὶ ἑνὸς ἡλίου μετέχει,
*καὶ τὰς τῶν πολλῶν μετεχόντων ἐχομένων * ὁ εἷς ἥλιος αἰτίας*
ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς, προέχει,
*πολλῷ γε μᾶλλον ἐπὶ τῆς καὶ αὐτοῦ * καὶ πάντων αἰτίας προϋφεστάναι τὰ πάντα * τῶν ὄντων παραδείγματα κατὰ μίαν ὑπερούσιον ἕνωσιν συγχωρητέον·*
ἐπεὶ καὶ οὐσίας παράγει, κατὰ τὴν ἀπὸ οὐσίας ἔκβασιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

651. — Postquam Dionysius ostendit Deum universalem omnium causam essendi, hic ostendit quod est causa omnium particularium entium, secundum quod sunt in propriis naturis; et dividitur in partes tres: in prima, ostendit propositum; in secunda, determinat de exemplaribus; ibi [282]: *Exemplaria autem...* [lectio 3ª]; in tertia, epilogat quae supra dicta sunt; ibi [284]: *Igitur...*

652. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit proprias naturas rerum esse a Deo; secundo, infert corollarium ex dictis; ibi [280]: *Et propter hoc...*; tertio, manifestat per exemplum; ibi [281]: *Si enim noster sol...*

653. — Circa primum, duo facit: primo, ponit omnes gradus entium a Deo esse; secundo, quod etiam ipsum esse commune est a Deo; ibi [278]: *Et quasdam...*

654. — Circa primum, tria facit: primo, distinguit gradus entium, dicens eos esse a Deo; secundo, subiungit gradus supremorum entium; ibi [276]: *Et quidem...*; tertio, distinguit gradus inferiorum entium; ibi [277]: *Et animae...*

655. — Dicit ergo primo quod *ex* universali *Causa omnium* quae Deus est, *sunt substantiae Angelorum*, Deo similium quae sunt *intelligibiles*, inquantum sunt immateriales et sunt *intellectuales*, inquantum habent virtutem intelligendi se et alia; et iste est primus gradus substantiarum, quae nec corpora sunt, nec corporibus unita.

Secundus gradus est substantiarum quae non sunt corpora, sed corporibus unita sunt; et quantum ad hoc dicit: *et animarum.*

Tertius gradus est substantiarum corporalium; et quantum ad hoc dicit: *et omnis mundi naturae.*

In quarto gradu entium, sunt accidentia quae sunt in novem generibus.

Quintus gradus est eorum quae non sunt in rerum natura, sed in sola cogitatione, quae dicuntur entia rationis, ut genus, species, opinio et huiusmodi; et quantum ad hos duos gradus, dicit quod a Deo sunt *quocumque modo* aliqua dicantur *inesse aliis*, sicut accidentia *aut esse secundum cogitationem*, sicut entia rationis.

656. — Deinde, cum dicit [276]: *Et quidem...* distinguit gradus supremorum entium, idest Angelorum qui in tres partes distinguuntur. Quantum ergo ad Angelos supremae hierarchiae, dicit quod *ab ipsa* universali Causa omnium *et* etiam *in ipsa habent et esse* et conformitatem ad Deum, *virtutes* Angelicae supremae hierarchiae, quae sunt *sanctissimae* propter perfectam coniunctionem ad Deum *et provectissimae* propter altitudinem qua aliis supereminent et sunt *collocatae* quasi *in vestibulis supersubstantialis* divinae *Trinitatis:* est enim sententia Dionysii, ut patet in XIII° cap. *Angelicae Hierarchiae* [1]) quod Angeli supremae hierarchiae ad exteriora non mittuntur et sic in abscondito altissimae divinae contemplationis constituti, semper assistere dicuntur, ad similitudinem ministrorum qui cum Rege semper morantur, in domibus eius excubantes.

Quantum vero ad Angelos secundae hierarchiae, dicit quod virtutes angelicae mediae hierarchiae, quae praedictis virtutibus subiiciuntur, *subiecte*, idest inferiori modo, a Deo esse habent.

Quantum vero ad Angelos infimae hierarchiae, angelicae virtutes habent esse a Deo, *extreme*, idest infimo modo.

Sed extremum et infimum dicitur in Angelis per comparationem ad superiores, sed per comparationem *ad nos*, sunt supermundanae et super modum rerum mundanarum Dei bonitatem participant.

657. — Deinde, cum dicit [277]: *Et animae...* distinguit quosdam gradus in inferioribus, scilicet in animabus et in corporalibus substantiis; et hoc dupliciter: primo, secundum ordinem qui est inter esse et bene esse; et hoc est quod dicit quod *animae et omnia alia existentia*, infra animas, *habent esse et bene esse* et denominantur *existentia et bene existentia*, inquantum *habent esse et bene esse* a primo Ente et inquantum sunt in primo Ente et entia et bene entia; et hoc, *secundum eamdem rationem*, secundum quam dicuntur haec de Angelis.

Secundo, ostendit gradum in istis quantum ad progressum essendi: huiusmodi enim incipiunt esse *ex ipso* primo Ente, sicut ex primo principio; *et in ipso* primo Ente custodiuntur, idest conservantur, sicut in primo principio quod est causa non solum faciens, sed et conservans in esse *et ad ipsum* primum Ens terminantur omnia sicut

[1]) § 4; MG III, 304 CD; cfr. cap. VII, § 2, ib. 208 A.

ad ultimum finem. Huiusmodi autem gradus attribuuntur substantiis inferioribus, inquantum sunt mutationi subiectae, per quam esse incipiunt et meliorantur, secundum processum de esse in bene esse.

658. — Deinde, cum dicit [278]: *Et quasdam...* ostendit quod Deus est causa ipsius esse communis; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quod ipsum esse est omnibus commune; secundo, ostendit qualiter ipsum esse commune se habeat ad Deum; ibi [279]: *Et ipsum...*

659. — Dicit ergo primo quod Deus *distribuit superioribus substantiis quasdam* nobiliores proprietates *essendi*, per quas superiores substantiae, vocantur *aeternae*, quasi semper existentes, secundum illud Psalmistae [Ps. 23 [7]]: « *Elevamini portae aeternales* ». Dicuntur autem aeternae quia, quantum ad aliquid, aeternitatem participant: non quia semper fuerunt, sed quia, ex quo fuerunt, numquam desinunt esse. Et licet huiusmodi *dignitates essendi* superioribus tantum substantiis conveniant, tamen hoc ipsum quod est *esse*, *ab omnibus existentibus* non *derelinquitur*, quia nihil potest dici existens nisi habeat esse.

660. — Deinde, cum dicit [279]: *Et ipsum...* ostendit quomodo esse se habeat ad Deum; et dicit quod *ipsum esse* commune *est ex* primo Ente, quod est Deus, et ex hoc sequitur quod esse commune aliter se habeat ad Deum quam alia existentia, quantum ad tria: primo quidem, quantum ad hoc quod alia existentia dependent ab esse communi, non autem Deus, sed magis esse commune dependet a Deo; et hoc est quod dicit quod ipsum *esse* commune *est ipsius Dei*, tamquam ab Ipso dependens, *et non ipse* Deus *est esse*, idest ipsius esse communis, tamquam ab ipso dependens.

Secundo, quantum ad hoc quod omnia existentia continentur sub ipso esse communi, non autem Deus, sed magis esse commune continetur sub eius virtute, quia virtus divina plus extenditur quam ipsum esse creatum; et hoc est quod dicit, quod *esse* commune *est in ipso* Deo sicut contentum in continente *et non* e converso *ipse* Deus *est in eo quod est esse.*

Tertio, quantum ad hoc quod omnia alia existentia participant eo quod est esse, non autem Deus, sed magis ipsum esse creatum est quaedam participatio Dei et similitudo Ipsius; et hoc est quod dicit quod *esse* commune *habet Ipsum* scilicet Deum, ut participans similitudinem Eius, *non* autem *ipse* Deus *habet esse*, quasi participans ipso esse. Et ex hoc patet quod *ipse* Deus est ipsius esse creati *aevum* et duratio eius, hoc est durationis ratio *et* est etiam *principium* eius *et mensura;* ita tamen quod Ipse est *existens ante* omnem *substantiam et ante* omne ens *et ante* omne *aevum* et non solum est ante, duratione vel ordine, sed etiam causalitate, quia est *omnium substantificator*, sicut causa subsistendi omnibus, est *principium* essendi omnibus *et medietas*, secundum quod duratio et processus omnium est ab Eo et est etiam *finis* in quem omnia tendunt.

661. — Deinde, cum dicit [280]: *Propter hoc...* infert conclusionem ex dictis; et dicit quod, *propter hoc* quod Deus est principium omnibus, in sacra Scriptura ipse Deus *qui vere praeexistit* omnibus, multipliciter *laudatur secundum* omnem rationem *existentium.* Dicitur enim de Eo, quod *erat et est et futurus est* [Apoc. I [8]], per quod intelligitur *quod factum est*, idest praeteritum *et* quod *fit*, idest praesens *et* quod *fiet*, idest futurum. Quod quidem non est intelligendum quasi esse divinum subiaceat tempori, sed per hoc significatur his qui possunt intelligere divina, *ut decet* secundum *Deum*, quod omne esse, *secundum* quamcumque rationem essendi, *supersubstantialiter* existit in Eo, qui omnium *existentium* est causa: non enim esse suum est finitum per aliquam naturam determinatam ad genus vel speciem, ut possit dici, quod *est hoc* et *non est* illud, ut sunt determinatae etiam substantiae spirituales; *neque* etiam per locum, ut possit dici quod *est* hic et *non est* ibi, sicut accidit in corporibus, *sed* Ipse quasi *omnium causa est omnia*, idest omne esse in se praehabet et in Ipso comprehenduntur et praehabentur *principia omnium entium* et fines; non tamen eodem modo sicut in ipsis rebus, sed Ipse *est super omnia, sicut ante omnia* supereminenter existens. Et quia in Ipso, quodammodo, sunt omnia, quasi in se omnia comprehendente, *simul* de Ipso *omnia praedicantur* et simul ab Ipso omnia removentur, quia *nihil est omnium*, sed super omnia; sicut dicitur quod Ipse est *omnis figurae*, inquantum omnes in Ipso praeexistunt et tamen est sine figura, quia non habet esse ad modum rerum figuratarum; et eadem ratione est omnis pulchritudinis et tamen *sine pulchritudine*, inquantum scilicet Ipse *in seipso incomprehensibiliter et excellenter* praeaccipit *principia, media et fines*, non secundum aliquam corruptionem, sed ex hoc quod Ipse *secundum* unitatem *unam, omnibus esse* infundit, superlucendo eis absque

sui maculatione: non enim est alterans alteratum, sicut in corporibus accidit.

662. — Deinde, cum dicit [281]: *Si enim noster sol...* manifestat quod dixerat per exemplum sensibile; et dicit quod *noster* sensibilis *sol, unus existens* et uniformiter *lumen* infundendo omnibus, omnia sensibilia et quantum ad *substantias et* quantum ad *qualitates, renovat,* quibusdam corruptis alia de novo generando, sicut in plantis et in vitibus ex gelu percussis apparet; *et nutrit* omnia viventia; *et custodit,* idest conservat universaliter omnia, tam viventia quam non viventia; *et perficit,* idest ad vitam et debitam perfectionem adducit; *et discernit,* idest distinguit sensibilium diversitatem; *et unit,* ex multis unum constituendo; *et* plantas hieme per frigus exsiccatas *reflorere facit,* etiam infra tecta conclusas *et facit* eas germinare, et eius virtute generantur plantae et animalia; *et commutat ea* quae commutantur in rerum natura; *et collocat,* idest firmiter esse et convalescere facit unumquodque in suo loco vel etiam in suis principiis; iterum, *ex planta facit prodire* fructus et semina et alias plantas; *et sursum movet* alimentum a radice plantarum ad summitates ipsarum; *et vivificat omnia* quae vivunt; *et unumquodque* omnium naturalium corporum, secundum *suam proprietatem, participat* virtutem unius et eiusdem solis.

Ex quo patet, quod *unus* et idem *sol in seipso* causaliter *praeaccepit uniformiter,* idest secundum suam virtutem, ea quae a diversis participantur: non enim effectus participarent causam, nisi causa in se praehaberet causaliter ea quae sunt effectuum.

Eadem autem est proportio causae particularis ad suos particulares effectus et causae universalis ad suos; quinimmo plus influit causa universalis ad suos effectus, quam causa particularis. Si igitur in sole secundum unam eius virtutem praeexistunt uniformiter omnes eius effectus, *multo magis* in Deo, qui est *causa et ipsius* solis *et omnium existentium,* concedendum est quod praeexistant exemplares rationes *omnium* entium *secundum* unitatem supersubstantialem, quae scilicet omnino substantiarum unitates excedit. Sic enim omnia praeexistunt in Deo, sicut Ipse omnium est productivus; producit autem omnes substantias secundum virtutem quae excedit substantias omnes; unde sequitur quod omnia in Deo praeexistant, *secundum* virtutem substantialiter *unam*..

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 275: « et omnis... esse dicta » - « et *totius* mundi naturae et *ea quae* quocumque modo *aut* aliis inesse aut secundum cogitationem (*ἐπίνοιαν* - « rationem ratiocinantem ») esse dicuntur ».

* ad n. 276: « virtutes *realiter* existentes ».

* : « et post illas *subiectae,* subiecte et *extremae,* extreme... »; quae duplicatio recte consideratur in expositione (**656**).

* ad n. 280: « intelligentibus » (*νοοῦσι*), alicubi legitur: *νοοῦσι ὑμνοῦσι,* « intelligentibus, laudantibus » unum vel alterum superfluit; communius: « intelligentibus » sed Turturro mavult: « laudantibus » supra enim legitur: « proprie laudatur » et consentio quia haec theologia est « laus Dei ».

* : « omnium causa totorum », « *πάντων τῶν ὄντων* » « omnes terminationes *omnium entium* »; unde sit « causa totorum » nescio.

* ad n. 281: « multorum participantium (*μετεχόντων*)... praeaccepit » (*προείληφε*). Turturro lectionem plenam restituit: « et unus sol uniformiter *praehabet* (*προέχει*) causas *multarum rerum quae participantes respiciunt* » (*τῶν πολλῶν μετεχόντων ἐχομένων*). Causae enim participantium in *solo* Deo sunt; inde *ἐχομένων* (cum *gen.*) quae *ad participantes* pertinent, exprimit; cfr. Plat. *Leg.* II, 6, 661 B: « *καὶ πάντα ὅσα ἔχεται τῶν αἰσθήσεων* » « *et omnia quae ad sensus pertinent* vel *sensus respiciunt* ».

* : « multo magis *in Causa et ipsius* (solis) *et omnium,* praeexistere *omnia exemplaria entium* secundum unicam supersubstantialem unitionem, concedendum est, quoniam et substantias producit, *secundum egressum* (*ἔκβασιν*) a substantia ». Non enim ingreditur Deus *intra definitionem* rerum, quae per causam materialem et formalem datur, sed « secundum egressum » (*ἐκβαίνω* = egredior) res producit (causa efficiens); cfr. Clementis Alex. textum, supra citatum (pag. 241).

2ª Glossae marginales:

a) « Sicut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis collocatae » (276) sunt deiformes mentes angelicae primae hierarchiae (CH. VII, 2). Clemens Alex. (*Strom.* VII, 7), Eusebius (*Demonst. Evang.* IV, 8) et Plotinus (*En.* V, 9, 2) diversimode expressione: « *in vestibulis* » utuntur ut notatum est (pag. 190-191).

b) Quoad « esse et bene esse » (277) pulcherrima sunt quae habentur ex Clemente Alex. et Gregorio Naz. ut iam notatum est ad n. 78 (pag. 79-80).

c) Illud triplex « *erat, est, erit* » (280) in memoriam revocat locum quo Ioannes enucleat notionem *Yahvé* (*Apoc.* 1, 4; et cfr. 8; 4, 8; 11, 17; 16, 5); « et qui venturus est » (*ὁ ἐρχόμενος*) idem est ac « " is qui *erit* „ , qui esse numquam desinet » (Zorell), unde sanctus Doctor in expositione: « *et futurus est* » (**661**).

Non abs re, Dionysius noster diversitatem temporum considerat relate ad Deum « qui est », nam

omnes norunt formulam arianam quae velut tessera ubique invenitur pervulgata : « fuit tunc, quando Filius non erat »; unde Basilius ut destruat illud: « *quoniam genitus est, ante generationem non erat* » examinat textus *Ioan.* 1, 1; *Apocal.* 1, 8 et *Exod.* 3, 14 (*Adversus Eunom.* II, 14, 18; Opp. I, 249 B-E; 253 D-E). Eaedem considerationes inveniuntur apud Athanasium et Gregorium Nazianzenum necnon omnes contra Arium et Eunomium *veram Dei notionem* vindicantes.

d) Quoad analogiam solis (281), cfr. quae supra (pag. 92-94, 105) exponuntur: nunc plenissimis velis Dionysius meus navigat.

LECTIO III (36ª)

De Exemplaribus.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. V; textus nn. 282-284; expositio nn. 663-673).

B) determinat de exemplaribus rerum:
- 1° - ostendit quae sunt rerum exemplaria (282; **664-666**).
- 2° - excludit contrarium errorem (283; **667-668**)

C) epilogat quae supra dicta sunt ostendens quomodo Deus habet universalem habitudinem ad omnia (284):
- 1° - Prima universalis habitudo est quod essentia divina omnia in seipsa praehabet (**669**).
- 2° - Secunda est quod omnia in esse continet et conservat (**670**)
- 3° - Tertia est quod singularis et una existens participatur ab omnibus (**671**).
- 4° - Quarta est quod divina essentia est omnium principium et finis (**672-673**).

TEXTUS DIONYSII

282. — « Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter * praeexistentes, quas Theologia praediffinitiones vocat et divinas et bonas voluntates, existentium praedeterminativas * et effectivas, secundum quas substantialis essentia * omnia praediffinivit etproduxit.

§ 9. 283. — Si autem philosophus Clemens probat et ad aliquid * exemplaria dici in existentibus principaliora, procedit quidem non per propria et perfecta et simplicia nomina, sermo ille.

Concedentibus autem et hoc recte dici, memoranda est Theologia, dicens quod non demonstrabo * tibi illa ut eas post illa, sed ut per istorum proportionalem cognitionem, ad omnium causam, sicut possumus, sursum agamur.

284. — Igitur, omnia existentia Ipsi secundum unam omnium segregatam unitionem sunt attribuenda; quoniam ab essentia * substantificae processionis et bonitatis incipiens et per omnia vadens et omnia ex ipsa * essentia * implens et in omnibus existentibus exultans,

omnia quidem in seipsa praehabet secundum unum simplicitatis excessum, omnem duplicitatem refutans; omnia autem eodem modo continet, secundum supersimplificatam ipsius infinitatem et ab omnibus singulariter participatur,

quemadmodum et vox una existens et eadem, a multis audientibus sicut una participatur.

*282. — Παραδείγματα δέ φαμεν εἶναι τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς καὶ ἑνιαίως * προϋφεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία*[1] *προορισμοὺς καλεῖ καὶ θεῖα καὶ ἀγαθὰ θελήματα, τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ * καὶ ποιητικά, καθ' οὓς ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε καὶ παρήγαγεν.*

§ 9. 283. — [D] *Εἰ δὲ ὁ φιλόσοφος ἀξιοῖ Κλήμης καὶ πρός τι * παραδείγματα λέγεσθαι τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα, πρόεισι μὲν οὐ διὰ κυρίων καὶ παντελῶν καὶ ἁπλῶν ὀνομάτων ὁ λόγος αὐτῷ·*

συγχωροῦντας δὲ καὶ τοῦτο ὀρθῶς λέγεσθαι, τῆς θεολογίας[2] *μνημονευτέον* [825 A] *φασκούσης ὅτι οὐ παρέδειξά * σοι αὐτὰ τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω αὐτῶν, ἀλλ' ἵνα διὰ τῆς τούτων ἀναλογικῆς γνώσεως ἐπὶ τῶν πάντων αἰτίαν, ὡς οἷοί τέ ἐσμεν, ἀναχθῶμεν.*

*284. — Πάντα οὖν αὐτῇ τὰ ὄντα κατὰ μίαν τὴν πάντων ἐξῃρημένην ἕνωσιν ἀναθετέον· ἐπείπερ ἀπὸ τοῦ εἶναι * τῆς οὐσιοποιοῦ προόδου καὶ ἀγαθότητος ἀρξαμένη καὶ διὰ πάντων φοιτῶσα καὶ πάντα ἐξ ἑαυτῆς * τοῦ εἶναι * πληροῦσα, καὶ ἐπὶ πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀγαλλομένη,*

πάντα μὲν ἐν ἑαυτῇ προέχει κατὰ μίαν ἁπλότητος ὑπερβολήν, πᾶσαν διπλόην ἀπαναινομένη, πάντα δὲ ὡσαύτως περιέχει κατὰ τὴν ὑπερηπλωμένην αὐτῆς ἀπειρίαν, καὶ πρὸς πάντων ἑνικῶς μετέχεται,

καθάπερ καὶ φωνὴ μία οὖσα καὶ ἡ αὐτὴ πρὸς πολλῶν ἀκοῶν ὡς μία μετέχεται.

[1]) Cfr. *Rom.* 8, 29. 30; I *Cor.* 2, 7; *Ephes.* 1, 5.
[2]) *Sap.* 13, 5; cfr. *Rom.* 1, 20.

§ 10. — Omnium igitur existentium est principium et finis qui praeexistit:

principium quidem sicut causa; finis autem sicut cuius gratia et terminus omnium et infinitas omnis infinitatis et finis, excedenter, sicut oppositorum.

In uno enim, sicut multoties dictum est, existentia omnia et praehabet et subsistere facit, praesens omnibus et ubique et secundum unum et idem et secundum idem omne

et ad omnia procedens et manens in seipso et stans et motus et neque stans neque motus neque principium habens aut medium aut finem neque in aliquo existentium * neque aliquid existentium existens;

et neque totaliter ipsi convenit aliquid aeternaliter existentium aut temporaliter subsistentium, sed et a tempore et aevo et his quae sunt in aevo et his quae sunt in tempore omnibus segregatur.

Propter quod et ipsum aevum et existentia et mensurae existentium et mensurata per Ipsum et ab Ipso ».

§ 10. — [B] *Πάντων οὖν ἀρχὴ καὶ τελευτὴ τῶν ὄντων ὁ προών·*

ἀρχὴ μὲν ὡς αἴτιος, τέλος δὲ ὡς οὗ ἕνεκα καὶ πέρας πάντων καὶ ἀπειρία πάσης ἀπειρίας καὶ πέρατος, ὑπεροχικῶς, τῶν ὡς ἀντικειμένων.

Ἓν ἑνὶ γάρ, ὡς πολλάκις εἴρηται, τὰ ὄντα πάντα καὶ προέχει καὶ ὑπέστηκε, παρὼν τοῖς πᾶσι καὶ πανταχοῦ καὶ κατὰ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ πᾶν·

καὶ ἐπὶ πάντα προϊὼν καὶ μένων ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ ἑστὼς καὶ κινούμενος, καὶ οὔτε ἑστὼς οὔτε κινούμενος, οὔτε ἀρχὴν ἔχων ἢ μέσον ἢ τελευτήν, οὔτε ἕν τινι τῶν ὄντων οὐδέ τι τῶν ὄντων ὄν.

Καὶ οὔτε ὅλως αὐτῷ προσήκει τι τῶν αἰωνίως ὄντων ἢ τῶν χρονικῶς ὑφισταμένων, ἀλλὰ καὶ χρόνου καὶ αἰῶνος καὶ τῶν ἐν αἰῶνι καὶ τῶν ἐν χρόνῳ πάντων ἐξῄρηται·

διότι καὶ αὐτοαιών καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μέτρα τῶν ὄντων καὶ τὰ μετρού[C]μενα δι' αὐτοῦ καὶ ἀπ' αὐτοῦ.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

663. — Postquam Dionysius ostendit Deum esse causam omnium entium secundum proprias naturas, hic determinat de exemplaribus rerum secundum quae, quaecumque res in propriis naturis productae esse videntur; et circa hoc, duo facit: primo enim ostendit quae sunt rerum exemplaria; secundo, excludit errorem; ibi [283]: *Si autem...*

664. — Circa primum, considerandum est quod Platonici, ponentes Deum esse totius esse causam, quia credebant quod idem non posset esse causa plurium, secundum propria in quibus differunt, sed solum secundum id quod est omnibus commune, posuerunt quasdam secundas causas per quas res ad proprias naturas determinantur et quae communiter esse a Deo recipiunt et has causas exemplaria rerum vocabant, sicut exemplar hominis dicebant quemdam hominem separatum, qui esset causa humanitatis omnibus singularibus hominibus; et similiter de aliis. Sed Dionysius, sicut dixerat Deum esse causam totius esse communis [279; **660**], ita dixerat eum esse causam proprietatis uniuscuiusque [275; 655; 281; **662**], unde consequebatur quod in ipso Deo essent omnium entium exemplaria.

665. — Quod quidem hoc modo intelligi oportet: Deus enim, etsi sit in essentia sua unus, tamen intelligendo suam unitatem et virtutem, cognoscit quidquid in Eo virtualiter existit. Sic igitur cognoscit ex Ipso posse procedere res diversas; huiusmod igitur quae cognoscit ex Se posse prodire rationes intellectae dicuntur. Non autem omnes huiusmodi rationes exemplaria dici possunt: exemplar enim est ad cuius imitationem fit aliud; non autem omnia quae scit Deus ex Ipso posse prodire, vult in rerum natura producere; illae igitur solae rationes intellectae a Deo exemplaria dici possunt, ad quarum imitationem vult res in esse producere, sicut producit artifex artificiata ad imitationem formarum artis quas mente concepit, quae etiam artificialium exemplaria dici possunt.

666. — Hoc est ergo quod dicit, quod *exemplaria dicimus esse* non res aliquas extra Deum, sed *in* ipso intellectu divino quasdam existentium *rationes* intellectas, quae sunt substantiarum factivae, et praeexistunt in Deo *singulariter*, idest unite et non secundum aliquam diversitatem; et huiusmodi rationes sacra Scriptura *vocat praediffinitiones* sive praedestinationes, secundum illud Rom. 8 [30]: « *Quos praedestinavt hos et vocavit* » et vocat etiam eas, *divinas et bonas voluntates*, secundum illud Psalm. 110 [2]: « *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates Eius* ». Quae quidem praediffinitiones et voluntates sunt distinctivae entium et effectivae ipsorum, quia et *secundum* huiusmodi *rationes*, supersubstantialis Dei *essentia* praedeterminavit *et omnia produxit.*

667. — Deinde, cum dicit [283]: *Si autem philosophus Clemens...* excludit contrarium errorem ponentium exemplaria rerum esse quaedam suprema entia separata et imponit hunc errorem cuidam Clementi philosopho; et dicit quod *si* ille *Philosophus* approbat quod quantum *ad aliquid* ea quae sunt *principaliora in existentibus* dicuntur inferiorum *exemplaria, non procedit* eius ratio *per nomina propria et perfecta et simplicia:* exemplar enim est secundum quod fit aliud ut sic exemplar imitetur; res autem non sunt factae ad hoc ut imitentur aliqua superiora entia, sed ad hoc quod in eis impleatur quod divina sapientia ordinavit; unde non sunt proprie rerum exemplaria, quaecumque rerum principalia. Similiter etiam non sunt *perfecta* exemplaria, cum et ipsa aliis exemplaribus indigeant. Non sunt etiam *simplicia,* quia sunt simul exemplaria et exemplata.

668. — Sed si et hoc concedatur quod *hoc recte dici* possit quod superiora sunt inferiorum exemplaria inquantum inferiora imitantur secundum quod possunt superiora, tamen commemoranda est sacrae Scripturae sententia quae dicit: *non* monstrabo *tibi illa,* scilicet superiora entia *ut eas post illa, sed ut* cognoscendo ista secundum nostram proportionem elevemur, prout *possumus, ad* cognoscendum *omnium Causam.*

Sic ergo concedi potest quod sunt exemplaria, non quidem ut eis finaliter conformemur, sed ut per eorum considerationem tendamus in Deum, cui conformari debemus. Sumitur autem sententia illa sacrae Scripturae, ex hoc quod dicitur Deuter. 4 [19]: « *Ne forte* (inquit) *oculis elevatis ad coelum, videas solem et lunam et omnia astra coeli et errore deceptus adores ea* ».

669. — Deinde, cum dicit [284]: *Igitur...* epilogat quae supra dicta sunt, ostendens quomodo Deus habet universalem habitudinem ad omnia. Concludit ergo primo ex praemissis, quod *omnia sunt* Ei *attribuenda,* non quidem secundum aliquam compositionem, sed *secundum* aliquam simplicem unitatem. Et hoc ideo quia ipse Deus incipit suam perfectionem aliis communicare *ab* ipsa processione essendi per quam res substantificantur et ab ipsa processione *bonitatis;* haec enim inveniuntur primo inter ea quae a Deo procedunt in creaturas: esse et bonum; posteriora enim his, sunt vita et sapientia et huiusmodi processio esse et bonitatis, vadit *per omnia* entia, quia omnia sunt entia et bona, non omnia sunt viventia vel sapientia; et sic *omnia* implentur *ex* participatione ipsius esse et sic *in omnibus existentibus* exultat per quamdam existentiam.

Quia igitur sic omnibus esse largitur divina essentia, *omnia in Seipsa praehabet,* non quidem secundum aliquam compositionem, sed *secundum* simplicissimam unitatem, *omnem* pluralitatem *refutans.* Sic igitur prima universalis habitudo est quod essentia divina *omnia in Seipsa praehabet.*

670. — Secunda est quod *omnia* in esse *continet* et conservat *secundum* simplicem sui infinitam unitatem.

671. — Tertia universalis habitudo est quod singularis et una existens *participatur* ab omnibus, sicut *et vox, una et eadem existens, participatur a multis audientibus:* est enim vox una secundum principium, multiplex vero secundum diffusionem.

672. — Ex his autem concludit quartam universalem habitudinem scilicet quod divina essentia est *principium omnium existentium et finis* non quidem quod per existentia generetur, sicut sanitas generatur per medicinam, sed sicut *qui* existentibus *praeexistit: Principium quidem* est omnium, *sicut causa* factiva rerum; *finis vero sicut cuius gratia* fiunt omnia; et Ipse est etiam *terminus omnium:* cuiuslibet enim motus terminatio est ad divinam essentiam et ab Ipsius infinitate derivatur omnis infinitas et omnis finis sicut a causa excedente quae producit opposita; quia neutri appropriatur tamquam ad unum eorum limitata.

Ratio quare potest esse omnium causa est ista: quia *omnia existentia praehabet* in sui unitate; et quia ex eo quod habet unumquodque et causat aliquid ad similitudinem sui, sequitur quod ille qui in se habet omnia, *subsistere* faciat omnia, *praesens omnibus* rebus *et ubique,* non secundum diversas sui partes, sed *secundum unum et idem et secundum idem* est omnia, inquantum in sua simplici essentia, omnia virtualiter praeexistunt; et similiter secundum idem procedit *ad omnia* causative et tamen manet *in Seipso,* immutabilis existens in causando *et stans* est inquantum non mutatur *et motus* inquantum diffundit ad alia sui similitudinem.

673. — Et omnia ista quae de Deo affirmans, possunt etiam ab eo negari, quia non ita conveniunt Ei sicut inveniuntur in rebus creatis et sicut intelliguntur a nobis et significantur.

Unde, licet bene dictum sit quod sit principium omnium et finis, tamen *neque* habet *principium* neque *medium,* neque *finem.*

Et licet dictum sit quod est praesens omnibus et ubique, tamen non est *in aliquo existentium,* eo modo quo unum creatum dicitur esse in alio.

Et licet dictum sit, quod Ipse est omne existens, non tamen est *aliquid existens* de numero *existentium* creatorum.

Et universaliter non convenit Ei aliquid de numero creatorum vel *existentium aeternaliter,* idest supra tempus vel etiam *subsistentium temporaliter, sed* separatur per quamdam eminentiam *et a tempore* quod mensurat motum et mutabilia *et* ab *aevo* quod mensurat ipsum esse et ea quae existunt immutabiliter; et etiam separatur ab *his quae sunt in aevo et tempore* per eminentiam quamdam. Et ideo *ipsum aevum* et ea quae sunt *et* quaecumque aliae *mensurae* entium et ea quae huiusmodi mensuris mensurantur, sunt *per Ipsum,* quia similitudinem Eius habent sicut primi Exemplaris *et ab Ipso,* sicut a primo activo Principio.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 282: « singulariter » - *ἑνιαίως*, « *unite* » (**666**).

* : « praedeterminativas » - *ἀφοριστικά*, « *distinctivae* » (**666**).

* : « substantialis essentia » - *ὁ ὑπερούσιος*, « *Ille qui est supersubstantialis* ».

* ad n. 283: « ad aliquid » - *πρός τι*, « exemplaria *relative* »

* : « non demonstrabo » - *παρέδειξα*, « non *repraesentavi* »; *παραδείκνυμι*, unde *παραδείγματα* (exemplaria) non est « demonstrare » (*ἀποδείκνυμι*) sed « repraesentare » vel « oculis subiicere ».

* ad n. 284: « ab essentia » - *ἀπὸ τοῦ εἶναι*, « *ab* esse ».

* : « et omnia ex ipsa essentia implens » - *καὶ πάντα ἐξ ἑαυτῆς τοῦ εἶναι πληροῦσα*, « et omnia *ex seipsa* implens *per esse* ».

* : « neque in aliquo existentium » addendum: « *neque aliquid existentium* existens »; recte, ut videtur, in expositione (**673**) additio consideratur.

2ª Glossae marginales:

a) *De philosopho Clemente* (283) acriter recentiores critici disceptant. Maximus (329 B): « affert et beatum Clementem cuius meminit Apostolus » (*Philip.* 4, 3) et subiungit (329 C): « ubi autem sanctus Clemens haec dixerit, non manifestavit ». Pachymeres, referens expositionem quorumdam interpretum (848 D), Clementem philosophum Romae episcopum (*ὁ Ρώμης ἐπίσκοπος*) vocat. Elegans quaestio hic exurgit: an necessario intelligatur de Clemente romano Pontifice qui scripsit *Epistolam ad Corinthios* et inter *Patres Apostolicos* adnumeratur vel de illo Clemente qui auctor *X libr. Recognitionum* dicitur. Notum est Rufinum hanc declarationem de eiusdem mente theologica ponere in suo tractatu *de adulteratione librorum Origenis:* « in aliquibus ita Eunomii dogma inseritur ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur (*Clemens*) filium Dei creatum de nullis exstantibus asseverans; tum deinde etiam illud adulterii inseritur genus ut naturam diaboli ceterorumque daemonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creaturae produxerit qualitas, qui utique in ceteris omnem rationabilem creaturam docuerit liberi arbitrii facultate donatam; sunt etiam alia nonnulla libris eius inserta quae ecclesiastica regula omnino non recipit » (apud O. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* II, Freiburg i. B. 1914, pag. 621).

In notula ad *Recognit.* VIII, 7 (MG. I, 1374 B) Cotelerius textum DN. V, 9 citat.

Cordier in *adnot. ad textum* Dionysii, scribit: « Clemens autem Alexandrinus lib. V *Stromatum* sub finem [14; edit. Potter II, 702] « alterum, inquit, mundum novit barbara philosophia (sic christianam philosophiam vocat) intelligibilem, alterum sensibilem, illum archetypum, hunc imaginem eius qui exemplar dicitur » (MG. III, 829).

Clementis Alexandrini nomen et textus citantur et in *Animadvers. in illam Natalis propositionem: libri S. Dionysio inscripti sunt germani illius foetus* (Natalis Alexandri... *Historia Ecclesiastica...* opera et studio Constantini Roncaglia... quibus accedunt praeter animadversiones a P. Io. Dominico Mansi... aliae insuper eiusdem Auctoris... III, Ferrariae 1758, pag. 258): « Fortasse etiam Clementis Alexandrini sub Clementis philosophi nomine meminit; nam quod a Clemente philosopho dictum affirmat apud Alexandrinum octavo *Stromatum* libro contineri *compertum est* ».

Consentit Hipler qui citat *Strom.* VIII, 9 (edit. Potter II, 931^{10-17}) at Koch (*Das Klemenszitat bei Pseudo-Dionysius Areopagita,* in *Theolog. Quartalschrift* 1896, pag. 290-298) Hipler fortiter carpit. Puto plures Clementes in mundo fuisse etiam philosophos. Sanctus Thomas in expositione simpliciter scribit: « et imponit hunc errorem *cuidam Clementi* philosopho » (**667**).

b) Quoad *sententiam* sacrae Scripturae (**668**) cuius meminit Dionysius (283), Pachymeres (849 C) et post eum Cordier (829) citant *Exod.* 25, 40 quod non placet Koch (*art., cit.* pag. 293 n. 1). Angelicus Doctor hanc « sententiam » desumit (**668**) ex verbis quae leguntur *Deut.* 4, 19: « ... ne forte elevatis oculis ad coelum videas solem et lunam et omnia astra coeli et errore deceptus adores ea et colas quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt ».

3ª De Potentiis medianis in Theurgia et Philosophia.

Cordier hunc locum ab aliis citatum non ignorat, sed Pachymerem sequitur quia quod ex Deuteronomio,

cap. IV (non V ut legitur in ed. Migne 829) « nulla ratione quadrat ».

Et tamen haec sacrae Scripturae verba Clemens Alexandrinus ita exponit ut quodam modo legitimus inde videatur cultus astralis. Inde quaedam analogia ponitur inter philosophiam quam ante fidem Deus graecis dedit et religionem astralem quae populis orientalibus concessa fuit: « dedit solem et lunam et astra *in religionem* (*εἰς θρησκείαν*) quae fecit Deus gentibus, inquit lex (*Deut.* 4, 19), ne *totaliter athei effecti*, totaliter etiam interirent » (*Strom.* VI, 14; edit. Potter II, 795).

Quae consideratio placet quidem Eusebio (*Dem. Evang.* IV, 8) ut iam notavimus (pag. 191), at factum historicum interpretatur, non videtur principium quoddam philosophicum enuntiare: « Haec enim *erat* via quae data fuit nationibus ut *per cultum astrorum* (*διὰ τῆς τῶν ἄστρων θρησκείαν*) caput levarent (*ἀναχύψαι*) ad Deum » (*ibid.*).

Principium philosophicum fundans theurgiam habetur e contra in Iamblicho *de Mysteriis* I, 8: « Cum igitur semper convertantur (*ἐπιστρεφομένων*) secunda ad prima *et superiora tamquam exemplaria* (*ὡς παραδειγμάτων*) *ducant inferiora*, a melioribus tum *substantia* tum *forma* ad inferiora derivantur et in ipsis praestantioribus primo producuntur posteriora, unde ab illis *mensura* et *ordo* ad inferiora derivantur, non e converso ». Hic non agitur de ideis exemplaribus, sed de partibus universi, unde catenae astrales formantur.

Dionysius (283):

« *καὶ πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα* ».
« quae in entibus (sunt) principaliora (aestimat) appellari exemplaria relative »

Iamblichus (de Mysteriis I, 8):

« *καὶ τῶν ἀνωτέρων, ὡς παραδειγμάτων ἐξηγουμένων τῶν ὑποδεεστέρων* »
« et superiora tamquam exemplaria ducant inferiora ».

Principium diversimode expressum utrobique eamdem doctrinam continere videtur: notum est autem huic inniti duplicem manifestationem theurgiae nempe et cultus solaris.

Crassiora sunt haec et iam a Dionysio reiecta (124), adhuc fortius infra (424) reiicienda. Subtilior theoria de potentiis medianis apud Philonem invenitur qui non tantum doctrinam tradit, sed et normam vitae, theoriae adnectit, ut videre est: *de Mundi Opificio* (edit. Francofurti 1691, pag. 4 C-5 B), *de Temulentia* (260 AD), *quod Deus sit immutabilis* (304 DE), *de Confusione linguarum* (345 BD), *de Abrahamo* (367 BE), *de Profugis* (464 E - 465 C), *de somniis* (572 AB; 586 D-587 B), *de Vita Mosis* (673 D), *de virtutibus et legatione ad Caium* (993 AB), *de nominum mutatione* (1048 E-1049 A).

Quaedam circa hoc in articulo: « *Le Fonti del pensiero di S. Tomaso d'Aq. nella Somma teologica* » [in vol. *La Somma Teologica - Introduzione Generale* (Firenze, 1949) pag. 67-68] adnotavi quae repetere supervacaneum puto. Tantummodo sequentia refero ut clare innotescat Philonis doctrina: « Ens enim [h. e. Deus], ut ens est, *ex relativis* (*τῶν πρός τι*) *non* (est). Ipsum enim seipso plenum et Ipsum sibiipsi (est) sufficiens et in identitate ante mundi ortum et post universi ortum. Invariabile namque atque immutabile est nullo altero omnino indigens, ita ut Ipsius quidem sunt omnia, Ipsum vero nullius proprie (est).

« Potentiarum autem quas ad ortum extendit in beneficium constructionis [h. e. mundi et hominum] quasdam contigit *dici tamquam relativas* (*λέγεσθαι ὡσανεῖ πρός τι*): *regalem, beneficam.* Rex enim alicuius rex (est) et benefactor alicuius, cum alius sit omnino qui regitur et (alius) qui beneficio afficitur. Harum cognata est Potentia *effectiva*, quae vocatur *deus;* per hanc enim Potentiam, generans et artifex Pater omnia constituit » (*de nominum mutatione*, 1048 D-1049 A).

Nec theorice tantum haec dicuntur, verum et praxim mensurant vel, ut Philonis verbis utar, « secundariam navigationem » (*de Abrahamo* 367 D; 572 A) dirigunt. Quae est concessio humanae infirmitati, nam expresse notat: « Si quis igitur *sola facultate intellectuali* absolute conversari (*ὁμιλεῖν*) non potest, tamquam *alterum refugium*, sensum invenit et quisquis fallitur circa intelligibilia, statim prolabitur ad sensibilia. Semper enim *secundaria navigatio est ad sensum* illis qui ad mentem directricem bene navigare nequeunt. *Bonum tamen fuerit in hac non consenescere et perpetuo manere, sed tamquam in aliena regione pro inquilinis se gerere, semper quaerendo migrationem et reditum ad patriam* » (*de somniis* 572 AB).

Anima quae « *nondum magnis est initiata mysteriis*, exultat (*ὀργιάζεται*) *minora adhuc celebrans* » (*de Abrahamo* 367 D) et ibi latet periculum naufragii. Inde necessitas principium philosophicum rectificandi, universalitatem causalitatis divinae declarandi tum in ordine efficientiae tum in ordine finalitatis, simulque *immediatam* dependentiam omnium a Deo affirmandi tum quoad esse tum quoad agere.

Quae enim valde aliena ab ipsa humana vita nobis videntur, tunc temporis cum ipsa civili societate intime connexa adhuc fortiter affirmabantur, ut videre est ex *relatione Symmachi urbis praefecti ad Imperatores, contendentis veteres ritus circa deorum cultum servandos esse* (384).

Quaedam ex hac relatione excipio ut saltem per opinionem cuiusdam occidentalis aliquo modo et mens orientalis nobis manifestior fiat. Quae veteres scriptores ut Celsus, Porphyrius et Iulianus acriter vindicabant, viva adhuc apparent in aestimatione Symmachi: « Cumque alias religiones ipse [Constantius] sequeretur, has servavit imperio.

« Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes urbibus et cultus Mens divina distribuit. Ut animae nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur.

« Accedit utilitas quae maxime homini deos asserit. Nam cum *Ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum?*

« Iam si longa aetas auctoritatem religionibus faciat, *servanda est totius saeculi fides et sequendi sunt nobis parentes*, qui secuti sunt scilicet suos » (inter *Opp. S. Ambrosii*, t. V, Parisiis 1603, col. 197; cfr. U. Moricca, *Storia della letteratura latina cristiana*, vol. 2, parte prima, Torino [1928], pag. 284-285).

Ex hac doctrina, aliquis philosophus potuit novam « amoris dialecticam » instaurare in vita, sicut et Philo suo modo conatus est (cfr. 424 et pag. 349-350).

CAPUT SEXTUM

De Vita.

LECTIO I (37ª)

De universali causalitate Dei respectu vitae et respectu quarumlibet proprietatum vivendi in Angelis.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. VI; textus nn. 285-289; expositio nn. **674-685**).

Determinat de Vita.

A) proponit quomodo nomine vitae ostenditur in Deo causalitas omnis vitae (285; **675**).

B) manifestat divinae vitae causalitatem:

1° - manifestat universalem causalitatem Dei respectu vitae:
- a) respectu supremae vitae quae est Angelorum (286; **678-679**).
- b) respectu vitae communis (287; **680**)
- c) quantum ad vitam infimam (288; **681**)

2° - ostendit causalitatem Eius respectu cuiuslibet proprietatis vivendi:
- a) quantum ad proprietates vivendi quae sunt in Angelis (289; **683-685**)
- b) quantum ad proprietates vivendi quae sunt in hominibus (290; Lectio 2ª)
- c) quantum ad proprietates vivendi quae sunt in infimis viventibus (293; ib.).

3° - ostendit qualis sit comparatio cuiuslibet vitae ad primam vitam (294; ib.)

TEXTUS DIONYSII

285. — « Sed de istis quidem in aliis opportunius dictum sit *[1].

C. VI. § 1. — Nunc autem laudanda est nobis vita aeterna, ex qua est per se vita et omnis vita et a qua ad omnia quocumque modo vita participantia vivere iuxta proprietatem uniuscuiusque disseminatur.

286. — Et quidem, immortalium Angelorum vita et immortalitas et ipsum non destructivum angelici sempiterni motus, ex ipsa et propter ipsam et sunt et subsistunt; propter quod et viventes semper et im-

*285. — *Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν ἄλλοις* [1] *εὐκαιρότερον εἰρήσθω* *.

C. VI. § *1.* — [*856*] *Νῦν δὲ ὑμνητέον ἡμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον ἐξ ἧς ἡ αὐτοζωὴ καὶ πᾶσα ζωὴ καὶ ὑφ' ἧς εἰς πάντα τὰ ὁπωσοῦν ζωῆς μετέχοντα τὸ ζῆν οἰκείως ἑκάστῳ διασπείρεται.*

*286. — *Καὶ γοῦν ἡ τῶν ἀθανάτων ἀγγέλων ζωὴ καὶ ἀθανασία καὶ τὸ ἀνώλεθρον αὐτὸ τῆς ἀγγελικῆς ἀεικινησίας, ἐξ αὐτῆς καὶ δι' αὐτὴν καί ἐστι καὶ ὑφέστηκεν.*

Διὸ καὶ ζῶντες ἀεὶ καὶ ἀθάνατοι λέ[B]*γονται*

[1]) Cfr. cap. X, § 3, n. 392-398.

mortales dicuntur; et non immortales rursus, quoniam non a seipsis habent immortales esse et aeternaliter vivere, sed ex vivifica et omnis vitae effectiva et contentiva causa.

287. — Et sicut in existente dicebamus quod et ipsius quod est per se esse est aevum, ita et hic, rursus, quod et ipsius per se vitae, supervivens * divina vita est vivificativa et substantificativa;

et omnis vita et vivificativus motus est ex vita quae est super omnem vitam et omne principium * omnis vitae.

288. — Ex ipsa et animae non destructibile habent et animalia omnia et plantae, secundum ultimam resonantiam vitae, habent vivere.

Qua destructa *, secundum eloquium, deficit omnis vita

et ad quam et ea quae infirmitate ad participandum ipsa defecerunt rursus conversa, rursus animalia fiunt.

§ 2. 289. — Et dat quidem prius per se vitae esse vitam et omni vitae et particulari esse proprie unamquamque quod esse naturaliter habet.

Et supercoelestibus quidem vitis immaterialem et deiformem et invariabilem immortalitatem et fortem et indeclinabilem motum sempiternum, superextenta propter abundantiam bonitatis et ad daemonum vitam;

neque enim ista esse ab alia causa, sed ex ipsa et esse vitam et permanentiam habet ».

καὶ οὐκ ἀθάνατοι πάλιν, ὅτι μὴ παρ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸ ἀθανάτως εἶναι καὶ αἰωνίως ζῆν, ἀλλ' ἐκ τῆς ζωοποιοῦ καὶ πάσης ζωῆς ποιητικῆς καὶ συνοχικῆς αἰτίας·

*287. — καὶ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ ὄντος ἐλέγομεν ὅτι καὶ τοῦ αὐτοεῖναί ἐστιν αἰών, οὕτω καὶ ἐνθάδε πάλιν ὅτι καὶ τῆς αὐτοζωῆς ἐστὶν ἡ ὑπὲρ ζωὴν * ἡ θεία ζωὴ ζωτικὴ καὶ ὑποστατική·*

καὶ πᾶσα ζωὴ καὶ ζωτικὴ κίνησις ἐκ τῆς ζωῆς τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ζωὴν καὶ πᾶσαν ἀρχὴν πάσης ζωῆς.

288. — Ἐξ αὐτῆς καὶ αἱ ψυχαὶ τὸ ἀνώλεθρον ἔχουσι καὶ ζῶα πάντα καὶ φυτὰ κατ' ἐσχάτον ἀπήκημα τῆς ζωῆς ἔχουσι τὸ ζῆν·

*ἧς ἀνταναιρουμένης *, κατὰ τὸ λόγιον [1], ἐκλείπει πᾶσα ζωὴ·*

πρὸς ἣν καὶ τὰ ἐκλελοιπότα τῇ πρὸς τὸ μετέχειν αὐτῆς ἀσθενείᾳ πάλιν ἐπιστρεφόμενα πάλιν ζῶα γί[C]γνεται.

§ 2. 289. — Καὶ δωρεῖται μὲν πρῶτα τῇ αὐτοζωῇ τὸ εἶναι ζωὴν καὶ πάσῃ ζωῇ καὶ τῇ καθ' ἕκαστα τὸ εἶναι οἰκείως ἑκάστην δ εἶναι πέφυκε·

καὶ ταῖς μὲν ὑπερουρανίαις ζωαῖς τὴν ἄϋλον καὶ θεοειδῆ καὶ ἀναλλοίωτον ἀθανασίαν καὶ τὴν ἀρρεπῆ καὶ ἀπαρέγλιτον ἀεικινησίαν, ὑπερεκτεινομένη διὰ περιουσίαν ἀγαθότητος καὶ εἰς τὴν δαιμονίαν ζωήν·

οὐδὲ γὰρ ἐκείνη τὸ εἶναι παρ' ἄλλης αἰτίας, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς καὶ τὸ εἶναι ζωὴ καὶ τὴν διαμονὴν ἔχει.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

674. — Postquam Dionysius determinavit de existente, hic determinat de vita, quia processio vitae est minus communis quam processio ipsius esse et circa hoc duo facit: primo, proponit quomodo nomine vitae ostenditur in Deo causalitas omnis vitae; secundo, manifestat divinae vitae causalitatem; ibi [286]: *Et quidem...*

675. — Dicit ergo primo quod *de* his quae pertinent ad ens, dictum est diffusius et diligentius *in aliis* libris: fecit enim multos libros quos non habemus. Sed *nunc* laudandus est Deus per hoc quod dicitur: *vita aeterna*, secundum illud I Ioannis 5 [20]: "*Hic est verus Deus et vita aeterna*", sicut *ex qua est* ipsa *per se vita*, idest ipsa vita communis *et omnis vita* particularis et ab ipsa divina vita *disseminatur*, idest distribuitur *vivere ad omnia* quae participant vitam, *quocumque modo* secundum *proprietatem uniusquiusque*, quasi diceret quod Deus dicitur vita aeterna inquantum est causa communis et particularis vitae et omnium viventium.

676. — Deinde, cum dicit [286]: *Et quidem...* manifestat causalitatem divinae vitae; et circa hoc tria facit: primo, manifestat universalem causalitatem Dei respectu vitae; secundo, ostendit causalitatem Eius respectu cuiuslibet proprietatis vivendi; ibi [289]: *Et dat quidem...;* tertio, ostendit qualis sit comparatio cuiuslibet vitae ad primam vitam; ibi [294]: *Et sive...* [lectio 2ª].

677. — Circa primum, tria facit: primo, manifestat causalitatem Dei respectu supremae vitae quae est Angelorum; secundo, respectu vitae communis; ibi [287]: *Et sicut in existente...;* tertio, quantum ad vitam infimam; ibi [288]: *Ex ipsa...*

678. — Circa primum, considerandum est quod illa proprie dicuntur viventia in corporalibus quae habent motum ex seipsis, non ab aliquo extrinseco mota, sicut animalia et

[1]) Cfr. *Psal.* 103, 29. 30.

plantae. Et quia quaelibet operatio quodammodo est motus, quaecumque habent operationem ex seipsis, non ab aliis exterioribus acta vel mota ad agendum, haec dicuntur viventia. Et quia operatio rei consequitur existentiam eius, in nomine vitae duo intelliguntur, scilicet: ipsum esse viventis, et ut tale sit quod ei competat per se operari propter hoc quod operatio vel motus viventis inest ei per seipsum.

679. — Quantum ergo ad primum horum, dicit quod *ex ipsa* divina vita, sicut ex primo activo principio, *et propter ipsam*, sicut propter finem, non solum esse, sed et consistere habet *vita et immortalitas Angelorum*, immortaliter viventium.

Quantum vero ad secundum, dicit quod existentia vitae est ipsa incorruptibilitas *sempiterni motus angelici*, idest operationis Angelorum in perpetuum durantis. Et quia semper vivere et operari possunt, possunt dici *immortales;* sed hoc ipsum quod sunt immortales et in perpetuum vivunt, *non habent a seipsis*, sed a prima Causa quae est *effectiva* et conservativa *omnis vitae*. Illud autem proprie et vere est immortale, quod non indiget aliquo extrinseco ad id quod semper vivat, sed habet semper vivere ex seipso et sic solus Deus dicitur immortalis, secundum illud I Timoth. 1, [17]: « *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo, honor et gloria* ».

680. — Deinde, cum dicit [287]: *Et sicut in existente...* manifestat divinam causalitatem respectu vitae communis; et dicit quod, sicut dictum est supra [278-279; 659-660] quod Ipsum Ens primum est *aevum*, idest mensura et causa eius *quod est per se esse*, idest *ipsius* esse communis, *ita nic* dicendum est quod *divina vita*, quae est supereminenter vivens est causa factiva et conservativa *ipsius per se vitae*, idest vitae communis; et per consequens, *omnis vita* particularis *et* omnis *motus* vitalis et *omne principium* cuiuscumque vitae, procedit a *vita* divina *quae est super omnem vitam.*

681. — Deinde, cum dicit [288]: *Ex ipsa...* manifestat divinam causalitatem respectu vitae inferioris et dicit quod ex vita divina, habent incorruptibiliter vivere etiam *animae* humanae *et* ex vita divina sunt ea *animalia* quae vivunt vita sensitiva, *et* omnes *plantae* quae *habent* vitam *secundum ultimam resonantiam*, idest secundum extremam et infimam participationem *vitae*, quia vita ultra plantas non procedit. *Destructa* autem vita participata in creaturis, destruitur *omnis vita*, secundum doctrinam sacrae Scripturae, ubi dicitur Psalm. 103 [29]: « *Auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur* ». Sed inquantum ea quae per infirmitatem naturae deficiunt a participatione vitae, iterato convertuntur ad vitam, iterum *fiunt animalia* vel qualitercumque viventia, ut patet in plantis et animalibus ex putrefactione generatis; et propter hoc, ibid. subditur: « [30] *emitte Spiritum tuum* et *creabuntur* et *renovabis faciem terrae* ».

682. — Deinde, cum dicit [289]: *Et dat quidem...* manifestat causalitatem divinae vitae, quantum ad proprietates cuiuslibet vitae; et hoc, propter quosdam qui dicebant quod Deus est communis causa vitae, tamen particulares proprietates vivendi sunt ex causis propriis, per quas effectus causae communis determinatur ad proprias species; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit causalitatem divinae vitae quantum ad proprietates vivendi, quae sunt in supremis viventibus, scilicet in angelis et in daemonibus; secundo, quantum ad proprietates vivendi quae sunt in hominibus; ibi [290]: *Dans autem....* [lectio 2ª] tertio, quantum ad proprietates vivendi quae sunt in infimis viventibus, scilicet animalibus et plantis; ibi [293]: *Ex ipsa...* [lectio 2ª].

683. — Dicit ergo primo quod Deus non solum *dat vitae* communi quod sit vita, sed etiam cuilibet *particulari vitae* dat quod sit *proprie* illud *quod* competit ei secundum naturam; sicut *supercoelestibus vitis* Angelorum, quantum quidem ad esse viventium, dat immortalem vitam: primo quidem *immaterialem* quia non habent vitam adiunctam materiae; secundo, vitam *deiformem* quia ex hoc ipso conformantur divinae vitae, quod absque materia vivunt; tertio sequitur quod habeant vitam *invariabilem* quia subiectum variationis et motus est materia.

684. — Quantum etiam ad operationem vitae, ponit tria contraria his quae sunt in nobis. In nobis enim operatio intellectualis, primo quidem infirma est ad comprehensionem veritatis et contra hoc, dicit quod habent *motum*, idest operationem intellectualem *fortem;* secundo, operatio intellectualis in nobis potest perverti in falsam opinionem et contra hoc, dicit quod habent motum *indeclinabilem;* tertio, operatio intellectualis in nobis non potest esse continua quia non possumus semper et continue meditari; et contra hoc, dicit quod habent *motum sempiternum.*

685. — Et quia ipsae proprietates mani-

feste apparent in Angelis beatis, ne aliquis a causalitate divinae vitae velit excludere daemonum vitam, subiungit quod vita divina superextenditur per modum influentiae et causalitatis, et abundantia suae *bonitatis*, etiam *ad daemonum vitam*, quae non posset *ab alia causa* conservari nisi a divina vita, ex qua habet quod sit vita et permaneat conservata in esse.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 285: « sed de istis... dictum sit » - « *...dicetur* » (Cordier); terminat cap. V, cum relatione ad n. 392-398, ubi agitur *de aevo et tempore*.

* ad n. 287: « supervivens » - *ἡ ὑπὲρ ζωήν*, « divina vita *quae est super vitam* »; cfr. infra: « quae est super omnem vitam et omne principium (acc. *πᾶσαν ἀρχήν*) omnis vitae ».

* ad n. 288: « qua destructa » - *ἀνταναιρουμένης* (ex *psal.* 103, 29: *ἀντανελεῖς*) non est tantum « ablata » vel « destructa », sed implicat et terminum circumactionis, quo fit restitutio (cfr. *Gen.* 3, 19).

2ª Glossa marginalis (288).

Reiectis diis « encosmicis » qui mundum « animant » (*ψυχοῦσιν*) iuxta syllabarium Sallustii (*de diis et mundo*, cap. VI; cfr. pag. 110) et relicta fictione philosophica « Animae universalis » omnium viventium effectricis (Plotini, *En.* V, 1, 2), Causam universalem cuiuscumque vitae ponit in Deo (285). Alternatio vitae et mortis in mundo suggerit Plotino principium: « haec oriuntur cum Anima vitam largitur; corrumpuntur quando ipsa Anima derelinquit » (*ἀπολείπῃ*). Dionysius principium format ex verbis psalmistae (288), per ipsum rursus manifestans universalem causalitatem Dei, contra Eusebium qui Numenii doctrinam de « secundo deo » applicat Verbo (*Praep. Evang.* XI, 18 et post citata verba psalmistae, scribit: « *Quid enim interest inter haec et illam philosophi* [Numenii] *mentem qui ait* « quum *in quemque nostrum conversus intuetur deus* [secundus, opifex] tum sua corporibus vita, suus vigor inest, quod immissis divinitus radiis foveantur; sin autem *ad sui ipsius contemplationem incubuerit deus*, haec exstinguuntur »? (cfr. *Fragmenta Philos. Graec.* III, pag. 168). Quid intersit, Dionysius docet.

LECTIO II (38ª)

De divina causalitate quantum ad proprietatem humanae vitae et inferiorum viventium.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. VI; textus nn. 290-296; expositio nn. **686-694**).

b) Manifestat divinam causalitatem quantum ad proprietatem humanae vitae:
  1° - quantum ad vitam naturae (290; **687**),
  2° - quantum ad vitam gratiae (291; **688**)
  3° - quantum ad vitam gloriae quae erit in resurgentibus (292; **689-690**).
c) Ostendit causalitatem divinae vitae respectu inferiorum viventium (293; **691**)

3° - Ostendit habitudinem divinae vitae ad omnes vitas:
  1° - Ponit duas habitudines divinae vitae ad omnes vitas (294; **692**),
  2° - Manifestat praedictas duas habitudines (295; **693**),
  3° - Ponit conditiones divinae vitae (296; **694**)

TEXTUS DIONYSII

290. — « Dans autem et viris * sicut commixtis, contingentem ad Angelorum formam vitam;

*290. — Δωρουμένη δὲ καὶ ἀνδράσι * τὴν ὡς συμμίκτοις ἐνδεχομένην ἀγγελοειδῆ ζωὴν*

291. — Et superemanationem bonitatis et recedentes nos ad seipsam convertens et revocans.

291. — καὶ ὑπερβλύσει φιλανθρωπίας καὶ ἀποφοιτῶντας ἡμᾶς εἰς ἑαυτὴν ἐπιστρέφουσα καὶ ἀνακαλουμένη·

292. — Et quod quidem est divinius, quod totos nos, dico animas et coniuga corpora, ad perfectam vitam et immortalitatem se promittit translaturam.

292 [D] *— καὶ τὸ δὴ θειότερον ὅτι καὶ ὅλους ἡμᾶς, ψυχάς φημι καὶ τὰ συζυγῆ σώματα, πρὸς παντελῆ ζωὴν καὶ ἀθανασίαν ἐπήγγελται μετάθησιν.*

Rem quidem antiquitati aequaliter praeter naturam apparentem, mihi autem et tibi et veritati et divinam et super naturam *:

Πρᾶγμα τῇ πελαιότητι μὲν ἴσως παρὰ φύσιν δοκοῦν, ἐμοὶ δὲ καί σοι καὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ θεῖον καὶ ὑπὲρ φύσιν·

super naturam autem secundum nos dico visam, non omnipotentem divinae vitae.

ὑπὲρ φύσιν δὲ [857 A] *τὴν καθ' ἡμᾶς φημι τὴν ὁρωμένην, οὐ τὴν πανσθενῆ τῆς θείας ζωῆς·*

Ipsi enim, sicut omnium existenti vitarum naturae, et maxime divinarum * nulla vita praeter naturam aut super naturam.

*αὐτῇ γὰρ ὡς πασῶν οὔσῃ τῶν ζωῶν φύσει καὶ μάλιστα τῶν θειοτέρων *, οὐδεμία ζωὴ παρὰ φύσιν ἢ ὑπὲρ φύσιν·*

Quare de hoc stultitiae Simonis contradicentia verba longe a divino choro et tua sancta anima expellantur:

ὥστε οἱ περὶ τούτου τῆς παρανοίας Σίμωνος ἀντιρρητικοὶ λόγοι πόρρω θείου χοροῦ καὶ τῆς σῆς ἱερᾶς ψυχῆς ἀπεληλάσθωσαν·

latuit enim ipsum, sicut arbitror, et in istis sapientem putatum esse *, non oportere bene scientem uti manifesta sensus ratione, compugnante contra omnium occultam causam

*ἔλαθε γὰρ αὐτὸν ὡς οἶμαι καὶ ταῦτα σοφὸν οἰόμενον εἶναι * τὸ μὴ δεῖν τὸν εὐφρονοῦντα τῷ προφανεῖ τῆς αἰσθήσεως λόγῳ συμμάχῳ χρῆσθαι κατὰ τῆς πάντων ἀφανοῦς αἰτίας·*

et hoc est dicendum ipsi praeter naturam dicere *. Ipsi enim nihil est contrarium.

καὶ τοῦτο ἔστι, ρητεὸν αὐτῷ, τὸ παρὰ φύσιν εἰπεῖν· αὐτῇ γὰρ οὐδὲν ἐναντίον.

§ 3. 293. — Ex ipsa vivificantur et circumflorent et animalia omnia et plantae;

§ 3. 293. — [B] *Ἐξ αὐτῆς ζωοῦνται καὶ περιθάλπεται καὶ ζῶα πάντα καὶ φυτά·*

294. — Et sive intellectualem dicas sive rationalem sive sensibilem et augmentativam

294. — καὶ εἴτε νοερὰν εἴποις εἴτε λογικὴν εἴτε αἰσθητικὴν εἴτε θρεπτικὴν καὶ αὐξητικὴν

sive qualemcumque vitam aut vitae principium aut vitae substantiam, ex ipsa et vivunt et vivificant, quae est super omnem vitam et in ipsa, secundum causam, uniformiter praeextiterunt.

295. — Etenim supervivens et princeps vitae vita et omnis vitae est causa et vitae generativa et adimpletiva et divisiva vitae et ex omni vita est laudanda, secundum multam foecunditatem omnium vitarum, sicut largissima et omnis vitae contemplatione comprehensa et laudata;

296. — Et sicut non indigens, magis autem superplena vitae *, per se vivens et sicut super omnem vitam vivificans et supervivens
aut quomodo aliquis vitam superviventem et ineffabilem humane laudet ».

εἴτε ὁποίαν ποτὲ ζωὴν ἢ ζωῆς ἀρχὴν ἢ ζωῆς οὐσίαν ἐξ αὐτῆς καὶ ζῇ καὶ ζωοῖ, τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ζωὴν καὶ ἐν αὐτῇ κατ' αἰτίαν ἐνοειδῶς προϋφέστηκεν.

295. — Ἡ γὰρ ὑπέρζωος καὶ ζωαρχικὴ ζωὴ καὶ πάσης ζωῆς ἐστιν αἰτία καὶ ζωογόνος καὶ ἀποπληρωτικὴ καὶ διαιρετικὴ ζωῆς καὶ ἐκ πάσης ζωῆς ὑμνητέα κατὰ τὴν πολυγονίαν τῶν πασῶν ζωῶν, ὡς παντοδαπὴ καὶ πάσῃ ζωῇ θεωρουμένη καὶ ὑμνουμένη·

296. — καὶ ὡς ἀνενδεής, μᾶλλον δὲ ὑπερπλήρης ζωῆς *, ἡ αὐτόζωος καί, ὡς ὑπὲρ πᾶσαν ζωήν, ζωοποιὸς καὶ ὑπέρζωος·

ἢ ὅπως ἄν τις τὴν ζωὴν τὴν ἄφθεγτον ἀνθρωπικῶς ἀνυμνήσοι.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

686. — Hic manifestat Dionysius divinam causalitatem, quantum ad proprietatem humanae vitae; et primo, quantum ad vitam naturae; secundo, quantum ad vitam gratiae, cum dicit [291]: *Et superemanationem...;* tertio, quantum ad vitam gloriae, quae erit in resurgentibus; ibi [292]: *Et quod quidem est divinius...*

687. — Vita autem naturalis in hominibus in aliquo est conformis vitae angelicae, prout est intellectualis et in aliquo ab ea differt, inquantum est vita coniuncta materiae; et ideo dicit [290] quod divina vita dat hominibus, quasi *commixtis* ex natura spirituali et corporali, *vitam* ad similitudinem *Angelorum*, non perfecte, sed prout convenit.

688. — Deinde, quantum ad vitam gratiae, dicit [291] quod divina vita, per *superemanationem* suae *bonitatis*, etiam *recedentes nos* ab ea per peccatum, convertit et revocat *ad seipsam*, secundum illud Thren. 5 [21]: « *converte nos Domine ad Te et convertemur* ».

689. — Quantum vero ad vitam gloriae resurgentium, subiungit [292] quod divina vita promittit quod transfert *nos totos*, idest *animas et corpora* eadem quae nunc sunt animabus nostris coniuncta, *ad vitam perfectam*, idest beatam et immortalem; et hoc dicit esse *divinius*, quia est magis virtutis divinae indicium.

690. — Et haec quidem res, antiquis communiter *praeter naturam* apparebat, quod scilicet corpora mortua resurgerent, *sed mihi et tibi*, idest fidelibus omnibus, secundum veritatem fidei, apparet quiddam divinum *et supra naturam*, scilicet quae a nobis cognoscitur in istis rebus particularibus, non autem supra naturam *omnipotentem divinae vitae*, quia divinae vitae, quae est naturale principium *omnium vitarum* et *maxime* vitarum *divinarum* quarum est immediatum principium, *nulla vita* est *praeter naturam* vel supra *naturam*, quia eius virtuti subest dare vitam quibus voluerit.

Unde stultissima verba *Simonis*, quae resurrectioni contradicunt, *longe* repellenda sunt a divina Ecclesia *et a tua sancta anima*, ne scilicet eis aliquo modo acquiescas. Cum enim ipse reputaretur *esse* sapiens *in istis* rebus sensibilibus et naturalibus, tamen *latuit ipsum* quia *non* oportet eum qui habet scientiam horum sensibilium quae apparent, *uti ratione* quae sumitur ex apparentibus secundum sensum, ad impugnandum universalem *Causam omnium*, quae propter sui excellentiam est occulta; quia universalis causae virtus non potest comprehendi aut mensurari per ea quae in sensibus apparent. Et dicendum est Simoni quod cum dicitur aliquid esse contra naturam hoc intelligitur, scilicet: quod sit contra manifestissimam sensus rationem, sed *ipsi* occultae et universali Causae omnium, *nihil* potest esse *contrarium*, quia omnia quaecumque sunt ab Ipsa derivantur.

691. — Deinde, cum dicit [293]: *Ex ipsa vivificantur...* ostendit causalitatem divinae vitae, respectu inferiorum viventium, scilicet animalium et plantarum; et dicit quod ex divina vita *et animalia omnia et* etiam *plantae vivificantur* interius et exterius *cir-*

cumflorent. Quidquid enim exterius in eis apparet ad decorem vitae pertinens, totum ex divina vita derivatur.

692. — Deinde, cum dicit [294]: *Et sive intellectualem...* ostendit habitudinem divinae vitae ad omnes vitas. Et primo, ponit duas habitudines divinae vitae ad omnes vitas; quarum prima est: Deus est omnis vitae causa; et est hoc quod dicit, quod *sive* tu *dicas intellectualem* vitam, sicut est in Angelis *sive rationalem*, sicut est in hominibus *sive sensibilem*, sicut est in animalibus *et augmentativam*, sicut est in plantis *sive qualemcumque vitam*, etiam si essent alii modi vivendi; et non solum omnis vita, sed etiam omne *vitae principium* et omnis substantia habens vitam, a vita divina *quae est super omnem vitam* habent quod vivant substantiae viventes et quod vivificent vitae principia. Secunda habitudo est quod in divina vita, omnis vita praeexistit; et hoc est quod dicit quod omnes vitae praedictae praeexistunt causaliter *in ipsa* divina vita, non quidem secundum aliquam compositionem, sed *uniformiter* secundum unitatem vitae divinae et simplicitatem.

693. — Secundo, ibi [295]: *Etenim supervivens...* manifestat praedictas duas habitudines et dicit ad manifestandam primam habitudinem quod divina *vita*, quae est super omnem vitam et quae omni *vitae* principatur, est *causa omnis vitae*, quantum ad primam vitae originem; et est *generativa vitae*, quia hoc ipsum quod unum vivens ex alio vivente generari potest, ex divina vita est; et est *adimpletiva vitae*, quia quod vivens ex imperfecto ad perfectum adducitur ex divina vita est; et est *divisiva vitae*, quia diversitates viventium ex virtute divinae vitae procedunt.

Ad manifestandam autem secundam habitudinem, scilicet quod omnis vita in Ipso existat, subiungit quod divina vita laudatur *ex omni vita* propter eius *fecunditatem* qua producit omnes vitas. Et hoc quidem competit divinae vitae, inquantum est *largissima*, quasi non coarctata ad aliquam speciem vitae, sed habens amplitudinem comprehensivam omnis vitae et exinde est quod comprehenditur et laudatur ex *contemplatione omnis vitae*.

694. — Tertio, ibi [296]: *Et sicut non indigens...* ponit conditiones divinae vitae, per quas differt ab aliis: et primo quidem invenitur vita nostra, multis indigens ad conservationem vitae, sicut alimento et aliis huiusmodi; et ad hoc removendum dicit quod divina vita est *non indigens*, sed magis est superabundanter plena. Secundo vero, id quod vivit in istis inferioribus non per se vivit, sed corpus vivit per animam. Sed divina vita est *per se vivens*, quia non est in Deo aliud vivificans; et supereminenter vivens vel qualitercumque *aliquis* posset humanis verbis laudare vitam divinam, supereminenter viventem *et ineffabilem*.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 290: « viris » - *ἀνδράσι*, vers. lit. dum tamen, sensu generaliori intelligendo, melius redditur per « mortalibus » vel « *hominibus* » quia et mulieres homines sunt.

* ad n. 292: « super naturam » addit. « apparentem » (edit.) superfluit.

* : *divinarum* (edit. divinorum) ex expositione (**690**); « quae *diviniores* sunt » (Cordier).

* : « et in istis sapientem putatum esse »; « *tametsi sibi sapiens videbatur* » (Cordier).

* : « et hoc est dicendum ipsi praeter naturam dicere »; « Et ce qu'il faut lui répondre, c'est que son objection même est contre nature, car à la Vie divine rien ne s'oppose » (M. de Gandillac).

* ad n. 296: « superplena vitae » - *ὑπερπλήρης ζωῆς*, claritatis gratía síc lego; al. « superplenã vitã ».

2ª GLOSSA MARGINALIS (292):

Pulchram doctrinam de resurrectione totali (cfr. EH. VII, 1; pag. 110) vindicat *a falsae scientiae contradictionibus*, unde *ἀντιρρητικοὶ λόγοι* sunt *obiectiones* gnosticorum sicut et Basilius loquitur: « *αἱ ἐκ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἀντιθέσεις* » (*hom.* XII, 7; Opp. II, 103 E; cfr. *de Fide* 2, ibid. 225 B).

Hippolytus citat *τὸ γράμμα ἀποφάσεως* (*Refut. omn. haeres.* VI, 9) et est « *ἀπόφασις μεγάλη* » cuiusdam falsarii sub nomine Simonis; qui « liber revelationis » seu « revelatio magna » (*ibid.* 12, 18) « non solum legem Mosis pervertit, sed etiam tenebricosum Heraclitum compilavit » (*ibid.* 9). Simon ille vocatur « *πάνσοφος* » (Hippol., *ibid.* X, 12) quod consonat gnosticorum iudicio, iuxta Dionysii observationem (292). Quod ex his concludi possit *intentionem auctoris* fuisse in aevum apostolicum se referri (*Act.* 8, 9-11), mirum alicui forsan videbitur, mihi quidem omnino absonum.

CAPUT SEPTIMUM

De Sapientia, Mente, Ratione, Veritate et Fide.

LECTIO I (39a)

Quomodo Sapientia in Deo accipiatur.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. VII; textus nn. 297-303; expositio nn. 695-706).

Determinat de Sapientia et his quae Sapientiae adiunguntur ad cognitionem pertinentia.

A) Determinat de Sapientia et Mente:
- 1° - ostendit quomodo Sapientia in Deo accipiatur (297; **697**)
- 2° - manifestat quod dixerat:
  - a) manifestat quod divina Sapientia est super omnem sapientiam:
    - j° - ostendit excessum divinae Sapientiae:
      - α) proponit quod intendit (298; **700**)
      - β) probat excessum divinae Sapientiae (**299**; ib.)
      - γ) exponit auctoritatem inductam (300; **701-702**)
    - ij° - ostendit quomodo ad ipsam divinam Sapientiam excedentem nos habere debemus:
      - α) ostendit quomodo decipimur in contemplatione divinae Sapientiae (301; **704**)
      - β) ostendit quomodo hanc deceptionem vitemus (302; **705**).
      - γ) excludit pravam intelligentiam (303; **706**).
  - b) manifestat quod sit omnis Sapientiae causa (304; Lectio 2a),
  - c) manifestat quomodo Deus sit sapiens alia cognoscendo (312, et Lectio 3a)

B) Determinat de Ratione (325; Lectio 5a).

C) Determinat de Veritate et Fide (326; ib.).

TEXTUS DIONYSII

C. VII. § 1. 297. — « Age autem, si videtur, bonam et aeternam vitam et sicut sapientem et sicut per se sapientiam laudemus; magis autem sicut omnis sapientiae substantificativam * et super omnem sapientiam et prudentiam superexistentem.

298. — Non enim tantum Deus est superplenus sapientia " *et prudentiae ipsius non est numerus* " sed super omnem rationem et mentem et sapientiam supercollocatur.

C. VII. § *1. 297* — *[865* B] *Φέρε δέ, εἰ δοκεῖ, τὴν ἀγαθὴν καὶ αἰωνίαν ζωὴν καὶ ὡς σοφὴν καὶ ὡς αὐτοσοφίαν ὑμνῶμεν μᾶλλον δὲ ὡς πάσης σοφίας ὑποστατικὴν * καὶ ὑπὲρ πᾶσαν σοφίαν καὶ σύνεσιν ὑπεροὖσαν.*

298. — Οὐ γὰρ μόνον ὁ θεὸς ὑπερπλήρης ἐστὶ σοφίας « καὶ τῆς συνέσεως αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἀριθμός » [1], *ἀλλὰ καὶ παντὸς λόγου καὶ νοῦ καὶ σοφίας ὑπερίδρυται.*

[1]) *Psal.* 146, 5.

299. — Et hoc supernaturaliter intendens divinus vere vir, communis nostri et ducis sol " *stultum Dei sapientius hominibus* " esse dicit;

300. — Non solum quoniam omnis humana deliberatio error quidam est, iudicata ad stabile et manens divinorum et perfectissimorum intellectuum

sed quoniam consuetum est theologis contraria passione * in Deo ea quae sunt privationis dicere.

Ita et " *invisibilem* " dicunt eloquia clarissimum lumen; et multum laudabilem et multum nominabilem, ineffabilem et innominabilem; et omnibus praesentem et ex omnibus inventum, incomprehensibilem et non investigabilem.

Hoc modo igitur et nunc divinus Apostolus laudare dicitur stultitiam Dei quod apparet in ipsa praeter rationem * et inconveniens, ad ineffabilem et ante rationem omnem, sursum agens veritatem.

301. — Sed, quod in aliis dixi, iuxta proprietatem nostram, ea quae sunt super nos accipientes et rationi * connutritae sensibus infixi * et nostris divina comparantes decipimur, secundum apparens divinam et ineffabilem rationem exequentes.

302. — Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur * ad ea quae sunt super ipsam.

Secundum hanc igitur oportet divina intelligere, non secundum nos, sed nos ipsos totos extra nos ipsos statutos et totos deificatos *.

303. — Melius enim est esse Dei et non ipsorum. Ita enim erunt divina data cum Deo factis ».

299. — Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ θεῖος ὄντως ἀνὴρ ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἥλιος « τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων » [1] *φησίν,*

300. — οὐ μόνον ὅτι πᾶσα ἀνθρωπίνη διάνοια πλάνη τίς ἐστι κρινομένη πρὸς τὸ σταθερὸν καὶ μόνιμον τῶν θείων καὶ τελειοτάτων νοήσεων,

*ἀλλ' ὅτι καὶ σύνηθές ἐστι τοῖς θεολόγοις ἀντιπεπονθότως * ἐπὶ θεοῦ τὰ τῆς στερήσεως ἀποφάσκειν*

οὕτω καὶ « ἀόρατόν » [2] *φησι τὰ λόγια τὸ παμφαὲς φῶς* [C] *καὶ τὸ πολυύμνητον καὶ πολυώνυμον ἄρρητον* [3] *καὶ ἀνώνυμον καὶ τὸν πᾶσι παρόντα καὶ ἐκ πάντων εὑρισκόμενον ἀκατάληπτον καὶ ἀνεξιχνίαστον* [4].

*Τούτῳ δὴ τῷ τρόπῳ καὶ νῦν ὁ θεῖος ἀπόστολος ὑμνῆσαι λέγεται μωρίαν θεοῦ τὸ φαινόμενον ἐν αὐτῇ παράλογον * καὶ ἄτοπον εἰς τὴν ἄρρητον καὶ πρὸ λόγου παντὸς ἀναγαγὼν ἀλήθειαν.*

301. — Αλλά, ὅπερ ἐν ἄλλοις ἔφην [5], *οἰκείως ἡμῖν τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς παραλαμβάνοντες καὶ τῷ συντρόφῳ τῶν αἰσθήσεων ἐνειλούμενοι * καὶ τοῖς καθ' ἡμᾶς τὰ θεῖα παραβάλλοντες, ἀπατώμεθα κατὰ τὸ φαινόμενον τὸ θεῖον καὶ ἀπόρρητον λόγον μεταδιώκοντες.*

*302. — Δέον εἰδέναι τὸν καθ' ἡμᾶς νοῦν τὴν μὲν ἔχειν δύναμιν εἰς τὸ νοεῖν δι' ἧς τὰ νοητὰ βλέπει, τὴν δὲ ἕνωσιν ὑπεραίρουσαν τὴν τοῦ νοῦ φύσιν, δι' ἧς συνάπτεται * πρὸς τὰ ἐπέκεινα ἑαυτοῦ·*

[D] *κατὰ τάυτην οὖν τὰ θεῖα νοητέον οὐ καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὅλους ἑαυτοὺς ὅλων ἑαυτῶν ἐξιστάμενους καὶ* [*868* A] *ὅλους θεοῦ γιγνομένους * [6].

303. — κρεῖττον γὰρ εἶναι θεοῦ καὶ μὴ ἑαυτῶν· οὕτω γὰρ ἔσται τὰ θεῖα δοτὰ τοῖς μετὰ θεοῦ γινομένοις.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

695. — Postquam Dionysius determinavit de ente et vita, hic determinat de sapientia et his quae sapientiae adiunguntur ad cognitionem pertinentia; et circa hoc, tria facit: primo, determinat de sapientia et mente; secundo de ratione; ibi [325]: *Ratio autem...* [lectio 5a]; tertio, de veritate et fide; ibi [326]: *Haec ratio...* [ib.].

696. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo sapientia in Deo accipiatur; secundo, manifestat quod dixerat; ibi [298]: *Non enim...*

697. — Est autem considerandum quod semper in posterioribus priora salvantur. Bonum autem, secundum quod prius dictum est [257; 606], quantum ad causalitatem est prius quam ens, quia bonum etiam ad non entia suam causalitatem extendit; ens autem ad plura se extendit quam vita et vita quam sapientia, quia quaedam sunt quae non vi-

[1]) I *Cor.* 1, 25.
[2]) *Colos.* 1, 15; I *Tim.* 1, 17; *Hebr.* 11, 27.
[3]) Cfr. II *Cor.* 12, 4.
[4]) Cfr. Iob 5, 9; 9, 10; *Rom.* 11, 33; *Ephes.* 3, 8.
[5]) Cfr. Cap. I, § 1, n. 4-7; M Th. I, 2; CH. II, 2-3.
[6]) Cfr. II *Cor.* 5, 13. 15; *Rom.* 14, 7-8; *Philip.* 1, 23.

vunt et quaedam vivunt quae non cognoscunt. Et hoc Dionysius subtiliter insinuat: nam vitam quidem divinam, quia secundum intellectum bonitatem praesupponit, nominat *bonam;* quia vero praesupponit esse immutabilem, nominat eam *aeternam*. Sed quia vitae nulla sapientia deest, laudat eam ex sapientia; et hoc tripliciter: primo quidem, quia divina vita sapiens est; et ut non intelligas quod sit participative sapiens, subiungit quod ipsa est *per se* sapientia, sicut enim Deus est sua vita, ita est sua sapientia. Secundo, quod divina vita est causa producens in esse omnem sapientiam. Tertio vero, quia divina vita est *super omnem sapientiam*, quae ad speculationem pertinet; *et* super omnem *prudentiam*, quae ad actionem pertinet.

698. — Deinde, cum dicit [298]: *Non enim...* manifestat tria praedicta; et circa hoc, tria facit: primo, manifestat quod divina sapientia est super omnem sapientiam; secundo, quod sit omnis sapientiae causa; ibi [304]: *Hanc igitur...* [lectio 2ª]; tertio, manifestat quomodo Deus est sapiens alia cognoscendo; ibi [312]: *Sic autem...* [ib.].

699. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit excessum divinae sapientiae; secundo, ostendit quomodo ad ipsam divinam sapientiam excedentem nos habere debemus; ibi [301]: *Sed, quod in aliis dixi...*

700. — Circa primum, tria facit: primo [298] proponit quod intendit, scilicet quod *Deus non tantum* dicitur superabundanter plenus omni *sapientia, et* quod habet prudentiam infinitam [Psal. 146 [5]], sed etiam dicitur esse firmatus supra omne id quod ad cognitionem pertinere videtur, scilicet *super rationem et* super *mentem*, idest intellectum *et* super *sapientiam* quae est perfectio intellectus; secundo, ibi [299]: *Et hoc supernaturaliter...* probat excessum divinae sapientiae per auctoritatem et dicit quod huiusmodi excessum divinae sapientiae, supernaturali modo intelligens Paulus, qui fuit *divinus vir* ex participatione divinae sapientiae et fuit *sol*, idest suo magisterio illustrator tam Dionysii quam *ducis* eius, idest Hierothei qui fuit eius magister, *dicit* I Corinth. 1 [[25]]: « *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* »; tertio, ibi [300]: *Non solum...* exponit auctoritatem inductam.

701. — Ubi considerandum est quod duplex modus invenitur in Scripturis ad signandum excellentiam divinorum. Quoniam enim ea quae ad privationem et defectum pertinent, rebus creatis attribuuntur secundum comparationem ad excellentiam divinam, sicut si dicamus quod omnis iustitia hominis est immunditia in comparatione ad Dei iustitiam; et similiter possumus dicere quod *omnis humana deliberatio* et cognitio reputatur *quidam error* in comparatione ad stabilitatem et permanentiam divinae et perfectae cognitionis, quam pluraliter nominat propter cognoscendam pluralitatem.

702. — Alio modo, consuetum est in divina Scriptura ut ea quae privative dicit, Deo attribuantur propter Eius excessum; sicut si Deus qui est *clarissimum lumen* dicitur invisibilis; *et* qui est ex omnibus laudabilis *et* nominabilis dicitur ineffabilis et innominabilis; *et* qui est *omnibus* praesens, dicitur incomprehensibilis quasi sit omnibus absens; *et* qui *ex omnibus* rebus inveniri potest, dicitur *non* investigabilis: et hoc totum propter Eius excessum. Sic igitur, *et Apostolus* in Deo laudat *stultitiam* propter id *quod apparet in* Dei sapientia, | *praeter* nostram *rationem et* videtur nobis *inconveniens*, dum non possumus Dei sapientiam comprehendere; et per hoc elevat nos *ad veritatem* divinam, quae est nobis ineffabilis *et* quae *omnem* nostram *rationem* excedit.

703. — Deinde, cum dicit [301]: *Sed quod in aliis dixi...* dicit qualiter nos habere debeamus ad excellentiam divinae sapientiae; et circa hoc, tria facit:

704. — Primo, ostendit quomodo decipimur in contemplatione divinae sapientiae; et dicit quod, sicut *in aliis* libris suis dixit, dum res divinas *quae sunt* supra *nos*, volumus accipere secundum modum nostrum et dum innitimur *rationi* nostrae quae connutritur *sensibus* a principio scilicet a sensibilibus veritatem colligens et dum volumus comparare res divinas rebus *nostris*, quae scilicet nobis sunt notae, et hoc *decipimur*, volentes perscrutari *rationem divinam et ineffabilem* nobis, secundum illud quod nobis apparet per rationem et per sensum.

705. — Secundo, ibi [302]: *Oportet autem...* ostendit quomodo hanc deceptionem vitemus; et dicit quod *oportet* considerare quod mens nostra duo habet ad intelligibilia cognoscenda: primo, quod habet naturalem *virtutem*, idest intelligentiam, *per quam* inspicere potest *intelligibilia* sibi proportionata; secundo vero, habet quamdam *unitionem* ad res divinas per gratiam, quae excedit *naturam mentis* nostrae, *per quam* unitionem, *coniunguntur* homines per fidem aut quamcumque cognitionem, *ad ea quae sunt super* naturalem mentis virtutem. *Oportet* ergo ut intelligamus divina *secundum hanc* unitionem

gratiae, quasi *non* trahendo divina ad ea quae sunt *secundum nos*, *sed* magis *totos nos* statuentes *extra nos* in Deum, ita ut per praedictam unitionem totaliter deificemur.

706. — Et quia posset aliquis dicere quod hoc nobis esset nocivum, si nos ipsos deseramus, ideo hoc tertio excludit, ibi [303]: *Melius...* et dicit quod, cum Deus sit melior nobis, *melius est* nobis quod simus *Dei* per unitionem gratiae quam quod simus *nostri ipsorum*, idest nostris naturalibus innitentes. Sic enim, nobis *factis cum Deo*, idest cum Deo uniti fuerimus, *divina* nobis dona aderunt quae percipere non possumus, si Dei unitionem neglegentes, nobis ipsis inhaeremus.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 297: « substantificativam » - *ὑποστατικήν*, « *sustentantem* ».

* ad n. 300: « contraria passione » - *ἀντιπεπονθότως*, « *inverse* »; Maximus: « sermone significationem contrariam habente » (341 C).

* : « praeter rationem » - *παράλογον*, « *absurdum* ».

* ad n. 301: « et rationi connutritae sensibus infixi » - *καὶ τῷ συντρόφῳ τῶν αἰσθήσεων ἐνειλούμενοι* (al. *ἐνιλλούμενοι*). Unde sit lectio: « et *rationi* » nescio; interpretationem *τ. συντρόφου* suspicor ac si = *ratio connutrita*. Attamen *σύντροφον* videtur indicare *societatem* corporis sensibilis, animae coniuncti (292); *ἐνειλούμενοι* - « involuti » (*ἐνειλέω*, involvo), *ἐνιλλούμενοι* - « *nictati* » (*ἐνίλλω* - nicto). Maximus *duplicem lectionem* notat (341 D); quaenam vero primaeva sit, non video. « Sensuumque familiaritate et consuetudine *implicamur* » (Perionius); « familiaribusque *inversemur* sensibus » (Ambrosius); « *enclos* comme nous le sommes *dans le cercle familier* des realités sensibles » (M. de Gandillac); Pachymeres expositionem Maximi sequens: « *ἐγκαλυνδούμενοι ταῖς συντρόφοις αἰσθήσεσιν* » (877 C), quod in memoriam revocat illud Clementis Alexandrini: « *τοῖς ἐν ἀγνοίᾳ καλινδουμένοις* » (*Strom.* VII, 7; edit. Potter II, 856). « Illis *qui volutantur in* ignorantia » assimilari possunt « qui *a* sociis sensibus *involutantur* » vel « a societate sensuum *nictati* » seu « *caligati* »; cfr. MTh. I, 2: « *in entibus sistentes* et nihil supra entia supersubstantialiter esse *imaginantes* » (1000 A).

* ad n. 302: (edit.) coniunguntur - *συνάπτεται*, « coniungitur » vel « *coaptatur* ».

* : « extra nos ipsos... deificatos »; « extra nos ipsos totos (*ὅλων*) egressos et totos *Dei factos* »; exprimit non « *deiformem fieri* », sed « *Dei esse* ».

2ª GLOSSAE MARGINALES:

a) de Paulo et de Hierotheo (299) sufficiant quae supra proposita sunt (75, pag.70; 60, pag. 60-61).

b) quae hic (300) colliguntur ex doctrina Pauli (*Colos.* 1, 15; I *ad Tim.* 1, 17; *Hebr.* 11, 27; II *Cor.* 12, 4; *Rom.* 11, 33; *Ephes.* 3, 8) explicantur in cap. I (9; 25).

c) Illud « *quod in aliis dixi* » (301) nos mittit, ni fallor, ad tractationem *de intelligibilibus et sensibilibus*, quae substantialiter invenitur in primo et altero cap. *de Coelesti Hierarchia* (cfr. CH. II, 2-3).

d) De *egressu a seipso* (302-303) Dionysius meus pulcherrime scribit cum de *extasi* amoris tractat (168-171) et quaedam ipse delibavi « de extasi charitatis in vita christiana » (pag. 144-145). Hic addendum quod legitur apud Clementem Alexandrinum, exponentem verba Pauli (*Philip.* 1, 20-24):... « desiderium habens *dissolvi* et esse cum Christo... » (23), tali modo ut quaedam continuitas manifeste appareat ab uno ad alium scholae christianae scriptorem: « *τῆς μὲν ἐξόδου τοῦ σώματος τὴν πρὸς θεὸν ἀγάπην, τελείωσιν εἶναι* » (*Strom.* III, 9; edit. Potter I, 541). Per ea quae Paulus dicit, aperte ostendit « *exitus* e corpore perfectionem esse *amorem erga Deum* ». Per expositionem Clementis manifestum est sensum ethicum asceticum et mysticum huius *exitus* qui *corpus* subtrahit vitiis per observantiam praeceptorum et *hominem* subdit exercitio virtutum, salvans « compositum » humanum. Quando enim homo cognoscit et experimentatur se esse proprietatem Dei (303) tunc attingit non tantum christianam perfectionem quae est a charitate, sed et culmen humanae vitae.

LECTIO II (40a)

Quod divina Sapientia est omnis sapientiae causa.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. VII; textus nn. 304-312; expositio nn. **707-716**).

b) manifestat quod divina Sapientia est omnis sapientiae causa:
- 1° - in generali (304; **708**),
- 2° - in speciali:
  - j° - quantum ad Angelos:
    - α) ponit processum angelicae cognitionis a Deo (305; **710**),
    - β) manifestat simplicitatem angelici intellectus (306; **711**),
    - γ) assignat causam tam excellentis cognitionis (307; **712**)
  - ij° - quantum ad animam rationalem (308; **713**),
  - iij° - quantum ad sensus (309; **714**),
  - iv° - quantum ad daemones (310; **715**),
  - v° - recapitulat quod dixerat (311; **716**).

c) manifestat quomodo Deus sit sapiens alia cognoscendo (312, et Lectio 3a).

TEXTUS DIONYSII

304. — « Hanc igitur irrationabilem et amentem et stultam sapientiam excedenter laudantes, dicimus quod omnis est mentis et rationis et omnis sapientiae et prudentiae causa

et ipsa est omne consilium et ab ipsa est omnis cognitio et prudentia et in ipsa " *sunt omnes thesauri sapientiae et cognitionis absconditi* ". Etenim iuxta consequentiam iam praedictorum, supersapiens et omnisapiens causa et ipsius per se sapientiae et totius et particularis est substantificatrix *;

304. — Ταύτην οὖν τὴν ἄλογον καὶ ἄνουν καὶ μωρὰν σοφίαν ὑπεροχικῶς ὑμνοῦντες, εἴπομεν ὅτι παντός ἐστι νοῦ καὶ λόγου καὶ πάσης σοφίας καὶ συνέσεως αἰτία·

καὶ αὐτῆς ἐστι πᾶσα βουλὴ καὶ παρ' αὐτῆς πᾶσα γνῶσις καὶ σύνεσις καὶ ἐν αὐτῇ « πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεώς » εἰσιν « ἀπόκρυφοι » [1].

*καὶ γὰρ, ἑπομένως τοῖς ἤδη προειρημένοις, ἡ ὑπέρσοφος καὶ πάνσοφος αἰτία καὶ τῆς αὐτοσοφίας καὶ τῆς ὅλης καὶ τῆς καθ' ἕκαστόν ἐστιν ὑποστάτις *.*

§ 2. 305. — Ex ipsa intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes, simplices et beatos et bonos habent intellectus;

§ 2. 305. — [B] Ἐξ αὐτῆς αἱ νοηταὶ καὶ νοεραὶ τῶν ἀγγελικῶν νοῶν δυνάμεις τὰς ἁπλᾶς καὶ μακαρίας ἔχουσι νοήσεις

306. — Non in divisibilibus aut a divisibilibus aut sensibus * aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem neque ab aliquo communi ad ista simul actae. Ab omni autem materiali * multitudine mundae existentes, intellectualiter et immaterialiter uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt;

*306. — οὐκ ἐν μερικοῖς ἢ ἀπὸ μεριστῶν ἢ αἰσθήσεων * ἢ λόγων διεξοδικῶν συνάγουσαι τὴν θείαν γνῶσιν οὐδὲ ὑπό τινος κοινοῦ πρὸς ταῦτα συμπεριεχόμεναι, παντὸς δὲ ὑλικοῦ * καὶ πλήθους καθαρεύουσαι νοερῶς ἁθλως ἑνοειδῶς τὰ νοητὰ τῶν θείων νοοῦσι,*

307. — Et est ipsis intellectualis virtus et operatio * munda et immaculata puritate resplendens et conspicax divinorum intel-

307. — καὶ ἔστιν αὐταῖς ἡ νοερὰ δύναμις καὶ ἐνέργεια τῇ ἀμιγεῖ καὶ ἀχράντῳ καθαρότητι κατηγλαϊσμένη καὶ συνοπτικὴ τῶν θείων νοή-

[1]) *Colos.* 2, 3, transposito verbo; quae de Christo Paulus docet, rursus Dionysius meus in theologia unita inserit et exponit.

lectuum * simplicitate et immaterialitate et divinitus unitione ad divinam, supersapientem et mentem et rationem, sicut est possibile, figurată *.

σεων ἀμερείᾳ καὶ ἀθλίᾳ καὶ τῷ θεοειδῶς ἑνὶ πρὸς τὸν θεῖον ὑπέρσοφον καὶ νοῦν καὶ λόγον, ὡς ἐφικτόν, ἀποτυπουμένῃ

308. — Propter divinam sapientiam * et animae rationale * habent, diffusive quidem et circulo circa existentium veritatem circumeuntes et divisibili et largissimo varietatis deficientes ab unitivis mentibus. Multorum autem ad unum convolutione et aequalibus Angelis, inquantum animabus est proprium et possibile, dignae habitae.

308. — διὰ τὴν θείαν σοφίαν.

*Καὶ ψυχαὶ τὸ λογικὸν * ἔχουσι διεξοδικῶς μὲν καὶ κύκλῳ περὶ τὴν τῶν ὄντων ἀλήθειαν περιπορευόμεναι καὶ τῷ μερι[C]στῷ καὶ τῷ παντοδαπῷ τῆς ποικιλίας ἀπολειπόμεναι τῶν ἑνιαίων νοῶν τῇ δὲ τῶν πολλῶν εἰς τὸ ἓν συνελίξει καὶ τῶν ἰσαγγέλων νοήσεων, ἐφ' ὅσον ψυχαῖς οἰκεῖον καὶ ἐφικτόν, ἀξιούμεναι.*

309. — Sed et aliquis non peccet ab intentione, dicens sensus ipsos esse resonantiam sapientiae.

309. — Ἀλλὰ καὶ τὰς αἰσθήσεις αὐτὰς οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι σκοποῦ, τῆς σοφίας ἀπήχημα φήσας.

310. — Et quidem et daemonum * mens, secundum quod mens est, ex ipsa est; inquantum autem mens est rationis depravatae *, consequi quod desiderat neque sciens neque volens, casum a sapientia magis proprie ipsam oportet appellare,

*310. — Καίτοι καὶ ὁ δαιμόνιος * νοῦς ἢ νοῦς ἐξ αὐτῆς ἐστι· καθ' ὅσον δὲ νοῦς ἐστιν ἠλογημένος * τυχεῖν οὗ ἐφίεται μὴ εἰδὼς μήτε βουλόμενος, ἔκπτωσιν σοφίας κυριώτερον αὐτὸν προσρετέον.*

311. — Secundum quod quidem sapientiae ipsius omnis et mentis omnis et rationis et sensus omnis, divina sapientia et principium est et causa et substantificatrix et perfectio et custodia et finis, dictum est.

*311. — Ἀλλ' ὅτι * μὲν σοφίας αὐτῆς καὶ πάσης καὶ νοῦ παντὸς καὶ λόγου καὶ αἰσθήσεως πάσης ἡ θεία σοφία καὶ ἀρχὴ καὶ αἰτία καὶ ὑποστάτις καὶ τελείωσις καὶ φρουρὰ καὶ πέρας εἴρηται,*

312. — Sic * autem ipse Deus qui est supersapiens sapientia et mens et ratio et cognitor laudatur ».

*312. — πῶς * δὲ αὐτὸς ὁ θεὸς ὁ ὑπέρσοφος σοφία καὶ νοῦς καὶ λόγος καὶ [D] γνῶσις ὑμνεῖται *;*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

707. — Postquam Dionysius ostendit excessum divinae sapientiae, hic ostendit causalitatem ipsius; et primo, in generali; secundo, in speciali; ibi [305]: *Ex ipsa:..*

708. — Recolligit ergo primo excessum divinae sapientiae dicens quod divina sapientia laudatur excellenter sicut irrationabilis, inquantum excedit rationem; et sicut amens, inquantum excedit mentem sive intellectum; et sicut stulta, inquantum excedit habitum mentis, scilicet sapientiam; et adiungit causalitatem divinae sapientiae, ponens tres conditiones huius causae: primo quidem causalitatem eius, dicens quod divina sapientia *causa est* per suae similitudinis aliqualem participationem, potentiarum et practicarum et cognoscitivarum, scilicet: *mentis*, idest intellectus; *et rationis*, quae est intellectuum et habituum practicorum et cognoscitivorum; *sapientiae*, quae est habitus contemplativus mentis; *et prudentiae*, quae est ratio recta in agendis.

Secunda conditio huius causae est quod effectus dicuntur de ipsa: *ipsa* enim *est omne consilium et* tamen *ab ipsa est omnis cognitio et prudentia.*

Tertia conditio huius causae est quod effectus existunt in ipsa: *in ipsa* enim sapientia Dei, quae est Christus, « *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* », sicut Apostolus dicit, Coloss. 2 [3]. Et huiusmodi tertia conditio est causa secundae: ideo enim Deus nominatur a suis effectibus, quia effectus supereminenter praeexistunt in Ipso. Unde quantum ad abundantiam sapientiae et cognitionis in Deo, utitur nomine thesaurorum; quantum vero ad eminentiam divinae cognitionis, prout excedit nostrum intellectum, attribuit huiusmodi thesauro, absconsionem.

Et hanc quidem universalem divinae sapientiae causalitatem manifestat per similitudinem praemissorum, scilicet bonitatis [Cap. 4°]; essentiae [Cap. 5°]; et vitae [Cap. 6°] et dicit: sicut dicitur in praedictis, consequenter et hic dicendum est quod Deus, qui est *causa* supereminenter sapiens et abundanter, utpote omnem sapientiam habens,

est causa dans etiam ipsi *per se sapientiae*, prout intelligitur ut quoddam formale, sive intelligatur in universali sive in particulari, prout inducit sapientiam huius vel illius.

709. — Deinde, cum dicit [305]: *Ex ipsa...* ostendit causalitatem divinae sapientiae in particulari respectu singulorum; et primo, quantum ad Angelos; secundo, quantum ad animam rationalem; ibi [308]: *Propter divinam...;* tertio, quantum ad sensus; ibi [309]: *Sed et aliquis...;* quarto, quantum ad daemones [310], non inquantum est depravatio cognitionis, sed inquantum est de natura sua, in quibus est scientia quaedam cognoscens.

710. — Circa primum, tria facit: primo, ponit processum angelicae cognitionis a Deo et dicit quod ex divina sapientia *virtutes angelicarum mentium*, quae sunt *intelligibiles* inquantum sunt immateriales et sunt *intellectuales* inquantum intelligere possunt, secundum quamdam divinae similitudinis participationem, *habent* quidem *intellectus simplices*, secundum proprietatem suae naturae; *et beatos*, secundum unitionem ad Deum; *et bonos*, secundum proprietatem suae scientiae, dirigere sermonem ad Deum.

711. — Secundo, ibi [306]: *Non in divisibilibus...* manifestat simplicitatem angelici intellectus per remotionem eorum quae in nostro intellectu compositionem inducunt. Est autem considerandum quod in nobis est duplex compositio intellectus: una quidem quae pertinet ad inventionem veritatis, alia vero quae pertinet ad iudicium; inveniendo, quidem, quasi congregantes ex multis ad unum procedimus sive multa dicantur diversa sensibilia per quorum experimentum universalem cognitionem accipimus sive multa dicantur diversa signa ex quibus ratiocinando ad talem veritatem pervenimus. Non solum autem huiusmodi multis et divisibilibus procedimus ad unam intelligibilem veritatem cum primo scientiam acquirimus, sed etiam iam scientiam habentes, in ipsis multis vel divisibilibus per quamdam applicationem consideramus quod in universali cognitione tenemus [1]).

In iudicio, vero, procedimus ab aliquo communi principio ad praedicta multa et divisibilia sive particularia sui effectus et signa.

Utrumque autem istorum ab Angelis excludens, dicit quod intellectus Angelorum *non* congregant sicut nos, *divinam cognitionem, in divisibilibus* diversis considerantes quae iam sciunt aut ab huiusmodi *divisibilibus* scientiam acquirentes: *divisibilibus* dico *aut sensibus*, quantum ad sensibilia *aut sermonibus diffusis*, idest « rationibus », ut alia translatio [2]) habet; nam « *logos* », in graeco et rationem et sermonem significat; et dicitur ratio diffusa, propter processum ex uno in aliud. Neque etiam praedictae intellectuales virtutes, similiter ut in nobis, aguntur *ab aliquo communi ad ista* multa et divisa, sed cum sint purae *ab omni* materia, per quod differunt a sensibus et sensibilibus, et *multitudine*, per quod differunt a rationibus diffusis, *intelligunt intelligibilia divinorum* non sensibiliter neque rationabiliter, sed *intellectualiter;* sed *et immaterialiter*, ad differentiam sensus et *uniformiter* ad differentiam rationis.

712. — Tertio, ibi [307]: *Et est ipsis...* assignat causam tam excellentis cognitionis in Angelis: et primo quidem ex parte naturae ipsorum; et dicit quod *ipsis* Angelis *est virtus et operatio intellectualis resplendens puritate munda et immaculata: munda* quidem per remotionem interioris immunditiae; *immaculata* per remotionem exterioris inquinantis; et haec puritas in eis pervenit ex duobus: primo quidem ex quadam simplicitate naturali et immaterialitate et convenit ipsis intellectibus angelicis, quos vocat divinos, propter propinquitatem et similitudinem ad Deum; et ex hac simplicitate et immaterialitate redduntur conspicaces, idest acute intelligentes.

Secundo etiam resplendet in eis puritas ex dono *divinitus* eis dato per quod uniuntur ad Deum; per quod quidem donum, secundum eorum possibilitatem, intendunt *ad divinum*, idest ad hoc ipsum quod Deus est, ad divinam *mentem et rationem*, quae omnem sapientiam excedit.

Est ergo in eis puritas intellectus et splendor, tam ex eorum simplicitate, quam etiam ex dono divinae gratiae.

713. — Deinde, cum dicit [308]: *Propter divinam...* ostendit quomodo animarum rationalitas a divina sapientia derivatur; et dicit quod *propter divinam sapientiam et animae* humanae habent quod sint rationales.

Et ad exponendum secundum quod animae

[1]) Ne cursim, quaeso, hanc considerationem legendo, fecunditatem eius negligas. Quin immo *clavem auream* accipere non te pigeat.

[2]) Ioannis Scoti: « aut *rationibus* artificialibus » (S. Dionysii... Opera... quintuplici translatione versa et commentariis D. Dionysii a Rikel carthusiani... elucidata. Coloniae 1556, pag. 553).

rationales dicuntur, subiungit quod circumeunt *circa veritatem existentium, diffusive et circulo*. Veritas enim existentium radicaliter consistit in apprehensione quidditatis rerum, quam quidditatem rationales animae non statim apprehendere possunt per seipsam, sed diffundunt se per proprietates et effectus qui circumstant rei essentiam, ut ex his ad propriam veritatem ingrediantur. Haec autem circulo quodam efficiunt, dum ex proprietatibus et effectibus causas inveniunt et ex causis de effectibus iudicant. Et quia mentes angelicae secundum unitam et simplicem considerationem veritatem inspiciunt, deficiunt ab eis animae inquantum, per divisionem et multitudinem variarum rerum, diffunduntur ad veritatis cognitionem. Sed tamen, in hoc ipso quod multa in uno convolvere possunt, sicut cum ex multis effectibus et proprietatibus perveniunt ad cognoscendam rei essentiam, intantum *dignae* habentur animae ut homines habeant intellectus quodammodo *Angelis* aequales [1]), scilicet secundum proprietatem et possibilitatem animarum: inquisitio enim rationis ad simplicem intelligentiam veritatis terminatur, sicut incipit a simplici intelligentia veritatis quae consideratur in primis principiis; et ideo, in processu rationis est quaedam convolutio ut circulus, dum ratio, ab uno incipiens, per multa procedens, ad unum terminatur.

714. — Deinde, cum dicit [309]: *Sed et aliquis...* ponit quod etiam cognitio sensitiva a divina sapientia derivatur; et dicit quod *aliquis* non peccabit, quasi divertens ab intentione proposita secundum quam intendimus processum divinae sapientiae assignare, si etiam *ipsos sensus esse* quamdam *resonantiam* dixerit divinae *sapientiae*. Infimum enim cuiuslibet processionis resonantia nominatur ad similitudinem eius quod non potest sentiri de sono propter distantiam: sicut enim ultimum vitae est in plantis [288; 681] ita infimum cognitionis est in sensu. Nam divina sapientia est super omnem cognitionem: cuius primus effectus est cognitio intellectus angelici, quae tota in uniformitate consistit; secundus effectus est cognitio rationis, quae multa ad unum convolvit; tertius autem effectus est cognitio sensitiva, quae circa multa diffunditur, sed uniformitatem cognoscere non valet.

715. — Deinde, cum dicit [310]: *Et quidem et daemonum...* ostendit quod etiam cognitio daemonum a divina sapientia derivatur; et ponit ultimo cognitionem daemonum, quia est cognitio depravata, licet, secundum naturae ordinem, sit altior cognitione rationis et sensus; et dicit quod *mens daemonum*, inquantum retinet de natura et virtute mentis, *ex* divina sapientia procedit; sed *inquantum* habet cognitionem depravatam per malam voluntatem, dum summum Bonum, *quod* naturaliter *desiderat*, *neque* scit *consequi neque* vult eo modo quo oportet, in hoc magis cadit *a* divina *sapientia;* qui quidem casus non est eis a Deo, sed ex libero arbitrio.

716. — Ultimo autem recapitulat quod dixerat; et dicit [311] quod *dictum est quod divina Sapientia est principium* a quo tota cognitionis emanatio incipit *et causa* ipsam profundens *et substantificatrix*, inquantum facit esse sapientiam in unoquoque *et perfectio*, inquantum cognitionem ad perfectum adducit *et custodia*, idest conservatio *et finis*, quia in hoc terminatur omnis cognitio quod Deus cognoscatur. Est igitur divina Sapientia *et principium et causa ipsius sapientiae* secundum se acceptae in communi; *et omnis mentis*, idest intellectus, quantum ad Angelos; *et omnis rationis*, quantum ad homines; *et omnis sensus*, quantum ad animalia.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 304: « substantificatrix » - *ὑποστάτις*, « *sustentaculum* ». Augustinus dicet: « ratio cognoscendi ».

* ad n. 306: « aut sensibus » - *αἰσθήσεων*, corrigo in textu et in expositione (711), loco: « aut sensibilibus »; lectio mendosa, ut videtur.

* : « ab omni... materiali multitudine mundae existentes » « ab omni *materia et pluralitate* (*πλήθους*) mundae existentes »; in expositione (711) recte: « cum sint (virtutes) purae ab omni materia ».

* ad n. 307: « intellectualis virtus et operatio » - *ἡ νοερὰ δύναμις καὶ ἐνέργεια*, intellectualis *potentia et actus* »: « Aristotelis theoria de intellectu possibili et de intellectu agente recognoscitur » (M. de Gandillac).

* : « divinorum intellectuum » - *νοήσεων*, in expositione (712) « et convenit ipsis *intellectibus* angelicis quos vocat divinos »; videtur hic agi de *intelligentia* cuius *actus* (*ἐνέργεια*) est *conspicax* (*συνοπτική* - corr. edit. conspicaci) rerum divinarum: « contemplatio *divinorum sensuum* » (Ambrosius) vel: « Elle saisit

[1]) Titulus *Angelici Doctoris*, quo S. Thomas insignitur, hic *vigilanter* declaratur: non enim est titulus sine re, iuxta communem aestimationem.

d'un seul regard les *intellections divines* » (M. de Gandillac); Maximus (345 B): « *ideas* intuitive intelligunt, quas *intellectiones* (*νοήσεις*) Dei vocavit ».

* : « et immaterialitate et divinitus unitione (corr. edit.) figurată »; « et immaterialitate et deiformiter uno [vel *unitate*] ad divinam supersapientem et Mentem et rationem, sicut est possibile, *figurata per divinam Sapientiam* ». Ita legunt Cordier et M. de Gandillac: « ... dans l'unité de sa conformité divine, car elle a reçu *de la Sagesse divine*, l'empreinte de cette Intelligence et de cette Raison divines... ».

* : In expositione « *διὰ τὴν θείαν σοφίαν* » separatur a n. 307 et ad seq. 308 refertur (**713**).

* ad n. 308: « animae rationale habent »; « animae *rationalitatem* (*τὸ λογικόν*) habent.

* ad n. 310: « daemonum mens »; « *daemoniaca* , (*δαιμόνιος*) mens ».

* : « est rationis depravatae » - *ἠλογημένος*, « *amens* » (Cordier); « dans la mesure où il s'agit d'une intelligence *qui déraisonne* » (M. de Gandillac); « mens est *in errorem inducta* ».

* ad n. 311-312: « secundum quod quidem... et cognitor laudatur »; plenius et distinctius textus haec habet: « *Sed quoniam* divina Sapientia ipsius sapientiae et omnis (*sapientiae*) et omnis mentis et rationis et omnis sensus et principium *dicitur* et causa et *sustentaculum* (*ὑποστάτις*) et perfectio et custodia et finis, [312] *quomodo* ipse Deus (*qui est*) supersapiens, laudatur (*tamquam*) sapientia et mens et ratio et cognitio? ». Diversa distinctio membrorum differentem idearum texturam suggerit in expositione, in qua n. 312 manifeste cum lectione sequenti (**719**) connectitur.

2ª GLOSSA MARGINALIS:

De causalitate divinae Sapientiae quoad rationalitatem animae (308) plenius intelligitur doctrina hic tradita, recolendo quae supra dicta sunt de triplici motu animae (148-150 et pag. 123-126). Unum tantum addam ex Pachymere: « Idcirco considera etiam unite, ut ita quis dixerit, intelligant (animae): quando videlicet alias non per rationem, sed *per arduum virtutique congruum habitum*, quod utique praestantius est, *ad cognitionis unitatem pertingunt, sicut videre licet in magnis ac divinis Patribus nostris qui non eruditione, sed puritate, per virtutem ad magnas contemplationes divinioresque quae humanum captum superant, pervenerunt* » (881 B; ex vers. Corderii 882 C). Huius cognitionis per connaturalitatem ad res divinas loquitur Dionysius n. 60 (cfr. pag. 60-61).

LECTIO III (41ª)

Quomodo per divinam Sapientiam Deus cognoscat.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. VII; textus nn. 313-319; expositio nn. **717-726**).

Ostendit quomodo per divinam sapientiam Deus cognoscat:

A) ostendit quomodo Deus cognoscat:
- 1° - movet dubitationem (313; **719**).
- 2° - solvit eam:
  - a) ostendit quomodo sensus et intellectus removeantur a Deo (314; **721**).
  - b) quomodo cognitio Ei conveniat (315; **722**),
  - c) probat per auctoritatem (316; **723**).
- 3° - conclusione posita, quasdam conclusiones infert:
  - a) prima (317; **724**),
  - b) secunda (318; **725**),
  - c) tertia (319; **726**).

B) Quomodo Deus cognoscatur (320; Lectio 4ª).

TEXTUS DIONYSII

313. — « Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium non habens intellectuales operationes? Aut quomodo cognoscet sensibilia, super omnem sensum collocatus?

Et quidem omnia Ipsum scire dicunt eloquia et nihil effugere divinam cognitionem.

313. — πῶς γὰρ νοήσει τι τῶν νοητῶν οὐκ ἔχων νοερὰς ἐνεργείας; ἢ πῶς γνώσεται τὰ αἰσθητὰ πάσης αἰσθήσεως ὑπεριδρυμένος;

καίτοι πάντα αὐτὸν εἰδέναι φησι τὰ λόγια καὶ οὐδὲν διαφεύγειν τὴν θείαν γνῶσιν,

314. — Sed, quod dixi multoties, divina, ut decet Deum, intelligere convenit:

etenim sine mente et non sensibile, secundum excessum, non secundum defectum in Deo est ordinandum; sicut irrationale reponimus Ei qui est super rationem; et imperfectionem Ei qui est superperfectus et praeperfectus; et impalpabilem et invisibilem caliginem, lumini inaccessibili secundum excessum visibilis luminis.

314. — ἀλλά, ὅπερ ἔφην πολλάκις [869 A] τὰ θεῖα θεοπρεπῶς νοητέον·

τὸ γὰρ ἄνουν καὶ ἀναίσθητον καθ' ὑπεροχὴν οὐ κατ' ἔλλειψιν ἐπὶ θεοῦ τακτέον, ὥσπερ καὶ τὸ ἄλογον ἀνατίθεμεν τῷ ὑπὲρ λόγον καὶ τὴν ἀτέλειαν τῷ ὑπερτελεῖ καὶ προτελείῳ, καὶ τὸ ἀναφὲς καὶ ἀόρατον γνόφον τῷ φωτὶ τῷ ἀπροσίτῳ καθ' ὑπεροχὴν τοῦ ὁρατοῦ φωτός·

315. — Quare divina mens omnia continet, ab omnibus segregata cognitione, secundum omnium causam, in seipso omnium scientiam praeaccipiens. Antequam Angeli fierent, sciens et producens Angelos et cuncta alia, intus et ab ipso, ut ita dicam, principio sciens et ad substantiam agens.

315. — ὥστε ὁ θεῖος νοῦς πάντα συνέχει τῇ πάντων ἐξῃρημένῃ γνώσει κατὰ τὴν πάντων αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τὴν πάντων εἴδησιν προειληφὼς πρὶν ἀγγέλους γενέσθαι εἰδὼς καὶ παραγῶν ἀγγέλους καὶ πάντα τὰ ἄλλα ἔνδοθεν καὶ ἀπ' αὐτῆς, ἵν' οὕτως εἴπω, τῆς ἀρχῆς εἰδὼς καὶ εἰς οὐσίαν ἄγων.

316. — Et hoc arbitror tradere eloquium, cum dicit: " *Qui* scit *omnia antequam fiant ipsa* ".

316. — Καὶ τοῦτο οἶμαι παραδιδόναι τὸ λόγιον ὁπόταν φησίν· « ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν » [1].

[1]) DAN. Susanna (LXX) 35 a; (*Theod.*) 42 b; (Vulg.) DAN. 13, 42.

Non enim ex existentibus existentia discens novit divina mens, sed ex seipsa et in seipsa, secundum causam omnium scientiam et cognitionem et substantiam praehabet et praeaccipit,

non secundum visionem singulis se immittens, sed secundum unam causae continentiam, omnia sciens et continens;

sicut et lumen secundum causam per semetipsum, tenebrarum praeaccipit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine.

317. — Igitur seipsam divina Sapientia cognoscens cognoscit omnia, immaterialiter, materialia; et indivisibiliter, divisibilia; et multa unitive, in ipso uno omnia et cognoscens et producens.

Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eamdem causam sciet omnia, sicut ex Ipso existentia et quae in Ipso praeextiterunt;

et non ex existentibus sumet ipsorum cognitionem, sed et ipsi singulis eorum et aliis aliorum cognitionis erit largitor.

318. — Non igitur Deus propriam habet sui ipsius cognitionem, aliam autem communem existentia omnia comprehendentem: Ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens vacat alicubi, si ea quae sunt ab Ipsa et quorum est causa, ignoraverit.

319. — Ita igitur Deus existentia cognoscit, non scientia quae sit existentium, sed quae sit sui ipsius:

etenim et Angelos scire dicunt eloquia ea quae sunt in terra, non secundum sensus, ita cognoscentes sensibilia quidem existentia sed secundum propriam deiformis mentis virtutem et naturam ».

Οὐ γὰρ ἐκ τῶν ὄντων τὰ ὄντα μανθάνων οἶδεν ὁ θεῖος νοῦς, ἀλλ' ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ἐν ἑαυτῷ κατ' αἰτίαν τὴν πάντων εἴδησιν καὶ γνῶσιν [B] *καὶ οὐσίαν προέχει καὶ προσυνείληφεν,*

οὐ κατ' εἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας περιοχὴν τὰ πάντα εἰδὼς καὶ συνέχων·

ὥσπερ καὶ τὸ φῶς κατ' αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τὴν εἴδησιν τοῦ σκότους προείληφεν οὐκ ἄλλοθεν εἰδὼς τὸ σκότος ἢ ἀπὸ τοῦ φωτός.

317. — Ἑαυτὴν οὖν ἡ θεία σοφία γινώσκουσα, γνώσεται πάντα ἀΰλως τὰ ὑλικὰ καὶ ἀμερίστως τὰ μεριστὰ καὶ τὰ πολλὰ ἑνιαίως, ἀυτῷ τῷ ἑνὶ τὰ πάντα καὶ γινώσκουσα καὶ παράγουσα

καὶ γὰρ εἰ κατὰ μίαν αἰτίαν ὁ θεὸς πᾶσι τοῖς οὖσι τοῦ εἶναι μεταδίδωσι κατὰ τὴν αὐτὴν ἑνικὴν αἰτίαν οἴσεται πάντα ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ὄντα καὶ ἐν ἑαυτῷ προϋφεστηκότα,

καὶ οὐκ ἐκ τῶν ὄντων λήψεται τὴν αὐτῶν γνῶσιν, αλλὰ καὶ αὐτοῖς ἑκάστοις τῆς αὐτῶν καὶ ἄλλοις τῆς ἄλλων γνώσεως ἔσται χορηγός.

318. — Οὐκ ἄρα ὁ θεὸς ἰδίαν [C] *ἔχει τὴν ἑαυτοῦ γνῶσιν, ἑτέραν δὲ τὴν κοινῇ τὰ ὄντα πάντα συλλαμβάνουσαν· αὐτὴ γὰρ ἑαυτὴν ἡ πάντων αἰτία γινώσκουσα σχολῇ που τὰ ἀπ'αὐτῆς καὶ ὧν ἐστιν αἰτία ἀγνοήσει.*

319. — Ταύτῃ γοῦν ὁ θεὸς τὰ ὄντα γινώσκει οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ.

Καὶ γὰρ καὶ τοὺς ἀγγέλους εἰδέναι φησὶ τὰ λόγια τὰ ἐπὶ τῆς γῆς οὐ κατ' αἰσθήσεις αὐτὰ γινώσκοντας αἰσθητά γε ὄντα, κατ' οἰκείαν δὲ τοῦ θεοειδοῦς νοῦ δύναμιν καὶ φύσιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

717. — Postquam Dionysius manifestavit eminentiam et causalitatem divinae sapientiae, hic ostendit quomodo per divinam sapientiam Deus cognoscat; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quomodo Deus cognoscat; secundo, quomodo cognoscatur; ibi [320]: *Praeterea...* [lectio 4ª].

718. — Circa primum, tria facit: primo, movet dubitationem; secundo, solvit eam; ibi [314]: *sed quod dixi...;* tertio, ex solutione posita, quasdam conclusiones infert; ibi [317]: *Igitur...*

719. — Dicit ergo primo quod, cum Deus sit super omnem sapientiam, Ipse tamen *laudatur* in Scriptura *et* ut *mens et* ut *ratio et* ut *cognitor* [312]. Est enim dubitatio: *quomodo* possit intelligere intelligibilia, cum *non* habeat *intellectuales operationes;* et *quomodo* possit cognoscere *sensibilia,* cum sensum non habeat, sed sit *super omnem sensum;* cum tamen sacra *eloquia* tradant quod *Ipse* cognoscat *omnia et* quod *nihil* effugit *divinam cognitionem,* secundum illud Hebr. 4 [13]: « *omnia nuda et aperta sunt oculis Eius et non est ulla creatura invisibilis in conspectu Eius* ».

720. — Deinde, cum dicit [314]: *Sed quod dixi...* solvit propositam dubitationem; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quomodo sensus et intellectus removeantur a Deo; secundo, quomodo cognitio Ei conveniat; ibi [315]: *Quare...;* tertio, probat per auctoritatem; ibi [316]: *Et hoc arbitror...*

721. — Dicit ergo primo quod, sicut *multoties* dictum est, conveniens est ut intelligantur *divina, ut decet Deum.* Quod enim

dicitur quod Deus est sine intellectu et sine sensu, *non est* accipiendum *secundum defectum,* quasi Deus deterior sit his quae habent sensum vel intellectum, sed *secundum excessum* accipi debet, quia scilicet omnia intelligibilia excedit. Sic etiam attribuimus Ei *irrationale,* inquantum *est* supra *rationem;* et attribuimus Ei *imperfectionem,* inquantum est perfectus super omnia et ante omnia; et attribuimus Ei quod est caligo impalpabilis et invisibilis, inquantum est lumen inaccessibile, excedens omne lumen quod a nobis videri potest vel per sensum vel per intellectum.

722. — Deinde, cum dicit [315]: *Quare divina mens...* concludit ex praemissis, quod *divina mens omnia* cognoscendo *continet* per cognitionem separatam *ab omnibus,* quia scilicet Eius cognitio est et supra cognitionem intellectus et supra cognitionem sensus, inquantum cognoscit omnia per ipsam primam *causam omnium,* primo in se habens omnem *scientiam,* quam omnia esse habeant; sicut prius habuit notitiam Angelorum, quam *Angeli fierent* et prius etiam, *intus* in sui dispositione produxit Angelos *et* omnia *alia,* quam in propriis naturis essent, quasi *sciens* omnia, ut ita dicam, *ab ipso* primordiali rerum *principio;* et per suam scientiam, duxit omnia ad hoc quod ipsa subsistunt.

723. — Deinde, cum dicit [316]: *Et hoc arbitror...* probat quod dixerat, per auctoritatem Scripturae; et dicit quod, hoc quod dictum est, significatur in sacra Scriptura cum dicitur quod Deus « *scit omnia antequam fiant* » et potest accipi Eccli. 23 [29]; ubi dicitur: " *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita* " Et exponit hoc, dicens quod hoc quod dicit quia *divina mens novit* omnia, non est per hoc quod acquirit scientiam rerum a rebus, *sed ex seipsa et in seipsa praehabet* per modum causae, [*omnium scientiam et cognitionem et substantiam.* Et dicit *substantiam,* quia, sicut supra dictum est in capitulo de ente, [268; 641] in ipso esse divino praeexistit omne esse: aliter enim per suam essentiam non posset omnia cognoscere, nisi omnia causaliter in Ipso essent. Et quia omnia per suam essentiam cognoscit, sequitur quod Ipse sciat omnia et contineat sciendo, *non* per hoc quod seorsum se immittat dividendo *singulis,* sicut nos seorsum applicamus intellectum nostrum diversis, *sed* per *unam causae continentiam,* quia scilicet cognoscendo unam causam continentem omnia, cognoscit omnia; *sicut et lumen,* si esset cognoscitivum, *per* se ipsum cognosceret tenebras, *non aliunde* accipiens tenebrarum cognitionem, quam a seipso. Comparatur autem Deus ad creaturas sicut lumen ad tenebras, propter deficientiam creaturarum a divino lumine.

724. — Deinde, cum dicit [317]: *Igitur Seipsam...* infert ex praemissis, tres conclusiones. Manifestum est enim quod omnis cognitio est secundum modum eius quo aliquid cognoscitur, sicut omnis operatio est secundum modum formae quo aliquis operatur. Cum igitur divina sapientia omnia cognoscat per hoc quod cognoscit seipsam, ut dictum est [315; 722], ipsa autem est immaterialis et indivisibilis et una, sequitur quod cognoscat *materialia immaterialiter et divisibilia indivisibiliter et multa unitive,* inquantum scilicet *omnia* cognoscit et producit per unum quod est eius essentia. Si enim per causam possunt cognosci effectus, sequitur quod si Ipse tradit *esse omnibus secundum unam causam* quae est eius essentia, quod etiam *secundum eamdem causam* sciat *omnia,* sicut quae ab Ipso processerunt *et quae praeextiterunt in ipso* Deo, antequam essent in propriis naturis. Et sic manifestum est quod Deus *non* sumit *cognitiones* rerum ab ipsis rebus, sed magis *ipsis* cognoscentibus dat quod possunt seipsa cognoscere et quod alia ab aliis cognoscantur.

725. — Secundam conclusionem infert ibi [318]: *Non igitur...* Si enim Deus, cognoscendo se cognoscat omnia, sequitur quod non sit in Ipso alia cognitio qua cognoscit seipsum et alia qua communiter comprehendit omnia. Si enim ita esset quod cognoscendo seipsum non cognosceret omnia, sequeretur quod Eius causalitas *alicubi* vacaret, ita scilicet quod essent aliqua non ab Eo causata. Sicut igitur impossibile est quod sit aliquid a Deo non causatum, ita impossibile est quod sit aliquid a Deo non cognitum.

726. — Tertiam conclusionem infert ibi [319]: *Ita igitur...* Si enim modus cognitionis sequitur cognitionis principium, ex quo Deus cognitionem rerum non accepit a rebus, sequitur quod *non cognoscit existentia* per cognitionem quae sit ad modum *existentium,* sed per cognitionem quae sit ad modum sui ipsius; quod etiam de Angelis Scriptura dicit, quod cognoscunt *quae sunt in terra, non* tamen quod cognoscant *sensibilia* per *sensus, sed* per *propriam virtutem et naturam* suae *mentis,* prout Deo assimilantur qui per suam essentiam cognoscit omnia, non solum universalia, sed etiam singularia. Su-

perioris enim naturae maior est virtus et potest plus per unum cognoscere, quod inferior cognoscit per multa. Deus igitur et etiam Angelus per assimilationem ad Deum, cognoscit per mentem non solum universalia, sed etiam singularia; quamvis homo intellectu cognoscat universalia, sensu vero singularia.

OBSERVATIONES

GLOSSAE MARGINALES:

a) Distinctio quae hic ponitur (314): *καθ'ὑπεροχήν* (*secundum eminentiam*) *οὐ κατ'ἔλλειψιν* (*non secundum defectum*) in *Epist.* I (1065 A) technice, ut ita dicam, exprimitur: *ὑπεροχικῶς* (*eminenter*) *μὴ κατὰ στέρησιν* (non *privative*). Est doctrina maximi momenti tum contra theologiam privativam quorumdam neoplatonicorum ex qua pervenitur ad notionem Dei quasi ipse sit unum quid *indeterminatum* unde non excluditur *fieri* in ipso; tum contra intuitionismum Aetii et Eunomii divinam transcendentiam dialecticis schematibus claudentium (cfr. *La teologia del silenzio di Dionigi il Mistico* - preliminare secondo; *Vita Cristiana* 1943, pag. 364-368). Differentia terminorum « defectus » - « privatio » forsan considerandа est ex eo quod hic agitur de cognitione Dei, ibi de cognitione nostra ut in seq. lectione.

b) Maximus quoad cognitionem Angelorum (319) refert exempla ex sacra Scriptura (349 B-C): « divinus Raphaël angelus dixit filio Tobiae, ut acciperet fel piscis (*Tob.* 6, 4-9); « angelus coram Gedeone ignem in sacrificium ex petra eiiciens » (*Iud.* 6, 21); « sed etiam in Daniele in capite de Balthassar, qui scribit, litteras novit quas non didicerat » (*Dan.* 5, 5). Haec valde notanda sunt ne quae de Angelorum cognitione dicuntur, effutitia alicui forsan videantur.

LECTIO IV (42ª)

Quomodo Deus cognoscatur.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. VII; textus nn. 320-324; expositio nn. 727-733).

Ostendit quomodo cognoscatur:
A) movet dubitationem (320; **728**).
B) solvit eam (321; **729**)
C) infert conclusionem ex dictis:
1° - infert conclusionem (322; **731**).
2° - ostendit quomodo conclusio ex praemissis sequatur (323; **732**).
3° - manifestat quoddam quod supposuerat (324; **733**).

TEXTUS DIONYSII

§ 3. 320. — « Praeterea inquirere oportet quomodo nos cognoscimus Deum neque intelligibilem neque sensibilem neque aliquid universaliter existentium existentem.

321. — Numquid igitur verum est dicere quoniam Deum cognoscimus, non ex natura Ipsius? Ignotum enim est hoc et omnem rationem et mentem excedens; sed ex omnium totorum ordinatione, sicut ex Ipso proposita et imagines quasdam et assimilationes divinorum Ipsius exemplarium habente, ad illud quod est super omnia via et ordine secundum virtutem ascendimus, in omnium ablatione et excessu et in omnium causa;

322. — propter quod et in omnibus Deus cognoscitur et sine omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur et per ignorantiam;
et est Ipsius et intellectus et sermo et scientia et tactus et sensus et opinio et phantasia et nomen et alia omnia;
et neque intelligitur et neque dicitur neque nominatur; et non est aliquid existentium neque in aliquo existentium cognoscitur
et in omnibus omnia est et in nullo nihil et in omnibus cunctis cognoscitur et ex nullo, nulli.

323. — Etenim et hoc recte de Deo dicimus et ex existentibus universis laudatur secundum proportionem omnium quorum est causa;
et est rursus divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita, secundum unitionem super mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et seipsam

§ 3. 320. — Ἐπὶ δὲ τούτοις ζητῆσαι χρή· πῶς ἡμεῖς θεὸν γινώσκομεν οὐδὲ νοητὸν οὐδὲ αἰσθητὸν οὐδέ τι καθόλου τῶν ὄντων ὄντα.

321. — Μήποτε οὖν ἀληθὲς εἰπεῖν ὅτι θεὸν γινώσκομεν οὐκ ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως — ἄγνωστον γὰρ τοῦ[D]το καὶ πάντα λόγον καὶ νοῦν ὑπεραῖρον — ἀλλ' ἐκ τῆς πάντων τῶν ὄντων διατάξεως, ὡς ἐξ αὐτοῦ προβεβλημένης καὶ εἰκόνας τινὰς καὶ ὁμοιώματα τῶν θείων αὐτοῦ παραδειγμάτων ἐχούσης, εἰς τὸ ἐπέκεινα πάν[872 A]των ὁδῷ καὶ τάξει κατὰ δύναμιν ἄνειμεν ἐν τῇ πάντων ἀφαιρέσει καὶ ὑπεροχῇ καὶ ἐν τῇ πάντων αἰτίᾳ.

322. — Διὸ καὶ ἐν πᾶσιν ὁ θεὸς γινώσκεται καὶ χωρὶς πάντων· καὶ διὰ γνώσεως ὁ θεὸς γινώσκεται καὶ διὰ ἀγνωσίας·
καὶ ἔστιν αὐτοῦ καὶ νόησις καὶ λόγος καὶ ἐπιστήμη καὶ ἐπαφὴ καὶ αἴσθησις καὶ δόξα καὶ φαντασία καὶ ὄνομα καὶ τὰ ἄλλα πάντα,
καὶ οὔτε νοεῖται οὔτε λέγεται οὔτε ὀνομάζεται· καὶ οὐκ ἔστι τι τῶν ὄντων οὐδὲ ἔν τινι τῶν ὄντων γινώσκεται·
καὶ ἐν πᾶσι πάντα ἐστὶ καὶ ἐν οὐδενὶ οὐδέν· καὶ ἐκ πάντων πᾶσι γινώσκεται καὶ ἐξ οὐδενὸς οὐδενί.

323. — Καὶ γὰρ ταῦτα ὀρθῶς περὶ θεοῦ λέγομεν καὶ ἐκ τῶν ὄντων ἁπάντων ὑμνεῖται κατὰ τὴν πάντων ἀναλογίαν ὧν ἐστιν αἴτιος.

Καὶ ἐστὶν αὖθις ἡ θειοτάτη τοῦ θεοῦ γνῶσις ἡ δι' ἀγνωσίας γινωσκομένη κατὰ τὴν ὑπὲρ νοῦν [B] ἕνωσιν, ὅταν ὁ νοῦς τῶν ὄντων πάντων ἀποστάς, ἔπειτα καὶ ἑαυτὸν ἀφείς, ἑνωθῇ

dimittens, unita est supersplendentibus radiis; inde et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata;

324. — Et quidem ex omnibus, quod dixi, ipsa est cognoscenda. Ipsa enim est, secundum eloquium, quae est omnium effectiva et semper omnia concordans et indissolubilis omnium concordationis et ordinis causa et semper fines primorum coniungens principiis secundorum et unam omnium conspirationem et harmoniam pulchre operans »,

ταῖς ὑπερφαέσιν ἀκτῖσιν, ἐκεῖθεν καὶ ἐκεῖ τῷ ἀνεξερευνήτῳ βάθει τῆς σοφίας καταλαμπόμενος.

324. — Καίτοι καὶ ἐκ πάντων, ὅπερ ἔφην, ἀυτὴν γνωστέον· αὐτὴ γάρ ἐστι κατὰ τὸ λόγιον [1] *ἡ πάντων ποιητικὴ καὶ ἀεὶ πάντα ἁρμόζουσα καὶ τῆς ἀλύτου τῶν πάντων ἐφαρμογῆς καὶ τάξεως αἰτία καὶ ἀεὶ τὰ τέλη τῶν προτέρων συνάπτουσα ταῖς ἀρχαῖς τῶν δευτέρων καὶ τήν μίαν τοῦ παντὸς σύμπνοιαν καὶ ἁρμονίαν καλλιεργοῦσα.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

727. — Postquam Dionysius ostendit quomodo Deus cognoscat, hic ostendit quomodo cognoscatur; et circa hoc, tria facit: primo, movet dubitationem; secundo, solvit; ibi [321]: *Numquid igitur...;* tertio, infert conclusionem ex dictis; ibi [322]: *Propter quod...*

728. — Dicit ergo primo [320] quod, cum dictum sit [315; 722] quod Deus cognoscit omnia per essentiam suam quae est super intellectum et sensum et super omnia existentia, restat quaerendum *quomodo nos* possumus cognoscere *Deum*, cum Ipse non sit intelligibilis, sed supra intelligibilia; neque sensibilis, sed supra sensibilia; neque est *aliquid* de numero *existentium*, sed super omnia existentia: omnis autem cognitio nostra est per intellectum vel sensum, nec cognoscimus nisi existentia.

729. — Deinde, cum dicit [321]: *Numquid igitur...* Solvit propositam dubitationem; et quia quaestio ita est, solutionem sub interrogatione infert. Est ergo haec solutio quod nos *cognoscimus Deum, non* per naturam *Ipsius*, quasi ipsam essentiam Eius videntes: Eius *enim* essentia est ignota creaturae *et* excedit non solum sensum, sed etiam *omnem rationem* humanam *et* etiam omnem *mentem* angelicam, quantum ad naturalem virtutem rationis et mentis; unde non potest aliter convenire alicui, nisi ex dono gratiae. Non ergo cognoscimus Deum, videntes Eius essentiam, *sed* cognoscimus Ipsum *ex* ordine totius universi. Ipsa enim universitas creaturarum est nobis a Deo *proposita* ut per eam Deum cognoscamus, inquantum universum ordinatum habet *quasdam imagines et assimilationes* imperfectas *divinorum* quae comparantur ad ipsas sicut principalia exemplaria ad imagines.

Sic ergo ex ordine universi, sicut quadam *via et ordine, ascendimus* per intellectum, *secundum* nostram *virtutem* ad Deum, qui *est super omnia;* et hoc tribus modis: primo quidem et principaliter *in omnium ablatione*, inquantum scilicet nihil horum quae in creaturarum ordine inspicimus, Deum aestimamus aut Deo conveniens; secundario vero per excessum: non enim creaturarum perfectiones ut vitam, sapientiam et huiusmodi, Deo auferimus propter defectum Dei, sed propter hoc quod omnem perfectionem creaturae excedit, propterea removemus ab Eo sapientiam, quia omnem sapientiam excedit; tertio, secundum causalitatem omnium dum consideramus quod quidquid est in creaturis a Deo procedit sicut a Causa. Sic ergo nostra cognitio, contrario modo se habet cognitioni Dei: nam Deus creaturas quidem per suam naturam cognoscit, nos autem Deum per creaturas.

730. — Deinde, cum dicit [322]: *Propter quod...* infert conclusionem ex dictis; et circa hoc, tria facit: primo, infert conclusionem; secundo, ostendit quomodo conclusio ex praemissis sequatur; ibi [323]: *Etenim...;* tertio, manifestat quoddam quod supposuerat; ibi [324]: *Et quidem ex omnibus...*

731. — Dicit ergo primo quod quia a creaturis in Deum ascendimus et *in omnium ablatione et excessu et in omnium causa*, propterea *Deus cognoscitur in omnibus*, sicut in effectibus *et sine omnibus*, sicut ab omnibus remotus et omnia excedens; et propter hoc etiam *cognoscitur Deus per cognitionem* nostram, quia quidquid in nostra cognitione cadit, accipimus ut ab Eo adductum; et iterum cognoscitur *per ignorantiam* nostram, inquantum scilicet hoc ipsum est Deum cognoscere, quod nos scimus nos ignorare de Deo quid sit.

Et quod dixerat in generali cognitione, explicat per partes subdens quod *ipsius* Dei *est intellectus et sermo* vel melius *ratio*, ut

[1]) Cfr. *Sap.* 7, 21; *psal.* 103, 24; *Prov.* 8, 30.

alia translatio habet, *et scientia* quae est coniunctio intellectus et rationis; et quantum ad sensitivam cognitionem, subiungit: *et tactus*, qui est sensus communis omnibus animalibus; et addit quod commune est, cum subdit: *et sensus;* et subiungit de his quae important deficientem cognitionem, cum dicit: *et opinio* quae deficit a scientia; *et phantasia* quae deficit a certitudine sensus. Et subdit ea quae pertinent ad manifestationem cognitionis et dicit: *et nomen*, quod est signum intellectus *et alia* quaecumque pertinent ad cognitionem vel significationem. Et e contrario, *neque intelligitur*, neque sentitur *nec dicitur* aut *nominatur.*

Et quomodo utrumque istorum omnium sit, manifestat subdens: Deus enim *non est aliquid existentium*, sed supra omnia existentia et ideo, cum per intellectum et alia praedicta, cognoscantur existentia, nullo praedictorum per cognitionem alicuius existentium Deus cognoscitur. Rursus Deus *est omnia in omnibus* causaliter, cum tamen *nihil* sit eorum quae sunt in rebus essentialiter: et ideo, quidquid in rebus existens cognoscatur vel intellectu vel sensu vel quocumque praedictorum modorum, *in omnibus* istis cognitis quodammodo *cognoscitur* Deus, sicut causa, cum tamen *ex nullo* cognoscatur sicut est.

732. — Deinde, cum dicit [323]: *Etenim...* ostendit quomodo conclusio inducta sequitur ex praemissis; et dicit quod *hoc recte de Deo dicimus* secundum quod cognoscitur et non cognoscitur: ex omnibus enim entibus cognoscitur et *laudatur secundum* quod habent *proportionem* ad Ipsum, ut *quorum est causa. Rursus* autem est alia perfectissima *Dei cognitio*, per remotionem scilicet, qua cognoscimus Deum *per ignorantiam*, per quamdam *unitionem* ad divina supra naturam mentis, *quando* scilicet *mens* nostra *recedens ab omnibus aliis* et *postea* etiam *dimittens seipsam* unitur *supersplendentibus radiis* Deitatis, inquantum scilicet cognoscit Deum esse non solum super omnia quae sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam et supra omnia quae ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum, in tali statu cognitionis, illuminatur ab ipsa profunditate divinae Sapientiae, quam perscrutari non possumus. Quod etiam intelligamus Deum esse supra omnia non solum quae sunt, sed etiam quae apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinae Sapientiae provenit nobis.

733. — Deinde, cum dicit [324]: *Et quidem...* manifestat quoddam quod dixerat, scilicet quod Deus ex omnibus cognoscatur; et dicit quod ideo est, quia ipsa divina Sapientia *est omnium* causa *effectiva*, inquantum res producit in esse et non solum rebus dat esse, sed etiam esse cum ordine in rebus, inquantum res invicem se coadunant in ordinem ad ultimum finem; et ulterius, est *causa* indissolubilitatis huius concordiae *et* huius *ordinis*, quae semper manent, qualitercumque rebus immutatis. Modum autem huius ordinis subiungit, quia *semper fines primorum*, idest infima supremorum, coniungit *principiis secundorum*, idest supremis inferiorum, ad modum quo supremum corporalis creaturae scilicet corpus humanum, infimo intellectualis naturae, scilicet animae rationali unit; et simile est videre in aliis; et sic operatur pulchritudinem universi per *unam omnium conspirationem*, idest concordiam *et harmoniam*, idest debitum ordinem et proportionem.

OBSERVATIONES

GLOSSA MARGINALIS:

Quidam inter recentiores auctores, qui Dionysium neoplatonicum faciunt et magis paganum quam christianum considerant, notionem Dei eiusque cognitionem quas auctor defendit, totaliter subvertunt. Hinc dum ex una parte *plotinizantem Dionysium* fingunt, eiusdemque theologiam negativam in sensu privativo iuxta placita Philonis et Plotini interpretantur, ex alia parte, *contra Dionysium Plotini proditorem* invehunt quia realitatem nostrae cognitionis de Deo, eiusdemque valorem positivum affirmat.

Quae Dionysius (maxime: 321) docet iuxta christianae scholae traditionem manifeste novam synthesim theologicam continent quam ignorare nefas, servare sacrum. Aliqua proposita sunt (pag. 11; 33-34) ex quibus clarissime apparet affirmationem fortissimam divinae transcendentiae *nullo modo fieri in obsequium Plotini*, sed ad intuitionismum Aetii et Eunomii contra Deum pugnantium repellendum. Si quae vera dixit Plotinus et quaedam pulcherrima sunt, nulla est ratio illa reiiciendi, immo colligenda sunt in christiana synthesi *humanae perfectionis.*

Rursus, dum realitas nostrae cognitionis de Deo, eiusdemque positivus valor affirmantur, non proditorum more agunt christiani auctores et maxime Dionysius meus, sed efficaciter « viam liberandae animae » omnibus patefaciunt, quia iuxta effatum indicoplatonicum « *ignorantes res divinas, humanas scire nequeunt* » (cfr. pag. 240).

LECTIO V (43ª)

De his quae sapientiae adjunguntur seu de Ratione, de Veritate et de Fide.

SYNOPSIS

(Lect. V; cap. VII; textus nn. 325-329; expositio nn. 734-740).

Determinat de his quae sapientiae adiunguntur:
A) de Ratione (325; **735**).
B) de Veritate et Fide:
  1° - proponit quod intendit (326; **737**)
  2° - probat fidei firmitatem:
    a) per rationem cognitionis (327; **738**),
    b) ex iudicio credentium (328; **739**),
    c) exemplo Apostolorum (329; **740**).

TEXTUS DIONYSII

§ 4. 325. — « Ratio autem Deus laudatur a sanctis eloquiis non tantum quohiam et rationis et mentis et sapientiae est largitor, sed quoniam omnium causas, in seipso uniformiter praeaccipit et quoniam per omnia vadit, pertingens, ut eloquia dicunt, usque ad finem omnium; et ante hoc, quoniam super omnem simplicitatem, divina simplificatur * ratio et ab omnibus est super omnia secundum supersubstantiale absoluta.

326. — Haec ratio est simplex et existens existentis * veritas, circa quam sicut mundam et non erroneam totorum cognitionem, divina fides est quae est manens credentium * collocatio, quae istos collocat in veritate et in ipsis veritatem, intransmutabili identitate, simplicem veritatis cognitionem habentibus credentibus.

327. — Sicut * enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt *, ignorantia autem est semper transmutationis causa et divisionis ignoranti, ex seipso; credentem in veritate, secundum sermonem sanctum, nihil movebit a causa *, quae est secundum veram fidem, in quae permanentiam habebit immobilis et intransmutabilis identitatis.

328. — Bene enim novit qui veritati unitus est, quam bene habet; quamvis multi corripiant ipsum sicut extasim passum.

§ 4. 325. — [C] *Λόγος δὲ ὁ θεὸς ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων*[1] *οὐ μόνον ὅτι καὶ λόγου καὶ νοῦ καὶ σοφίας ἐστὶ χορηγός, ἀλλ' ὅτι καὶ τὰς πάντων αἰτίας ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς προείληφε καὶ ὅτι διὰ πάντων χωρεῖ διϊκνούμενος*[2]*, ὡς τὰ λόγιά φησιν, ἄχρι τοῦ πάντων τέλους, καὶ πρό γε τούτων, ὅτι πάσης ἁπλότητος ὁ θεῖος ὑπερήπλωται * λόγος καὶ πάντων ἐστὶν ὑπὲρ πάντα κατὰ τὸ ὑπερούσιον ἀπολελυμένος.*

*326. — Οὗτος ὁ λόγος ἐστὶν ἡ ἁπλῆ καὶ ὄντως * οὖσα ἀλήθεια περὶ ἣν ὡς καθαρὰν καὶ ἀπλανῆ τῶν ὅλων γνῶσιν, ἡ θεία πίστις ἐστὶν ἡ μόνιμος τῶν πεπεισμένων * ἵδρυσις, ἡ τούτους ἐνιδρύουσα τῇ ἀληθείᾳ καὶ αὐτοῖς τὴν ἀλήθειαν ἀμεταπίστῳ ταυτότητι τὴν ἁπλῆν τῆς ἀληθείας γνῶσιν ἐχόντων τῶν πεπεισμένων.*

*327. — Εἰ * γὰρ ἡ γνῶσις ἑνωτικὴ τῶν ἐγνωκότων καὶ ἐγνωσμένων *, ἡ δὲ* [D] *ἄγνοια μεταβολῆς ἀεὶ καὶ τῆς ἐξ ἑαυτοῦ τῷ ἀγνοοῦντι διαιρέσεως αἰτία, τὸν ἐν ἀληθείᾳ πιστεύσαντα κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον*[3]*, οὐδὲν ἀποκινήσει τῆς κατὰ τὴν ἀληθῆ πίστιν ἑστίας * ἐφ' ᾗ τὸ μόνιμον ἕξει τῆς ἀκινήτου καὶ ἀμεταβόλου ταυτότητος.*

328. — Εὖ γὰρ οἶδεν ὁ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἑνωθεὶς ὅτι εὖ ἔχει κἂν οἱ πολλοὶ νουθετοῖεν αὐτὸν ὡς ἐξεστηκότα·

1) *Sap.* 18, 15.
2) *Sap.* 7, 24.
3) Cfr. *Rom.* 8, 35-39; I *Cor.* 16, 13; II *Thess.* 2, 15.

Latet quidem, sicut est conveniens, ipsos ex errore per veram * fidem extasim passus veritati unitus *.

Ipse enim novit seipsum, non secundum quod dicunt illi, furentem, sed ab instabili et variabili partitione, circa largissimam erroris varietatem, per simplicem et semper secundum eadem et eodem modo habentem veritatem, liberatum.

329. — Ita igitur nostrae sapientiae principes et duces pro veritate moriuntur omni die, testificantes, sicut est conveniens, verbo omni et opere et unitiva christianorum vera Dei cognitione * omnibus ipsam esse et diviniorem et simpliciorem; magis autem, ipsam esse solam veram et unam et simplicem Dei cognitionem ».

*λανθάνει μὲν ὡς εἰκὸς αὐτοὺς, ἐκ πλάνης τῇ ἀληθείᾳ διὰ τῆς ὄντως * πίστεως ἐξεστηκώς *·*

αὐτὸς δὲ ἀληθῶς οἶδεν ἑαυτὸν οὐκ, ὅ φασιν ἐκεῖνοι, μαινόμενον, ἀλλὰ τῆς ἀστάτου καὶ [873 A] *ἀλλοιωτῆς περὶ τὴν παντοδαπῆ τῆς πλάνης ποικιλίαν φορᾶς, διὰ τῆς ἁπλῆς καὶ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχούσης ἀληθείας ἠλευθερωμένον.*

329. — Οὕτως γοῦν οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσοφίας ἀρχηγικοὶ καθηγεμόνες, ὑπὲρ ἀληθείας ἀποθνήσκουσι πᾶσαν ἡμέραν[1]*, μαρτυροῦντες, ὡς εἰκός, καὶ λόγῳ παντὶ καὶ ἔργῳ τῇ ἑνιαίᾳ τῶν χριστιανῶν ἀληθογνωσίᾳ * τὸ πασῶν αὐτὴν εἶναι καὶ ἁπλουστέραν καὶ θειοτέραν, μᾶλλον δὲ τὸ αὐτὴν εἶναι τὴν μόνην ἀληθῆ καὶ μίαν ἁπλῆν θεογνωσίαν.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

734. — Postquam Dionysius determinavit de Sapientia, hic determinat de his quae sapientiae adiunguntur; et primo, de ratione; secundo, de veritate et fide; ibi [326]: *Haec ratio...*

735. — Dicit ergo primo [325] quod *Deus* in sacra Scriptura *laudatur* ut *ratio*, quod maxime ex Scripturis sacris accipi potest in eo quod Deus dicitur Verbum, secundum illud Ioannis I [1]: « *Et Deus erat Verbum* ». « Logos » enim in graeco, ut Augustinus dicit [2]), « et rationem et verbum significat ».

Ex nomine autem rationis, quatuor intelliguntur: primo quidem dicitur esse quaedam cognoscitiva virtus; et sic Deus dicitur ratio causaliter, inquantum Ipse *est largitor* omnis cognitionis, scilicet *rationis et mentis et sapientiae* et omnium huiusmodi.

Alio modo, ponitur pro causa, ut cum dicitur: Qua ratione hoc fecisti? idest, qua de causa? et sic Deus dicitur ratio, non solum quia Ipse est omnium causa, sed quia etiam omnes *causas* secundas in seipso causaliter *praeaccipit*, non tamen per modum compositionis, sed per modum uniformitatis et simplicitatis.

Tertio modo, dicitur ratio etiam computatio, sicut habetur Matth. 18 [23], quod « *rationem* » coepit « *ponere cum servis suis* ». Et sic dicitur Deus ratio, quia Ipse est summa rerum dispositio quae per omnia vadit pertingens, ut dicitur Sap. 8 [1], « *a fine usque ad finem omnium fortiter et disponens omnia suaviter* ».

Quarto modo, dicitur ratio aliquid simplex abstractum a multis, sicut dicitur ratio hominis id quod per considerationem abstrahitur a singularibus, ad hominum naturam pertinens. Et quantum ad hoc dicit quod supra omnia haec, Deus est ratio magis proprie, quia divina ratio est magis simplex *super omnem simplicitatem* et *absoluta est*, idest separata vel abstracta *ab omnibus*, inquantum secundum suam supersubstantialitatem est *super omnia*.

736. — Deinde, cum dicit [326]: *Haec ratio...* agit de veritate et fide; et primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum; ibi [327]: *Sicut enim...*

737. — Dicit ergo primo quod sicut ex ratione humana causatur aliqua fides, ita ista divina *ratio est* quaedam *simplex veritas* totius entis; *circa quam* rationem vel veritatem, *sicut* puram *et non erroneam cognitionem* omnium, consistit fides: *quae* quidem *divina fides est* quaedam permanens *collocatio credentium*, inquantum scilicet firmiter locat eos *in veritate et veritatem in ipsis*, prout credentes habent *simplicem cognitionem veritatis* absque dubitatione et inquisitione, secundum quamdam intransmutabilem identitatem, quia scilicet eodem modo et intransmutabiliter, in veritate permanet. Et propter hanc fidei firmitatem, Apostolus fidem substantiam dixit, quasi quoddam fundamentum et collocationem [ad Hebr. II [1]].

738. — Deinde, cum dicit [327]: *Sicut*

1) Cfr. *Rom.* 8, 36; *psal.* 43, 22.
2) *Liber de diversis quaestionibus octoginta-tribus*, q. LXIII de Verbo: « quod grace λόγος dicitur, latine *et rationem et verbum significat* » (Opp. t. VI, Parisiis 1685 col. 38 F; ML 40, 54).

enim... probat praedictam fidei firmitatem, tripliciter: primo quidem, per rationem cognitionis: quia *cognitio est unitiva* mutuo *eorum qui* cognoscunt, non solum ex eo quod omnes cognoscentes veritatem, in una veritatis cognitione uniuntur, sed etiam, quia qui cognoscit veritatem, semper eodem modo, permanet in una et eadem veritate; *ignorantia* vero, e contrario, *est causa* ut ignorans *ex seipso* transmutetur, hoc modo illud opinans ut dividatur ab aliis, quia ignorantium diversi diversa opinantur; et ideo, *secundum sermonem* sacrae Scripturae, eum qui credit *in veritate* divinae fidei, *nihil* potest removere a vera fide, inquantum habet impermutabilem permanentiam: dicit enim Apostolus, Rom. 8 [38]: « *certus sum quia neque mors neque vita neque aliquid aliud potest me separare a caritate Dei* ».

739. — Secundo, ibi [328]: *Bene autem*... probat idem ex iudicio credentium. Ille enim *qui veritati* per fidem *unitus est, bene* cognoscit *quam bene* sit ei, sic veritati fidei adhaerendo; *quamvis multi* reprehendant *ipsum sicut extasim passum*, idest sicut fatuum et a se alienatum; etenim *latet ipsos* reprehendentes *ex* eorum *errore*, quod ipse sine dubio *per veram fidem* est *passus extasim* veritatis, quasi extra omnem sensum positus et *veritati* supernaturali coniunctus, quia *ipse* credens novit de seipso quod non est furens, ut ipsi *dicunt*, *sed* est liberatus *per veritatem simplicem et semper eodem modo se habentem*, ne circumferatur per instabiles et variabiles ventos diversorum errorum.

740. — Tertio, ibi [329]: *Ita igitur*... probat idem exemplo Apostolorum, qui sunt *principes et duces sapientiae* christianae et *pro veritate* mortificantur tota *die*, contestantes, ut *est conveniens*, non solum *verbo*, sed etiam *opere* et per veram Dei cognitionem quae est *unitiva christianorum*, quod ipsa Dei cognitio in qua christiani uniuntur, est simplicior et divinior quacumque Dei cognitione quae in hoc mundo ab hominibus habetur; immo, ut verius dicamus, ipsa sola est vera et una et simplex *Dei* cognitio. Quaecumque enim alia Dei cognitio discordat a communi christianorum cognitione, quae catholica fides nominatur, magis dicenda est error, quam Dei cognitio.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 325: « simplificatur » - *ὑπερήπλωται*, « supersimplificatur », quod in lat. vers. distinguitur eleganter: « *super* omnem simplicitatem... *simplificatur* ».

* ad n. 326: « simplex et existens *existentis* veritas »; « simplex et *vere* (*ὄντως*, minime: *ὄντος* - *existentis*) existens veritas ».

* : « credentium » - *πεπιστευομένων*, lit. est: « eorum quae credita sunt » unde Turturro corrigit: *πεπεισμένων*, h. e. « eorum qui persuasi sunt » scilicet « credentium »; cfr. infra: « credentibus ».

* ad n. 327: « *Sicut* enim »; « *si* (*εἰ*) enim ».

* : « unitiva eorum qui noverunt »; plenius: « unitiva cognoscentium et *cognitorum* » (*καὶ ἐγνωσμένων*).

* : « nihil movebit a *causa* » - *ἑστίας* (cfr. n. 26, pag. 33; n. 100, pag. 91); vers. lat. legit *αἰτίας* - « a causa », sed recta lectio altera est: « celui qui possède la vraie foi, l'Ecriture nous dit que rien ne saurait le detourner de *ce foyer* fondé sur la vraie foi » (M. de Gandillac, qui citat *Ephes.* 4, 13); cfr. 386.

* ad n. 328: « ex errore... extasim passus veritati unitus »; « per illam, (quae) realiter (*ὄντως*) fides, ab errore *elongatus*, veritati (*τῇ ἀληθείᾳ*) *cessit* » (*ἐξεστηκώς*).

* ad n. 329: « testificantes... et unitiva christianorum vera Dei cognitione », « testimonium reddentes... unitae (*ἑνιαίᾳ*) christianorum cognitioni veritatis » (*ἀληθογνωσίᾳ*, cui respondet *θεογνωσίαν* - « Dei cognitionem »).

2ª Glossae marginales:

a) Quae de « Verbo » vel « Ratione » hic (325) Dionysius notat in memoriam revocant indicam doctrinam de Brahma, qui est « Logos » iuxta expositionem Hippolyti (pag. 240). Haec notio Dei invenitur et apud Heraclitum: de sensu et valore huius doctrinae licet variae sint scriptorum opiniones, quae clarissimus Prof. Carolus Mazzantini exponit pulchra et vera mihi videntur, dum hanc notionem Dei « culmen theologicum philosophiae Heracliti » vocat (Eraclito, *Frammenti e Testimonianze*, pag. 127-136).

b) Si Deus vocatur « *ἑστία* » (327) in sua duplici significatione sive ut « ara » sive ut « firmitas », facile quis intelligere potest duplicem characterem veritatis christianae *sacrum* nempe et *firmum*, iuxta communem doctrinam. Qui haec scribit, certe intentionem non habet hanc sacram et firmam veritatem deturpandi per notiones extraneas et incompossibiles (cfr. n. 26; 100).

c) Tria quae dicuntur (329) de christiana doctrina: *θεοσοφία* (sapientia divina *salutaris*) *ἀληθογνωσία* (cognitio veritatis) *θεογνωσία* (cognitio Dei) habent respective testimonia: prima per *opera* quae vitam perficiunt in sanctitate et iustitia; altera per *verba* veritatem docentia; tertia, *sanguine*. Hoc notat Clemens Alexandrinus (*Strom.* IV, 7); Basilius (*in psal.* 114, 1; Opp. I, 100 A) perpulchre scribit: « ... *amore quodam et affectu hosce labores suscepi ut possim dicere: quoniam propter te mortificamur tota die* » (ex *psal.* 43, 22, cuius

meminit et *Paulus: Rom.* 8, 36). Recolas quaeso *testimonium Iustini in dialogo cum Tryphone* 8: « *hanc solam reperiebam philosophiam quae quidem tuta et utilis foret* »; et ne obliviscaris *Cyrilli Hierosol.* qui in « epistola ad Constantium imperatorem » (MG. 33, 1165) narrat « de signo lucidae Crucis Hierosolymis viso, quod in coelis apparuit » (7 maii 351). Huius facti vestigia quaedam adhuc visibilia remanent in *Epist.* 7 Dionysii (cfr. artic. *Il metodo di Dionigi, il Mistico, nella ricerca della verità*, in ephemeride *Humanitas* II - aprile 1947, pag. 355-363), quae quidem haud omnino spernenda videntur. Huius memini quia ibi ponitur publicum testimonium: « *qui omnes unanimiter velut ex ore uno* Christum Iesum... laudibus celebrabant *opere et experientia* cognoscentes christianorum piissimam doctrinam (*δόγμα*) ... non ab hominibus solum *adnuntiatam*, sed e coelis divinitus testatam ».

CAPUT OCTAVUM

De Virtute, Iustitia, Salvatione, Liberatione, in quo et de Inaequalitate.

LECTIO I (44a)

Quomodo virtus accipiatur in Deo et de infinitate eius.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. VIII; textus nn. 330-334; expositio nn. **741-751**).

Determinat de Virtute et Iustitia:
A) dicit de quo est intentio (330; **742**).
B) exequitur propositum:
1° - Determinat de virtute:
a) determinat de Dei Virtute:
j° - proponit quaestionem (331; **745**)
ij° - solvit propositam quaestionem:
α) ostendit quomodo virtus accipiatur in Deo:
I - ostendit quomodo virtus attribuatur Deo (332; **748**)
II - qua ratione virtus Dei infinita dicatur:
j°) secundum quam rationem, virtus Dei infinita dicatur (333; **750**)
ij) manifestat infinitatem divinae virtutis per exempla (334; **751**)
β) ostendit processum virtutis a Deo in singula (335; Lectio 2a),
b) solvit quamdam obiectionem contra infinitatem divinae virtutis (Lectio 3a),
2° - Determinat de Iustitia (Lectio 4a),
3° - de Salvatione, et Liberatione et Inaequalitate (Lectio 5a).

TEXTUS DIONYSII

C. VIII. § 1. 330. — « Sed quoniam divinam Veritatem et supersapientem Sapientiam et sicut Virtutem laudant et sicut Iustitiam Theologi et sicut Salvationem * et sicut Liberationem,

age et istas Dei-nominationes, sicut est possibile nobis, reseremus.

331. — Et quod quidem Thearchia ab omni quocumque modo et existente et cognitata virtute segregata est et superat, non arbitror aliquem in divinis eloquiis conversatorum ignorare:

multoties enim Theologia et dominationem Ipsi et ipsarum coelestium virtutum determinans, tradita est *.

Quomodo igitur ipsam Theologi et sicut virtutem laudant ab omni segregatam virtute

aut quomodo in Ipsa virtutis-nominationem accipiamus?

§ 2. 332. — Dicimus igitur quod virtus est Deus sicut omnem virtutem in Seipso praehabens et superhabens et sicut omnis virtutis causa; et omnia, secundum virtutem indeclinabilem et incircumfinitam producens; et sicut ipsius quod est esse virtutem aut totam aut particularem causa existens;

333. — Et sicut infinitae virtutis non tantum eo quod omnem virtutem producit, sed et eo quod est super omnem et ipsam per se virtutem; et eo quod superpotest et infinite infinitas alias ab existentibus virtutibus producere; et eo quod numquam possunt infinitae et in infinitum productae virtutes superinfinitam Ipsius virtutem-facientis virtutis hebetare actionem;

et eo quod ineffabilis et ignota et incogitabilis est, cuncta excedens Ipsius Virtus;

334. — Quae propter abundantiam possibilis et infirmitatem firmat et ultimas resonantiarum ipsius continet et fortiter tenet;

quemadmodum et in possibilibus secundum sensum videmus quod supersplendida lumina et usque ad hebetes visiones perveniunt et magnos sonos dicunt ad auditus non valde facile recipientes sonos introire.

Quod enim est omnino non audiens neque audit *; et quod universaliter non videns est, neque videt *.

§ 3. — Ipsa igitur infinitae-virtutis Dei distributio ad omnia existentia vadit et nihil est existentium, cui perfecte ablatum sit habere quamdam virtutem, sed aut intellectualem aut rationalem aut sensibilem aut vivificam aut substantialem habet virtutem

et ipsum etiam esse, si fas est dicere, virtutem ad hoc quod sit, habet a supersubstantiali virtute ».

C. VIII. § *1. 330* — [*889* C] *Ἀλλ' ἐπειδὴ τὴν θείαν ἀληθότητα καὶ ὑπέρσοφον σοφίαν καὶ ὡς δύναμιν ὑμνοῦσι καὶ ὡς δικαιοσύνην οἱ θεολόγοι καὶ σωτηρίαν αὐτὴν ἀποκαλοῦσι * καὶ ἀπολύτρωσιν,*

φέρε καὶ ταύτας, ὡς ἐφικτὸν ἡμῖν, τὰς θεωνυμίας ἀναπτύξωμεν.

331. — Καὶ ὅτι μὲν ἡ θεαρχία πάσης ἐξήρηται καὶ ὑπερέχει τῆς ὅπως ποτὲ καὶ οὔσης καὶ ἐπινοουμένης δυνάμεως, οὐκ οἶμαί τινα τῶν ἐν τοῖς θείοις λογίοις ἐντεθραμμένων ἀγνοεῖν·

*πολλαχοῦ γὰρ ἡ θεολογία καὶ τὴν κυρείαν αὐτῇ καὶ αὐτῶν τῶν ὑπερουρανίων δυνάμεων ἀφορίζουσα παραδέδωκε *.*

Πῶς οὖν αὐτὴν οἱ θεολόγοι καὶ ὡς δύναμιν ὑμνοῦσι τῆς πάσης ἐξῃρημένην δυνάμεως;

ἢ πῶς ἐπ' αὐτῇ τὴν δυναμωνυμίαν ἐκλάβομεν;

*§ 2. 332. — [D] Λέγομεν τοίνυν ὅτι δυναμίς ἐστιν ὁ θεὸς ὡς πᾶσαν δύναμιν ἐν ἑαυτῷ προέχων **καὶ ὑπερέχων** καὶ ὡς πάσης δυνάμεως αἴτιος, καὶ πάντα κατὰ δύναμιν ἄκλιτον καὶ ἀπεριόριστον παράγων καὶ ὡς αὐτοῦ τοῦ εἶναι δύναμιν ἢ τὴν ὅλην ἢ τὴν καθ' ἕκαστον αἰτιος ὤν·*

333. — καὶ ὡς ἀπειροδύναμος οὐ μόνον τῷ πᾶσαν δύναμιν παράγειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ὑπὲρ πᾶσαν καὶ τὴν αὐτοδύναμιν εἶναι καὶ τῷ ὑπερδύνασθαι καὶ ἀπειράκις ἀπείρους τῶν οὐσῶν δυνάμεων ἑτέρας παραγαγεῖν καὶ τῷ μὴ ἄν ποτε δυνηθῆναι τὰς ἀπείρους καὶ ἐπ' [892 A] ἄπειρον παραγομένας δυνάμεις τὴν ὑπεράπειρον αὐτοῦ τῆς δυναμοποιοῦ δυνάμεως ἀμβλῦναι ποίησιν·

καὶ τῷ ἀφθέγκτῳ καὶ ἀγνώστῳ καὶ ἀνεπινοήτῳ τῆς πάντα ὑπερεχούσης αὐτοῦ δυνάμεως

334. — ἢ διὰ περιουσίαν τοῦ δυνατοῦ καὶ τὴν ἀσθένειαν δυναμοῖ καὶ τὰ ἔσχατα τῶν ἀπηχημάτων αὐτῆς συνέχει καὶ διακρατεῖ,

καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν κατ' αἴσθησιν δυνατῶν ὁρῶμεν ὅτι τὰ ὑπέρλαμπρα φῶτα καὶ μέχρι τῶν ἀμβλειῶν ὁράσεων φθάνει καὶ τοὺς μεγάλους φασὶ τῶν ψόφων καὶ εἰς τὰς μὴ λίαν εὐκόλως τῶν ἤχων ἀντιλαμβανομένας ἀκοὰς εἰσδύεσθαι·

*τὸ γὰρ πάντῃ ἀνήκοον οὐδὲ ἀκοή *· καὶ τὸ καθόλου μὴ βλέπον οὐδὲ ὅρασις *.*

§ 3. [B] Αὕτη δὲ οὖν ἡ ἀπειροδύναμος τοῦ θεοῦ διάδοσις εἰς πάντα τὰ ὄντα χωρεῖ καὶ οὐδέν ἐστι τῶν ὄντων δ παντελῶς ἀφῄρηται τὸ ἔχειν τινὰ δύναμιν, ἀλλ' ἢ νοερὰν ἢ λογικὴν ἢ αἰσθητικὴν ἢ ζωτικὴν ἢ οὐσιώδη δύναμιν ἔχει·

καὶ αὐτὸ δέ, εἰ θέμις εἰπεῖν, τὸ εἶναι δύναμιν εἰς τὸ εἶναι ἔχει παρὰ τῆς ὑπερουσίου δυνάμεως.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

741. — Postquam determinavit Dionysius de Dei Sapientia, hic determinat de Virtute et Iustitia. Sicut enim processus sapientiae minus se extendit quam processus vitae, eo quod non omnes viventes cognitionem habent, ita processio virtutis et iustitiae deficit a sapientiae processione. Circa hoc ergo duo facit: primo, dicit de quo est intentio; secundo, exsequitur propositum; ibi [331]: *Et quod quidem...*

742. — Dicit ergo primo [330], quod quia divina Veritas et Sapientia super omnem sapientiam existens, laudatur in sacra Scriptura *et sicut* virtus *et sicut* iustitia *et sicut* salvatio *et sicut* liberatio, idest sicut salvationis et liberationis causa, *istas* etiam *Dei-*

nominationes exponemus, *sicut est nobis possibile.*

743. — Deinde, cum dicit [331]: *Et quod quidem...* exequitur propositum: et primo, determinat de Virtute; secundo, de Iustitia quae est virtutis species; ibi [344]: *Iustitia autem...* [lectio 4ª]; tertio, de Salvatione et Liberatione et Inaequalitate quae sunt Iustitiae effectus, ibi [351]: *Ipsa igitur...* [lectio 5ª].

744. — Prima pars dividitur per partes duas: in prima, determinat de Dei Virtute; in secunda solvit quamdam obiectionem contra infinitatem divinae Virtutis; ibi [339]: *Et quidem dicit...* [lectio 3ª].

Circa primum, duo facit: primo, movet quaestionem: quomodo virtus dicatur de Deo [331]; secundo, solvit quaestionem; ibi [332]: *Dicimus igitur...*

745. — Dicit ergo primo [331] quod nullus, qui habuit consuetudinem in sacris eloquiis, ignorat *quod* principalis Deitas est separata *ab omni virtute*, quae, *quocumque modo*, in rebus existit, vel cogitari potest. Separatur autem ab omni virtute, non quasi ab ea deficiens, sed eam superans et excedens, unde et sacra Scriptura *tradita est* quae attribuit Deo *et dominationem coelestium virtutum*, secundum illud Psalm. 23 [10]: « *Dominus virtutum, Ipse, est Rex gloriae* », et in multis locis dicitur « *Dominus exercituum* », ex quo datur intelligi quod si coelestes virtutes excedit, multo magis alias. Cum ergo Divinitas sit *ab omni virtute segregata*, potest quaeri: *quomodo* vel ipsi qui sacras Scripturas ediderunt, Deum *sicut virtutem* laudaverunt, iuxta illud I Cor. 1 [24]: « *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* », et iterum: *quomodo* nos qui sacras Scripturas exponimus, accipimus in Divinitate, *virtutis-nominationem*?

746. — Deinde, cum dicit [332]: *Dicimus igitur...* solvit propositam quaestionem; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quomodo virtus accipiatur in Deo; secundo, ostendit processum virtutis a Deo in singula; ibi [335]: *Ex ipsa sunt...* [lectio 2ª].

747. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo virtus attribuatur Deo; secundo, qua ratione virtus Dei infinita dicatur, ibi [333]: *Et sicut infinitae...*

748. — Dicit ergo primo [332] quod virtus attribuitur Deo, propter tria: primo quidem, secundum hoc quod omnium rerum virtutes in Ipso primordialiter et supereminenter existunt, sicut et de vita [294; **692**] et sapientia [304; **708**], dictum est; secundo vero, secundum hoc quod est *causa omnis virtutis;* tertio, vero, secundum hoc quod Ipse operatur producendo omnia *secundum virtutem indeclinabilem*, idest quae non potest minorari aut fatigari et *incircumfinitam;* sicut et sapientia Deo attribuitur, inquantum in Ipso praeexistit omnis Sapientia et inquantum Ipse est sapientiae causa et inquantum habet sapientiae actum, cognoscendo; et non solum est virtutis causa sicut largiens virtutem, sed quia ipsam *virtutem* causat sive accipiamus virtutem universalem sive aliquam virtutem *particularem.*

749. — Deinde, cum dicit [333]: *Et sicut infinitae...* quia dixerat quod Deus producit omnia secundum virtutem infinitam, secundo ostendit quomodo virtus Dei infinita dicatur; et circa hoc, duo facit: primo, dicit secundum quam rationem, virtus Dei infinita dicatur; secundo, manifestat infinitatem divinae virtutis per exempla; ibi [334]: *Quae propter...*

750. — Est autem considerandum quod infinitum in Deo non dicitur per extensionem sicut in quantitate continua, sed per negationem quia scilicet non finitur aut determinatur aliquo. Sic ergo virtus Dei quintupliciter dicitur infinita: primo quidem quia non determinatur ad aliquem effectum, sed *omnem virtutem producit;* secundo, non solum propter hoc, *sed eo quod* non terminatur per commensurationem alicuius virtutis, sed *est super omnem* virtutem particularem *et* ulterius super omnem *ipsam per se virtutem*, quia hoc ipsum quod nomine communi virtutis intelligitur, est minus divina virtute; tertio, quia non terminatur per ea quae sunt, sed potest infinitis modis et *infinitas alias* virtutes *producere*, praeter eas quae sunt; quarto, quia si infinitis modis etiam infinitas virtutes produceret praeter eas quae sunt, non propter hoc hebetaretur aut debilitaretur eius actio superinfinita, quae est factiva omnis virtutis; et sic etiam patet quod nec sua actione finitur, secundum quod actio ad effectus terminatur; quinto, dicitur infinita eo quod non terminatur intellectu: *est* enim *ineffabilis et ignota et* quae cogitari non potest, divina *Virtus cuncta excedens.*

751. — Deinde, cum dicit [334]: *Quae propter abundantiam...* manifestat infinitatem divinae virtutis per signa et exempla; et dicit quod divina virtus per *abundantiam possibilis*, idest potestatis, etiam quae sunt infirma *firmat*, idest conservat, *continet et fortiter tenet* etiam illas res in quibus est ultima resonantia virtutis, idest quae minimum participant de virtute; quod est signum infinitae virtutis: sicut *videmus* in potentiis sensibilium *quod lumina* quae sunt valde splendida possunt videri etiam ab eis qui habent debiles visus et magni sonus perveniunt *ad auditus* debiles, qui *non* de facili recipiunt *sonos;* et ultra hoc non potest se extendere virtus luminis et soni, quia *quod omnino non* habet auditum non potest audire quantumcumque magnum sonum *et quod* totaliter *non* videt, non potest videre splendidum lumen.

Sic *igitur* concludit quod *distributio* divinae *virtutis*, propter sui infinitatem, procedit *ad omnia existentia* et nullum est existens quod non habeat aliquam *virtutem;* sed oportet quod habeat *aut virtutem intellectualem*, sicut Angeli *aut rationalem*, sicut Homines *aut sensibilem*, sicut Animalia *aut vivificam*, sicut Plantae *aut substantialem*, sicut Alia; et non solum existentia, sed *etiam ipsum esse habet virtutem ad hoc quod sit, a supersubstantiali* Dei *virtute.* Et dicit, *si fas est dicere*, quia non sic proprie dicitur quod esse sit, sed quod per esse, aliquid sit.

OBSERVATIONES

QUOAD TEXTUM:

* ad n. 330: « et sicut Salvationem »; add. « *ipsam vocant* ».

* ad n. 331: « tradita est »; Turturro legit: *παραδέδωκε* - « *tradidit* ».

* ad n. 334: « neque audit... neque videt »; « neque *auditio* (est) ... neque *visio* ».

LECTIO II (45a)

De processu divinae virtutis ad entia in speciali.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. VIII; textus nn. 335-338; expositio nn. 752-762).

Ostendit processum divinae Virtutis ad entia, in speciali:

A) distinguendo res in quas effectus divinae virtutis proveniunt:
   1° - ostendit processum divinae virtutis ad Superiores creaturas (335, **754**)
   2° - ad inferiores creaturas (336; **755**)

B) distinguendo ea quae a divina virtute inveniuntur in rebus:
   1° - quantum ad ea quae sunt communia omnibus (337; **756**),
   2° - ponit ea quae pertinent ad singula (338; **757-762**)

TEXTUS DIONYSII

§ 4. 335. — « Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ornatuum virtutes, ex ipsa et esse intransmutabiliter habent et omnes ipsorum intellectuales et immortales sempiternos motus et fortitudinem ipsam et non minorabile desiderium boni ab infiniti-boni virtute acceperunt,

ipsa immittente ipsis posse et esse ista * et desiderare quod semper est * et ipsum posse desiderare quod semper possunt *.

§ 5. 336. — Procedunt autem ea quae sunt indeficientis virtutis et ad homines et animalia et plantas et totam omnis rei naturam;

337. — Et firmat unita ad sui invicem amicitiam et communionem et discreta ad hoc quod sint singula secundum propriam rationem et diffinitionem inconfusa et incommixta

et omnis rei ordines et directiones ad bonum proprium salvat;

338. — Et immortales angelicarum unitatum vitas immaculatas custodit;

et coelestes et illuminativas et stellares substantias et ordines invariabiles et aevum posse esse facit;

et temporis circumvolutiones discernit quidem processibus, congregat autem restitutionibus;

et ignis virtutes inextinguibiles facit;

et aquae influxiones indeficientes;

et aëream effusionem terminat;

et terram in nihilo collocat; et vitae generativos ipsius partus indifferentes * custodit;

§ 4. 335. — Ἐξ αὐτῆς εἰσιν αἱ θεοειδεῖς τῶν ἀγγελικῶν διακόσμων δυνάμεις· ἐξ αὐτῆς καὶ τὸ εἶναι ἀμεταπτώτως ἔχουσι καὶ πάσας αὐτῶν τὰς νοερὰς καὶ ἀθανάτους ἀεικινησίας καὶ τὸ ἀρρεπὲς αὐτὸ καὶ τὴν ἀνελάτ[C]τωτον ἔφεσιν τοῦ ἀγαθοῦ πρὸς τῆς ἀπειραγάθου δυνάμεως εἰλήφασιν,

*αὐτῆς ἐφιείσης αὐτοῖς τὸ δύνασθαι καὶ τὸ εἶναι ταὐτὰ * καὶ ἐφίεσθαι ἀεὶ εἶναι * καὶ αὐτὸ τὸ δύνασθαι ἐφίεσθαι τοῦ ἀεὶ δύνασθαι *.*

§ 5. 336. — Πρόεισι δὲ τὰ τῆς ἀνεκλείπτου δυνάμεως καὶ εἰς ἀνθρώπους καὶ ζῶα καὶ φυτὰ καὶ τὴν ὅλην τοῦ παντὸς φύσιν·

337. — καὶ δυναμοῖ τὰ ἡνωμένα πρὸς τὴν ἀλλήλων φιλίαν καὶ κοινωνίαν καὶ τὰ διακεκριμένα πρὸς τὸ εἶναι κατὰ τὸν οἰκεῖον ἕκαστα λόγον καὶ ὅρον ἀσύγχυτα καὶ ἀσύμφυρτα·

καὶ τὰς τοῦ παντὸς τάξεις καὶ εὐθημοσύνας εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν διασώζει·

338. — καὶ τὰς ἀθανάτους τῶν ἀγγελικῶν ἑνάδων ζωὰς ἀλωβήτους διαφυλάττει·

καὶ τὰς οὐρανίας καὶ φω[D]στηρικὰς καὶ ἀστρώους οὐσίας καὶ τάξεις ἀναλλοιώτους καὶ τὸν αἰῶνα δύνασθαι εἶναι ποιεῖ·

καὶ τὰς τοῦ χρόνου περιελίξεις διακρίνει μὲν ταῖς προόδοις συνάγει δὲ ταῖς ἀποκαταστάσεσι·

καὶ τὰς τοῦ πυρὸς δυνάμεις ἀσβέστους ποιεῖ·

καὶ τὰς τοῦ ὕδατος ἐπιρροὰς ἀνεκλείπτους·

καὶ τὴν αἔρίαν χύσιν ὁρίζει·

*καὶ τὴν γῆν ἐπ' οὐδενὸς ἱδρύει καὶ τὰς ζωογόνους αὐτῆς ὠδῖνας ἀδιαφθόρους * φυλάττει·*

et elementorum in se invicem harmoniam et concretionem inconfusam et indivisibilem salvat;

et animae et corporis coniunctionem continet;

et plantarum nutritivas et augmentativas virtutes sursum movet;

et fortiter tenet substantiales totorum virtutes;

et omnis rei indissolubilem mansionem firmat;

et deificationem ipsam donat, virtutem ad hoc his quae deificantur praebens;

et totaliter, nihil est universaliter existentium ab Omnipotentis firmitate et ambitu divinae virtutis segregatum:

quod enim universaliter habet nullam virtutem, neque est neque erit aliqua ipsius omnino positio ».

καὶ τὴν ἐν ἀλλήλοις τῶν στοιχείων ἁρμονίαν καὶ κρᾶσιν ἀσυγχυτον καὶ [893 A] ἀδιαίρετον ἀποσώζει·

καὶ τὴν ψυχῆς καὶ σώματος σύνδεσιν συνέχει·

καὶ τὰς τῶν φυτῶν θρεπτικὰς καὶ αὐξητικὰς δυνάμεις ἀνακινεῖ·

καὶ διακρατεῖ τὰς οὐσιώδεις τῶν ὅλων δυνάμεις·

καὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀδιάλυτον μονὴν ἀσφαλίζεται·

καὶ τὴν θέωσιν αὐτὴν δωρεῖται δύναμιν εἰς τοῦτο τοῖς ἐκθεουμένοις παρέχουσα·

καὶ ὅλως οὐδέν ἐστι καθόλου τῶν ὄντων τὴν παγκρατορικὴν ἀσφάλειαν καὶ περιοχὴν τῆς θείας δυνάμεως ἀφῃρημένον·

τὸ γὰρ καθόλου μηδεμίαν δύναμιν ἔχον οὔτε ἐστὶν οὔτε τί ἐστιν οὔτε ἐστί τις αὐτοῦ παντελῶς θέσις.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

752. — Postquam Dionysius ostendit, in communi, processum divinae virtutis ad entia, hic ostendit in speciali; et primo, distinguendo res in quas effectus divinae virtutis proveniunt; secundo, distinguendo ea quae a divina virtute inveniuntur in rebus; ibi [337]: *Et firmat...*

753. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit processum divinae virtutis ad superiores creaturas, scilicet Angelos; secundo, ad inferiores; ibi [336]: *Procedunt...*

754. — Dicit ergo primo [335] quod *ex* divina virtute procedunt omnes *virtutes angelicorum ornatuum*, quae sunt Deo conformes. Apparet autem in Angelis virtus quantum ad ipsum esse: et secundum hoc dicit quod *ex* divina bonitate *habent esse* intransmutabile. Secundo, quantum ad intelligere: et secundum hoc dicit quod ex divina virtute habent *sempiternos motus intellectuales et immortales*, quia scilicet semper actu intelligunt. Tertio, quantum ad appetere: et quantum ad hoc dicit quod *acceperunt a virtute infiniti-boni ipsam fortitudinem*, per quam bonum desiderant absque diminutione talis desiderii. Haec quidem omnia habent a divina virtute, inquantum divina virtus immittit eis et *esse et posse* respectu ipsorum et quod desiderant absque fastidio, habentes ea quae semper eis adsunt; *et* hoc *ipsum* quod est *posse desiderare quod semper possunt*, est eis a Deo.

755. — Deinde, cum dicit [336]: *Procedunt...* ostendit processum divinae virtutis ad inferiores creaturas; et dicit quod effectus *indeficientis* Dei *virtutis procedunt et ad homines et* ad *animalia et* ad *plantas et* ad omnes res naturales.

756. — Deinde, cum dicit [337]: *Et firmat...* ostendit quae inveniantur in rebus, divina virtute; et primo quantum ad ea quae sunt communia omnibus: quorum primum est unitio; et quantum ad hoc dicit quod divina virtus omnia quae sunt *unita* confirmat ad quamdam *amicitiam sui et communionem.*

Secundum est discretio; et quantum ad hoc dicit quod divina virtus firmat ea quae sunt *discreta* ad invicem, *ad hoc quod singula secundum propriam rationem et diffinitionem* conservet *inconfusa et incommixta* ad invicem.

Tertium est ordo; et quantum ad hoc dicit quod divina virtus conservat cuiuslibet *rei ordines*, secundum quos res ad invicem ordinantur et iterum dirigit unumquodque in ordine *ad* finem quod est *proprium bonum* rei.

757. — Deinde, [338] ponit ea quae pertinent ad singula: et primo, quantum ad Angelos dicit quod divina virtus *custodit* immaculate a quacumque corruptione *immortales vitas angelicarum unitatum*, idest substantiarum simplicium ipsorum.

Secundo, quantum ad corpora coelestia dicit quod custodit invariabiliter *substantias et ordines* coelestium corporum et luminarium, scilicet solis et lunae et stellarum.

Tertio, quantum ad aevum quod mensurat substantiam coeli et dicit quod divina virtus *facit* quod possit *esse aevum*, quod est simplex mensura essendi; et quantum ad tempus quod est mensura motus coeli subiungit quod divina virtus omnes *circumvolutiones temporis discernit processibus* et *congregat restitutionibus*. Attribuit autem tempori circumvolutionem eo quod sequitur circularem revo-

lutionem coeli. Est autem in motu coeli, duo considerare: primo quidem quod in motu coeli semper sit renovatio situs, secundum transitum de loco ad locum; secundo vero quod coelum redit ad eumdem situm secundum circularem motum; ita etiam est et in tempore quia, secundum processum motus, succedit tempus tempori, ut hora horae et dies diei; et quantum ad hoc dicit quod tempus discernitur *processibus;* secundum autem reditum alicuius coelestis corporis ad eumdem locum, etiam tempus restituitur in id quod praeterierat et sic quod erat futurum quodammodo ad praeteritum congregatur: puta, cum dies et mane incipiens terminatur, iterum reditur ad mane et idem apparet in mense et anno.

758. — Quarto, ostendit effectum divinae virtutis ex elementis et dicit quod divina Virtus *facit virtutes ignis inextinguibiles;* licet enim ignis in hac materia extingui possit, tamen ignis universaliter inexstinguibilis est. Facit etiam *indeficientes* fluxiones *aquae,* quod dicit propter perpetuum fluxum fluviorum et commotiones maris,- quae apparent in fluctibus et fluxu et refluxu maris. Qui etiam *terminat effusionem aëream:* hoc autem dicit, quia aëri maxime competit proprietas humidi, ut non bene terminetur termino proprio et ideo, quantum est de se, aër habet omnimodam effusionem, sed divina virtute terminatur intra limites sui naturalis loci. Divina etiam virtus *collocat terram in nihilo,* quia semper divina virtute in medio mundi collocatur et nihil est quod ipsam sustentet. Divina etiam virtus conservat *generativos partus ipsius* terrae, scilicet plantarum et aliorum quae ex terra nascuntur *indifferentes,* idest uniformiter in sua natura manentes, dum scilicet ex seminibus terrae mandatis, similes plantae nascuntur.

Et non solum ea quae ad singula elementa pertinent divina virtus facit, sed etiam quae pertinent ad commixtionem elementorum ad invicem. In qua quidem commixtione, tria inveniuntur: necesse est enim esse primo quamdam proportionem *elementorum* ad *invicem,* quam Dionysius hic nominat *harmoniam;* secundo, requiritur quod cuiuslibet elementi remaneat virtus propria incorrupta, alioquin non esset mixtio, sed corruptio; et quantum ad hoc, dicit: *et concretionem inconfusam;* tertio, requiritur quod elementa sint concreta et simul commaneant et non statim ab invicem separentur; et quantum ad hoc dicit: *et indivisibilem salvat.*

759. — Quinto etiam ponit effectum divinae virtutis in rebus animatis; et universaliter quidem dicit quod divina virtus in unum tenet *coniunctionem animae et corporis;* et specialiter de plantis adiungit quod *movet sursum virtutes plantarum nutritivas et augmentativas:* nutritivas quidem, inquantum alimentum per radices attractum usque ad cacumen plantarum sublevatur; augmentativas vero, inquantum ipsum corpus plantae ex terra procedens, paulatim in altum producitur.

760. — Deinde, quantum ad omnia, universaliter subdit quod divina virtus *fortiter tenet substantiales* et naturales *virtutes* omnium *et* cuiuslibet *rei firmat indissolubilem mansionem,* inquantum scilicet omnia gradum sibi praefixum a Deo conservant.

761. — Ulterius autem effectum divinae virtutis ostendit in his quae pertinent ad gratiam; et dicit quod divina virtus dat *ipsam deificationem,* idest participationem Deitatis, quae est per gratiam; et ne aliquis credat quod hanc participationem aliquis sua virtute possit acquirere, subdit quod Deus praebet *virtutem ad hoc* ut aliqua praedicto modo deificentur.

762. — Ultimo autem universaliter concludit quod *universaliter nihil est* in entibus quod sit *segregatum* et non contentum a continentia *divinae virtutis* quae rebus per suam omnipotentiam dat firmitatem. Sicut enim a divina vita non potest esse segregatum quidquam nisi quod caret vita, ita a divina virtute non potest esse segregatum nisi quod caret virtute. *Quod* autem *universaliter nullam habet virtutem,* omnino non *est* neque habet aliquam positionem, idest ordinem in universo seu firmitatem.

OBSERVATIONES

QUOAD TEXTUM:

* ad n. 335: « ista »; Turturro loco *ταῦτα* - « ista » legit: *ταὐτά* - « *eadem* ».

* : « et desiderare... possunt »; « semperque esse (*ἀεὶ εἶναι*) desiderent et id ipsum posse desiderare semper possint » (Cordier).

* ad n. 338: « indifferentes »; leg. *ἀδιαφθόρους* « *incorruptibiles* », minime: *ἀδιαφόρους* - « indifferentes » quae videtur correctio praecedentis, nam hic partus est rerum corruptibiliúm. Agitur tamen de *inviolabilitate* legis naturalis: « qui conserve *indestructibles* à sa surface les *engendrements des êtres vivants* » (M. de Gandillac).

LECTIO III (46ª)

Quare dicatur quod Deus aliquid non potest.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. VIII; textus nn. 339-343; expositio nn. **763-770**).

Excludit quamdam obiectionem:
A) ponit obiectionem (339; **764**),
B) solvit eam:
  1° - praemittit suam excusationem de hoc quod intendit ad tam debilis obiectionis solutionem (340; **766**),
  2° - solutionem ponit (341; **767**),
  3° - reprehendit obiicientis praesumptionem (342; **768**)
C) exclusa obiectione, asserit veritatem (343; **769-770**).

TEXTUS DIONYSII

§ 6. 339. — « Et quidem dicit Elymas magus:
Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse a nostro * Theologo?
Improperat autem divino Paulo qui dixit Deum non posse negare seipsum.

§ 6. 339. — [B] *Καίτοι φησὶν ὁ Ἐλύμας ὁ μάγος*[1].
*εἰ παντοδύναμός ἐστιν ὁ θεὸς πῶς λέγεταί τι μὴ δύνασθαι προς τοῦ καθ' ὑμᾶς * θεολόγου;*
λοιδορεῖται δὲ τῷ θείῳ Παύλῳ φήσαντι μὴ δύνασθαι τὸν θεὸν ἑαυτὸν ἀρνήσασθαι[2].

340. — Apponens autem hoc, nimium timeo ne stultitiae debeam * risum, puerorum effrenorum et super arenam et infirmas aedificationes dissolvere moliens et sicut * contra quamdam impossibilem intentionem iaculari studens contra theologicam de isto deliberationem *.

340. — *Προθεὶς δὲ τοῦτο λίαν ὀρρωδῶ μὴ καὶ ἀνοίας ὀφλήσω * γέλωτα, παίδων ἀθυρόντων οἰκοδομήματα καὶ ἐπὶ ψάμμου καὶ ἀσθενῆ καταλύειν ἐπιχειρῶν καὶ ὥσπερ * τινὸς ἀνεφίκτου σκοποῦ καταστοχάζεσθαι σπεύδων τῆς περὶ τούτου θεολογικῆς διανοίας *.*

341. — Etenim sui ipsius negatio, casus est a veritate; veritas autem existens est et a veritate casus, ab existente est casus.
Si igitur veritas existens est, negatio autem veritatis est ab existente casus, ab existente cadere Deus non potest; et hoc non esse non est.
Sicut si aliquis dicat: non posse non potest et non scire secundum privationem, non novit.

341. — *Ἡ γὰρ ἑαυτοῦ ἄρνησις ἔκπτωσις ἀληθείας ἐστίν· ἡ δὲ ἀλήθεια ὂν ἐστιν· καὶ ἡ τῆς ἀληθείας ἔκπτωσις, τοῦ ὄντος ἔκπτωσις·*
εἰ τοίνυν ἡ ἀλήθεια ὄν ἐστιν ἡ δὲ ἄρνησις τῆς ἀληθείας τοῦ ὄντος ἔκπτωσις, ἐκ τοῦ ὄντος ἐκπεσεῖν ὁ θεὸς οὐ δύναται καὶ τὸ μὴ εἶναι οὐκ ἔστιν·
ὡς ἄν τις φαίη τὸ μὴ δύνασθαι οὐ δύναται καὶ τὸ [C] *μὴ εἰδέναι κατὰ στέρησιν οὐκ οἶδεν.*

342. — Quod sapiens non intelligens, imitatur pugilum inexpertos qui multoties, infirmos esse adversarios supponentes, secundum quod videtur sibi ipsis et contra absentes illos viriliter umbram pugnae facientes et aërem vanis plagis confidenter percutientes,

342. — *Ὅπερ ὁ σοφὸς*[1] *οὐκ ἐννοήσας μιμεῖται τοὺς τῶν ἀθλητῶν ἀπείρους οἱ πολλάκις ἀσθενεῖς εἶναι τοὺς ἀνταγωνιστὰς ὑποθέμενοι, κατὰ τὸ δοκοῦν ἑαυτοῖς, καὶ πρὸς ἀπόντας αὐτοὺς ἀνδρείως σχιαμαχοῦντες καὶ τὸν ἀέρα διακένοις πληγαῖς εὐθαρσῶς καταπαίοντες,*

[1]) Nomen occurrit in *Act.* 13, 8; cfr. quae infra notantur (pag. 333).
[2]) II *Tim.* 2, 13.

[3]) An ex termino arab. « alim » (*sapiens*) a quo non desunt qui nomen « Elymas » derivatum putent, determinare nescio.

opinantur adversarios ipsos obtinuisse et praedicant seipsos, neque scientes illorum virtutem.

343. — Nos autem dicta Theologi, secundum quod est possibile, coniectantes Deum superpotentem laudamus; sicut omnipotentem; sicut beatum et solum potentem; sicut dominantem in potestate sua aevo; sicut secundum nihil ab existentibus excidentem; magis autem et superhabentem et praehabentem omnia existentia secundum virtutem supersubstantialem et omnibus existentibus posse esse et hoc esse secundum abundantiam excedentis virtutis copiosa effusione largientem ».

οἴονται τῶν ἀντιπάλων αὐτῶν κεκρατηκέναι καὶ ἀνακηρύττουσιν ἑαυτοὺς οὔτε εἰδότες τὴν ἐκείνων δύναμιν.

343. — Ἡμεῖς δὲ τοῦ θεολόγου κατὰ τὸ ἐφικτὸν στοχαζόμενοι τὸν ὑπερδύναμον θεὸν ὑμνοῦμεν ὡς παντοθύναμον, ὡς μακάριον καὶ μόνον δυνάστην [1], *ὡς δεσπόζοντα ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος ὡς κατ' οὐδὲν τῶν ὄντων ἐκπεπτωκότα·*

μᾶλλον δὲ καὶ ὑπερέχοντα καὶ προέχοντα πάντα τὰ ὄντα κατὰ δύναμιν ὑπερούσιον καὶ πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ δύνασθαι εἶναι καὶ τόδε εἶναι [D] *κατὰ περιουσίαν ὑπερβαλλούσης δυνάμεως ἀφθόνῳ χύσει δεδωρημένον.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

763. — Postquam determinavit Dionysius de divina virtute, hic excludit quamdam obiectionem, et circa hoc, tria facit: primo, ponit obiectionem; secundo, solvit; ibi [340]: *Apponens...;* tertio, exclusa dubitatione, asserit veritatem; ibi [343]: *Nos autem...*

764. — Primo ergo ponit dubitationem quem Elymas magus, de quo in Actibus legitur 13 [8], obiecit contra Paulum dicentem II Timoth. [2[13]] quod Deus « *negare seipsum non potest* », quod eius omnipotentiae videtur contrarium.

765. — Deinde, cum dicit [340]: *Apponens...* solvit propositam dubitationem; et circa hoc, tria facit: primo, praemittit suam excusationem de hoc quod intendit ad tam debilis obiectionis solutionem; secundo, solutionem ponit; ibi [341]: *Etenim...;* tertio, redarguit obiectionis praesumptionem; ibi [342]: *Quod sapiens...*

766. — Dicit ergo primo quod super praemissam dubitationem addit quod multum timet *ne* ipse debeat derideri de stultitia, sicut aliquis qui conaretur destruere domunculas a pueris dissolutis factas, quae nec fundamentum firmum habent, eo quod *super arenam* aedificatae sunt et in seipsis infirmae sunt, eo quod absque caemento conglutinatae sunt; et ita posset videri quod, cum ipse intendit loqui *contra deliberationem* de rebus divinis quam de proposito verbo habuit praedictus Elymas, quasi quaedam iacula immittat *contra* aliquam positionem *impossibilem*. Positio enim eius est manifeste impossibilis, in seipsa infirmata; quia veritate non confirmatur et innititur frivolae rationi, sicut debili fundamento.

767. — Deinde, cum dicit [341]: *Etenim...* solvit propositam quaestionem; et dicit quod, cum Deus sit ipsa veritas, Deum negare seipsum, nihil aliud est quam Deum decidere a veritate. Cum autem verum idem sit quod ens, sequitur quod excidere a veritate, idem sit quod excidere ab esse. Quod ergo dicit Deum non posse negare seipsum, idem est ac si diceretur: Deum non posse deficere ab essendo. Hoc autem quod est non deficere ab essendo, idem est ac si diceretur quod Deus non est non ens; quo quidem magis significatur ipsum esse; sicut et si dicatur quod Deus *non potest non posse*, non ostendit quod sit impotens, sed quod sit maxime potens; et similiter, si dicatur quod non cognoscit se nescire ita quod habet scientiae privationem, hoc est ipsum habere perfectam scientiam. Per hoc ergo quod Deus non potest negare seipsum, nihil detrahitur Eius potentiae ab impossibili, sed idem est ac si diceretur, quod Deus non potest non esse verus et ens et potens.

768. — Deinde, cum dicit [342]: *Quod sapiens...* reprehendit obiicientis praesumptionem; et dicit quod Elymas, qui se sapientem reputabat, *non intelligens* praedictae solutionis rationem, similis erat pugilibus inexpertis qui frequenter, *adversarios* contra quos pugnare debent, supponunt esse *infirmos*, secundum quod eis videtur et, dum sunt *absentes*, *contra* eos audaciter ictus proiiciunt, quamdam similitudinem pugnae facientis et absque timore percutiunt *aërem* inutilibus *plagis* et sic *opinantur* se vicisse *adversarios et* de hoc laudant *seipsos*, quamvis nondum sciant adversariorum *virtutem*. Ita etiam est et de illis qui debiles obiectiones facientes, cum non est qui eis resistat, se obtinuisse arbitrantur.

769. — Deinde, cum dicit [343]: *Nos autem...* excludit primo obiectionem contra omnipotentiam divinam; secundo, Apostoli scientiam commendat, dicens quod nos, considerantes *dicta* Apostoli *secundum* nostram possibilitatem, *laudamus Deum*, qui excedit omnem potentiam, *sicut omnipotentem*, inquantum Eius potentia ad omnia se extendit; *sicut beatum*, inquantum habet plenitudinem omnis boni, nullo indigens; *et* sicut *solum potentem* ex Seipso: omnes enim alii potentes non sunt ex se potentes, sed ex Deo; et *sicut* per suam potentiam *dominantem aevo:* alii enim dominantes, dominantur his quae sunt in aevo aut in tempore, sed Ipse toti aevo dominatur. Et iterum laudamus Eum *sicut secundum nihil excidentem ab existentibus* et quod nihil quod est in Eo potest ab Eo recedere. Creaturae vero, etsi aliquae inveniantur quae non excidant ab esse simpliciter, possunt tamen excidere ab aliquo, inquantum sunt mutabiles; sed Deus, qui est omnino immutabilis, secundum nihil potest excidere ab esse. Vel sumuntur haec verba ex his quae Apostolus I Timoth. ult. [6[15]] dicit: « *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem* » quam designat per hoc quod dicit: *secundum nihil ab existentibus excidentem.*

770. — Et non solum ista Deo conveniunt, sed excellenter ea habet; unde subdit: quod adhuc amplius possumus laudare Deum, sicut supereminenter habentem virtutem et sicut *praehabentem omnia existentia*, idest quidquid est in rebus, non quidem eodem modo quo in rebus est, sed *secundum supersubstantialem virtutem*, idest sicut effectus sunt per virtutem in causa, secundum modum causae excedentis omnem substantiam.

Et non solum supereminenter haec Ei conveniunt, sed etiam causaliter; unde subdit quod *omnibus existentibus* dat *posse* et *esse* determinatum. Et hoc convenit Ei ex abundantia suae excedentis virtutis quae dat omnibus bonitates copiose effundendo. Dat enim omnibus abundanter, ut dicitur Iacob. 1 [5].

OBSERVATIONES

1° QUOAD TEXTUM:

* ad n. 339: « a nostro »; « a *vestro* ».

* ad n. 340: « debeam » - *ὀφλήσω γέλωτα*, « merear risum »; « ut amens ridear » (Cordier).

* : « et sicut... deliberationem »; « et tamquam aliquem impossibilem terminum, inquirere studens huius (*dicti*) theologicum sensum »; « si je cherche à expliquer ce texte scripturaire, comme s'il posait un problème insoluble » (M. de Gandillac).

2° DE SAPIENTIA THEURGICA (339):

Suspicor sub hoc symbolo latere aliquid profundius quam prima facie appareat. Nomen quidem ad aetatem apostolicam videtur nos mittere et de hoc aliqua notantur, examinando series personarum apud Dionysium (v. pag. 339).

At, ex iis quae apud Iamblichum invenire licet, notionem theurgicam Dei excellentiorem esse quavis alia theologia, coniicere quis facile poterit, unde actio divina absque limite et coërcitione (*de Mysteriis* II, 11; V, 7) omnia largitur benefica dona (cfr. *ibid.* VII, 3) cum quadam ineffabili efficacia (*ibid.* VII, 4). Ex hac notione theurgica occasionem aliquis *habere potuit* divinum Paulum insimulandi necnon christianam theologiam vituperandi.

Per hanc oppositionem, theoricam simul et practicam, melius intelliguntur verba Dionysii, quae in expositione Angelici Doctoris diligenter examinatur. Conditio historica « tam debilem obiectionem » valde exitialem facit, ut patet ex multis (340-343) quae Dionysius efficaciter ponit, gladium metaphysicum per ironiam validius acuendo. Rursus ramenta congessi. Et si quidem inutilia sint, intelligens lector altiora quaerat.

[1]) Cfr. I *Tim.* 6, 15.

LECTIO IV (47a)

De Iustitia Dei.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. VIII; textus nn. 344-350; expositio nn. 771-783).

Determinat de Iustitia:
A) Determinat de Iustitia Dei:
1° - ostendit quid pertineat ad rationem divinae iustitiae:
a) ostendit secundum quos actus iustitia Deo conveniat (344; 775-777).
b) manifestat quod dixerat (345; 778).
2° - solvit quorumdam obiectiones contra divinam iustitiam:
a) solvit primam:
j° - isti ignorant ea quae dicta sunt (346; 779).
ij° - ponit eorum obiectionem (347; 780),
iij° - excludit eorum judicium perversum (348; 781).
b) solvit secundam:
j° - ponit obiectionem (349; 782)
ij° - solvit eam (350; 783)
B) Determinat de effectibus divinae Iustitiae (Lectio 5a).

TEXTUS DIONYSII

§ 7. 344. — « Iustitia autem rursus laudatur Deus sicut omnibus secundum dignitatem distribuens et commensurationem et pulchritudinem et bonam ordinationem et ornatum et omnes distributiones et ordines segregans unicuique secundum vere existentem iustissimam diffinitionem et omnibus propriae operationis ipsorum causa existens.

§ 7. 344. — Δικαιοσύνη δὲ αὖθις ὁ θεὸς ὡς πᾶσι τὰ κατ' ἀξίαν ἀπονέμων ὑμνεῖται καὶ εὐμετρίαν καὶ κάλλος καὶ εὐταξίαν καὶ διακόσμησιν καὶ πάσας διανομὰς καὶ [896 A] τάξεις ἀφορίζων[1] ἑκάστῳ κατὰ τὸν ὄντως ὄντα δικαιότατον ὅρον καὶ πᾶσι τῆς αὐτῶν ἑκάστων αὐτοπραγίας αἴτιος ὤν.

345. — Omnia enim divina iustitia ordinat et terminat et omnia ab omnibus immixta et non confusa salvat, omnibus existentibus convenientia unicuique donat, secundum dignitatem unicuique existentium supervenientem.

345. — Πάντα γὰρ ἡ θεία δικαιοσύνη τάττει καὶ ὁροθετεῖ καὶ πάντα ἀπὸ πάντων ἀμιγῆ καὶ ἀσύμφυρτα διασώζουσα τὰ ἑκάστῳ προσήκοντα πᾶσι τοῖς οὖσι δωρεῖται κατὰ τὴν ἑκάστῳ τῶν ὄντων ἐπιβάλλουσαν ἀξίαν.

346. — Et si ista recte dicimus, quicumque improperant divinae iustitiae latet se, sui ipsorum iniustitiam manifeste condemnantes.

346. — Καὶ εἰ ταῦτα ὀρθῶς φαμεν, ὅσοι τῇ θείᾳ διαλοιδοροῦνται δικαιοσύνῃ, λανθάνουσι ἑαυτῶν ἀδικίαν ἐναργῆ καταψηφιζόμενοι·

347. — Dicunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem et imperfectis perfectum et per se mobilibus per aliud mobilem necessitatem et variabilibus identitatem et infirmis esse perfecte-potentia *; et tempo-

347. — φασὶ γὰρ ὀφείλειν ἐνεῖναι τοῖς θνητοῖς τὴν ἀθανασίαν καὶ τοῖς ἀτελέσι τὸ τέλειον καὶ τοῖς αὐτοκινήτοις τὴν ἑτεροκίνητον ἀνάγκην καὶ τοῖς ἀλλοιωτοῖς τὴν ταυτότητα καὶ τὰ τελειοδύναμα τοῖς ἀσθενέσι καὶ ἀΐδια εἶναι

[1]) Cfr. *Sap.* 11, 20: *πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ στάθμῳ διέταξας*, *Vulg.* (21): « omnia in *mensura* et *numero* et *pondere* disposuisti »; quae justitiam cosmicam exprimunt (v. pag. 297).

ralia esse aeterna et natura mota esse immutabilia * et temporales delectationes esse aeternas et, totaliter, ea quae sunt aliorum aliis attribuuntur.

348. — Oportet autem videre divinam iustitiam in hoc vere existentem veram iustitiam, quod omnibus attribuit propria, secundum uniuscuiusque existentium dignitatem et uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine et virtute.

348. — Δέον εἰδέναι τὴν θείαν δι[B]καιοσύνην ἐν τούτῳ ὄντως οὖσαν ἀληθῆ δικαιοσύνην ὅτι πᾶσιν ἀπονέμει τὰ οἰκεῖα κατὰ τὴν ἑκάστου τῶν ὄντων ἀξίαν καὶ τὴν ἑκάστου φύσιν ἐπὶ τῆς οἰκείας διασώζει τάξεως καὶ δυνάμεως.

§ 8. 349. — Si dicat aliquis:
non est iustitiae homines sanctos dimittere non adiutos a pravis cruciatos.

§ 8. 349. — Ἀλλ' εἴποι ἄν τις·
οὐκ ἔστι δικαιοσύνης ἄνδρας ὁσίους ἐᾷν ἀβοηθήτους ὑπὸ τῶν φαύλων ἐκτρυχομένους.

350. — Ad quod dicendum
quod si illi, quos dicis sanctos, diligunt quidem ea quae sunt super terram ab inhaerentibus materiae zelata, a divino omnino ceciderunt amore
et non novi quomodo sancti vocentur, iniuriam facientes vere amabilibus et divinis propter inzelabilia et inamabilia ab eisdem non religiose reprobatis.
Si autem vere existentia amant, laetari convenit quaedam desiderantes, quando desiderabilia consequuntur.
Aut numquid tunc magis appropinquant angelicis virtutibus quando, sicut est possibile, desiderio divinorum recedunt a materialium passibili affectione, luctantes ad hoc valde viriliter in adversitatibus pro bono?
Quare, verum est dicere quod hoc divinae iustitiae magis est proprium: non mollire et destruere optimorum animositatem materialium donationibus; neque si aliquis conetur hoc facere, dimittere non adiutos, sed collocare ipsos in pulchra et inflexibili statione et attribuere ipsis talibus existentibus secundum dignitatem ».

350. — Πρὸς ὃν ῥητέον·
ὡς εἰ μὲν ἀγαπῶσιν οὓς φῂς ὁσίους τὰ ἐπὶ γῆς ὑπὸ τῶν προσύλων ζηλούμενα τοῦ θείου πάντως ἐκπεπτώκασιν ἔρωτος·

καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως ὅσιοι κληθεῖεν ἄν, ἀδικοῦντες τὰ ὄντως ἐραστὰ καὶ [C] θεῖα τοῖς ἀζηλώτοις καὶ ἀνεράστοις ὑπ' αὐτῶν οὐκ εὐαγῶς παρευδοκιμούμενα·
εἰ δὲ τῶν ὄντως ὄντων ἐρῶσι εὐφραίνεσθαι χρὴ τοὺς τινῶν ἐφιεμένους ἡνίκα τῶν ἐφετῶν τυγχάνωσιν·
ἢ οὐχὶ τότε μᾶλλον πλησιάζουσι ταῖς ἀγγελικαῖς ἀρεταῖς, ὅταν ὡς δυνατὸν ἐφέσει τῶν θείων ἀναχωρῶσι τῆς τῶν ὑλικῶν προσπαθείας, ἐγγυμναζόμενοι πρὸς τοῦτο λίαν ἀνδρικῶς ἐν ταῖς ὑπὲρ τοῦ καλοῦ περιστάσεσιν;
ὥστε ἀληθὲς εἰπεῖν ὅτι τοῦτο μᾶλλόν ἐστι τῆς θείας δικαιοσύνης ἴδιον τὸ μὴ θέλγειν καὶ ἀπολλύειν τῶν ἀρίστων τὴν ἀρρενότητα ταῖς τῶν ὑλικῶν διαδόσεσι, μηδὲ εἴ τις ἐπιχειροίη τοῦτο ποιεῖν ἐᾷν ἀβοηθήτους, ἀλλ' ἐνιδρύειν αὐτοὺς ἐν τῇ καλῇ καὶ ἀμειλίκτῳ στάσει καὶ ἀπονέμειν αὐτοῖς τοιούτοις οὖσι τὰ κατ' ἀξίαν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

771. — Postquam Dionysius determinavit de virtute Dei, hic determinat de iustitia; est enim iustitia virtutis species. Considerandum est autem quod inter virtutes morales, sola iustitia potest Deo magis proprie attribui: aliae enim morales virtutes sunt circa passiones quae in Deo locum non habent, sicut temperantia circa concupiscentias, fortitudo circa timores et audacias; sed iustitia est circa actiones, puta circa distributiones vel retributiones, quae Deo competere possunt.

772. — Dividitur autem praesens pars, in duas: in prima, determinat de iustitia Dei; in secunda, de effectibus divinae iustitiae; ibi [351]: *Ipsa igitur...* [lectio 5a].

773. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quid pertineat ad rationem divinae iustitiae; secundo, solvit quorumdam obiectiones contra divinam iustitiam; ibi [346]: *Et si ista...*

774. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit secundum quos actus iustitia Deo conveniat; secundo, manifestat quod dixerat; ibi [345]: *Omnia enim...*

775. — Convenit autem iustitia Deo secundum tres actus: primo quidem, secundum hoc quod est distribuere. Commutativa autem iustitia in Deo locum non habet, sicut est in venditoribus et emptoribus quia, ut dicitur Rom. 11 [35], « quis *prior dedit Ei et retribuetur Ei?* ». Sed attribuitur Ei distributiva iustitia quae non observat aequalitatem quantitatis, ut aequalia omnibus det, sed aequalitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignus est. Et ideo

dicit quod *iustitia laudatur* in Deo inquantum Ipse distribuit *omnibus, secundum* eorum *dignitatem.* Est autem distributor bonorum; bonum autem, ut Augustinus dicit [1]), consistit in modo et specie et ordine: modum autem unicuique proprium mensura praefigit, ut ipse dicit [2]); ut ergo significaret Deum esse totius boni distributorem, dicit quidem quantum ad modum: *commensurationem;* quantum ad speciem: *pulchritudinem* vel « formam », secundum aliam translationem [3]); quantum autem ad ordinem dicit: *et bonam ordinationem et ornatum* seu « dispositionem » secundum aliam translationem [4]). Et accipit hic ornatus, pro decentia ordinis.

776. — Non solum autem pertinet ad iustitiam quod distribuat diversa diversis secundum eorum dignitatem, sed etiam quod huiusmodi diversitatem inconfusam servet, ne scilicet unus id quod est alterius sibi usurpare praesumat; et quantum ad hunc secundum actum iustitiae dicit quod divina iustitia distribuit unicuique *omnes distributiones et ordines secundum* quamdam determinationem quae *vere* est iustitia ut scilicet unum in id quod est alterius non irrumpat.

777. — Tertius vero actus iustitiae est ut unusquisque id quod est sibi conveniens operetur; propter quod et quodam modo iustitia dicitur omnis virtus; et quantum ad hunc tertium actum, subdit quod divina iustitia est *causa omnibus propriae operationis* eorum.

778. — Deinde, cum dicit [345]: *Omnia enim...* manifestat quod dixerat, rationem assignans praedictorum. Ideo enim praemissa ad divinam iustitiam pertinent, quia iustitiae proprium est quod ordinem in rebus statuat; et quod unicuique rei terminum praefigat, ultra quem non progrediatur; et quod huiusmodi ordinationem et terminationem absque confusione conservet; et quod ulterius, rebus sic ordinatis et terminatis, *unicuique* donet de supervenientibus donis, *secundum* propriam *dignitatem* sibi praestitam a Deo.

779. — Deinde, cum dicit [346]: *Et si ista...* solvit duas dubitationes circa divinam iustitiam; circa quarum primam, tria facit: primo, ex praemissis ostendit quod illi qui divinam iustitiam reprehendere nituntur, se ignorare praemissa ostendunt; et hoc est quod dicit quod si praemissa ratione sunt dicta, scilicet quod iustitiae est dare unicuique secundum suam dignitatem, *quicumque* arguere volunt divinam iustitiam quae hoc facit, ipsi ignorant quod dum volunt divinam iustitiam reprehendere, suam *iniustitiam* manifestant.

780. — Secundo, ibi [347]: *Dicunt enim...* ponit eorum obiectionem: *dicunt enim* quod, cum Deus sit optimus et per hoc Ei competat optime facere unumquodque, deberet etiam his quae sunt mortalia dare *immortalitatem,* utpote quod homines et animalia numquam morerentur; *et imperfectis* dare perfectionem, utpote quod homines statim nascerentur perfecti; *et per se mobilibus* dare *necessitatem per aliud mobile,* utpote quae hominibus per se competunt, quia per se moveri possunt et ad bonum et ad malum. Vellent autem quod Deus daret hominibus vel aliis rationalibus creaturis quod non possent peccare, quod esset habere necessitatem quod semper ex alio moverentur: non enim aliter competeret ut ad malum deficere non possent, nisi quadam coactione ab aliis moverentur, non ex libero arbitrio. Sanctis enim ex ipsa perfectione competit ut deficere non possint, ut patet in beatis qui sunt confirmati in bono.

Dicunt etiam quod deberet *variabilibus inesse* identitas, ut scilicet semper eodem modo se haberent omnia *et* quod *infirmis* esset *perfecta potentia et* quod *temporalia* essent *aeterna et* quod ea quae secundum suam naturam moventur, essent *immutabilia et* quod *delectationes,* quae sunt *temporales,* essent aeternae. Et secundum suum iudicium, universaliter, *attribuunt aliis quae sunt aliorum,* idest inferioribus ea quae sunt superiorum entium.

781. — Tertio, ibi [348]: *Oportet autem...* excludit eorum iudicium perversum; et dicit quod *oportet* considerare de divina iustitia, quod *in hoc vere* iustitia est *quod omnibus* dat *secundum* propriam *dignitatem et* quod *uniuscuiusque naturam* conservat *in proprio ordine et virtute,* ita scilicet quod in his quae sunt secundum suam naturam immortalia, conservat immortalitatem et in mortalibus mortalitatem; et sic de aliis quae supra tacta sunt.

[1]) *De natura Boni contra Manichaeos,* cap. 3; v. supra n. ad n. 589, pag. 216.

[2]) *De Genesi ad litteram* lib. IV, cap. 3: « ...secundum id vero quod *mensura omni rei modum praefigit* et numerus omni rei speciem praebet et pondus omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit, Ille primitus et veraciter et singulariter ista est qui terminat omnia et format omnia et ordinat omnia... » (Opp. t. III, Parisiis 1680, col. 163 D; ML 34, 299); cfr. *Sum. Theol.* I, q. 5, art. 5.

[3]) Ioan. Scoti.

[4]) Ioan. Scoti.

782. — Secundam obiectionem ponit ibi [349]: *Sed dicat aliquis...;* et circa hoc, duo facit: primo, ponit obiectionem: posset enim aliquis obiicere non esse iustum quod Deus permittit *homines sanctos* cruciari *a pravis* hominibus et non dat eis auxilium ut non crucientur.

783. — Secundo, ibi [350]: *Ad quod dicendum...* solvit praedictam obiectionem; et dicit quod *si* isti, qui dicuntur sancti, amant *ea quae sunt super terram,* pro quibus zelant homines rebus materialibus inhaerentes, *omnino ceciderunt a divino amore.* Quod intelligendum est si ita ea amant quod in eis finem constituant et quod propterea spiritualia bona contemnant. Et hoc est quod subdit, quod ipse nescit *quomodo* dici debeant *sancti* illi qui faciunt *iniuriam* rebus divinis, quae sunt *vere* amabilia, ut reprobent ea contra religionis debitum propter bona temporalia, quae non sint amanda principaliter nec pro eis est zelandum.

Sed *si* ipsi *amant* bona spiritualia quae *vere* sunt *existentia* quia sunt sempiterna, debent *laetari,* si ea desiderant, *quando* ea desiderata consequi possunt. Consequuntur autem ea cum afflictiones in rebus temporalibus patientes, quodam fervore amoris, spiritualibus magis inhaerent. *Tunc* enim, *magis* per similitudinem *appropinquant angelicis virtutibus,* in quibus nulla est materialium rerum affectio, *quando* homines, secundum suam possibilitatem, ex *desiderio* rerum divinarum *recedunt* ab *affectione* materialium rerum. Et hoc quidem faciunt quando *pro bono,* idest amore Dei et pro iustitia et virtute luctantur *viriliter in adversitatibus* existentes. Et sic, si vere sancti saeculi istius in adversitatibus consequuntur quod desiderant, scilicet, contemnendo temporalia bona, adhaerere spiritualibus, non male cum eis agitur, sed bene. Unde vere dici potest quod *proprium est divinae iustitiae* quod animosam virtutem non destruat aut emolliat per collationem prosperitatis, sed *si aliquis* conatur *hoc facere,* ut scilicet pugnet pro veritate, quod Ipse non dimittat tales sine adiutorio, sed firmet eos *in pulchra et* firma *statione* spiritualium bonorum per quae in adversis consolantur; et ulterius, quod *talibus* retribuat in futuro, *secundum* proprii meriti *dignitatem.*

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 347: « perfecte-potentia » (*τελειοδύναμα*) leg. dum edit. al. « perfecta potentia »; in *expositione* adiect. plur. « potentia » fit subst. « perfecta potentia » (**780**).

*: « et temporalia esse aeterna et natura mota esse immutabilia » leg. dum edit. « temporalibus... natura motis »; in *expositione* (**780**) recte habetur et in ipso textu vers. « ... delectationes ... aeternas » bene, unde duo praecedentia corrigo.

2ª Glossae marginales:

a) Notio iustitiae quae hic explicatur (344-345) cum iis quae supra (255) « de iusto et divino iudicii loco » (cfr. pag. 225-226) tanguntur, connexa videtur. Dionysius contra Epiphanem gnosticum veritatem vindicans, Iustitiam Dei laudat (347-348).

Epiphanes in libro *περὶ δικαιοσύνης* scribit « iustitiam Dei esse quamdam cum aequalitate communionem » (*κοινωνίαν... μετ'ἰσότητος*) et ex consideratione *communismi cosmici* consequenter *vitam civilem* subvertit, tum *quoad proprietatem:* « legum enim proprietas dissecuit divinae legis communionem », tum *quoad matrimonium:* « et meum et tuum dicit subiisse per leges ut quae non amplius communiter fruantur (sunt enim communia) neque terra neque possessionibus, *sed neque matrimonio* » (apud Clementem Alex., *Strom.* III, 2; edit. Potter I, 512-513).

b) Altera communis difficultas *ex poenis quas sustinent iusti* petita (349) et pulcherrima responsio Dionysii (350) in memoriam revocant quae refert Clemens Alexandrinus: « Si Deus vestri curam gerit cur patimini persecutionem et morte afficimini?... Cur autem cum vos persequuntur *nihil vobis affertur auxilii*? » (*Strom.* IV, 11; edit. Potter I, 598). Unde quaedam connexio cum iis quae supra laudantur de testimoniis veritatis (329) satis manifesta apparet et forsan per suam responsionem Dionysius etiam *opinionem Basilidis* destruit, quam Clemens Alex. colligit ex vigesimo tertio *Exegeticorum.* Maxime vero notatu dignum est illud *Basilidis:* « Sed si vehementius urgeas, dicam quemcumque hominem nominaveris esse hominem, *iustum autem Deum. Nullus* enim *est mundus,* ut dixit quispiam, *a sorde* » (*Strom.* IV, 12; ibid. 600). Auctoritas est ex libro Iob (14, 5 iuxta vers. LXX) quam et Basilius exponit (cfr. pag. 226).

LECTIO V (48a)

De effectibus divinae Iustitiae: de Salvatione, de Liberatione, de Inaequalitate.

SYNOPSIS

(Lect. V; cap. VIII; textus nn. 351-356; expositio nn. **784-796**).

Determinat de effectibus divinae iustitiae:

A) De Salvatione:
- 1° - ponit salvationis propriam rationem (351; **786**)
- 2° - ponit quamdam aliam rationem salvationis (352; **787**)
- 3° - comparat has duas rationes ad invicem (353; **788-792**)

B) De Liberatione (354; **793**)

C) De Inaequalitate:
- 1° - ostendit quam inaequalitatem iustitia excludat (355; **795**)
- 2° - ostendit quam inaequalitatem constituat (356; **796**)

TEXTUS DIONYSII

§ 9. 351. — « Ipsa igitur divina iustitia et salvatio totorum laudatur, propriam uniuscuiusque et mundam ab aliis substantiam et ordinem salvans et custodiens et causa munde * existens in totis propriae operationis.

352. — Si autem aliquis salvationem laudet et sicut ex peioribus tota salvatorie abripientem omnino alicubi et hunc nos laudatorem largissimae * recipiemus salvationis.

353. — Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum diffinire, qui * omnia in seipsis intransmutabilia et non pugnantia et fortia contra peiora salvat; et omnia custodit non pugnantia et non bellantia, singula sui ipsorum rationibus ordinata; et omnem inaequalitatem et alienam operationem ex totis exterminat; et proportiones uniuscuiusque constituit, non valentes cadere ad contraria nec transire.

Quoniam et ita salvationem aliquis laudabit, non longe ab intentione sanctae Theologiae, sicut omnia existentia salvatoria omnium bonitate, a casu propriorum bonorum liberantem, secundum quod uniuscuiusque eorum quae salvantur suscipit natura.

354. — Propter quod et liberationem ipsam nominant theologi, inquantum non sinit vere existentia ad nihil esse * cadere et inquantum, et si aliquid ad peccatum et inordinatum fallatur et minorationem quamdam patiatur perfectionis propriorum bonorum,

*§ 9. 351. — Αὕτη γοῦν ἡ θεία δικαιοσύνη καὶ σωτηρία τῶν ὅλων ὑμνεῖται τὴν ἰδίαν ἑκάστου καὶ καθαρὰν ἀπὸ τῶν ἄλλων οὐσίαν καὶ τάξιν ἀποσώζουσα καὶ φυλάττουσα καὶ αἰτία καθαρῶς * οὖσα τῆς ἐν τοῖς ὅλοις ἰδιοπραγίας.*

*352. — Εἰ δέ τις τὴν σωτηρίαν ὑμνοίη καὶ ὡς ἐκ τῶν χειρόνων τὰ ὅλα σωστικῶς ἁρπάζουσαν, [897 A] πάντως που καὶ τοῦτον ἡμεῖς τὸν ὑμνῳδὸν τῆς παντοδαπῆς * σωτηρίας ἀποδεξόμεθα,*

*353. — καὶ ταύτην δὲ καὶ πρώτην σωτηρίαν τῶν ὅλων ἀξιώσομεν αὐτὸν ὁρίζεσθαι * τὴν πάντα ἐφ' ἑαυτῶν ἀμετάβλητα καὶ ἀστασίαστα καὶ ἀρρεπῆ πρὸς τὰ χείρω διασώζουσαν καὶ πάντα φρουροῦσαν ἄμαχα καὶ ἀπολέμητα τοῖς ἑαυτῶν ἕκαστα λόγοις διακοσμούμενα καὶ πᾶσαν ἀνισότητα καὶ ἀλλοτριοπραγίαν ἐκ τῶν ὅλων ἐξορίζουσαν καὶ τὰς ἀναλογίας ἑκάστου συνιστάνουσαν ἀμεταπτώτους εἰς τὰ ἐναντία καὶ ἀμεταχωρήτους.*

Ἐπεὶ καὶ ταύτην τὴν σωτηρίαν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τις ὑμνήσοι τῆς ἱερᾶς θεολογίας ὡς πάντα τὰ ὄντα τῇ σωστικῇ τῶν ἁπάντων ἀγαθότητι τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀποπτώσεως ἀπολυτρουμένην, καθ' ὅσον ἡ ἑκάστου τῶν σωζομένων ἐπιδέχεται φύσις.

*354. — Διὸ καὶ ἀπολύτρωσιν αὐτὴν ὀνομάζουσιν οἱ θεολόγοι καὶ καθ' [B] ὅσον οὐκ ἐᾷ τὰ ὄντως ὄντα πρὸς τὸ μὴ εἶναι * διαπεσεῖν, καὶ καθ' ὅσον εἰ καί τι πρὸς τὸ πλημμελὲς καὶ ἄτακτον ἀποσφαλείη καὶ μείωσίν τινα πάθοι τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν τελειότητος,*

et haec a passione et infirmitate et privatione liberat, implens minus habens * et paterne infirmitatem supportans et suscitans a malo;

magis autem, statuens in bono et percussum * bonum adimplens et ordinans et statuens et ornans inordinationem ipsius et inornatum et integrum perficiens et ab omnibus maculatis solvens.

355. — Sed de istis quidem et de iustitia dictum est, secundum quam omnium aequalitas mensuratur et diffinitur et omnis inaequalitas, quae est secundum privationem aequalitatis, quae est in ipsis singulis, exterminatur.

356. — Etenim inaequalitatem si quis accipiat differentias in toto, totorum ad tota, et huius iustitia est salvativa, non concedens commixta tota in totis facta turbari, custodiens autem existentia omnia, secundum speciem unumquodque *, in qua unumquodque esse secundum naturam habet ».

*καὶ τοῦτο τοῦ πάθους καὶ τῆς ἀδρανείας καὶ τῆς στερήσεως ἀπολυτροῦται πληροῦσα τὸ ἐνδεὲς * καὶ πατρικῶς τὴν ἀτονίαν ὑπερείδουσα καὶ ἀνιστῶσα τοῦ κακοῦ·*

*μᾶλλον δὲ ἱστῶσα ἐν τῷ καλῷ καὶ τὸ ὑπερυὲν * ἀγαθὸν ἀναπληροῦσα καὶ τάττουσα καὶ κοσμοῦσα τὴν ἀταξίαν αὐτοῦ καὶ ἀκοσμίαν καὶ ὁλόκληρον ἀποτελοῦσα καὶ πάντων ἀπολύουσα τῶν λελωβημένων.*

355. — Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων καὶ περὶ δικαιοσύνης εἴρηται καθ' ἣν ἡ πάντων ἰσότης μετρεῖται καὶ ὁρίζεται καὶ πᾶσα ἀνισότης ἡ κατὰ στέρησιν τῆς ἐν αὐτοῖς ἑκάστοις ἰσότητος ἐξορίζεται·

*356. — τὴν γὰρ ἀνισότητα εἴ τις ἐκλάβοι [C] τὰς ἐν τῷ ὅλῳ τῶν ὅλων πρὸς ὅλα διαφορᾶς καὶ ταύτης ἡ δικαιοσύνη φρουρητικὴ μὴ συγχωροῦσα συμμιγῆ τὰ ὅλα ἐν ὅλοις γενόμενα διαταραχθῆναι, φυλάττουσα δὲ τὰ ὄντα πάντα κατ' εἶδος ἕκαστον * ἐν ᾧ ἕκαστον εἶναι πέφυκε.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

784. — Postquam Dionysius determinavit de iustitia divina, hic determinat de effectibus divinae iustitiae; et primo, de salvatione; secundo, de liberatione; ibi [354]: *Propter quod...;* tertio, de inaequalitate, quam quodam modo iustitia facit, quodam vero modo removet; ibi [355]: *Sed de istis...*

785. — Circa primum, tria facit: primo, ponit salvationis propriam rationem; secundo, ponit quamdam aliam rationem salvationis, ab aliis assignatam; ibi [352]: *Si autem...;* tertio, ostendit quomodo hae duae rationes se habent ad invicem; ibi [353]: *Et hanc primam...*

786. — Dicit ergo primo quod *divina iustitia laudatur* sicut *salvatio* omnium quia scilicet omnia salvat, inquantum scilicet custodit et conservat in unoquoque, tria: primo quidem, *substantiam uniuscuiusque* conservans *et propriam*, idest in proprietate suae naturae *et mundam*, idest absque permixtione extranei; secundo, similiter, conservat *ordinem* uniuscuiusque, proprium et mundum; tertio vero, est *causa in* omnibus rebus *propriae* et mundae *operationis*. Et sic omnis ratio salvationis consistit secundum quod res conservantur in his quae eis conveniunt secundum suam proprietatem.

787. — Deinde, cum dicit [352]: *Si autem...* ponit secundam rationem salvationis; et dicit, quod *si aliquis* velit dicere quod ratio salvationis consistit in hoc quod Deus *omnino* eripit a malis, non est ei in hoc repugnandum, sed debemus recipere eum qui sic laudat largiter divinam salvationem non solum quantum ad conservationem in Deo, sed etiam quantum ad separationem a malo.

788. — Deinde, cum dicit [353]: *Et hanc primam...* comparat has duas rationes ad invicem; et dicit quod ipse rogat humiliter persuadendo eum qui secundam rationem salvationis assignat, quod ipse *hanc* diffiniat quod prima ratio salvationis consistat in conservatione in bono, quae quidem conservatio in bono multipliciter fit.

789. — Quaedam enim conservantur in bono a Deo *qui* constituit ea *intransmutabilia in seipsis*, sicut sunt corpora coelestia quae sunt longe a corruptione et beati qui peccare non possunt. Secundo, prout aliqua quae intransmutabilia sunt, conservantur ut non habeant aliquam contrapugnantiam, sicut aliquando videns Deus aliquos esse infirmos, non permittit eos tentari et sic salvat eos, conservando eos in bono. Tertio, ex eo quod permittit quod aliqui impugnentur, sed dat eis fortitudinem ut resistere possint contra impugnantia, sicut *fortia contra peiora*, idest contra infirmiora.

790. — Et ita *omnia custodit* et *salvat* neque facit ea *pugnantia* neque *bellantia*, ut pugna referatur ad actualem impugnationem, bellum vero ad habitualem. Et hoc convenit quod impugnationem non habeant, prout *singula* sunt *ordinata*, idest firmiter disposita in his quae pertinent ad proprias rationes.

791. — Et non solum facit aliqua non pugnantia, sed etiam *exterminat*, idest destruit ab omnibus rebus, *omnem inaequalitatem et alienam operationem*, ut inaequalitas referatur ad id quod est extraneum in essentia aut virtute; aliena operatio autem ad id quod est extraneum in operatione. *Constituit* etiam divina iustitia salvans *proportiones* cuiuslibet rei, *non valentes* decidere ad inconvenientiam neque qualitercumque *transire*. Transitus enim superiorum ad inferiora casus dici potest; inferiorum vero ad superiora transitus omnino dicitur non casus, sed secundum se transitus. Non est autem mirandum quod dicit transmutabilia non pugnantia nec transire ad contraria, quamvis in multis inveniatur pugna et permixtio extranei et transitus ad contraria; quia in omnibus transmutabilibus semper permanet aliquid non transitum et non permixtum et non impugnatum, sicut subiectum non transit, quando fit transitus secundum formam.

792. — Et haec tria quae secundo ponit, respondent tribus primo positis, non tamen eodem ordine: nam id, quod inter secundam et ultimam ponit, cum dicit: *et proportiones uniuscuiusque constituit*, respondet ei quod inter prima, primo posuit cum dixit: *in seipsis intransmutabilia;* quod autem secundum est inter ultima, scilicet: *et omnem inaequalitatem et alienam operationem ex totis exterminat*, respondet ei quod supra, ultimo, dixerat: *et fortia contra peiora salvat:* quod vero dicit primo inter ultima: *et omnia custodit non pugnantia et non bellantia*, respondet ei quod, primo, in medio posuerat: *et non pugnantia.*

Sic igitur, quia ratio salvationis in hoc consistit primo et principaliter ut aliquid in bono conservetur, *non* erit *longe ab intentione* sacrae Scripturae si quis *salvationem* Dei velit laudare inquantum ipse Deus salvat *omnia* per propriam bonitatem liberando a malo quod est casus a propriis bonis. Et hoc dico *secundum quod* patitur *natura eorum quae* salvari dicuntur: aliter enim restituuntur ea quae cadunt secundum liberum arbitrium atque aliter ea quae cadunt secundum naturalem corruptionem.

793. — Deinde, cum dicit [354]: *Propter quod...* determinat effectum liberationis; et dicit quod sacri Doctores *nominant* divinam iustitiam, *liberationem* et liberationis causam, inquantum salvat a malo et hoc multipliciter: primo, *inquantum non* permittit ea quae sunt *vere* entia a substantiis *cadere ad* hoc quod *nihil* sint, sed semper eis substantiarum aliquid remanet. Secundo, quantum ad hoc quod *si* aliquid vere existens decidat *ad* aliquod *peccatum* in actione, in aliquam inordinationem inclinatione appetitus et ad aliquem defectum propriae operationis, Deus *liberat* id quod sic cadit *a passione* quae ad peccatum inducit; *et infirmitate* ex qua aliquid ordinem debitum non tenet; *et privatione* quae pertinet ad *minorationem perfectionis*. Et sic haec tria respondent primis tribus.

Et ut ostendat quomodo ab his liberat, subdit alia tria, primis tribus praemissis respondentia: *a privatione* enim *liberat* inquantum adimplet, quod *minus* habebatur; ab *infirmitate* autem liberat, inquantum paterno et misericordi affectu supportat infirmitatem nostram; *a passione* autem liberat, *suscitans*, idest revocans *a malo;* et, quod plus est, firmiter *statuens in bono;* et id bonum quod erat *percussum*, idest minoratum et debilitatum, adimplet restaurando; et quod ad peccatum defluxerat, *statuit*, idest firmat *et ornat*, idest cum decentia quadam disponit; et sic omnem inordinationem et indispositionem ad integritatem perducit et ab omnibus maculis peccatorum solvit.

794. — Deinde, cum dicit [355]: *Sed de istis quidem...* determinat de inaequalitate; et primo ostendit quam inaequalitatem iustitia excludat; secundo, quam inaequalitatem constituat; ibi [356]: *Etenim...* Inaequalitatem enim proportionis iustitia distributiva excludit; inaequalitatem autem quantitatis causat, secundum quod dat maiora vel minora secundum proportionem dignitatis cuiuslibet naturae.

795. — Dicit ergo primo quod *de istis*, idest salvatione et liberatione *et de iustitia dictum est, secundum quam mensuratur et diffinitur aequalitas* proportionis quae est in omnibus; *et exterminatur*, id est excluditur *omnis inaequalitas*, quae dicitur *secundum privationem aequalitatis* proportionis, *quae est in singulis* rebus: ad iustitiam enim pertinet quod det unicuique secundum propriam proportionem et sic aequalitas proportionis, secundum iustitiam determinatur, secundum quod non est eadem capacitas omnium et necesse est ut diversis diversa attribuat et sic causando aequalitatem proportionis, causat inaequalitatem quantitatis.

796. — Et ideo, subdit [356]: *Si quis* vellet accipere *inaequalitatem* secundum differentiam quae est in universo, omnium *ad* omnia, per quam differunt et aliquid est

melius alio secundum quamcumque perfectionem, huiusmodi inaequalitatis *iustitia* est conservativa, dum *non* permittit fieri turbationem seu confusionem in rebus per hoc quod omnia omnibus commisceantur; et sic conservat iustitia *omnia existentia, secundum* species suas prout uniuscuiusque natura recipit et suscipit.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 351, (786): « et causa mundae existens » (*edit.*) corrigo: « et causa *munde* (καθαρῶς) existens »; *in expositione* (786) *munda* dicitur *operatio*, sed *munde* ad divinam *causam* pertinet quae *munde operatur* in operante.

* ad n. 352, (787): « largissime » (*edit.*) corrigo: largissimae - « τῆς παντοδαπῆς », « *omnigenae* salutis » (Cordier); in *expositione* (787): « *largiter* ».

* ad n. 353, (899): « et hanc primam... diffinire qui »; « petemusque [ab *illo* - αὐτόν] ut hanc et primam *omnium salutem* statuat *eam* [τήν] *quae* » (Perionius) et cfr. *exposit.* (788). Paullisper deflectendo, aliter: « nous souscrivons nous aussi à cette louange qu'on accorde à Dieu, en l'appelant la Sauvegarde universelle, car nous affirmons qu'on le définit ainsi comme Celui... » (M. de Gandillac).

* ad n. 354: « ad nihil esse »; « ad non-esse » (τὸ μὴ εἶναι).

* : « minus habens » - τὸ ἐνδεές, « quod deest » (Ambrosius).

* : « percussum bonum »; « quod effluxerat (τὸ ὑπεκρυέν) bonum » (Ambrosius).

* ad n. 356: « secundum speciem unumquodque » - κατ'εἶδος ἕκαστον, « *secundum suam quaeque speciem*, in qua esse debent » (Cordier).

2ª Glossae marginales:

a) Gratiose valde nominat « theologum » *laudatorem* (ὑμνωδόν) vel « cantorem » Dei (352) iuxta usum veterem et quidem absque preiudicio doctrinae, quod diligenter notandum est contra interpretationem vel timorem recentiorum (cfr. *I Teologi e la Teologia nello sviluppo del pensiero cristiano dal III al IV secolo*, in ephemeride *Angelicum*, 1942, pag. 40, n. 2).

b) Quoniam sensu Dionysius meus loquatur de *iustitia* (344-350) de *salvatione* (351-353) et de *liberatione* (354) diligentius nobis inquirendum est. Nam Müllerus (*Dionysios Proklos Plotinos*, pag. 36-37) Dionysium carpit quia omnino inepte doctrinam Pauli exponit. « Huius quod vere est summa theologiae Pauli, redemptionis nempe per sanguinem Iesu Christi idest peccatoris iustificationis per fidem (*Rom.* 3, 21 ss.), ne vel minimum quidem signum apud Dionysium invenitur. " Iustitia Dei " iuxta notionem quam tradit ipse, in hoc consistit quod cuique dona et bona distribuit secundum dignitatis mensuram et omnia absque alteratione in propria specie et in proprio ordine naturali servat. " Salvatio " et " liberatio " omnino rationalistice interpretantur et tantummodo ethice tamquam conservatio et restitutio pulchri et boni primaevi. Et qui ita scribit, discipulus Pauli esse deberet! ».

Haec referens timeo ne « ut amens ridear » nam cuius inepte omnino doctrinam hanc interpretatur, alius forsan erit non Dionysius. Nam hic (DN. VIII, § 7-9; 344-354) de iustitia prout est principium efficiens supernaturalis iustificationis per gratiam, nullimode agitur, nec de salvatione quae credentibus in Christum Iesum datur, nec de liberatione quae est redemptio per Sanguinem Christi sermo est. Haec omnia fuse tractantur in *de Ecclesiastica Hierarchia* (II, prooemio; 3, 3-4; III, 3, 7; synthesis divinorum operum habetur III, 3, 11; VII, 1-2; 3, 7). Nunc verum sensum et realem valorem iustitiae quae in operibus Creatoris invenitur contra falsam et dannosam interpretationem quorumdam gnosticorum tradit et defendit.

Consequenter exponit quomodo de Deo Creatore sacra Scriptura dicat Ipsum esse salvationem omnium creaturarum suarum simulque liberationem a quocumque periculo.

Hae tres notiones in libro Sapientiae equivalenter inveniuntur ubi dicitur: « sed omnia in *mensura* et *numero* et *pondere* disposuisti » quae etiam quoad nomina iustitiam indicant; item: « sed misereris omnium quia *omnia potes* » et iterum: « parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas » (*Sap.* 11, 21. 24. 27). Quam plurimis aliis in locis Scripturae hae notiones communes inveniuntur quibus *ordo* cosmicus Deum glorificans signatur ut inde homo et ipse fiat cantor divinae gloriae, verbo opere sanguine.

Agitur igitur de *actione divina* in universo a Deo creato et servato: inde theoria medianarum potentiarum funditus evertitur et via sternitur doctrinae de redemptione per Christum universorum Regem (*Rom.* 8, 21-22). De cetero, quaedam tanguntur quae redemptionem hominum respiciunt, sicut recte exponit Angelicus Doctor (793). At quia catholica doctrina a pluribus etiam inter cultiores rerum historicarum peritos ignoratur, inde irae.

c) Quae Dionysius tangit circa actionem divinam custodientem omnia entia κατ'εἶδος ἕκαστον ἐν ᾧ ἕκαστον εἶναι πέφυκε (356), signant elementum specificum interius constituens unamquamque rem in sua propria natura. Res quae ordinatae sunt propriis « *rationibus* » (λόγοις - 353) habent « *speciem* » (εἶδος) « in qua unaquaeque nata est esse ». Ni fallor, haec omnino aristotelica sunt et manifeste signant in historia transitum a realismo platonico ad realismumo temperatum. Quae quidem haud spernenda sunt pro intelligentia eorum quae Dionysius exponit infra (421-426), ubi quaedam *metaphysice* de universalibus tanguntur.

CAPUT NONUM

De Parvo, Magno, Eodem, Altero, Simili, Dissimili, Statione, Sessione, Motu, Aequalitate.

LECTIO I (49a)

De Magno et Parvo; secundum quam rationem de Deo dicantur.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. IX; textus nn. 357-365; expositio nn. 797-812).

Determinat de Nominibus Dei quae sumuntur secundum processiones in quibus importatur habitudo ad alterum (797):

A) ostendit de quo est intentio (357; 799);

B) ostendit quod singula praedictorum de Deo dicuntur (358; 800)

C) ostendit secundum quam rationem de Deo dicantur:
- 1° - de Magno et Parvo:
  - a) determinat de magno:
    - j° - attribuit magnum Deo secundum rationem causalitatis (359; 804),
    - ij° - per rationem cuiusdam similitudinis:
      - α) quantum ad Eius substantiam (360; 806),
      - β) quantum ad Eius effectus (361; 807),
    - iij° - secundum dissimilitudinem (362; 808).
  - b) determinat de parvo, quomodo dicatur de Deo:
    - j° - ponit rationes parvi (363; 810),
    - ij° - attribuit eas Deo (364; 811),
    - iij° - ostendit differentias huius parvi ad alia parva (365; 812).
- 2° - de Eodem et Altero (Lectio 2a),
- 3° - de Simili et Dissimili (Lectio 3a)
- 4° - de Statione et Sessione et Motu (Lectio 4a),
- 5° - de Aequalitate (ib.).

TEXTUS DIONYSII

C IX. § 1. 357. — « Quoniam autem et magnum et parvum attributum est omnium causae et idem et alterum et simile et dissimile et status et motus, age et horum insignium in quibus Deus nominatur *, quaecumque sunt nobis manifesta, contemplemur.

358. — Igitur magnus quidem in eloquiis Deus laudatus est et in magnitudine et in aura subtili, divinam manifestante parvitatem;

C. IX. § 1. 357. — [909 B] *Ἐπειδὴ δὲ καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν ἀνατέθειται τῷ πάντων αἰτίῳ καὶ τὸ ταὐτὸν καὶ τὸ ἕτερον καὶ τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἀνόμοιον καὶ ἡ στάσις καὶ ἡ κίνησις, φέρε καὶ τούτων τῶν θεονυμικῶν * ἀγαλμάτων ὅσα ἡμῖν ἐμφανῆ θεωρήσωμεν.*

358. — Μέγας μὲν οὖν ὁ θεὸς ἐν τοῖς λογίοις ὑμνεῖται καὶ ἐν μεγέθει καὶ ἐν αὔρᾳ λεπτῇ τὴν θείαν ἐμφαινούσῃ σμικρότητα·

et idem, quando dicunt eloquia: " *Tu autem idem Ipse es* "; et alter, quando sicut multae figurae et multae formae ab eisdem eloquiis componitur;

et similis, sicut similium et similitudinis substantificator *;

et dissimilis omnibus, sicut quod non sit Ipsi simile;

et stans et immobilis et sedens in saecula; et motus, sicut ad omnia ambulans;

et quaecumque aliae istis aequipollentes Dei nominationes ab eloquiis laudantur.

καὶ ταὐτὸς ὅταν φῇ τὰ λόγια· « σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ » [1]*· καὶ ἕτερος ἡνίκα ὡς πολύσχημος καὶ πολυειδὴς ὑπὸ τῶν αὐτῶν λογίων διαπλάττεται·*

*καὶ ὅμοιος ὡς ὁμοίων καὶ ὁμοιότητος ὑποστάτης *·*

καὶ ἀνόμοιος πᾶσιν ὡς οὐκ ὄντος αὐτῷ τοῦ ὁμοίου·

καὶ ἑστὼς καὶ ἀκίνητος καὶ καθήμενος εἰς τὸν αἰῶνα καὶ κινούμενος ὡς ἐπὶ πάντα πορευόμενος·

καὶ ὅσαι ἄλλαι ταύταις ὁμοδύναμοι θεωνυμίαι πρὸς τῶν λογίων ὑμνοῦνται.

§ 2. 359. — Igitur magnus quidem Deus nominatur secundum magnitudinem Ipsius quae seipsam tradit omnibus aeternaliter * magnis;

§ 2. 359. — [C] Μέγας μὲν οὖν ὁ θεὸς ὀνομάζεται κατὰ τὸ ἰδίως αὐτοῦ μέγα τὸ πᾶσι τοῖς μεγάλοις ἑαυτοῦ μεταδιδοῦν

360. — Et extra omnem magnitudinem superfusa et superextenta, omnem locum continens, omnem numerum supergrediens, omnem infinitatem transiens;

360. — καὶ παντὸς μεγέθους ἔξωθεν ὑπερχεόμενον καὶ ὑπερεκτεινόμενον, πάντα τόπον περιέχον πάντα ἀριθμὸν ὑπερβάλλον, πᾶσαν ἀπειρίαν διαβαῖνον,

361. — Et secundum superplenum Ipsius et magnificum et fontana Ipsius dona inquantum ipsa, ab omnibus participata secundum infiniti doni effusionem, non minorata omnino sunt et eamdem habent superplenitudinem et non minorantur participationibus, sed et magis supermanant.

361. — καὶ κατὰ τὸ ὑπερπλῆρες αὐτοῦ καὶ μεγαλουργὸν καὶ τὰς πηγαίας αὐτοῦ δωρεάς, καθ' ὅσον αὗται πρὸς πάντων μετεχόμεναι κατὰ ἀπειρόδωρον χύσιν, ἀμείωτοι παντελῶς εἰσι καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσιν ὑπερπληρότητα καὶ οὐκ ἐλαττοῦνται ταῖς μετοχαῖς, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ὑπερβλύζουσι.

362. — Magnitudo haec et infinita est et sine quantitate et sine numero; et hic est excessus secundum absolutam et superextentam infinite * acceptae magnitudinis effusionem.

362. — Τὸ μέγεθος τοῦτο καὶ ἄπειρόν ἐστι καὶ ἄποσον καὶ ἀνάριθμον καὶ τοῦτο ἔστιν ἡ ὑπεροχὴ κατὰ τὴν ἀπόλυτον καὶ ὑπερτεταμένην τῆς ἀπεριλήπτου μεγαλειότητος χύσιν.

§ 3. 363. — Parvum autem, idest subtile in Ipso dicitur quod omne pondus et distantiam excedit * et per omnia sine prohibitione vadit.

Et quidem et omnium causa * est parvum: numquam enim invenies parvi formam non participatam.

*§ 3. 363. — [912 A] Σμικρὸν δὲ ἤτοι λεπτὸν ἐπ' αὐτοῦ λέγεται τὸ παντὸς ὄγκου καὶ διαστήματος ἐκβεβηκὸς * καὶ τὸ διὰ πάντων ἀκωλύτως χωροῦν.*

Καίτοι τῶν πάντων στοιχειωτικὸν αἴτιόν ἐστι τὸ σμικρόν· οὐδαμῇ γὰρ εὑρήσεις τὴν τοῦ σμικροῦ ἰδέαν ἀμέθεκτον.

364. — Ita igitur in Deo parvum est accipiendum sicut ad omnia et per omnia sine impedimento vadens et operans " *et pertingens usque ad divisionem animae et* " corporis * " *et compagum et medullarum* * *et intentionum cordis* ", magis autem existentium universorum: " *non* enim *est creatura occulta in conspectu Eius* ".

*364. — Οὕτως οὖν ἐπὶ θεοῦ τὸ σμικρὸν ἐκληπτέον ὡς ἐπὶ πάντα καὶ διὰ πάντων ἀνεμποδίστως χωροῦν καὶ ἐνεργοῦν « καὶ διϊκνούμενον ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς καὶ πνεύματος *, ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν καὶ κριτικὸν ἐνθυμήσεων * καὶ ἐννοιῶν καρδίας »* [2] *μᾶλλον δὲ τῶν ὄντων ἁπάντων· « οὐ » γὰρ « ἐστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ »* [3]*.*

365. — Hoc parvum sine quantitate est et sine numero et incomprehensibile, non valens teneri, sine termino sine diffinitione et comprehensivum omnium, ipsum autem incomprehensibile ».

365. — Τοῦτο τὸ σμικρὸν ἄποσόν ἐστι καὶ ἀπήλικον ἀκρα[B]τὲς ἄπειρον ἀόριστον περιληπτικὸν πάντων, αὐτὸ δὲ ἀπερίληπτον.

1) *Psal.* 101, 28.
2) *Hebr.* 4, 12.
3) *Hebr.* 4, 13.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

797. — Postquam Dionysius determinavit de nominibus divinis quae accipiuntur secundum processiones perfectionum absolute rebus convenientium, sicut est bonum, esse, pulchrum, vita, sapientia et virtus, hic determinat de nominibus Dei quae sumuntur secundum processiones in quibus importatur habitudo ad alterum: sicut de magno et parvo, quae important excessum et defectum secundum quantitatem; de eodem et altero, quae important convenientiam et differentiam secundum substantiam; et de simili et dissimili, quae important convenientiam et differentiam secundum qualitatem; et de statione et motu, quoniam ratio stationis quidem consistit in hoc quod aliquid similiter se habet nunc et prius; et ulterius de aequalitate, quae importat convenientiam secundum quantitatem et est medium inter magnum et parvum.

798. — Dividitur ergo in tres partes: in prima, ostendit de quo est intentio; in secunda, ostendit quod singula praedictorum de Deo dicuntur; ibi [358]: *Igitur magnus...;* in tertia, ostendit secundum quam rationem de Deo dicantur; ibi [359]: *Igitur...*

799. — Dicit ergo primo [357] quod, quia Deo qui est *omnium* causa attribuitur *et magnum et parvum* et alia praedicta, oportet considerare circa haec insignia, *quibus Deus nominatur, quaecumque nobis* possunt esse *manifesta.*

800. — Deinde, cum dicit [358]: *Igitur magnus...* ostendit quod praemissa de Deo dicantur: laudatur enim in sacra Scriptura *Deus* sicut *magnus et in magnitudine* existens, secundum illud Psalm. 144 [3]: « *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis Eius non est finis* ».

Et quia subtilitas quaedam parvitas est, parvum etiam attribuitur Deo in Scriptura, ut dicitur III Reg. 19 [12-13]; quod apparuit in sibilo aurae tenuis, quae quidem tenuitas seu subtilitas *manifestat* divinam *parvitatem.*

Quandoque etiam in Scriptura, Deus dicitur idem, secundum illud Psalm. 101 [28]: « *Tu autem idem ipse es* ».

Attribuitur etiam Ei alteritas, inquantum diversae *figurae* et diversae species rerum Ei comparantur in sacris Scripturis, sicut quod aliquando designatur in figura vel specie hominis vel agni vel leonis vel lapidis.

Dicitur autem *similis* in Scripturis, inquantum facit aliqua similia et est causa ipsius similis, secundum illud Gen. 1 [26]: « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ».

Dicitur etiam Deus *dissimilis omnibus,* ubi Scriptura dicit quod nihil est Ei simile, secundum illud Psalm. 85 [8]: « *quis similis Tibi in diis, Domine?* ».

Describitur etiam Deus in Scripturis ut *stans,* secundum illud Amos 7 [7]: « *Ecce Deus stans super murum laterum* ».

Describitur *et immobilis,* secundum illud Malach. 3 [6]: « *Ego Dominus et non mutor* ». *Et sedens in saecula,* secundum illud Esa. 9 [7]: « *super solium David sedebit amodo et usque in sempiternum* ».

Describitur etiam *et motus sicut ad omnia ambulans* seu procedens, secundum illud Gen. 3 [8]: « *cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso* » et Sap. 7, [24] dicitur quod « omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Attingit autem ubique propter suam mobilitatem ». Et multa alia, *istis* aequipollentia, in Scripturis de Deo dicuntur.

801. — Deinde cum dicit [359]: *Igitur...* ostendit secundum quam rationem praedicta de Deo dicantur; et primo, de magno et parvo; secundo, de eodem et altero; ibi [366]: *Idem autem est...* [lectio 2a]; tertio, de simili et dissimili; ibi [373]: *Similem autem...* [lectio 3a]; quarto, de statione et sessione et motu; ibi [377]: *Quid autem...* [lectio 4a]; quinto, de aequalitate; ibi [381]: *Si autem...* [ib.].

802. — Circa primum, primo determinat de magno; secundo, de parvo; ibi [363]: *Parvum autem...*

803. — Circa primum, tria facit: primo, attribuit magnum Deo secundum rationem causalitatis; secundo, per rationem cuiusdam similitudinis; ibi [360]: *Et extra...;* tertio, secundum dissimilitudinem; ibi [362]: *Magnitudo haec...*

804. — Dicit ergo primo [359] quod *Deus* dicitur *magnus, secundum* quod *magnitudinem* suam, quae essentialiter Ei convenit *aeternaliter, tradit omnibus magnis,* sicut et dicitur sapiens, inquantum sapientiam tradit omnibus sapientibus. Vel potest aliter legi quod Deus magnitudinem suam tradit omnibus quae sunt *aeternaliter* magna, idest a principio creaturae usque in sempiternum.

805. — Deinde, cum dicit [360]: *Et extra...*

attribuit Ei magnum, secundum quamdam rationem similitudinis: et primo, quantum ad Eius substantiam; secundo, quantum ad Eius effectus; ibi [361]: *Et secundum...*

806. — Manifestum est autem quod magnum creaturis attribuitur, secundum rationem excessus: illa enim magna dicuntur quae inveniuntur alia excedere. Excessus autem in rebus creatis multipliciter attenditur: uno modo, secundum dimensionem longitudinis, latitudinis et profunditatis; et secundum hoc, dicitur aliquid magnum respectu alterius inquantum superexcedit quantitatem eius; et sic Deus dicitur magnus simpliciter, inquantum magnitudo Eius *extra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta;* et dicitur *superfusa* ad similitudinem rerum humidarum, ut aëris et aquae; *superextenta* vero ad similitudinem corporum siccorum et solidorum. Alio modo, attenditur excessus in rebus creatis, secundum locum et sic locus dicitur esse maior, qui est magis continens. Unde et Deus dicitur simpliciter magnus, inquantum continet *omnem locum.* Tertio, excessus invenitur in rebus secundum numerum et sic etiam dicitur Deus magnus simpliciter, inquantum superegreditur *numerum omnem,* quia omnis numerus a divina Sapientia procedit res distinguente, in cuius potentia est plures rerum differentias producere. Videtur autem in rebus maximum infinitum esse quod omnia excedit. Sed, ut in rebus creatis invenitur, nihil dicitur infinitum quin sit secundum aliquid finitum, scilicet secundum speciem. Unde Deus, qui est omnibus infinitus, excedit *omnem infinitatem.*

807. — Deinde, cum dicit [361]: *Et secundum...* attribuit Deo magnum, secundum rationem excessus qui consideratur ex parte effectuum. Sunt autem tria consideranda in effectibus Eius: primo quidem, quod effusio effectus procedit ex plenitudine causae, sicut quod non est plenum calore, non potest calorem effundere. Secundum similitudinem vasis loquimur, quod nisi sit plenum aqua, non potest aquam effundere. Secundo, quia si sit magis plenitudo, fit magna effusio. Tertio, quod quanto prior est effusio, tanto id quod effunditur, prius recepitur in eo in quod effunditur humor, nisi infusio terrae prius ab ea recipiatur.

Et haec tria in effectibus Dei sunt consideranda: primo enim, ex parte Dei invenitur superabundans plenitudo bonitatis; secundo, ex hac abundanti plenitudine sequitur quod magis faciat; tertio, ex hoc quod Ipse est primordialis causa sequitur quod *dona* Ipsius sunt *fontana,* idest primordialia: quidquid enim a quacumque causa recipitur, praesupponit id quod a Deo recipitur. Ita ergo, *secundum superplenum Ipsius,* quantum ad primum; *et magnificum,* quantum ad secundum; *et fontana Ipsius dona,* quantum ad tertium; *inquantum ipsa* dona participantur *ab omnibus, secundum effusionem doni* quod est infinitum ex parte donantis, dona huiusmodi omnino non minorantur, sed semper *habent eamdem* superabundantem plenitudinem *et* numquam *minorantur,* quantumcumque participentur, immo, quanto magis participantur, intantum *magis* desuper manant: quia, quanto aliquid plus recipit de divinis donis, tanto plus redditur aptum ad recipiendum; et ex parte influentis quod ex infinitae virtutis influentia minorari non potest.

808. — Deinde, cum dicit [362]: *Magnitudo haec...* exponit magnitudinem divinam, per distantiam ad alias magnitudines; et dicit quod *magnitudo* divina est *infinita,* quia nulli magnitudini creatae convenit; *et* est etiam *sine quantitate,* quia non est in genere quantitatis, sed Dei magnitudo est esse Eius; *et* est *sine numero,* idest sine mensura: numerus enim habet primam rationem mensurae, cum per eum etiam quantitates continuae mensurentur; vel quod dicit: *sine quantitate,* refertur ad quantitatem continuam; quod autem dicit: *sine numero,* refertur ad quantitatem discretam. Et sic per magnitudinem divinam attenditur *excessus* causalitatis divinae, *secundum* quod effundit universaliter et superabundanter, suam infinitam magnitudinem, quae non accipitur a creaturis in eius infinitate, sed secundum suam capacitatem finito modo eam accipiunt.

809. — Deinde, cum dicit [363]: *Parvum...* ostendit quomodo parvum dicatur in Deo; et circa hoc, tria facit: primo, ponit rationes parvi; secundo, attribuit eas Deo; ibi [364]: *Ita igitur...;* tertio, ostendit differentiam huius parvi ad alia parva; ibi [365]: *Hoc parvum...*

810. — Circa primum, considerandum est quod subtilitas quaedam parvitas est sive accipiatur subtilitas prout est qualitas quaedam secundum quod corpora subtilia rara dicuntur prout habent parum de quantitate sub eisdem dimensionibus; sive accipiatur subtilitas prout est differentia quaedam circa quantitatem: sicut enim longum et breve se habent ad lineam, latum vero et strictum ad superficiem, ita subtile et grossum ad

corporis profunditatem. Unde subtilitas, parvitatem quamdam signat.

Ponit ergo tres proprietates parvi sive subtilis: quarum prima est quod *excedit omne pondus* et omnem *distantiam;* et dicit *pondus*, secundum quod subtile dicitur quod est rarum: tale enim maxime leve invenitur; dicit vero *distantiam*, secundum quod subtile opponitur grosso, in quo tanta distantia est: magna scilicet profunditas; in subtili vero, parva. Excessus autem iste, quo parvum et subtile excedit omne pondus et omnem distantiam, non attenditur secundum maioritatem quantitatis quae opponitur parvitati, sed sicut unitas excedit numerum, quia mensurat ipsum et non mensuratur ab eo.

Secundam proprietatem parvi ponit quod *vadit per omnia sine prohibitione:* est enim de ratione subtilis quod sit penetrativum.

Tertiam proprietatem parvi ponit quod *parvum est omnium causa;* et huius probationem inducit quod nihil invenitur quod non participet *formam parvi:* parvum enim invenitur in magnis, sed magnum non invenitur in parvis; participatum autem videtur esse causa participantis, unde et principia in omnibus generibus sunt parvă quantitate, sed magnă virtute.

811. — Deinde, cum dicit [364]: *Ita igitur...* assignat praedictas rationes parvi Deo, praecipue secundam; et dicit quod *in Deo* accipitur *parvum*, inquantum *sine impedimento* vadit *ad omnia*, implendo ea et suis effectibus et sua praesentia, quia Ipse in omnibus est et iterum per omnia operatur, sicut per propria instrumenta. Et ad hoc probandum inducit auctoritatem Apostoli, ad Hebr. 4 [12] et primo, specialiter ostendit quod Deus penetrat omnia quae pertinent ad humanam naturam; in qua primo invenitur compositio animae et corporis, quorum distinctionem et unitionis modum divina Sapientia intelligit et operatur; et ideo dicit quod pertingit *usque ad divisionem animae et corporis*. Secundo, in homine est compositio partium corporis quae etiam est Deo nota et ideo subdit: *et compagum*, quantum ad iuncturam; *et medullarum* quantum ad ea quae intra membra continentur. Tertio, subdit de his quae pertinent ad animam: inter quae, intentiones cordis sunt maxime occultae et tamen sunt Deo notae; et ideo subdit: *et intentionum cordis.*

Et quia ista sunt occultissima, multo *magis* pertingit per suam scientiam, ad entia universalia: nulla *enim creatura est occulta* vel invisibilis *in conspectu Eius*, ut dicitur ad Hebr. 4 [13].

812. — Deinde, cum dicit [365]: *Hoc parvum...* manifestat divinam parvitatem per differentiam ad alia parva. Et primo, quidem, considerandum est quod parvum est in genere quantitatis, sed *parvum* quod de Deo dicitur, *est sine quantitate:* sicut enim est sine quantitate magnus, ita est sine quantitate parvus.

Secundo, considerandum est quod omne parvum de facili mensurari potest, sed *parvum* quod de Deo dicitur, est *sine numero:* non enim aliqua mensura comprehendi potest.

Tertio, considerandum est quod aliqua res parva de facili detinetur sive per hoc quod a cursu suo impeditur sive per hoc quod de facili capitur, sed divinum parvum neutro modo potest teneri: quia Eius virtus non potest impediri nec Deum aliquis perfecte capere potest.

Quarto, considerandum est quod ex hoc sunt aliqua parva, quod cito terminantur a termino quantitatis vel diffiniuntur diffinitione substantiae, comprehendente substantiam, sed divinum parvum est *sine termino* et *sine diffinitione.*

Quinto, considerandum est quod ea quae sunt parva, parum comprehendere possunt, sed ipsa de facili ab aliis comprehenduntur; divinum autem parvum est *comprehensivum omnium*, sed est *incomprehensibile* ab omnibus.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

• ad n. 357: « insignium in quibus Deus nominatur ». *τῶν θεονυμικῶν* (corr. Turturro; al. *θεονυμιῶν* subst. « Dei-nominationum »): « insignium *quae pertinent* ad Dei-nominationem ».

• ad n. 358: « substantificator » - *ὑποστάτης*, « sustentaculum ».

• ad n. 359, **804**: « aeternaliter » - unde additio haec?

• ad n. 362: « infinite-acceptae » - *ἀπεριλήπτου* al. « magnitudinis *quae comprehendi non potest* » (Perionius), unde in *expositione* (803) falsam interpretationem excludit.

• ad n. 363: « excedit »; non sicut qui *ascendit supra* vel transcendit (*ἐπιβεβηκός*) aut *qui effluit* (*ἐκβεβληκός*) sed *qui effugit* (Cordier), unde Turturro corrigit: *ἐκβεβηκός*.

• : « et omnium causa » add. *στοιχειωτικόν*: « et omnium *elementaris* causa » (Cordier).

• ad n. 364: « ad divisionem animae et corporis et compagum et medullarum et intentionum cordis »; in alq. codd. aliter graece legitur: « animae et *spiritus... et discretor cogitationum...* ».

2° Glossae marginales:

a) « Sapientissime loquitur [357] de *nominationum divinarum signis* (*ἀγαλμάτων*) ex Hellenis ad veritatem traducens ». Maximus (369 D-369 A) et post eum Pachymeres (924 A) « antiquis Silenis comparant divinarum nominationum signa (357) qui aperiendi erant ut deus absconditus inveniretur » (M. de Gandillac, pag. 154, n. 1). Haec « imago *Convivii*... Dionysio familiaris est » (id., pag. 31). Apud Platonem in *Convivio* XXXIII, 216 D legitur: « ... intus vero, si aperiatur mira... castimonia et integritas inest » et 216 E: « fingit tamen ironicus aliter ac *iocari* (*παίζων*) palam de his rebus numquam cessat. Serio autem agentis atque *intus aperti*, nescio utrum quisquam vestrum divinas quae *intus latet imagines* (*τὰ ἐντὸς ἀγάλματα*) unquam inspexerit » (Ficinus).

b) In sacra Scriptura « abscondita sunt (*ἐγκεκάλυπται*) simplicia, absoluta et immutabilia mysteria quae ad cognitionem Dei pertinent » (MTh. I, 1) et nominationes divinae ex ipsa collectae perscrutantur ut inde pulcherrimae notiones eruantur. Quae hic habentur (358) ex variis locis Sacrae Scripturae collectae sunt, v. gr. « Magnus » (*psal.* 85, 10), « aura tenuis » (III *Reg.* 19, 12), « idem ipse » (*psal.* 101, 28; *Hebr.* 1, 12), gloria Domini « multipliciter figurata » (cfr. *Ezech.* 1, 26-27; *Dan.* 7, 9; *Apoc.* 4, 3) « similitudinis principium » (*Gen.* 1, 26; *Colos.* 3, 10); « dissimilis » (*psal.* 85, 8; *Is.* 40, 25); « stans » (*Exod.* 17, 6; *Amos* 7, 7); « sedens in saecula » (*καθήμενος εἰς τὸν αἰῶνα*) accipitur haec notio ex *Baruch* 3, 3: « *ὅτι σὺ καθήμενος τὸν αἰῶνα καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα* » - « quia tu *sedes in sempiternum* et nos peribimus in aevum? » (*Vulg.*) ubi notio Dei superior Zervan Akarana habetur. Et alibi (*Gen.* 11, 7; II *Reg.* 22, 10; *psal.* 17, 10; 98, 1) alia eiusdem significationis inveniuntur multa.

c) Quae de verbo Dei docet Paulus (*Hebr.* 4, 12) Dionysius ipsi Deo applicat (364) et quia haud desunt qui de aeterno Dei Verbo haec interpretantur, suspicor ipsum in hoc capite funditus arianismum evertere. Occurrit locus ex epistola Basilii ad Occidentales: « *μέγας θεὸς παρ'αὐτοῖς καὶ μικρός* » - « *magnus* Deus apud illos et *parvus* » (*Epist.* 243, 4; Opp. III, 375 C); Gregorius Nazianzenus (*Orat.* XXX, 7) obiectiones arianorum referens, « tertio loco vocem hanc " maior " numerant » ut videre est, inter alia, apud Eunomium in *libro apologetico* 11: « nemo autem adeo demens et impie audax esse potest ut *aequalem* affirmet Patri Filium cum ipse Dominus diserte pronuntiet (*Ioan.* 14, 18): Pater qui misit me, *maior* me est » (inter Opp. Bas. I, 622 B); cui respondet Basilius (*Adversus Eunomium* I, 22-25; Opp. I, 233 D - 236 D). Dionysius, has notiones communes exponens de tribus divinis Personis, suo modo et positionem arianam evertit.

LECTIO II (50ª)

De Eodem et Altero, quomodo Deo attribuantur.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. IX; textus nn. 366-372; expositio nn. 813-827).

Determinat de eodem et altero:
A) ostendit quomodo idem attribuatur Deo:
  1° - proponit modos in quadam forma, quibus idem attribuitur Deo (366; **815**)
  2° - manifestat eos:
    a) 367; **816**,
    b) 368; **817-821**
    c) 369; **822**.
B) ostendit quomodo alterum attribuatur Deo
  1° - primus modus (370; **823-824**)
  2° - secundus modus:
    a) ponit istum modum (371; **826**)
    b) ostendit eum ad propositam intentionem non pertinere (372; **827**)

TEXTUS DIONYSII

§ 4. 366. — « Idem autem est supersubstantialiter aeternum et inconversibile in Seipso manens, semper secundum eadem et eodem modo habens, omnibus eodem modo praesens,

§ 4. 366. — Τὸ δὲ ταὐτὸν ὑπερουσίως ἀΐδιον ἄτρεπτον ἐφ' ἑαυτοῦ μένον ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, πᾶσιν ὡσαύτως παρὸν

367. — et Ipsum, secundum Seipsum, in Seipso, firme et incontaminate in optimis finibus abundantis * identitatis collocatum,

*367. — καὶ αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ σταθερῶς καὶ ἀχράντως ἐν τοῖς καλλίστοις πέρασι τῆς ὑπερουσίου * ταυτότητος ἱδρυμένον*

368. — intransmutabile, in oppositum non valens cadere, forte, invariabile, mundum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non augmentabile, non minorabile, ingenitum *;
non sicut nondum genitum * aut imperfectum aut sicut ab hoc aut istud non factum aut nusquam nullo modo existens, sed sicut omne ingenitum * et absolute ingenitum *
et semper existens et per se perfectum existens et idem existens secundum seipsum et a seipso uniformiter et identitatis forma * determinatum;

*368. — ἀμετάβλητον ἀμετάπτωτον ἀρρεπὲς ἀναλλοίωτον ἀμιγὲς ἄϋλον ἁπλούστατον ἀπροσδεὲς ἀναυξὲς ἀμείωτον ἀγένητον *,*

*οὐχ ὡς μήπω γενόμενον * ἢ* [C] *ἀτελείωτον ἢ ὑπὸ τοῦδε ἢ τόδε μὴ γενόμενον, οὐδ' ὡς μηδαμῆ μηδαμῶς ὄν, ἀλλ' ὥσπερ παναγένητον * καὶ ἀπολύτως ἀγένητον *,*

*καὶ ἀεὶ ὂν καὶ αὐτοτελὴς ὂν καὶ ταὐτὸν ὂν καθ' ἑαυτὸ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ μονοειδῶς καὶ ταὐτοειδῶς * ἀφοριζόμενον·*

369. — et idem ex eodem omnibus ad participandum convenientibus supersplendens et alia aliis coordinans, abundantia et causa identitatis in seipso et contraria eodem modo praehabens, secundum unam et singularem totius identitatis excedentem causam.

369. — καὶ τὸ ταὐτὸν ἐξ ἑαυτοῦ πᾶσι τοῖς μετέχειν ἐπιτηδείοις ἐπιλάμπον καὶ τὰ ἕτερα τοῖς ἑτέροις συνάπτον περιουσία καὶ αἰτία ταυτότητος ἐν ἑαυτῷ καὶ τὰ ἐναντία ταὐτῶς προέχον, κατὰ τὴν μίαν καὶ ἑνικὴν τῆς ὅλης ταυτότητος ὑπερέχουσαν αἰτίαν.

§ 5. 370. — Alterum autem, quoniam provisive Deus omnibus adest et omnia in omnibus propter omnium fit salvationem, manens in Seipso et propria identitate et inegressibiliter secundum operationem unam et impausabilem stans
et Seipsum donans indeclinabili virtute ad deificationem conversorum,

§ 5. 370. — [D] Τὸ δὲ ἕτερον, ἐπειδὴ πᾶσι προνοητικῶς ὁ θεὸς πάρεστι καὶ πάντα ἐν πᾶσι διὰ τὴν πάντων σωτηρίαν γίγνεται, μένων ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ τῆς οἰκείας ταυτότητος ἀνεκφοιτήτως κατ' ἐνέργειαν μίαν καὶ ἄπαυστον ἑστηκὼς

καὶ ἑαυτὸν ἐπιδιδοὺς ἀκλίτῳ δυνάμει πρὸς ἐκθέωσιν τῶν ἐπεστραμμένων

371. — et alteritatem variarum figurarum Dei, secundum multiformes visiones, altera quaedam praeter hoc quod apparent, apparentibus significare putandum est:
sicut enim si animam ipsam sermo formaret corporaliter et partes corporales simplici circumponeret, aliter intelligeremus in ipsa partes circumpositas simplicitati secundum proprietatem animae;
et caput quidem mentem, collum autem opinionem, sicut in medio rationis et irrationabilitatis, pectus autem furorem, ventrem autem concupiscentiam, crura autem et pedes naturam diceremus, partium nominibus signis potentiarum utentes,
multo magis alteritatem formarum et figurarum in Eo qui est super omnia, sanctis et Deo convenientibus et mysticis reserationibus purgari convenit.
Et si vis triplices corporum figuras, impalpabili et infigurabili Deo circumponere, latitudo quidem divina est dicenda superlatus Dei ad omnia processus; longitudo autem virtus super tota extenta; profunditas autem, omnibus existentibus incomprehensibile occultum et ignorantia.

371. — καὶ τὴν ἑτερότητα τῶν ποικίλων τοῦ θεοῦ κατὰ τὰς πολυειδεῖς ὁράσεις σχημάτων, ἕτερά τινα τοῖς φα[913 A]νομένοις παρ' ὃ φαίνονται σημαίνειν οἰητέον·
ὡς γὰρ εἰ τὴν ψυχὴν αὐτὴν σωματοειδῶς ὁ λόγος διέπλαττε καὶ μέρη σωματικὰ τῇ ἀμερεῖ περιέπλαττεν, ἑτέρως ἐννοοῦμεν ἐπ' αὐτῇ τὰ περιτιθέμενα μέρη τῇ ἀμερείᾳ τῇ κατὰ ψυχὴν οἰκείως,
καὶ κεφαλὴν μὲν τὸν νοῦν, αὐχένα δὲ τὴν δόξαν — ὡς ἐν μέσῳ λόγου καὶ ἀλογίας — στῆθος δὲ θυμὸν γαστέρα δὲ τὴν ἐπιθυμίαν σκέλη δὲ καὶ πόδας τὴν φύσιν ἐλέγομεν, τοῖς τῶν μερῶν ὀνόμασι τῶν δυνάμεων συμβόλοις χρώμενοι,
πολλῷ γε μᾶλλον ἐπὶ τοῦ πάντων ἐπέκεινα τὴν ἑτερότητα τῶν μορφῶν καὶ σχημάτων, ἱεραῖς καὶ θεοπρεπέσι καὶ μυστικαῖς ἀναπτύξεσιν ἀνακαθαίρεσθαι χρή.
Καὶ εἰ βούλει τὰ τριττὰ τῶν σωμάτων σχήματα τῷ ἀναφεῖ καὶ ἀσχηματίστῳ θεῷ περιάψαι, πλάτος μὲν θεῖον ῥητέον τὴν ὑπερευρεῖαν ἐπὶ πάντα τοῦ θεοῦ πρόοδον· μῆκος δὲ τὴν [B] *ὑπερεκτεινομένην τὰ ὅλα δύναμιν· βάθος δὲ τὴν πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀπερίληπτον κρυφιότητα καὶ ἀγνωσίαν.*

372. — et sic non lateamus nosmetipsos ex reserationibus figurarum alteritatis et formarum, incorporales Dei nominationes his quae sunt per signa sensibilia commiscentes; propter quod de istis quidem in *symbolica Theologia;*
nunc autem ipsam divinam alteritatem, non variationem quamdam superinconversibilis identitatis suspicemur,
sed unitivam * Ipsius multiplicem formationem et uniformes multae-fecunditatis ad omnia processiones ».

372. — Ἀλλ' ὅπως μὴ λάθωμεν ἑαυτοὺς ἐκ τῆς τῶν ἑτεροίων σχημάτων καὶ μορφῶν ἀναπτύξεως, τὰς ἀσωμάτους θεωνυμίας ταῖς διὰ συμβόλων αἰσθητῶν συμφύροντες, διὸ περὶ μὲν τούτων ἐν τῇ συμβολικῇ θεολογίᾳ·

νῦν δὲ αὐτὸ τὴν θείαν ἑτερότητα μὴ ἀλλοίωσίν τινα τῆς ὑπερατρέπτου ταυτότητος ὑποπτεύσωμεν,
*ἀλλὰ τὸν ἑνιαῖον * αὐτοῦ πολυπλασιασμὸν καὶ τὰς μονοειδεῖς τῆς ἐπὶ πάντα πολυγονίας προόδους.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

813. — Postquam determinavit Dionysius de magno et parvo, hic determinat de eodem et altero; et primo [366], ostendit quomodo idem attribuatur Deo; secundo, quomodo attribuatur Ei, alterum; ibi [370]: *Alterum...*

814. — Circa primum, duo facit: primo, proponit modos in quadam forma quibus idem attribuitur Deo; secundo, manifestat eos; ibi [367]: *Et ipsum...*

815. — Attribuitur autem idem Deo secundum Eius immutabilitatem, prout in Psalm. 101 [28] legitur: « *Tu autem idem Ipse es* ». Immutabilitas autem Dei, primo quidem attenditur quantum ad hoc quod non transmutatur secundum esse et non esse, sicut generabilia et corruptibilia et ideo dicit quod Deus *est idem aeternum*, inquantum est *supersubstantialiter* aeternus; sed quia quaedam habent quamdam aeternitatem, inquantum non deficiunt penitus in non esse, in aliqua alia convertibilia, ad hoc excludendum consequenter dicit: *inconversibile.*

Secundo, excludit motum localem per hoc quod dicit: *in Seipso manens:* Deus enim Seipso continetur, ut loco sine loco.

Tertio, excludit motum alterationis et augmenti et diminutionis, cum dicit quod *semper* habet *secundum* eamdem formam stare, quia scilicet non mutatur de forma in formam, ut de albo in nigrum vel de quantitate in quantitatem, ut de parvo in magnum; quia nihil in eo intenditur aut remittitur: quod enim est alibi habet se quidem secundum idem, sed non *eodem modo*..

Quarto, excludit motum qui est secundum habitudinem ad res; et dicit quod Ipse, inquantum est ex parte sui, semper est *eodem modo, omnibus praesens*, sed quod omnia non semper eodem modo se habeant ad Ipsum, provenit ex variatione quae contingit circa res.

816. — Deinde, cum dicit [367]: *Et Ipsum...* exponit ea quae summarie tetigerat; et primo, hoc quod dixerat: *in Seipso manens;* et excludit ea per quae posset impediri mansio alicuius in aliquo; quae quidem sunt quinque: primo enim unumquodque manet in loco qui convenit ei per se et secundum suam naturam, facile autem removetur a loco qui convenit ei per accidens; et quantum ad hoc dicit quod Deus collocatur *in seipso secundum seipsum*, idest per se et non per accidens.

Secundo, aliquid manet ubi firmatur, unde aliqua affiguntur clavis ut permaneant; et hoc est quod subdit: *firme;* firmatus est enim in Seipso, secundum infinitatem suae virtutis.

Tertio, contingit quod aliquid firmatum in aliquo, non potest manere in ipso, quia accidit corruptio aut putrefactio eius quod firmabat, sicut lapides non manent in pariete, corrupto coemento; et ad hoc excludendum a Deo, subdit: *et incontaminate.*

Quarto, prohibetur aliquid manere quia non est optime collocatum, sed potest ad melius perduci; et ad hoc excludendum, dicit: *in optimis finibus*, idest summitatibus.

Quinto, prohibetur aliquid permanere propter diversitatem eorum quae ad institutionem rei concurrunt, quorum unum trahit huc et aliud illuc; et quantum ad hoc dicit: *abundantis identitatis*, quia in Deo est perfectissima identitas, omnem diversitatem excludens.

817. — Deinde, cum dicit [368]: *Intransmutabile...* exponit quod dixerat: *semper secundum eadem et eodem modo habens;* et primo, quantum ad alterationem; et dicit quod est *intransmutabile*, inquantum non potest variari secundum magis et minus; et *in oppositum cadere non valens*, inquantum non mutatur de forma in formam oppositam.

Deinde, exponit dictorum causam: quod enim aliquid non transmutetur vel non cadat in contrarium, una causa potest esse quia habet fortem virtutem activam ad resistendum, ut patet in igne, et quantum ad hoc dicit: *forte.* Alia causa potest esse quia non habet in seipso mutabilitatis principium; et quantum ad hoc dicit: *invariabile.*

Hoc autem principium variabilitatis est quandoque quidem ex permixtione extranei; et ad hoc excludendum, dicit: *mundum* vel purum, secundum aliam translationem: purum vel mundum dicitur quod est extraneo naevo impermixtum.

Quandoque vero principium variabilitatis est potentia materiae in eo quod variatur, propter quam ab agente reducitur in aliam dispositionem; et ad hoc excludendum dicit: *immateriale.*

Quandoque vero variabilitatis principium est compositio alicuius rei ex diversis, sicut corpora mixta variabilia sunt, non solum quia sunt materialia, sed etiam quia sunt ex contrariis composita; et ad hoc excludendum dicit: *simplicissimum.*

Quandoque vero variationis ratio est indigentia eius quod variatur: quod enim est imperfectum naturaliter tendit in perfectionem suam; et ad hoc excludendum, dicit: *non indigens.*

818. — Deinde, ad excludendum motum augmenti, subdit: *non augmentabile;* ad excludendum vero motum decrementi, subdit: *non minorabile;* ad excludendum vero transmutationem generationis, subiungit: *ingenitum*, idest non-generatum.

819. — Quandoque autem dicitur aliquid non generatum, quia nondum accepit esse per generationem, sicut ea quae in futuro generabuntur; ad illud modum excludendum, subdit: *non sicut nondum genitum.*

Quandoque autem dicitur aliquid non generatum, quia eius generatio est incepta, sed nondum consummata; et ad hoc excludendum dicit: *aut imperfectum.*

Quandoque autem dicitur aliquid non generatum, non simpliciter, sed secundum quid, sicut si dicamus istum hominem non esse generatum ab isto vel si dicamus hoc non esse generatum hominem, sed esse generatum animal; et ad hoc excludendum dicit: *aut non sicut factum ab hoc*, idest ab aliquo determinato generante *aut istud*, quantum ad certum generationis terminum.

Quandoque autem dicitur non generatum

aut non factum, quod impossibile est esse, ut hominem esse asinum; et ad hoc excludendum, subdit: *neque sicut nusquam*, idest nullo loco vel numquam, idest nullo tempore et *nullo modo* existens.

820. — Deinde, qualiter de Deo dicatur ingenitum per oppositum ad praemissa, subdit dicens quod Deus dicitur *ingenitum sicut omne*, idest quia Ipse quodammodo est omnia, inquantum omnia in Ipso praeexistunt; et ideo, hoc opponitur ei quod dixerat: *neque sicut nusquam nullo modo existens.*

Dicitur etiam ingenitum, non secundum quid, sed *absolute*, contra hoc quod dixerat: *aut sicut ab hoc aut istud non factum.*

Dicitur etiam ingenitum non sicut nondum genitus, sed sicut *semper existens.*

Dicitur etiam ingenitum non sicut imperfectum, sed sicut *per se perfectum existens.* Sic ergo ostendit differentiam Dei ad ea quae non dicuntur generata.

821. — Unde consequenter ostendit differentiam Dei ad ea quae dicuntur generata: omnis enim generatio est transmutatio ex hoc toto in hoc totum, ex quo sequitur quod non sit semper idem; et ad hoc excludendum dicit: *et idem existens.*

Quod autem res generata non sit semper idem, ex duobus contingit: primo quidem, quia determinatur ad esse specificum non per seipsum totum, sed per aliquam sui partem, scilicet per formam et propter hoc corrumpitur et generatur secundum quod una forma separatur a materia et advenit altera; quod autem est forma tantum determinatur secundum seipsum totum ad suum esse specificum. Secundo, quia res generata determinatur ad suum esse non a seipsa sed ab actione generantis; et ideo ad hoc excludendum a Deo, dicit quod Deus existit *idem* sicut *determinatum* ad hoc quod *uniformiter* se habeat et secundum formam *identitatis*, non secundum aliud aut ab alio, sed *secundum Seipsum et a Seipso.*

822. — Deinde, cum dicit [369]: *Et idem...* ostendit, quomodo per Deum alia identitatem habent; et hoc dupliciter: uno modo, secundum quod tribuit identitatem rebus, in propria natura existentibus; et dicit quod hoc *idem* quod est Deus, supersplendet *omnibus* ad hoc quod participent suam identitatem, secundum uniuscuiusque convenientiam: alicui enim dat quod sit idem simpliciter; et his quae sunt secundum se diversa, dat identitatem ordinis, secundum quod *alia aliis* coordinat.

Alio modo, secundum quod res, quae in propriis naturis sunt diversae, sunt idem prout sunt in Deo; et quantum ad hoc, dicit quod hoc est propter abundantiam suae *identitatis* et propter hoc quod Ipse est omnis *identitatis causa. Et contraria* praehabet *in seipso* non diversimode, sed *eodem modo*, sicut diversi effectus sunt uniformiter in eo quod est una et singularis per excessum causa *totius identitatis.*

823. — Deinde, cum dicit [370]: *Alterum autem...* ostendit quomodo alterum attribuatur Deo et ponit duos modos, quorum primus est quod alterum attribuitur Deo inquantum *adest omnibus*, sicut participantibus ipsum per quamdam similitudinem secundum perfectiones quas per Eius providentiam recipiunt quia, *propter* salutem et bonum *omnium, fit omnia in omnibus*, inquantum scilicet nulla perfectio est in rebus quae non sit aliqua Dei similitudo ita ut dici possit semper, per suae similitudinis participationem, in sapientibus Sapientia; in iustis, Iustitia; in viventibus, Vita; et in potentibus, Virtus; et sic de aliis.

824. — Et ne aliquis male intelligeret quod Deus sit *omnia in omnibus*, excludit a Deo modos quibus una creatura fit in alia. Quod quidem contingit dupliciter: uno modo, per transmutationem eius quod in alio fieri dicitur, sicut ignis fit in corpore mixto per hoc quod in corpus convertitur; unde ad hoc excludendum, dicit: *manens in Seipso.*

Alio modo aliquid fit in altero per hoc quod sua actione transmutat illud in sui similitudinem, sicut ignis generans sibi formam secundum sui similitudinem, fit quodammodo in igne generato; et hoc, aliquo modo, accedit ad modum quo dixerat Deum in rebus fieri, sed multipliciter deficit: primo quidem, quia ea quae in rebus naturalibus generant sibi similia, non semper eadem manent et ideo, ut conservent se, secundum similitudinem speciei, similia sibi generant; et ad hoc excludendum dicit: *et propria identitate.*

Secundo, quia actio agentis qua facit sibi simile, est aliquid egrediens ab agente in patiente quod in Deo locum non habet, quia Eius actio est Eius substantia; unde ad hoc excludendum dicit: *et inegressibiliter.*

Tertio, quia agens creatum facit se in diversis, secundum diversas operationes quod Deo non convenit; et ideo subdit: *secundum operationem unam.*

Quarto, quia actio agentis facientis sibi simile non est continua, et sempiterna, sicut actio Dei; et ideo dicit: *et impausabilem.*

Quinto, quia agens naturale simul et patitur et movetur; et ed hoc excludendum a Deo, subdit: *stans*.

Sexto, quia virtus agentis naturaliter in sua actione debilitatur propter hoc quod simul patitur; et ad hoc excludendum dicit quod Deus *indeclinabili virtute* donat *seipsum* per quamdam sui participationem *ad deificationem conversorum*, idest ut assimilet sibi ea quae ad se convertit.

825. — Deinde, cum dicit [371]: *Et alteritatem...* ponit secundum modum quo alterum attribuitur Deo; et primo, ponit istum modum; secundo, ostendit eum ad propositam intentionem non pertinere; ibi [372]: *Sed ne lateamus...*

826. — Dicit ergo primo quod Deo etiam attribuitur alteritas diversarum *figurarum, secundum* multiplices *visiones* Prophetarum, in quibus aliquando visus est ut leo, aliquando ut agnus, aliquando ut homo; quae quidem diversimode signant. Alia quidem signant *praeter* ea quae in superficie *apparent;* et hoc manifestat per exemplum in anima: *si enim* aliquis vellet describere *animam* ad modum corporis, quamvis ipsa sit simplex, *aliter* quam in corpore *intelligeremus in ipsa, partes* corporeas attributas *simplicitati*. Nam per *caput* intelligeremus *mentem* quae praesidet omnibus partibus animae, sicut caput omnibus partibus corporis; per *collum autem opinionem*, quae *medio* modo se habet inter rationem scientem veritatem *et* inter irrationabiles partes animae, scientia veritatis carentes; per *pectus autem* intelligeremus *furorem*, idest irascibilem propter pectoris fortitudinem; per *ventrem* autem concupiscibilem, propter ventris mollitiem vel quia concupiscentia deservit ventri, sicut et irascibilis habet sedem in corde quod est in pectore; sed per *crura et pedes* diceremus significari naturales vires animae nutritivae, per quas sustentatur vita. Et ita uteretur *nominibus partium* corporalium, quasi quibusdam *signis potentiarum* animae, secundum similitudinem quamdam.

Unde *multo magis* diversitatem *formarum et figurarum in* Deo, *qui est super omnia*, oportet *purgari* a corporalibus phantasiis, per sanctas expositiones *Deo* convenientes *et* mysticas, quia scilicet accipiunt occultum ex manifesto. Unde est quod si aliquis *Deo*, qui est impalpabilis et infigurabilis, velit attribuere tres dimensiones corporum, sicut Apostolus facit ad Ephes. 3 [18], dicendum erit quod *latitudo* Dei nihil est aliud quam *processus* divinae Providentiae, qui omnibus superfertur, quasi continens omnia; *longitudo* autem Dei, dicetur *virtus* quae *super tota* extenditur, penetrans omnia a summo usque ad imum; *profunditas* autem Dei dicetur occulta et ignorata Dei essentia, quae est incomprehensibilis *omnibus existentibus*.

827. — Deinde, cum dicit [372]: *Sed ne lateamus...* ostendit praedictam varietatem ad propositum non pertinere; et dicit quod non debemus nos ipsos decipere exponendo *Dei nominationes* quae sunt secundum formas et figuras, quia per hoc commisceremus istam doctrinam Symbolicae Theologiae, ad quam pertinet exponere corporales *Dei-nominationes*, quae accipiuntur *per signa sensibilia*.

Sed ad praesens propositum pertinet ut *alteritatem* Deo attributam *non suspicemur* esse aliquam *variationem* Dei qui habet supereminentem et inconversibilem, idest intransmutabilem identitatem, sed per hoc intelligamus *formationem*, secundum quam multiplices formas attribuit et tamen omnia in unum ordinem reducit et e, converso uniformitatem multorum processuum divinae *fecunditatis ad omnia;* quae pertinent ad primum alteritatis modum, supra assignatum (**823**).

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 367, **816**: « abundantis » - *ὑπερουσίου*, « supersubstantialis ».

* ad n. 368, **817-821**: « ingenitum » - *ἀγέννητον*, « non-factum », utpote *fieri* in Deo excludens (*indivenuto*).

* : « sicut nondum genitum » - *γενόμενον*, « non-factum » (*indivenuto*); quae in expositione (**819**) dicuntur de *generatione*, intellige de *fieri* (divenire).

* : « sicut omne ingenitum » (**820**); *ὥσπερ παναγέννητον*, « sicut totum non-factum » (in eodem sensu, quo supra); al. *ὡς ὑπὲρ πᾶν ἀγέννητον*, « sed quod omne id quod genitum est superet » (Perionius); « sed ut quod super omnia ingenitum » (Ambrosius).

* : « absolute ingenitum » - *ἀγέννητον*, « non-factum » (ut supra).

* : « identitatis forma » (**821**) - *ταυτοειδῶς*, barbare quidem verto: « identiformiter ».

* ad n. 373: « unitivam » - *τὸν ἑνιαῖον*, « *unitam* ».

2ª Quoad « ἀγένητον » (368).

Connectens notionem hanc cum « identitate », Dionysius meus arianorum ictus sustinet et veritatem a Dei osoribus vindicat. Supponit momentum in historia doctrinae quo clare distinguitur inter *ἀγέννητον* (indivenuto) quae est perfectio tribus Personis communis et *ἀγέννητον* (ingenitum - *ingenerato*) quae est notio propria Patris (37, 48).

Gregorius Nazianzenus sub fine a. 379 hanc distinctionem diligenter ponit in *orat.* XXV in laudem Heronis philosophi, 16: « Hoc enim *Patri et Filio et Spiritui Sancto commune* (*κοινόν*) est quod nonfacti sunt (*τὸ μὴ γεγονέναι*) atque deitas; hoc autem Filio et Spiritui Sancto quod uterque eorum ex Patre est. At vero *Patris proprium* est ingeneratio » (*ἡ ἀγεννησία* - MG. 35, 1221 B). Per hanc doctrinam aequivocatio Aetii et Eunomii finem habet.

Triplex significatio termini *ἀγένητος* invenitur apud Athanasium: *de decretis Nicaenae Synodi* 28 (MG. 25, 469 A; Opitz, *Athanasius Werke* II, 1[c] pag. 25) et mira est consensio Dionysii cum Athanasio.

Athanasius (de decretis 28):	*Dionysius* (368):
« λέγεσθαι γάρ φασιν ἀγέννητον	*ἀγένητον*
1 - τὸ μήπω μὲν γενόμενον δυνάμενον δὲ γενέσθαι	*1 - οὐχ ὡς μήπω γενόμενον ἢ ἀτελείωτον ἢ ὑπὸ τοῦδε ἢ τόδε μὴ γενόμενον·*
2 - καὶ πάλιν· τὸ μήτε ὑπάρχον μήτε δυνάμενον εἰς τὸ εἶναι γενέσθαι	*2 - οὐδ' ὡς μηδαμῇ μηδαμῶς ὄν·*

Prima notio est de *non-facto* (« *indivenuto* ») sed *factibile* (« *divenibile* »); altera vero est de *non-facto*, tamquam *non-factibile* (« indivenibile »).

3 - καὶ τρίτον ἐστὶν αὐτοῦ σημαινόμενον· τὸ ὑπάρχον μέν, μήτε δὲ γενητὸν μήτε ἀρχὴν ἐσχηκὸς εἰς τὸ εἶναι, ἀλλ' ἀίδιον ὄν καὶ ἀδιάφθορόν ».	*3 - « ἀλλ'ὥσπερ παναγέννητον καὶ ἀπολύτως ἀγένητον καὶ ἀεὶ ὄν ».*

* « Aiunt enim non-factum dici quod nondum factum est, potest tamen fieri;
.. item quod nec existit nec fieri potest ut sit;
... tertio quod existit quidem nec tamen est factum neque principium habuit ut esset, sed quod aeternum et incorruptum est ».

* Comparatio fieri potest et cum *Aristotele de Coelo et Mundo* I, 11, 2; 12, 3:
. *quod non est, sed potest fieri* (cfr. S. Thomae, lect. 24).
.. *quod omnino impossibile est fieri* (cfr. ibid. et lect. 25).
... *Omne quod semper est*, simpliciter incorruptibile et *similiter non-factum* (cfr. ibid. lect. 26); eamdem notionem invenies 12, 8 (S. Thomae, lect. 27).

Forsan utrobique habentur notiones communes, ex Aristotele in communi patrimonio collectae, sed certum est Athanasium doctrinam theologicam per has notiones exposuisse (cfr. *orat.* 1, *contra Arianos* 30; MG. 26, 73 C, ubi eadem distinctio invenitur).

Basilius acriter, notionem theologicam *perfectionis divinae in esse* defendens, scribit: « Num vere *Aristotelis aut Chrysippi syllogismis opus nobis erat* ut disceremus eum qui ingenitus... eumdem seipso neque antiquiorem neque iuniorem esse? » (*Adversus Eunomium* I, 5; Opp. I, 214 D).

Quod quidem optime intelligitur tum Aetii tum Eunomii methodum perpendendo, qui doctrinam revelatam parvi facientes per dialecticam funditus christianam fidem subvertebant (cfr. *Epiphanii.* Haer. 76, edit. Oehler, Berolini 1861 II, 1 pag. 224; *Theodoret.*, Haeret. Fab. Compendium lib. IV, cap. 3; *Socrat.* Hist. Eccles. II, 35). De his aliqua longius tractavi in ephem. *Angelicum* XIX (1942) pag. 78-95.

In V lib. *adv. Eun.* (aliquando *Didymo caeco* adscripto) altera significatio exprimitur tali modo: *τὸ μηδαμῇ μηδαμῶς ὄν* - « quod minime ac nusquam est » (Opp. Bas. I, 312 D).

LECTIO III (51a)

De Simili et Dissimili, quomodo Deo attribuantur.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. IX; textus nn. 373-376; expositio nn. 828-834).

Determinat de simili et dissimili:

A) De simili:
- 1° - ostendit quomodo similitudo attribuitur Deo
  - a) attribuit Deo similitudinem, secundum quod Ipse dicitur sibi similis (373; 831)
  - b) per comparationem ad alia (374; 832).
- 2° - ostendit quod Deus est similitudinis causa (375; 833).

B) De dissimili (376; 834)

TEXTUS DIONYSII

§ 6. 373. — « Similem autem Deum si dicat aliquis quidem ut eumdem, sicut totum per totum sibi ipsi singulariter et indivisibiliter existentem similem, non est improbanda nobis similis Dei nominatio.

374. — Theologi autem existentem super omnia Deum, secundum quod Ipse est, nulli dicunt esse similem; Ipsum autem similitudinem divinam dare his qui ad Ipsum existentem * super omnem diffinitionem et rationem convertuntur secundum virtutem imitatione;
et est divinae similitudinis virtus quae advenientia omnia ad causam convertit.

Ista igitur dicere convenit similia Deo et ea secundum divinam imaginem et assimilationem;
neque enim ipsis Deum esse similem, quoniam neque proprie homo imagini est similis.
Etenim in coordinatis quidem possibile est et similia ipsa sibi invicem esse et convertere ad alterutra, similitudine et esse ambo sibi invicem similia secundum praecedentem similis speciem;
in causa autem et causatis non recipiemus conversionem:
non enim solis istis vel istis, simile esse donatum est.

375. — Omnibus autem similitudinem participantibus Deus fit causa quod sint similia et erit et ipsius substantificator * similitudinis; et quod est in omnibus simile,

§ 6. 373. — [C] *"Ομοιον δὲ τὸν θεὸν εἰ μὲν ὡς ταὐτὸν εἴποι τίς, ὡς ὅλον δι' ὅλου ἑαυτῷ μονίμως καὶ ἀμερίστως ὄντα ὅμοιον, οὐκ ἀτιμαστέον ἡμῖν τοῦ ὁμοίου θεωνυμίαν.*

*374. — Οἱ δὲ θεολόγοι τὸν ὑπὲρ πάντα θεὸν ἢ αὐτὸς οὐδενί φασιν εἶναι ὅμοιον, αὐτὸν δὲ ὁμοιότητα θείαν δωρεῖσθαι τοῖς ἐπ' αὐτὸν ἐπιστρεφομένοις τῇ κατὰ δύναμιν μιμήσει τῶν * ὑπὲρ πάντα καὶ ὅρον καὶ λόγον·*

καὶ ἔστιν ἡ τῆς θείας ὁμοιότητος δύναμις ἡ τὰ παραγόμενα πάντα πρὸς τὸ αἴτιον ἐπιστρέφουσα.
Ταῦτα γοῦν ῥητέον ὅμοια τῷ θεῷ καὶ κατὰ θείαν εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν ·[1]

οὐδὲ γὰρ αὐτοῖς τὸν θεὸν ὅμοιον ὅτι μηδὲ ἄνθρωπος τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ὅμοιος·

ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ὁμοταγῶν δυνατὸν καὶ ὅμοια αὐτὰ ἀλλήλοις εἶναι καὶ ἀντιστρέφειν ἐφ' ἑκάτερα τὴν ὁμοιότητα καὶ εἶναι ἄμφω ἀλλήλοις ὅμοια κατὰ [D] *προηγούμενον ὁμοίου εἶδος·*
ἐπὶ δὲ τοῦ αἰτίου καὶ τῶν αἰτιατῶν οὐκ ἀποδεξόμεθα τὴν ἀντιστροφήν.
Οὐ γὰρ μόνοις τοῖσδε ἢ τοῖσδε τὸ ὁμοίως εἶναι δωρεῖται,

*375. — πᾶσι δὲ τοῖς ὁμοιότητος μετέχουσι τοῦ εἶναι ὁμοίοις ὁ θεὸς αἴτιος γίγνεται καὶ ἐστι καὶ αὐτῆς τῆς αὐτοομοιότητος ὑποστάτης * καὶ τὸ ἐν πᾶσιν ὅμοιον* [916 A] *ἴχνει τινὶ τῆς*

[1]) Cfr. *Gen.* I, 26.

vestigio quodam divinae similitudinis est simile et unitionem ipsorum complet.

§ 7. 376. — Et quid oportet de isto dicere? Ipsa enim Theologia dissimilem Ipsum esse praedicat et omnibus non coordinatum, sicut ab omnibus alterum. Et hoc quidem est inopinabilius, quod neque esse aliquid simile Ipsi dicit.
Et quidem non est contrarius sermo assimilationi ad Ipsum:
etenim eadem similia sunt Deo et dissimilia. Hoc quidem, secundum contingentem non-imitabilis imitationem; hoc autem, secundum quod causata minus habent causa et mensuris infinitis et incomparabilibus deficientia ».

θείας ὁμοιότητος ὅμοιόν ἐστι καὶ τὴν ἕνωσιν αὐτῶν συμπληροῖ.

§ 7. 376. — Καὶ τί δεῖ περὶ τούτου λέγειν; αὐτὴ γὰρ ἡ θεολογία τὸ ἀνόμοιον αὐτὸν εἶναι πρεσβεύει καὶ τοῖς πᾶσιν ἀσύντακτον, ὡς καὶ πάντων ἕτερον καί, τὸ δὴ παραδοξότερον, ὅτι μηδὲ εἶναί τι ὅμοιον αὐτῷ φησι.

Καίτοι οὐκ ἐναντίος ὁ λόγος τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητι·
τὰ γὰρ αὐτὰ καὶ ὅμοια θεῷ καὶ ἀνόμοια· τὸ μὲν κατὰ τὴν ἐνδεχομένην τοῦ ἀμιμέτου μίμησιν· τὸ δε κατὰ τὸ ἀποδέον τῶν αἰτιατῶν τοῦ αἰτίου καὶ μέτροις ἀπείροις καὶ ἀσυγκρίτοις ἀπολιμπανόμενον.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

828. — Postquam Dionysius determinavit de eodem et diverso, hic determinat de simili et dissimili; et primo de simili; secundo de dissimili; ibi [376]: *Et quid...*

829. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo similitudo attribuitur Deo; secundo, quod Deus est similitudinis causa; ibi [375]: *Omnibus...*

830. — Circa primum, duo facit: primo, attribuit Deo similitudinem, secundum quod Ipse dicitur sibi similis; secundo, per comparationem ad alia; ibi [374]: *Theologi...*

831. — Dicit ergo primo [373] quod si quis velit dicere quod Deus sit similis sibi ipsi, talis expositio divinae similitudinis *non est improbanda.* Excludit autem duo a Deo per quae aliquid potest esse sibi dissimile: uno modo, quia non semper manet idem, sed mutatur de forma in formam aut de dispositione in dispositionem. Secundo, potest dici aliquid sibi dissimile, quia est compositum ex contrariis vel ex dissimilibus partibus. Et ad hoc excludendum, dicit: *totum per totum* Deum *sibi similem.* Et quia totum consuevit dici quod in partes dividitur vel subiectivas sicut totum universale vel integrales sicut totum integrale, ideo ad excludendum rationem totius universalis, dicit: *singulariter;* ad excludendum vero rationem totius integralis, dicit: *indivisibiliter.*

832. — Deinde, cum dicit [374]: *Theologi autem...* agit de similitudine Dei per comparationem ad alia et dicit quod divinorum tractatores Deum qui super omnia existit, *secundum quod* in suo esse consideratur, *nulli* rei *dicunt esse similem,* sed dicunt quod Ipse dat *similitudinem* suam rebus quae *convertuntur,* idest accedunt *ad Ipsum* secundum quamdam imitationem possibilem *secundum* eorum *virtutem;* non ita quod perfecte Ipsum imitari possint, quia Ipse est supra *omnem diffinitionem* et distinctionem, idest supra terminos cuiuscumque naturae *et* supra omnem *rationem,* idest supra omnem apprehensionem.

Et virtus huius *similitudinis* ad Deum quae a Deo rebus donatur in hoc apparet, quod *omnia* quae proveniunt a Deo, sicut effectus a causa, convertuntur per desiderium ad Ipsum, sicut *ad* propriam *causam;* quod non esset, nisi omnia haberent aliquam similitudinem ad Deum: unumquodque enim amat et desiderat simile sibi.

Quia ergo omnia convertuntur per desiderium in Deum, conveniens est *dicere* quod omnia sunt *similia Deo,* non secundum aequalitatem, sed per quamdam *assimilationem* et [participationem ex qua] ratio imaginis sumitur. *

Et quod talis sit similitudo rerum ad Deum, ex hoc apparet quia non dicimus *esse Deum similem* aliis rebus, sicut *neque homo* dicitur esse *similis* suae *imagini: in* his enim quae sunt unius ordinis potest dici quod aliqua mutuo sunt *sibi invicem similia,* ita quod similitudo *ad* alterutrum convertatur, ita quod dicamus hoc esse simile illi et illud isti: *ambo* enim possunt dici *invicem similia,* propter hoc quod similia dicuntur, secundum quod participant unam formam, quae praeexistit in causa communi, ad quam utrumque coordinatorum habet similem habitudinem.

Sed *in* causis *et causatis non* debet recipi conversio similitudinis: causatum enim et quod deducitur ex alio, non potest dici si-

mile causae a qua deducitur, sicut nec imago homini; et hoc ideo quia causa non dependet ab effectu, ut solum isti vel illi suam similitudinem donet, sed effectus dependet a causa, a qua sola participat similitudinis rationem. Et haec dependentia designatur cum dicitur effectus esse in sua causa. Cum vero dicitur quod coordinata sunt sibi invicem similia, designatur dependentia utriusque ad unam causam. Sic igitur patet quod Deus, qui est omnium causa, non potest dici aliis similis, sed alia Ei similia esse dicuntur.

833. — Deinde, cum dicit [375]: *Omnibus autem...* ostendit quomodo Deus est causa similitudinis rebus; et dicit quod omnia quaecumque participant *similitudinem*, hoc habent a Deo sicut a causa, *quod similia* sunt: similia enim dicuntur aliqua secundum quod conveniunt in aliqua forma; omnis autem forma est a Deo. Et non solum est *causa* similium, sed etiam est causa *ipsius similitudinis*, sicut et supra dictum est [285; 675], quod non solum est causa viventium, sed etiam ipsius vitae. Et quidquid dicitur *simile* in quibuscumque rebus creatis, dicitur *simile quodam vestigio*, idest quadam repraesentatione *divinae similitudinis*, ex qua perficitur non solum similitudo, sed etiam omnis unitio quae est in rebus.

834. — Deinde, cum dicit [376]: *Et quid oportet...* determinat de dissimili; et dicit quod ideo oportet de hoc amplius dicere quod Deus non est similis rebus, sed magis similitudinis causa, quia sacra doctrina *praedicat* Illum *esse dissimilem et non* eiusdem ordinis cum aliis, quia Ipse est ab omnibus diversus, ut patet Esa. 40 [18]: « *cui similem fecisti Deum?* ». *Et*, quod magis videtur inopinabile, nihil dicunt esse *simile* Deo, secundum Psalm. 70 [19]: « *Deus, quis similis Tibi?* »; et iterum Psalm. 85 [8]: « *Non est similis Tui in diis, Domine* ». *Et* tamen hoc *non est contrarium* ei quod supra dictum est (833) de assimilatione totorum ad Deum: *eadem* enim possunt dici *Deo similia et dissimilia;* similia *quidem, secundum* quod imitantur Deum qui non est perfecte imitabilis a creatura, secundum quod convenit ei, idest inquantum possibile est creaturae; dissimilia autem, *secundum quod causata minus* perfectionis *habent* quam *causa*.

Ne tamen aliquis intelligeret, per hoc quod dicitur *minus*, aliquam proportionem, sicut contingit in rebus quae sunt unius generis quorum unum est altero perfectius, subiungit quod creaturae deficiunt a Deo, non secundum aliquam determinatam mensuram, sed infinite et incomparabiliter; et pro tanto, dicuntur Ei dissimilia.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 374, **832**: « his qui ad Ipsum... imitatione »; textus: « *τοῖς ἐπ'αὐτὸν ἐπιστρεφομένοις τῇ κατὰ δύναμιν μιμήσει τῶν* [corr. Turturro, al. *τόν*] *ὑπὲρ πάντα καὶ ὅρον καὶ λόγον* ». Consentit Pachymeres: *κατὰ μίμησιν, τὴν κατὰ δύναμιν, τῶν θείων ἐκείνων καὶ ὑπὲρ πάντα ὅρον καὶ λόγον ὑπαρχόντων* (929 D), ex Maximo (377 B) qui exponens illud: *estote perfecti* (*Matth.* 5, 48), *estote misericordes* (*Luc.* 6, 36) *sicut Pater vester coelestis*, notat: « quae quidem (*sunt*) in Deo principaliter et super omnem limitem et rationem, in creaturis vero secundum uniuscuiusque capacitatem, iuxta proportionem naturae ».

Unde Pachymeres exponit: « secundum imitationem illam quae fit iuxta capacitatem, illarum divinarum (*perfectionum*) existentium et super omnem limitem et (*super omnem*) rationem ». Textus igitur sic vertitur: « iis qui ad Ipsum convertuntur per imitationem, iuxta capacitatem, eorum (*quae sunt*) super omnem limitem et rationem ».

Idem praesuppositum habetur CH. I, 1: *ἀνατατικῶς ἁπλοῖ, elevative explicat* vel *extendit*. Pachymeres (129 C): *ἀνάγει ἡμᾶς καὶ ἁπλοῖ*, « elevat et explicat » idest nos elevans ad se, nos explicat et extendit trans limitem nostrum.

* : in *expositione* (**832**): « et privationem » *corrigo:* [« et participationem, ex qua »]; audacter?

* ad n. 375: « substantificator » - *ὑποστάτης*, « sustentaculum ».

2ª Quoad ὅμοιον (simile) et ἀνόμοιον (dissimile).

In conflictu arianorum factionum, hi duo termini valde lamentabilem significationem habent quae nota est omnibus historiae ecclesiasticae vel theologiae catholicae cultoribus. Quae Dionysius hic (373-376) exponit, ariana praesupposita funditus evertunt: dum tales notiones considerantur in Deo, « *similis* » identitatem cum seipso nobis manifestat (373; cfr. 366-368), « *dissimilis* » vero Eiusdem alteritatem ab omnibus notat (376; cfr. 370). Inde Deus qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus alter est *a creaturis* et semper idem sibi ipsi. Propter hoc, ni fallor, Basilius scribit Maximo philosopho: « *simile secundum essentiam* si modo illud *citra differentiam ullam* adiunctum habeat suscipio ut eodem rediens ac consubstantiale » (*Epist.* 9, 3; Opp. III, 91 A).

Et Filius quidem « ex naturae communione habet

paternae deitatis maiestatem. Nam *accipere commune est et creaturae, habere* autem *ex natura* proprium est Geniti » (hom. *de Fide*, 2; Opp. II, 132, B).

Quare autem Dionysius meus *numquam* « consubstantiali » utatur, supra notatum invenies (pag. 82). Hic, dum notio communis « identitatis » consideratur, consubstantialitas divinarum personarum supponitur, sed terminus abest; Dionysius silet, non tantum propter Marcelli malam notionem (Basilii *Epist.* 125, 1; Opp. III, 215 B), sed potius iisdem rationibus motus, ni fallor, quas Basilius exponit *ad canonicas* scribens (*Epist.* 52, 1; Opp. III, 145 AB) vel Athanasius refert in *de Synodis* XLV (edit. Opitz, *Athanasius Werke* II, 1, pag. 269-270). Hinc forsan manifestatur *privatarum epistolarum character* quem tractationes primaevi Dionysii praeferunt.

LECTIO IV (52a)

De Statione et sessione; de motu; de aequalitate quomodo Deo attribuantur.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. IX; textus nn. 377-383; expositio nn. 835-846).

Determinat de divina statione et sessione et motu et aequalitate

A) De statione et sessione:
- 1° - ostendit quomodo sessio aut statio attribuatur Deo (377; **837**),
- 2° - determinat causalitatem divinae stationis aut sessionis (378; **838**).

B) De motu divino:
- 1° - ostendit quomodo motus attribuitur Deo (379; **840-841**),
- 2° - ostendit quomodo Deo attribuantur differentiae motus (380; **842**).

C) De Aequalitate:
- 1° - ostendit qualiter aequalitas Deo attribuitur sicut cui convenit aequalitas (381; **844**).
- 2° - qualiter attribuitur Ei, ut Causae (382; **845**),
- 3° - qualiter attribuitur Ei, ut omnem aequalitatem praehabenti (383; **846**).

TEXTUS DIONYSII

§ 8. 377. — « Quid autem et de divina statione aut sessione dicimus? Quid autem aliud quidem praeter hoc quod manet in seipso ipse Deus et immobili identitate singulariter est fixus et supercollocatus; et quod secundum eadem et circa idem et eodem modo operatur;

et secundum quod Ipse intransmutabilis est ex seipso omnino; et quod non potest Ipse in contrarium moveri et totaliter est immobilis;

378. — Et hoc supersubstantialiter:

Ipse enim est omnium stationis et sedis causa, qui est super omnem sedem et stationem " *et in Ipso cuncta consistunt* " ex propriorum bonorum statione incommota custodita.

§ 9. 379. — Quid autem et quando rursus theologi et ad omnia procedentem et motum dicunt immobilem?

Num ut decet Deum et hoc est intelligendum?

Moveri enim Ipsum religiose aestimandum est, non secundum portationem aut mutationem▼aut▼alterationem aut modalem aut localem motum, non directum, non circularem, non ex ambobus, non intelligibilem, non animalem, non naturalem.

§ 8. 377. — Τί δὲ καὶ περὶ τῆς θείας στάσεως ἤτοι καθέδρας φαμέν; τί δὲ ἄλλογε παρὰ τὸ μένειν αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ τὸν θεὸν καὶ ἐν ἀκινήτῳ ταυτότητι μονίμως πεπεγήναι καὶ ἀραρότως ὑπεριδρῦσθαι καὶ τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἐνεργεῖν,

καὶ κατὰ τὸ ἀμετάστατον αὐτὸν ἐξ ἑαυτοῦ πάντως ὑπάρχειν καὶ κατὰ τὸ ἀμετακίνητον αὐτὸ καὶ ὁλικῶς ἀκίνητον

378. — καὶ ταῦτα ὑπερουσίως·

αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ τῆς πάντων στάσεως καὶ ἕδρας αἴτιος ὁ ὑπὲρ πᾶσαν ἕδραν καὶ στάσιν καὶ ἐν αὐτῷ πάντα συνέστηκεν[1] ἐκ τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν στάσεως ἀσάλευτα διαφυλατόμενα.

§ 9. 379. — [C] Τί δὲ καὶ ὅταν αὖθις οἱ θεολόγοι καὶ ἐπὶ πάντα προϊόντα καὶ κινούμενόν φασι τὸν ἀκίνητον;

οὐ θεοπρεπῶς καὶ τοῦτο νοητέον;

κινεῖσθαι γὰρ αὐτὸν εὐσεβῶς οἰητέον οὐ κατὰ φορὰν ἢ ἀλλοίωσιν ἢ ἑτεροίωσιν ἢ τροπὴν ἢ τοπικὴν κίνησιν οὐ τὴν εὐθεῖαν οὐ τὴν κυκλοφορικὴν οὐ τὴν ἐξ ἀμφοῖν οὐ τὴν νοητὴν οὐ τὴν ψυχικὴν οὐ τὴν φυσικήν,

[1]) *Colos.* 1, 17; intellige transpositionem in theologia unita.

sed eo quod substantiam agat * Deus et contineat * omnia et totaliter omnia provideat * et eo quod adsit * omnibus omnium circuitu immensurabili et ad existentia omnia provisivis processibus et operationibus.

Sed et motus Dei immobilis, ut decet Deum, laudari sermone permittitur.

380. — Et rectum quidem intelligere convenit indeclinabilem et inflexibilem processum operationum et ex Ipso totorum generationem;

obliquum * autem stabilem processum et generativum statum;

secundum circulum autem, identitatem et media et extrema, circumdantia et circumdata continere et conversionem ad Ipsum, eorum quae ab Eo processerunt.

§ 10. 381. — Si autem aliquis, in eloquiis, Dei-nominationem eiusdem aut iustitiae *, in aequali sumat,

dicendum est aequalem esse Deum, non solum sicut simplicem et indeclinabilem sed et sicut ad omnia et per omnia aequaliter procedentem,

382. — Et sicut ipsius per se aequalitatis substantificatorem *, secundum quam aequaliter operatur per omnia similem illorum invicem ambulationem * et suscipientium aequalem participationem secundum singulorum opportunitatem

et aequalem secundum dignitatem ad omnia distributam donationem,

383. — Et secundum hoc, quod omnem praeaccepit aequalitatem

intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensibilem, substantialem, naturalem, voluntariam, segregate et unitive * in Seipso,

secundum virtutem omnis aequalitatis effectivam, super omnia existentem ».

*ἀλλὰ τὸ εἰς οὐσίαν ἄγειν * τὸν θεὸν καὶ συνέχειν * τὰ πάντα καὶ παντοίως πάντων προνοεῖν * καὶ τὸ παρεῖναι * πᾶσι τῇ πάντων ἀσχέτῳ περιοχῇ καὶ ταῖς ἐπὶ τὰ ὄντα πάντα προνοητικαῖς πρόοδοις καὶ ἐνεργείαις.*

Ἀλλὰ καὶ κινήσεις θεοῦ τοῦ ἀκινήτου θεοπρεπῶς τῷ λόγῳ συγχωρητέον ὑμνῆσαι·

380. — καὶ τὸ μὲν εὐθὺ τὸ ἀκλινὲς νοητέον καὶ τὴν ἀπαρέγκλιτον πρόοδον τῶν ἐνεργειῶν καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ τῶν ὅλων γένεσιν·

τὸ [D] *δὲ ἑλικοειδὲς * τὴν σταθερὰν πρόοδον καὶ τὴν γόνιμον στάσιν·*

τὸ δὲ κατὰ κύκλον τὸ ταὐτὸν καὶ τὸ τὰ μέσα καὶ ἄκρα περιέχοντα καὶ περιεχόμενα συνέχειν καὶ τὴν εἰς αὐτὸν τῶν ἀπ' αὐτοῦ προεληλυθότων ἐπιστροφήν.

§ 10. 381. — [917 A] Εἰ δέ τις τὴν τοῦ αὐτοῦ τῶν λογίων ἢ τὴν τῆς δικαιοσύνης θεωνυμίαν ἐπὶ τοῦ ἴσου λαμβάνοι,

ῥητέον ἴσον τὸν θεὸν οὐ μόνον ὡς ἀμερῆ καὶ ἀπαρέγκλιτον, ἀλλὰ καὶ ὡς ἐπὶ πάντα καὶ διὰ πάντων ἐπ' ἴσης διαφοιτῶντα

*382. — καὶ ὡς τῆς αὐτοϊσότητος ὑποστάτην * καθ' ἣν ἰσουργεῖ τὴν δι' ἀλλήλων ἁπάντων ὁμοίαν χώρησιν καὶ τὴν τῶν μεταλαμβανόντων ἐπ' ἴσης μετοχὴν κατὰ τὴν ἑκάστων ἐπιτηδειότητα,*

καὶ τὴν ἴσην κατ' ἀξίαν ἐπὶ πάντα νενεμημένην δόσιν

383. — καὶ κατὰ τὸ πᾶσαν ἰσότητα,

*νοητὴν νοερὰν λογικὴν αἰσθητικὴν οὐσιώδη φυσικὴν θελητήν, ἐξῃρημένως καὶ ἑνιαίως *, ἐν ἑαυτῷ προειληφέναι*

κατὰ τὴν ὑπὲρ πάντα πάσης ἰσότητος ποιητικὴν δύναμιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

835. — Postquam determinavit Dionysius de simili et dissimili, hic determinat de divina statione et sessione et motu; et primo, de statione et sessione; secundo, de motu; ibi [379]: *Quid autem...*

836. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo sessio aut statio attribuatur Deo; secundo, determinat causalitatem divinae stationis aut sessionis; ibi [378]: *Et hoc supersubstantialiter...*

837. — Attribuit autem Deo stationem et sessionem, tripliciter: primo quidem, quantum ad hoc quod Ipse in se existit; et hoc est quod dicit quod *de divina statione* et *sessione*, per quae immobilitas quaedam designatur, nihil *aliud* dicere possumus, *praeter hoc quod Ipse* non stat aut sedet tamquam sustentatus in aliquo altero sicut nos, sed *in seipso manet:* non quidem mobiliter, sicut homo sedet in sede a qua potest removeri, neque secundum aliquam diversitatem sui a se sicut differt homo a loco in quo sedet aut stat, sed secundum immobilem identitatem; neque iterum communi modo, sicut quaelibet res quodammodo est in seipsa, inquantum continetur infra terminos suae naturae, sed *singulariter est* simplex in Seipso. Sic enim sibi ipsi innititur quod a nullo alio dependet et est *fixus et* omnibus *supercollocatus.*

Secundo, attribuit Deo stationem et sessionem, quantum ad operationem; et hoc

est quod dicit, quod Deus *operatur* semper *secundum* eamdem sapientiam, virtutem et bonitatem et huiusmodi; *et circa idem,* quantum ad obiectum suae operationis: quia semper Eius operatio est circa seipsum, inquantum intelligendo et amando Se, omnia operatur; *et eodem modo* secundum modum operationum prout operatur ad operationem: non enim debilitatur aut fortificatur in agendo.

Tertio, attribuit Deo stationem et sessionem per remotionem omnis passionis vel transmutationis ab Ipso; et dicit quod statio aut sessio attribuitur Deo, *et secundum* quod non habet *ex Seipso* aliquam causam suae transmutationis *et secundum quod non potest* ab aliquo exteriori *moveri in contrarium,* sed *totaliter est immobilis.*

838. — Deinde, cum dicit [378]: *Et hoc supersubstantialiter...* agit de causalitate divinae stationis et sessionis; et dicit quod ea quae praedicta sunt, attribuuntur Deo *supersubstantialiter:* quia *Ipse est causa* omnis *stationis* et sessionis quae in rebus creatis invenitur, inquantum *est super omnem* sessionem *et stationem et* omnia stabiliuntur *in Ipso* Deo qui custodit ea, ne commoveantur a statione vel permanentia in propriis bonis.

839. — Deinde, cum dicit [379]: *Quid autem...* determinat de motu divino; et primo, ostendit quomodo motus attribuitur Deo; secundo, quomodo attribuantur Deo differentiae motus; ibi [380]: *Et rectum...*

840. — Dicit ergo primo quod quando sacrae Scripturae doctores *dicunt* Deum, qui est immobilis, moveri *et ad omnia* procedere, *intelligendum est* sicut *decet Deum. Religiose enim* et secundum rectam fidem *aestimandum est* quod Deus moveatur, *non* sicut ea quae ab aliis portantur *aut* quocumque modo per se mutantur vel per *alterationem,* qua aliquid mutatur de qualitate in qualitatem aut secundum *motum modalem* quo aliquid movetur de uno modo manendi in alterum, sicut de minus albo in magis album vel de minori quantitate in maiorem; *aut* secundum motum *localem,* ut rectum vel *circularem* vel obliquum *ex* duobus compositum; neque etiam secundum motum *intelligibilem,* secundum quod intellectus creatus mutatur de una conceptione intelligibili in aliam; neque etiam secundum motum *animalem,* secundum quod animal mut tur de una apprehensione in aliam vel de una affectione in aliam; neque etiam secundum motum *naturalem,* secundum quod aliquid transmutatur de una natura in aliam; *sed* dicitur Deus moveri, inquantum omnia ducit ad hoc quod sint *et* inquantum continet *omnia* in suo esse; et non solum agit ad *substantiam* et in ea continet res, sed inquantum universaliter *omnia* providet, dans rebus et vitam et sapientiam et virtutem et alia huiusmodi et in eis conservat.

841. — Ex istis autem effectibus dicitur Deus moveri, duplici ratione: prima quidem quia Ipse, providendo omnibus, adest *omnibus* quodam *circuitu* qui mensurari non potest, omnia concludendo; cum enim Ipse sit mensura omnium a nullo mensuratur. Sic, dum circa diversa suam praesentiam exhibet, quaedam similitudo motus in Eo apparet: nos enim diversis adesse non possumus, nisi moveamur.

Alia ratione, propter praedictos effectus dicitur moveri, inquantum operationes et processiones donorum, quae ex sua Providentia rebus confert, *ad omnia existentia* perveniunt. Et sic quadam similitudine motus in Deo apparet, dum primo consideratur essentia aut sapientia aut aliquid huiusmodi in Deo sicut in summo rerum vertice et deinde derivatur, quasi per quemdam defluxum, ad alias res. Et non solum theologi motum Deo attribuunt, *sed* et nobis *permittitur* ut decenter laudemus motum *Dei immobilis.*

842. — Deinde, cum dicit [380]: *Et rectum...* ostendit quomodo Deo attribuuntur differentiae motus. Et quia illud quod in recto movetur, movetur uniformiter a quodam principio usque ad finem, dicit quod *rectum* motum *intelligere convenit* in Deo, secundum quod operationes Ipsius procedunt indeclinabiliter et inflexibiliter: Eius enim operatio non curvatur, sed semper in directum procedit, secundum Dei dispositionem.

Possumus *et* per rectum motum intelligere productionem rerum omnium ab *Ipso:* sic enim Eius causalis operatio procedit per omnia media in directum usque ad ultimum.

Obliquus autem motus ex diversis componitur; et sic motus obliquus Deo attribuitur, inquantum in Eius operatione simul intelligitur et processus et statio: processus quidem, quantum ad rerum productionem, statio autem quantum ad invariabilitatem divinae operationis. Sic igitur, quia processus Dei non est sine stabilitate, dicitur processus stabilis; quia vero statio Dei non est sine rerum productione, dicit *statum generativum.*

In motu autem circulari, tria est consi-

derare: primo quidem, quod quodlibet punctum signatum in circulo, est idem et principium et finis. Secundo, quod in ipsa linea circulari est considerare concavum et convexum; et ex parte quidem concavitatis continet alia; ex parte vero convexi contineri ab aliis potest. Tertio, quod id quod circulariter movetur, redit suo circulari motu ad primum a quo incipit moveri.

Sic ergo dicitur *secundum circulum* moveri, inquantum in Se continet omnem *identitatem et* omnia *media et* omnia maxima, in quo tangit proprietatem primam; et inquantum continet *circumdantia* quod pertinet ad rationem concavitatis *et circumdata,* quod pertinet ad rationem convexitatis, in quo tangit secundam proprietatem; et inquantum continet *conversionem ad Ipsum,* sicut ad finem, *eorum quae processerunt ab* Ipso, sicut a Principio, in quo tangit tertiam proprietatem.

843. — Deinde, cum dicit [381]: *Si autem...* determinat de aequalitate: supra enim [355-795; 356-796], de inaequalitate determinaverat prout est effectus iustitiae quae potest inaequalitatem vel excludere vel causare; nunc vero determinat de aequalitate secundum se; et circa hoc tria facit: primo, ostendit qualiter aequalitas Deo attribuitur, sicut cui convenit aequalitas; secundo, qualiter attribuitur Ei, ut causae; ibi [382]: *Et sicut...;* tertio, qualiter attribuitur Ei, ut omnem aequalitatem praehabenti; ibi [383]: *Et secundum hoc...*

844. — Dicit ergo primo [381] quod *si* quis in sacra Scriptura velit in nomine aequalitatis accipere nominationem divinae identitatis *aut* divinae *iustitiae,* poterit hoc convenienter facere: aequalitas enim est unitas quantitatis. Si ergo ista unitas attribuatur Deo secundum seipsum, dicetur Deus esse aequalis ratione unitatis divinae, quae attenditur et secundum Eius simplicitatem, quia non est compositus ex multis et secundum immobilitatem, quia semper eodem modo se habet; et hoc est quod dicit: *dicendum est Deum esse aequalem, ... sicut simplicem et indeclinabilem.*

Si vero consideratur divina unitas per comparationem ad effectus circa quos uniformiter operatur, quantum est ex parte sui, sic aequalitas Ei attribuitur, inquantum procedit diffundendo effectus *ad omnia aequaliter et per omnia: ad omnia* dicit, quantum ad hoc quod omnia recipiunt influentiam divinae operationis; *per omnia* vero dicit, inquantum divina operatio transit per totam rem a principio usque ad finem et iterum inquantum per unam rem transit ad aliam, dum utitur una re tamquam in alia agente.

Sic igitur, unitas simplicitatis et immobilitatis pertinet ad rationem identitatis divinae; unitas autem operationis in effectus pertinet ad rationem iustitiae, et ideo dixerat quod in aequalitate intelligitur Dei nominatio et *eiusdem* et *iustitiae.*

845. — Deinde, cum dicit [382]: *Et sicut...* ostendit quomodo attribuitur aequalitas Deo sicut causae; et dicit quod dicimus Deum esse aequalem *sicut substantificatorem,* idest causam *ipsius per se aequalitatis,* idest ipsius aequalitatis in abstracto consideratae, secundum quam quidem aequalitatem, in rebus causatis Deus res facit aequales dupliciter: primo quidem quantum ad actiones et passiones sive communicationes et receptiones; et hoc est quod dicit quod Deus *secundum* aequalitatem causatam, *aequaliter operatur* in omnibus et similiter | *per omnia illorum invicem ambulationem,* dum scilicet actio divina pertransit in omnia et operatur *aequalem participationem suscipientium,* inquantum scilicet unumquodque passivum suscipit effectum agentis. Sed non intelligenda est similitudo et aequalitas ambulationis et susceptionis praedictae secundum aequalitatem quantitatis, quia una res est magis receptiva quam alia, sed secundum aequalitatem proportionis, quia unumquodque proportionaliter agit aut patitur secundum modum suum; et hoc est quod dicit: *secundum singulorum opportunitatem.*

Alio modo, aequalitas potest considerari in rebus secundum ea quae rebus insunt, sicut formae, quantitates, qualitates et alia huiusmodi; et quantum ad hoc dicit quod Deus operatur *aequalem donationem distributam ad omnia.* Quod iterum non est intelligendum de aequalitate quantitatis, quia non omnia alba habent aequalem albedinem neque omnia magna aequalem magnitudinem, sed est intelligendum de aequalitate proportionis, quia unumquodque habet de donis divinis secundum aequalem proportionem; et hoc est quod dicit: *secundum dignitatem.*

846. — Deinde, cum dicit [383]: *Et secundum...* ostendit quomodo aequalitas attribuitur Deo, secundum quod praehabet omnem aequalitatem; et dicit quod dicimus Deum esse aequalem, *secundum quod praeaccepit in se omnem aequalitatem,* scilicet *intelligibilem* et *intellectualem* quantum ad Angelos, qui dicuntur intelligibiles secundum quod intelliguntur et intellectuales secundum

quod intelligunt; *rationalem* quantum ad homines; *sensibilem*, quantum ad animalia; *substantialem* quantum ad omnia quae quocumque modo sunt; naturalem, quantum ad ea quae naturaliter fiunt; *voluntariam*, quantum ad ea quae fiunt a proposito.

Hanc, inquit, omnem aequalitatem *praeaccepit* Deus et *in seipso*, non ut haberet eo modo quo est in singulis, sed *segregate*, idest singulari modo prae aliis; neque secundum aliquam diversitatem, sicut in creaturis differt aequalitas intelligibilis a rationali, sed *unitive*, idest secundum aliquod unum, scilicet *secundum virtutem*, quae est effectiva omnis aequalitatis, quae etiam est existens *super omnia:* omnes enim effectus praeexistunt virtualiter in sua causa, *secundum* eius *virtutem*.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 379: « eo quod... eo quod adsit » - τὸ... ἄγειν... τὸ παρεῖναι, litt. « producere... continere... providere... adesse ».

* ad n. 380: « obliquum - ἑλικοειδές, « spiraliforme ».

* ad n. 381: « ... in eloquiis Dei nominationem, eiusdem autem iustitiae in aequali... » (edit. T, Ve², ib. 582); « ... si quis divinum eiusdem aut iustitiae nomen, quo scripta divina utuntur, pro aequali accipiat. » (Perionius). Ambrosius, eleganter: « si quis autem vel identitatis in sanctis literis, vel iustitiae divinam appellationem in aequo accipiat ».

Textum vers. legas, quaeso, recte distinguens: « Si autem aliquis, in eloquiis, Dei-nominationem " eiusdem " aut " iustitiae ", in " aequali " sumat » (cfr. 844).

* ad n. 382: « substantificatorem » - ὑποστάτην, « sustentaculum ».

* : « secundum quam *aequaliter operatur* per omnia similem illorum invicem *ambulationem* »; « qua efficit et omnium aliorum per alia similem progressionem et eorum... » (Perionius). Ambrosius vertit: « per quam *ut* universa per se invicem similiter permeent... *aeque operatur* », aliquali libertate usus, nam permeatio fit *per* (διά) non *ut* (ἵνα). Inde in *expositione* (845): « aequaliter operatur in omnibus *et similiter omnia se invicem perambulant*, dum scilicet... » manifeste confusa apparent, omnino contra *expositionis* characterem. Forsan, legendum: « ... et similiter, *per omnia illorum invicem, ambulationem* » sicut in textu *vers.* n. 382, excepta expositione « operatur et *similiter... ambulationem* »: iuxta textum graecum: « ἰσουργεῖ (similiter operatur) δι'ἀλλήλων ἁπάντων (per omnia illorum invicem) ὁμοίαν (*lit.* similem; *expos.* similiter) χώρησιν (ambulationem).

Audacter, rursus, dices; consentio et si inepte corrigas, quomodo autem vere leg. in codicibus invenies, unde et textum exposit. singulari signo distinguo.

* ad n. 383: « unitive » - ἑνιαίως, « unite ».

2ª GLOSSAE MARGINALES:

a) Quoad « statum » (377-378), in memoriam revocanda sunt quae leguntur in « Revelatione Magna » apud Hippolytum (*Refut.* VI, 18): « in hoc autem Pater *qui sustinet omnia* et alit quae principium et finem habent. Hic est *qui stat, stetit, stabit*, potestas mas simul et femina secundum eam quae antea extitit potestatem infinitam ».

Alia notio Dei habetur apud Numenium: « *Deum primum prorsus abstinere a rebus gerendis* et regem esse universi; *opificem vero deum per coelum permeantem* cuncta moderari » (cfr. Euseb., *Praep. Evang.* XI, 18, 8; edit. Dindorf II, 39).

b) Quoad « motum » (379-380), recolas quae habet Philo, *de Confusione linguarum* (edit. Francofurti, 339 C - 340 B) et quae supra notata sunt de « Zervan Akarana » (pag. 125). Communissima notio platonica (*Leges* IV, 7; 716 A) quae rectitudinem divinae Providentiae in regimine universi designat (Atticus apud Euseb., *Praep. Evang.* XV, 5, 2; edit. Dindorf II, 348) ad actionem creatricem transfertur quia « recta linea (est) generationis » iuxta astrosophiam theurgicam.

c) Quoad « aequalitatem » (381-383), notatu digna quae de aequalitate in mundo (382) exponuntur. Nam iuxta Epiphanem (pag. 293) « iustitia Dei est quaedam communio *cum aequalitate* ». Ne igitur ex mala notione iustitiae ordo subvertatur, postquam Dionysius determinavit de divina iustitia (344; 349-350) quaedam tangit de aequalitate, ubi attente considerare velis quam diligenter tum Dionysius (382) tum eius expositor (845) huius genuinam notionem tradant: *intelligendum est* hic non agi de *aequalitate quantitatis*, nam tali modo homo in materia figitur, sed de *aequalitate proportionis*, qua « ordo » constituitur et servatur.

CAPUT DECIMUM

De Omnipotente; Vetere dierum; in quo et de Aevo et de Tempore.

LECTIO I (53ª)

Quomodo Deus dicitur Omnipotens.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. X; textus nn. 384-387; expositio nn. 847-858).

Exponit quaedam nomina quae dicuntur de Deo, secundum rationem universalis principii esse et durationis rerum (847)

A) determinat de Omnipotente (Lectio 1ª):
  1° - dicit de quo est intentio (384; 849)
  2° - ponit quomodo Deus dicatur omnipotens:
    a) assignat rationem omnipotentiae (385; 851-852),
    b) exponit quaedam quae dixerat:
      α) quomodo Deus dicatur continens (386; 854)
      β) quomodo dicatur omnitenens (387; 855-858)

B) determinat de Antiquo dierum (Lectio 2ª),

C) determinat de Aevo et Tempore (Lectio 3ª).

TEXTUS DIONYSII

C. X. § 1. 384. — « Vide autem verbo multorum-nominum Deum, sicut omnipotentem, sicut veterem dierum laudare.

385. — Hoc enim dicitur quidem propter hoc quod omnium Ipse est omnipotens sessio *, continens et circumhabens * tota et collocans et fundans et circumstringens et firmum in seipso omne * perficiens et ex seipso tota, quemadmodum ex radice omnitenente, producens et ad seipsum omnia, quemadmodum et plantationem * omnitenentem, convertens;

C. X. § *1. 384.* — [*936* D] *Ὥρα δὴ τῷ λόγῳ τὸν πολυώνυμον θεὸν ὡς παντοκράτορα καὶ ὡς « παλαιὸν ἡμερῶν »*[1] *ὑμνῆσαι·*

*385. — τὸ μὲν γὰρ λέγεται διὰ τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι παντοκρατορικὴν ἕδραν * συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν τὰ ὅλα καὶ ἐνιδρύουσαν καὶ θεμελιοῦσαν καὶ περισφίγγουσαν καὶ ἀρραγὲς ἐν ἑαυτῇ τὸ πᾶν * ἀποτελοῦσαν καὶ ἐξ ἑαυτῆς τὰ ὅλα καθάπερ ἐκ ῥίζης παντοκρατορικῆς προάγουσαν καὶ εἰς ἑαυτὴν τὰ [*937* A] πάντα καθάπερ εἰς πυθμένα * παντοκρατορικὸν ἐπιστρέφουσαν*

[1]) DAN. 7, 9.

386. — Et continens ipsa, sicut omnium sessio * omnitenens, contenta omnia secundum unam excedentem omnia continentiam firmans et non dimittens ipsa decidentia a seipsa, sicut ex essentia * perfecta mota destrui.

387. — Dicitur autem omnitenens Thearchia et sicut omnia tenens et immixte gubernatis principans * et sicut omnibus desiderabilis et interminabilis * existens et supermittens omnibus voluntarias leges et dulces partus divini et omnipotentis et indissolubilis amoris ipsius bonitatis ».

*386. — καὶ συνέχουσαν αὐτὰ ὡς πάντων ἕδραν * παγκρατῆ τὰ συνεχόμενα πάντα κατὰ μίαν ὑπερέχουσαν πάντα συνοχὴν ἀσφαλιζομένην καὶ οὐκ ἐῶσαν αὐτὰ διεκπεσόντα ἑαυτῆς ὡς ἐκ παντελοῦς ἑστίας * κινούμενα παραπολέσθαι.*

*387. — Λέγεται δὲ παντοκράτωρ ἡ θεαρχία καὶ ὡς πάντων κρατοῦσα καὶ ἀμιγῶς τοῖς διοικουμένοις ἐπαρκοῦσα * καὶ ὡς πᾶσιν ἐφετὴ καὶ ἐπέραστος * οὖσα καὶ ἐπιβάλλουσα πᾶσι τοὺς ἐθελουσίους ζυγοὺς καὶ τὰς γλυκείας ὠδίνας τοῦ θείου καὶ παντοκρατορικοῦ καὶ ἀλύτου τῆς ἀγαθότητος αὐτῆς ἔρωτος.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

847. — Postquam Dionysius exposuit divina nomina quae signant perfectiones rebus inhaerentes vel absolute vel secundum comparationem unius ad alterum, hic exponit quaedam nomina quae dicuntur de Deo, secundum rationem universalis principii esse et durationis rerum. Dicitur enim Deus omnipotens, inquantum est universale principium omnis esse rerum; antiquus vero dierum dicitur, inquantum est principium omnis durationis. Et quia nomina durationis sunt aevum et tempus, ex consequenti determinatur de aevo et tempore. Et haec tanguntur manifeste in titulo qui talis est: *De omnipotente, vetere dierum; in quo et de aevo et de tempore.*

848. — Dividitur autem hoc capitulum in tres partes: in prima, determinat de Omnipotente [lectio 1ª]; in secunda de Antiquo dierum; ibi [388]: Dierum autem antiquum [lectio 2ª]; in tertia, de aevo et de tempore; ibi [392]: Oportet autem [lectio 3ª].

849. — Circa primum, duo facit: primo [384], dicit de quo est intentio; et dicit quod Deus, qui est *multorum-nominum, verbo* sacrae Scripturae laudatur et *sicut* omnipotens secundum illud Genes. 17 [1]: « *Ego Deus omnipotens; ambula coram me et esto perfectus* »; et *sicut* Vetus *dierum*, secundum illud Daniel. 7 [9]: « *Antiquus dierum sedit* ».

850. — Secundo, ibi [385]: *Hoc enim...* ponit quomodo Deus dicatur omnipotens; et circa hoc, duo facit: primo, assignat rationem omnipotentiae; secundo, exponit quaedam quae dixerat; ibi [386]: *Et continens...*

851. — Rationem autem omnipotentiae ostendit secundum quatuor in quibus ratio potentiae consideratur: primo quidem, secundum ambitum: dicitur enim esse magna potentia, sive in naturalibus sive in rebus humanis, quae multa sub se continet; et hoc est quod dicit, quod dicitur Deus omnipotens, propter hoc quod *Ipse est* quaedam *omnipotens sessio*, quadam stabilitate *continens tota*, idest omnia inquantum omnia Eius potestati subduntur *et circumhabens*, inquantum omnia Eius providentiae subsunt.

Secundo vero, quantum ad firmitatem: dicitur enim magna potentia quae et in se est immobilis et alia immobiliter tenere potest; et quantum ad hoc dicit: *et collocans et fundans et circumstringens et firmum in seipso omne perficiens;* et tangit quatuor modos, quibus aliquid firmatur: firmatur enim aliquid, inquantum est in suo loco naturali, unde omnia corpora naturalia in suis locis quiescunt; et quantum ad hoc dicit: *et collocans;* aliqua vero firmantur super aliquod quod eis substat, sicut parieti substat fundamentum et columnae basis; et quantum ad hoc dicit: *et fundans;* quaedam vero firmantur per aliquod ligamentum, sicut patet in doliis, quae circulis firmantur; et quantum ad hoc dicit: *et circumstringens*. Et hi tres modi firmitatis pertinent ad hoc quod una res firmatur per aliam: potest enim locatio ad hoc pertinere in universo quod creaturae inferiores firmantur quodammodo per superiores quae sunt loca inferiorum, sicut corpora coelestia inferiorum corporum; fundatio vero ad hoc quod formae fundantur in materiis et accidentia in subiectis; circumstrictio vero ad hoc quod elementa firmantur in mixto, et, universaliter, omnes partes in toto. Quartus autem modus firmitatis est, secundum quod unaquaeque res habet firmitatem in sua natura; et hoc est quod dicit: *et firmum in* se *omne perficiens;* vel potest aliter dici quod collocat et fundat et constringit, firmans omnia divina sessio in seipsa, quasi diceret: Ipse Deus est et locus et fundamentum et vinculum connectens omnia.

852. — Tertio vero ostendit rationem omnipotentiae secundum productionem: dicitur enim magna potentia quae multa producere potest, sicut virtuosa radix dicitur quae multa producit germina; et quantum ad hoc dicit quod divina sessio producit ex sui virtute omnia, sicut *ex* quadam *radice* omnipotente.

Quarto, manifestat rationem omnipotentiae, secundum rationem attractionis: dicitur enim magna potentia, quae ad se aliqua attrahere vel convertere potest et quantum ad hoc dicit quod convertit *ad* se *omnia*, sicut ad quamdam *plantationem omnitenentem:* in Ipso enim omnia plantantur, sicut in primo principio.

853. — Deinde cum dicit [386]: *Et continens...* ostendit quaedam quae dixerat: et primo, quomodo Deitas dicatur continens; secundo, quomodo dicatur omnitenens; ibi [387]: *Dicitur autem...*

854. — Dicit ergo primo quod Divinitas dicitur *continens*, inquantum ipsa est *sessio*, idest firmitas vel immobilitas omnium; quae omnia sub se existentia firmat, non sicut aliquod principium quod sit de essentia rerum, quod diversificatur in diversis, sed secundum unam communem continentiam, quae excedit omnia; et intantum est fortis ista continentia quod non solum dat firmitatem rebus sub se contentis, sed etiam non permittit eas omnino destrui et in nihilum redigi ea quae decidunt ab ipso Deo. Et dicuntur a Deo decidere, qui est perfecta essentia, quaecumque removentur a sua perfectione: nec ipsa enim in nihilum rediguntur.

855. — Deinde, cum dicit [387]: *Dicitur autem...* ostendit quomodo Deitas dicitur omnitenens; et dicit quod Divinitas dicitur *omnitenens*, inquantum omnia tenet eo modo quo ille qui principatur aliquibus, dicitur eos tenere: nam et possessionem dicitur aliquis tenere, quae eius curae subest; si autem aliquis aliquibus principetur, tamquam unus de numero eorum existens, tenet quidem eos inquantum est principans, sed et tenetur ab eis, inquantum eis permiscetur et sub eorum ordine includitur. Deus autem sic omnia tenet quod a nullo tenetur; et hoc est quod dicit: *immixte gubernatis principans.*

856. — Contingit autem aliquem aliquibus principari, dupliciter: uno modo, per modum timoris et iste modus principandi non est efficax ad subditos tenendum: qui enim contra propriam voluntatem subduntur, qui timore serviunt, data opportunitate, servitutis iugum excutiunt.

Alio modo, per modum amoris et hic modus principandi est efficax ad tenendum subiectos qui voluntarie subduntur; et hunc modum principandi Deo attribuit, cum dicit: *et sicut omnibus desiderabilis*, omnia enim Ipsum desiderant, ut pluries dictum est.

857. — Contingit autem aliquod particulare bonum, licet desideretur, non efficaciter tenere desiderantem quia cum sit terminatum et finitum non habet in se omnia quae desiderari possunt et ideo qui ipsum desiderat propter aliquam bonitatem in eo inventam non totaliter in eo quiescit, sed in aliud transit in quo bonitatem inveniat, quae ei deest. Sed Deus est sic desiderabilis quod est omnino *interminabilis*, unde ex necessitate tenet omnem desiderantem, dum in quolibet desiderato obiecto Ipse desideratur; nihil enim est desiderabile, nisi inquantum habet aliquam participationem Summi Boni.

Posset autem iterum contingere quod aliquis principans, in persona sua desiderabilis esset, sed leges graves subditis daret, quas ipse non teneret et ideo subiecti non efficaciter sub ipso tenerentur. Sed hoc a Deo excludens, subdit quod *omnibus* supermittit *voluntarias leges:* lex enim Dei est cuilibet creaturae infixa naturalis inclinatio ipsius ad agendum id quod convenit ei secundum naturam; et ideo, sicut omnia tenentur a desiderio divino, ita tenentur a legibus Eius, secundum illud Psalmi 148 [6]: « *Praeceptum posuit et non praeteribit* » super aliqua creatura. Et propter hoc etiam dicitur Sap. 8 [1] de divina Sapientia, quod suaviter omnia disponit. Unde quod omnibus leges divinitus infixae, sunt voluntariae, ostenditur per id quod subditur: *et dulces partus divini et omnipotentis et indissolubilis amoris ipsius bonitatis.*

858. — Ubi considerandum est quod ex amore et desiderio finis, exoritur desiderium eius quod est ad finem adaptatum. Ultimus autem omnium finis est bonitas divina, ad quam sicut ad finem ordinantur omnes praevii et particulares fines in quos res naturaliter inclinantur.

Sic igitur ipsae naturales inclinationes rerum in proprios fines, quas dicimus esse naturales leges, sunt quidam *partus*, idest effectus, *dulces*, idest consoni naturali appetitui, effectus dico vel *partus amoris* quo divina bonitas amatur; qui quidem amor est divinus et omnia tenens et insolubilis: sive

hoc intelligatur de amore quo ipse Deus amat suam bonitatem, per quam omnia tenet et insolubilis est quia ex necessitate se amat; sive dicatur divinus amor qui est divinitus omnibus rebus inditus, per quem omnia tenentur a Deo et qui solvi non potest, quia omnia ex necessitate Deum amant, saltem in Eius effectibus.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 385: « continens et *circumiens* tota » (T); « et *circumveniens* (Ve², ib. 588 in textu *vers.* et 590 in *expositione*). In textu legitur: « *συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν* » h. e. « quae omnia et continet et complectitur » (Perionius), unde corr. in textu *vers.* et *exposit.* (851): « ... *et circumhabens* ».

* : « sessio » - *ἕδραν*, « sedem » (Cordier).

* : « in seipso, omne » - *τὸ πᾶν*, « universum ».

* : « et plantationem » - *εἰς πυθμένα*, « ad fundum » (Cordier).

* ad n. 386: « sessio » - *ἕδραν*, « sedem ».

* : « sicut ex essentia » - *ὡς ἐκ παντελοῦς ἑστίας κινούμενα*, legit *οὐσίας* loco *ἑστίας*, sicut alibi (26, pag. 33; 100, pag. 91; 327, pag. 278), aliter. Sensus est: « tamquam exactissimo domicilio mota » (Ambrosius); eleganter M. de Gandillac: « ... et de se perdre, *en quittant cette parfaite residence* ».

* ad n. 387: « principans » - *ἐπάρχουσα*, al. codd. *ἐπαρκοῦσα* « *providens* » vel « *subveniens* »; ita leg. « syntaxis et sensus exigunt » (Turturro): *ἐπάρχουσα* construitur cum gen. et hic habetur dativus.

* : « et interminabilis » (leg. *ἀπέραντος*), textus: *ἐπέραστος* (sic legit et Pachymeres: 944 B) « amabilis ».

2ª GLOSSA MARGINALIS.

Notio illa divinae omnipotentiae (385) pulchre a Pachymere exponitur de Deo tamquam causa efficiente rerum omnium: « ex quo velut *e radice efficienti* omnia producuntur et ad quem velut *ad fundum efficientem* et providum convertuntur » (944 A). Quae placent Plotino et quadam poëtica inspiratione adflata leguntur *En.* III, 8, 9 in synthesi christiana collocantur et harmonice interpretantur, absque periculo sive emanatismi per principium virtualitatis sive theopanismi per constitutionem perfectionum metaphysicalium in ipsis rebus.

Quaedam occurrunt ex *Theologia aegyptiana-platonizante* apud Iamblichum *de Mysteriis Aegypt.* VIII, 2, in qua Deus vocatur « *πυθμὴν τῶν νοουμένων πρώτων εἰδῶν ὄντων* » « *fundus* intellectarum primarum specierum entium »: inde eruitur, ni fallor, profundior notio Dei non tantum in linea causalitatis efficientis (Pachymeres: *εἰς πυθμένα ποιητικόν*), sed et causalitatis formalis-extrinsecae h. e. *exemplaris*. Hac ratione motus, *ὑποστάτης* vel *ὑποστάτις* per « sustentaculum », verto, ut passim notatur (cfr. pag. 349).

LECTIO II (54ª)

Quare Deus dicatur Antiquus dierum.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. X; textus nn. 388-391; expositio nn. 859-864).

Determinat de Antiquo dierum

A) ostendit quare Deus dicatur Antiquus dierum (388; 860)

B) exponit assignatas rationes:
   1° - prima (389; 862)
   2° - secunda (390; 863)

C) manifestat quod dixerat per auctoritatem Scripturae (391; 864).

TEXTUS DIONYSII

§ 2. 388. — « Dierum autem antiquus ladatur Deus propter hoc quod omnium Ipse est et aevum et tempus et ante dies et ante aevum et tempora.

389. — Et quidem et tempus et diem et quartam partem anni * et aevum, ut decet Deum, Ipsum dicere convenit, sicut existentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem et in hoc quod semper movetur manentem in Seipso,

390. — Et sicut aevi et temporis et dierum causam.

391. — Propter quod in sanctis mysticarum Dei-visionum apparitionibus * et canus et novus componitur;
seniore * quidem signante antiquum et a principio existentem;
iuniore autem sine senectute:
aut ambobus docentibus Ipsum a principio usque ad finem per omnia procedere
aut, sicut divinus noster sanctitatis perfector dicit, divinam principalitatem * utroque monstrante:
seniore quidem primum in tempore,
iuniore autem secundum numerum principalius * habente;
quoniam unitas et ea quae sunt circa unitatem, sunt principaliora numeris qui multum processerunt * ».

§ 2. 388. — Ἡμερῶν δὲ παλαιὸς ὁ θεὸς ὑμνεῖται διὰ τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι καὶ αἰῶνα καὶ χρόνον καὶ πρὸ ἡμερῶν καὶ πρὸ αἰῶνος καὶ χρόνου.

*389. — Καίτοι καὶ χρόνον καὶ ἡμέραν καὶ καιρὸν * καὶ αἰῶνα θεοπρεπῶς αὐτὸν προσρητέον ὡς ὄντα κατὰ πᾶσαν κίνησιν ἀμετάβλητον καὶ ἀκίνητον καὶ ἐν τῷ ἀεὶ κινεῖσθαι μένοντα ἐφ' ἑαυτοῦ,*

390. — καὶ ὡς αἰῶνος καὶ χρόνου καὶ ἡμερῶν αἴτιον.

*391. — Διὸ καὶ ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν μυστικῶν ὁράσεων θεοφανείαις * καὶ πολιὸς καὶ νέος πλάττεται·*
*τοῦ μὲν προτέρου * τὸν ἀρχαῖον καὶ ὄντα ἀπ' ἀρχῆς·*
τοῦ νεωτέρου δὲ τὸν ἀγήρω σημαίνοντος·
ἢ ἀμφοῖν τὸ ἐξ ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τέλους αὐτὸν προϊέναι διδασκόντων·
*ἢ — ὡς θεῖος ἡμῶν ἱεροτελεστὴς φησι — τοῦ ἑκατέρου τὴν ἀρχαιότητα * τὴν θείαν ὑποδηλοῦντος·*
τοῦ μὲν πρεσβυτέρου τὸ πρῶτον ἐν χρόνῳ,
τοῦ νεωτέρου δὲ τὸ κατ' ἀριθμὸν ἀρχαιότε-[C]*ρον * ἔχοντος·*
*ἐπείπερ ἡ μονὰς καὶ τὰ περὶ μονάδα τῶν ἐπὶ πολὺ προεληλυθότων * ἀριθμῶν ἀρχηγικώτερα.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

859. — Postquam Dionysius determinavit de Omnipotente, hic determinat de Antiquo dierum; et circa hoc tria facit: primo, ostendit quare Deus dicatur antiquus dierum; secundo, exponit assignatam rationem; ibi [389]: *Et quidem...;* tertio, manifestat quid dixerat per auctoritatem Scripturae; ibi [391]: *Propter quod...*

860. — Est autem considerandum quod apud nos dicitur aliquid antiquum duplici ratione: primo quidem quia habet multum temporis; secundo autem quia praecedit in tempore ea quae sunt iuniora. Antiquum autem dicitur quod est in praeterito, remotum a praesenti; et hoc est tempore prius. Sic ergo duplici ratione dicitur Deus antiquus dierum: primo, quia *Ipse* praehabet *omnium* durationem et aevi et temporis ut per aevum intelligatur duratio quae mensurat ipsum esse; per tempus autem duratio quae mensurat ipsum fieri vel moveri; secundo, quia Ipse est *ante* omnes *dies et ante aevum et* ante *tempora.*

861. — Deinde, cum dicit [389]: *Et quidem...* exponit assignatas rationes, et primo, primam; secundo, secundam; ibi [390]: *Et sicut...*

862. — Dicit ergo primo [389] quod cum dicimus Deum esse *tempus* vel aliquam partem temporis, ut puta *diem et quartam partem anni et* cum dicimus *Ipsum* esse *aevum,* oportet hoc intelligere eo modo quo Deo *convenit,* non quidem ita quod Deus sit aliquid cuius esse sit aliquid successivum et divisibile aut alteri adiacens, sed dicitur aevum, quod est mensura permanentis, inquantum Ipse est intransmutabilis *secundum omnem motum,* quia scilicet nullo alio motu movetur.

Dicitur autem tempus, quod est numerus motus, ex hoc quod ipse Deus semper movetur eo modo quo supra in cap. 9° [379-380; 840-842] de motu dictum est. Non tamen sic movetur quod in motu Eius sit aliqua successio, qualis est in motu qui numeratur per tempus, sed Ipse Deus *semper* est permanens *in Seipso.*

863. — Deinde, cum dicit [390]: *Et sicut...* exponit secundam rationem: dicitur enim esse ante dies et aevum et tempora, non per modum praeteritionis, sicut ea quae dicuntur antiqua apud nos, sed per modum quo causa prior est effectus: Ipse enim est causa *et aevi et temporis et dierum.*

864. — Deinde, cum dicit [391]: *Propter quod...* adducit ad praemissorum manifestationem, auctoritates Scripturae; et dicit quod, propter praemissa, *in apparitionibus* occultarum *Dei-visionum,* Deus describitur tamquam *novus* et tamquam *canus:* novus quidem, secundum illud Esai. 62, [2]: « *vocabitur tibi nomen novum* »; canus autem, secundum illud Psalm. 70 [8]: « *et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me* »; et illud Esai. 46, [4]: « *usque ad senectam* ego *ipse* et *usque* ad *canos ego portabo* ».

Per hoc autem quod dicitur canus vel senior, significatur antiquitas Eius: quod scilicet *a principio* aeternitatis Ipse semper existit; per hoc autem quod dicitur novus vel iunior, significatur quod Ipse est antiquus *sine senectute,* idest sine aliqua deficientia vel etiam praeteritione quia, sicut supra dictum est [379, 840] movetur, immobilis manens in seipso.

Vel: quia senectus et antiquitas ad principium pertinere videtur propter sui prioritatem iuventus vero ad finem propter sui posterioritatem, per hoc quod ambo Deo attribuuntur, docemur quod Ipse | procedit *per omnia a principio usque ad finem.*

Tertiam expositionem ponit secundum Hierothei sententiam, quem nominat suum perfectorem, idest magistrum in rebus divinis, qui dixit quod per utrumque istorum praemissorum demonstratur prioritas ipsius Dei et quod Ipse est principium: per hoc enim quod dicitur senior demonstratur prioritas Eius *in tempore;* ea enim dicimus seniora quae sunt tempore priora. Sed per hoc quod dicitur iunior, designatur prioritas vel principalitas quae est *secundum* rationem numeri: iunior enim dicitur qui minus processit in tempore. Quanto autem in numeris aliquid minus procedit, tanto prius est: *unitas* enim et numeri propinqui unitati, sunt priores his *qui multum processerunt.*

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 389: « et quartam partem anni » - *καιρόν,* « saison » (M. de Gandillac).
* ad n. 391 : « Dei-visionum apparitionibus » - *ὁράσεων θεοφανείαις,* « visionum *theophaniis* » vel « Dei-apparitionibus ».
* : « seniore » - *πρεσβυτέρου,* al. codd. *προτέρου,* « *priore* ».
* : « divinam principalitatem » - *ἀρχαιότητα,* « *antiquitatem* ».
* : « secundum numerum principalius - *τὸ κατ'ἀριθμὸν ἀρχαιότερον,* « quod secundum numerum *antiquius* est ».
* : « multum processerunt » - *ἐπὶ πολὺ προεληλυθότων,* « qui progressent vers le multiple » (M. de Gandillac).

2ª GLOSSA MARGINALIS:

De notione Dei et Zervan Akarana vel aeone, cfr. quae supra (pag. 64-65; 125; 239) notata sunt.

LECTIO III (55a)

De Aevo et Tempore.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. X; textus nn. 392-398; expositio nn. 865-875).

Determinat de aevo et tempore
A) dicit de quo est intentio (392; **866**)
B) exequitur propositum:
1° - exponit significationem aevi et temporis:
a) ostendit quot modis dicitur aevum (393; **869**)
b) quid proprie sit aevum et tempus:
j° - ostendit quid proprie sit aevum (394; **871**),
ij° - quid proprie sit tempus (395; **872**),
iij° - probat per auctoritates Scripturae (396; **873**),
c) ostendit quomodo in sacra Scriptura unum ponatur pro alio (397; **874**).
2° - ostendit quomodo aevum et tempus rebus conveniant (398; **875**).

TEXTUS DIONYSII

§ 3. 392. — « Oportet autem, sicut arbitror, et temporis et aevi naturam, ex eloquiis videre.

393. — Etenim non omnino et absolute ingenita * et vere aeterna ubique dicit aeterna, sed et incorruptibilia et immortalia et invariabilia et existentia eodem modo,

sicut quando dicit: " *Elevamini portae aeternales* " et similia. Multoties autem et antiquissima, aevi nominatione figurat et totam rursus temporis appositionem secundum nos, quando * aevum appellat

394. — Secundum quod et proprietas aevi est antiquum et invariabile et totum secundum totum * metiri.

395. — Tempus autem vocant quod in generatione et corruptione et variatione et aliquando aliter se habet.

396. — Propter quod et nos hic secundum tempus terminatos, aevo participaturos Theologia dicit quando incorruptibile et semper eodem modo habens aevum consequemur.

397. — Est autem quando in eloquiis et temporale aevum glorificatur et aeternum tempus, quamvis * scimus ipsis magis et magis proprie existentia aevo et ea quae sunt in generatione, tempore et dicta et monstrata *.

§ 3. 392. — Χρὴ δέ, ὡς οἶμαι, καὶ χρόνου καὶ αἰῶνος φύσιν ἐκ τῶν λογίων εἰδέναι·

*393. — καὶ γὰρ οὐ τὰ πάντα καὶ ἀπολύτως ἀγένητα * καὶ ὄντως ἀΐδια πανταχοῦ φησιν αἰώνια καὶ τὰ ἄφθαρτα τε καὶ ἀθάνατα καὶ ἀναλλοίωτα καὶ ὄντα ὡσαύτως·*

*ὡς ὅταν λέγῃ τὸ « ἐπάρθητε πύλαι αἰώνιοι »[1] καὶ τὰ ὅμοια· πολλάκις δὲ καὶ τὰ ἀρχαιότατα τῇ τοῦ αἰῶνος ἐπωνυμίᾳ χαρακτηρίζει καὶ τὴν ὅλην δὲ αὖθις ἐσθ' ὅτε * τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου παράτασιν αἰῶνα προσαγορεύει*

*394. — καθ' ὅσον καὶ ἰδιότης αἰῶνός ἐστι τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀναλλοίωτον καὶ τὸ καθόλου τὸ εἶναι * μετρεῖν.*

395. — Χρόνον δὲ [D] *καλεῖ τὸν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ καὶ ἀλλοιώσει καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα·*

396. — διὸ καὶ ἡμᾶς ἐνθάδε κατὰ χρόνον ὁριζομένους αἰῶνος μεθέξειν ἡ θεολογία φησὶν ἡνίκα τοῦ ἀφθάρτου καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντος αἰῶνος ἐφικώμεθα.

*397. — Τοῖς λογίοις δὲ ἐσθ' ὅτε καὶ ἔγχρονος αἰὼν δοξάζεται καὶ αἰώνιος χρόνος[2]· εἰ * καὶ μᾶλλον ἴσμεν αὐτοῖς καὶ κυριώτερον τὰ ὄντα τῷ* [940 A] *αἰῶνι καὶ τὰ ἐν γενέσει τῷ χρόνῳ καὶ λεγόμενα καὶ δηλούμενα *.*

[1] *Psal.* 23, 7.
[2] *Rom.* 16, 25; II *Tim.* 1, 9; *Psal.* 76, 6.

398. — Oportet autem non simpliciter coaeterna Deo qui est ante aevum, arbitrari aeterna dicta.

Sequentes autem venerandissima eloquia, inconversibiliter aeterna quidem et sine tempore secundum cognitos sibi subaudire modos;

media autem existentium et factorum, quaecumque secundum aliquid quidem aevo, secundum aliquid vero tempore participant.

Deum autem et sicut aevum et sicut tempus laudare convenit, sicut temporis omnis et aevi causam

et Antiquum dierum, sicut ante tempus et super tempus et variantem quatuor partes anni et tempora;

et rursus ante saecula existentem, inquantum ante aevum est *

et " *regnum* " Ipsius " *regnum omnium saeculorum* ". Amen ».

398. — Χρὴ τοιγαροῦν οὐχ ἁπλῶς συναΐδια θεῷ τῷ πρὸ αἰῶνος οἴεσθαι τὰ αἰώνια λεγόμενα·

τοῖς σεπτοτάτοις δὲ λογίοις ἀπαρατρέπτως συνεπομένους αἰώνια μὲν καὶ ἔγχρονα κατὰ τοὺς συνεγνωσμένους αὐτοῖς προσυπακούειν τρόπους,

μέσα δὲ ὄντων καὶ γιγνομένων ὅσα πῇ μὲν αἰῶνος πῇ δὲ χρόνου μετέχει.

Τὸν δὲ θεὸν καὶ ὡς αἰῶνα καὶ ὡς χρόνον ὑμνεῖν ὡς χρόνου παντὸς καὶ αἰῶνος αἴτιον·

*καὶ παλαιὸν ἡμερῶν ὡς πρὸ χρόνου καὶ ὑπὲρ χρόνον καὶ ἀλλοιοῦντα καιροὺς * καὶ χρόνους[1]·*

*καὶ αὖθις πρὸ αἰώνων ὑπάρχοντα καθ' ὅσον καὶ πρὸ αἰῶνός ἐστι * καὶ ὑπὲρ αἰῶνα,*

καὶ « ἡ βασιλεία » αὐτοῦ « βασιλεία πάντων αἰώνων »[2]. ἀμήν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

865. — Postquam Dionysius determinavit de Antiquo dierum, hic determinat de aevo et tempore; et primo dicit de quo est intentio; secundo, exequitur propositum; ibi [393]: *Etenim...*

866. — Dicit ergo primo [392] quod necessarium est considerare ex sacris Scripturis *naturam temporis et aevi;* ubi considerenpum est quod aevum hic pro aeterno accipit.

867. — Deinde, cum dicit [393]: *Etenim...* determinat naturam aevi et temporis; et circa hoc, duo facit: primo, exponit significationem aevi et temporis; secundo, quomodo aevum et tempus rebus conveniant; ibi [398]: *Oportet...*

868. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quot modis dicitur aevum; secundo, quid proprie sit aevum et tempus; ibi [394]: *Secundum quod...;* tertio, ostendit quomodo unumquodque ponatur pro alio; ibi [397]: *Est autem...*

869. — Ponit ergo primo quatuor acceptiones aevi sive aeterni: primo enim *vere* et proprie dicuntur *aeterna* ea quae sunt *ingenita,* idest quae non habent causam, ut ea quae de Deo dicuntur. Non tamen Scriptura *ubique* accipit sic aeternum, *sed* aliquando ea quae sunt *incorruptibilia,* quia numquam esse desinunt; *et immortalia,* quia numquam desinunt vivere; *et invariabilia,* quia non variantur de forma in formam vel de quantitate in quantitatem; *et* semper *existentia eodem modo,* quae semper in eadem habitudine se habent, sicut Angeli, de quibus in Psalm. 23 [7] dicitur: « *Elevamini portae aeternales* »; et illud Psalm. 75 [5]: « *illuminans Tu mirabiliter a montibus aeternis* » et alia huiusmodi.

Tertio modo, signantur nomine aevi vel aeterni, omnia quae sunt *antiquissima,* licet sint corruptibilia, sicut est illud Deuteronomii 33 [15]: « *de pomis collium aeternorum* ». Quarto modo, tota congeries nostri temporis appellatur *aevum* vel aeternum, ut est illud Rom. 16 [25]: « *secundum revelationem mysterii, temporibus aeternis taciti* ».

870. — Deinde, cum dicit [394]: *Secundum quod...* ostendit quid proprie dicatur aevum et tempus; et circa hoc, tria facit: primo, ostendit quid proprie sit aevum; secundo, quid proprie sit tempus; ibi [395]: *Tempus...*; tertio, probat per auctoritates Scripturae; ibi [396]: *Propter quod...*

871. — Dicit ergo primo quod omnia praemissa signantur nomine aevi, secundum quod aliquid participant de proprietate aevi: nam proprie aevum est quod est *antiquum,* idest non de novo incepit esse; *et* quod est *invariabile,* quia non est mensura motus, sed ipsius esse intransmutabilis; *et* quod *totum secundum totum* metitur, per quod differt a tempore: totum enim tempus non mensurat totum secundum se totum, sed secundum diversas sui partes mensurat diversas partes motus: est enim tempus numerus motus secundum prius et posterius. Sed quia esse,

[1] DAN. 2, 21.
[2] *Psal.* 144, 13.

quod mensurat aeternitas, non habet prius et posterius cum sit manens et invariabile, et ipsa aeternitas est simplex non habens prius et posterius et sic quidquid mensurat, secundum se totam mensurat.

872. — Deinde, cum dicit [395]: *Tempus...* ostendit quid proprie sit tempus; et dicit quod proprie tempus dicitur quod secundum se est mensura generationis et corruptionis et cuiuslibet variationis et omnis diversae habitudinis.

873. — Deinde, cum dicit [396]: *Propter quod...* confirmat dictam differentiam temporis et aeternitatis per auctoritatem Scripturae quae *dicit* nos in hac vita transmutabili esse contentos sub tempore et quod tunc participabimus aeternitate, quando *consequemur* vitam incorruptibilem et *semper eodem modo* se habentem, prout dicitur Matth. 25 [46] quod « *ibunt iusti in vitam aeternam* »; et Apostolus dicit II ad Corinthios 4 [18]: « *quae videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna* ».

874. — Deinde, cum dicit [397]: *Est autem...* ostendit quomodo in sacra Scriptura unum ponitur pro altero; et dicit quod *in* sacris *eloquiis* quandoque id quod est *temporale*, nomine aevi sive aeterni laudatur, ut supra dictum est [869], sicut dicuntur montes vel colles aeterni propter antiquitatem.

Quandoque autem aeternitas temporali nomine designatur, secundum illud Psalm. 101 [28]: « *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* »; *quamvis* sciamus quod ea quae *magis proprie* immobiliter existunt, describuntur per aeternitatem, *quae* autem existunt *in generatione* et corruptione, describuntur per tempus.

875. — Deinde, cum dicit [398]: *Oportet autem...* ostendit quomodo res se habeant ad aeternitatem et tempus; et dicit quod ea quae dicuntur in Scripturis *aeterna, non oportet arbitrari* esse *simpliciter* et aequaliter simul *aeterna Deo, qui est ante* aeternitatem participatam, sed sequendo intellectum Scripturarum oportet aliqua intelligere esse *aeterna secundum* certos *modos*, scilicet, inquantum existunt immutabiliter et sine tempore, sicut sunt huiusmodi Angelici Spiritus.

Sed illa quae sunt *media* inter existentia immobiliter et ea quae generantur et corrumpuntur, *secundum aliquid participant tempore* et *secundum aliquid* aeternitate, sicut corpora caelestia conveniunt quidem cum superioribus spiritibus, inquantum sunt incorruptibilia secundum substantiam et secundum hoc participant aeternitatem; inquantum autem transmutantur secundum locum, conveniunt cum generabilibus et corruptibilibus, et sic participant tempore.

Sed *Deum convenit laudare* communiter *et* per *aevum et* per *tempus;* quia Ipse est causa et temporalium et aeternorum et est supra aeternitatem et tempus, prout aeternitas et tempus intelliguntur participata a creatura; *et* convenit etiam Eum laudare sicut *antiquum dierum*, prout est prior et superior omni tempore; et quod Ipse variat *quatuor partes anni et* omnia *tempora* et tamen Ipse existit immobiliter *ante* omnia *saecula, inquantum* Ipse *est* non solum prior et superior tempore, sed etiam aevo, idest aeternitate prout participatur a creaturis; et sic, *regnum Eius* est *regnum omnium saeculorum*, tam temporalium quam aeternorum.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 393: « ingenita » - *ἀγένητα* (« indivenute »; cfr. 368).

*: « quando » - *ἐσθ'ὅτε*, « ut cum » (Cordier); cfr. 397: « Est... quando ».

* ad n. 394: « et totum secundum totum metiri » *καὶ τὸ καθόλου εἶναι μετρεῖν* », « et universale *esse* mensurare ».

* ad n. 397: « quamvis... monstrata »; « tametsi scimus ab ipsis *potius* (*μᾶλλον*) *principalius* (*κυριώτερον*) *entia*, aevo; et quae in generatione, tempore et dicta (esse) et manifestata ».

* ad n. 398: « et variantem quatuor anni partes et tempora » - *ἀλλοιοῦντα καιροὺς καὶ χρόνους*, est locus ex Daniele 2, 21: « et ipse mutat tempora et aetates » (*Vulg.*); « c'est lui qui produit la diversité des saisons et des temps » (M. de Gandillac).

*: « ante aevum est »; add. *καὶ ὑπὲρ αἰῶνα*, « et super aevum ». Quae sequuntur, ex *psal.* 144, 13.

2ª GLOSSA MARGINALIS:

Plotinus (*En.* III, 7, 1-12) « de aeternitate et tempore » tractat, incipiens a notione communi: « cum aeternitatem (*τὸν αἰῶνα*) et tempus (*τὸν χρόνον*) diversa inter se esse dicamus et illam quidem circa naturam sempiternam esse, hoc autem circa *id quod fit* (*τὸ γιγνόμενον*) et hoc universum » (*καὶ τόδε τὸ πᾶν*), inde philosophicam interpretationem prosequitur.

Sequentia noto, ex cap. IV: « unde veneranda res aeternitas est (*σεμνὸν ὁ αἰών*) et cogitatio dicit idem (esse) cum Deo (*ταὐτὸν τῷ θεῷ*). Dicit autem idem cum Deo et pulchre diceretur: *aeternitas* (est) *Deus* (*ὁ αἰὼν θεός*) *declarans et manifestans seipsum qualis est* velut *esse quietum et idem et ita et firmiter in vita* ».

CAPUT UNDECIMUM

De Pace; et quid vult per se esse; quae per se vita; et quae per se virtus; et quae ita dicuntur.

LECTIO I (56ª)

De divina Pace et de eius Causalitate in communi.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. XI; textus nn. 399-404; expositio nn. 876-892).

Determinat de divina pace et de perfectionibus a Deo procedentibus, secundum quod per se in abstracto considerantur (876):

A) De divina pace:
- 1° - secundum quod pertinet ad divinam naturam:
  - a) dicit de quo est intentio (399; 880),
  - b) exequitur propositum:
    - j° - determinat veritatem:
      - α) ostendit causalitatem divinae pacis in communi:
        - I. ostendit quid divina pax faciat in rebus:
          - j) ostendit causalitatem effectivam divinae pacis (400; 885)
          - ij) ostendit quomodo est causa finalis (401; 886)
        - II. ostendit qualiter hoc diversimode faciat in diversis:
          - j) quomodo in supremis creaturis (402; 888)
          - ij) quomodo in inferioribus (403; 889)
          - iij) quomodo communiter in omnibus, ostendens modum praedictorum (404; 890-892)
      - β) exponit eam in speciali (405; Lectio 2ª),
    - ij° - excludit obiectiones (414; Lectio 3ª),
- 2° - secundum quod pertinet ad Christi Incarnationem (420; ib.),

B) De Perfectionibus a Deo procedentibus, secundum quod per se, in abstracto considerantur (421; Lectio 4ª)

TEXTUS DIONYSII

C. XI. § 1. 399. — « Age, igitur, divinam et principem congregationis * pacem hymnis pacificis laudemus.

C. XI. § 1. 399. — *[948 D] Ἄγε δὴ τὴν θείαν καὶ ἀρχισυνάγωγον * εἰρήνην ὕμνοις εἰρηναίοις ἀνευφημήσωμεν·*

400. — Ipsa enim est omnium unitiva et universorum consensus et connaturalitatis generativa et operativa;

400. — *αὕτη γάρ ἐστιν ἡ πάντων ἑνωτικὴ καὶ τῆς ἁπάντων ὁμονοίας τε καὶ συμφυΐας γεννητικὴ καὶ ἀπεργαστική·*

401. — Propter quod et omnia ipsam desiderant, divisibilem * ipsorum multitu-

401. — *διὸ καὶ πάντα αὐτῆς ἐφίεται τὸ μεριστὸν * αὐτῶν πλῆθος ἐπιστρεφούσης εἰς*

dinem convertentem ad totam unitatem et naturale omnis rei bellum unientem ad conformem cohabitationem.

402. — Participatione divinae pacis, digniores congregativarum virtutum et ipsae ad seipsas et ad alias invicem uniuntur et ad unum * totorum pacis-principatum *,

403. — Et subiecta uniunt et ipsa ad seipsa et ad alia invicem et ad unum et perfectum omnium principium pacis et causam.

404. — Quae simpliciter superveniens totis, sicut quibusdam vectibus diversorum conclusivis, omnia diffinit, terminat et firmat; et non sinit divisa effundi ad interminatum et infinitum, inordinata et non collocata et deserta a Deo facta et ab unitione sui ipsorum exeuntia et in se invicem omni mixtione conspersa ».

τὴν ὅλην ἑνότητα καὶ τὸν ἐμφύλιον τοῦ [949 A] παντὸς πόλεμον ἑνούσης εἰς ὁμοειδῆ συνοικίαν.

*402. — Τῇ μετοχῇ τῆς θείας εἰρήνης, αἱ πρεσβύτεραι τῶν συναγωγῶν δυνάμεων, αὐταί τε πρὸς ἑαυτὰς καὶ πρὸς ἀλλήλας ἑνοῦνται καὶ πρὸς τὴν μίαν τῶν ὅλων εἰρηναρχίαν *·*

403. — καὶ τὰ ὑφ' ἑαυτὰς ἑνοῦσιν αὐτά τε πρὸς ἑαυτὰς καὶ πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς τὴν μίαν καὶ παντελῆ τῆς πάντων εἰρήνης ἀρχὴν καὶ αἰτίαν·

404. — ἥτις ἀμερῶς ἐπιβεβηκυῖα τοῖς ὅλοις, ὥσπερ τισὶ κλείθροις τῶν διῃρημένων συμπυκτικοῖς τὰ πάντα ὁρίζει καὶ περατοῖ καὶ ἀσφαλίζεται καὶ οὐκ ἐᾷ διαιρεθέντα χυθῆναι πρὸς τὸ ἄπειρον καὶ ἀόριστον ἄτακτα καὶ ἀνίδρυτα καὶ ἔρημα θεοῦ γιγνόμενα καὶ τῆς ἑαυτῶν ἑνώσεως ἐξιόντα καὶ ἐν ἀλλήλοις παμμιγῶς συμφυρόμενα.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

876. — Superius, Dionysius exposuit divina nomina quibus signantur perfectiones procedentes a Deo in creaturas. Unaquaeque enim res appetit suam perfectionem, quam a Deo participat et amat eam et cum adepta eam fuerit, quiescit appetitus eius, in qua quiete consistit quies et ratio pacis. Et ideo in hoc capitulo Dionysius de pace divina determinat et etiam de ipsis perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas, secundum quod in abstracto considerantur: esse enim in abstracto consideratum dicitur per se esse et similiter de aliis. Et haec duo apparent in titulo.

877. — Dividitur ergo capitulum istud in duas partes: in prima, determinat de divina pace; in secunda, de perfectionibus a Deo procedentibus, secundum quod per se in abstracto considerantur; ibi [421]: *Sed quoniam...* [lectio 4ª].

878. — Prima autem pars dividitur in duas: in prima, determinat de pace secundum quod pertinet ad divinam naturam; in secunda, secundum quod pertinet ad Christi incarnationem; ibi [420]: *Quid dicat...*

879. — Circa primum, duo facit: primo dicit de quo est intentio; secundo, exequitur; ibi [400]: *Ipsa enim...*

880. — Est autem considerandum quod proprie aliquid habere pacem dicitur in seipso, ex eo quod quiescit appetitus eius in proprio bono adepto; quod quidem contingit, cum non est aliquid repugnans quod talem quietem impediat neque interius neque exterius. Sic ergo pacem aliquid habere dicitur ad seipsum et ad alia ex quadam unione qua omnis repugnantia excluditur: quae quidem unio in nomine *congregationis* hic intelligitur, cum dicit quod debemus laudare *pacem divinam*, quae est principalis *congregationis* causa. Hanc inquam divinam pacem secundum quod in se est quia laudare non sufficimus, oportet quod *laudemus* eam *hymnis pacificis*, idest laudibus sumptis ex hoc quod pacem in rebus facit.

881. — Deinde, cum dicit [400]: *Ipsa enim...* exequitur propositum: et primo, determinat veritatem; secundo, excludit obiectiones; ibi [414]: *Quomodo autem...* [lectio 3ª].

882. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit causalitatem divinae pacis in communi; secundo, exponit eam in speciali; ibi [405]: *Igitur...* [lectio 2ª].

883. — Circa primum, duo facit: primo ostendit quid divina pax faciat in rebus; secundo, qualiter hoc diversimode faciat in diversis; ibi [402]: *Participatione...*

884. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit causalitatem effectivam divinae pacis; secundo, quomodo est causa finalis; ibi [401]: *Propter quod...*

885. — Quia vero, recte, nomen pacis magis frequentatur in rationalibus creaturis, in quibus manifestius ratio pacis invenitur, ex eis considerandum est quid proprie sit pax et in quo ratio pacis consistat: hoc enim est quod divina pax effective in rebus producit.

Dicuntur autem aliqui homines habere pacem, quando voluntates eorum concordant in uno: sic enim unum alteri non adversatur. Quod autem multi concordant in unum, contingit ex hoc quod in aliquo uno communicant: puta, qui communicant in una civitate, concordant ad bonum commune civitatis et simile patet in aliis. Sic igitur ad rationem pacis, duo concurrunt: primo quidem, quod aliqua sint unita; secundo, quod concordent ad unum; et secundum hoc, etiam pax in rebus naturalibus dicitur.

Et ideo Dionysius dicit [400] quod divina pax est *unitiva omnium*, quantum ad primum, inquantum scilicet facit omnia communicare in uno; et iterum, *generativa*, quantum ad primam institutionem et *operativa*, quantum ad gubernationem, *consensus et connaturalitatis universorum:* ut consensus referatur ad concordiam voluntatum; connaturalitas, ad concordiam naturalium appetituum.

Ubi considerandum est quod etsi aliqua discordent quantum ad fines proprios, omnia tamen concordant in appetitu finis ultimi.

886. — Deinde, cum dicit [401]: *Propter quod...* ostendit quomodo divina pax est causa finalis omnium rerum. Est autem naturale cuilibet rei ut unitatem desideret, sicut et esse et bonum; quia per divisionem res deficit et corrumpitur et bonitas rei minoratur. Et quia divina pax causat unitatem in rebus, ideo concludit quod *omnia* suo modo *desiderant* divinam pacem, inquantum etiam est omnium unitiva; et hoc est quod dicit: *divisibilem ipsorum multitudinem convertentem ad totam unitatem* quia scilicet ea quae sunt in se divisa, in toto adunantur, inquantum sunt partes universi; et similiter, inquantum sicut supra dixit [400] est *generativa et operativa consensus et connaturalitatis*, cui respondet quod hic subditur: *et naturale rei bellum, unientem ad conformem cohabitationem;* ea enim quae naturaliter se invicem impugnant, propter contrarietatem quam habent in propriis naturis, concordant in ordine universi, secundum quem, quodammodo uniuntur atque cohabitant in mundo; et hoc est ex participatione divinae pacis quae, inquantum ab omnibus desideratur, habet rationem finis.

887. — Deinde, cum dicit [402]: *Participatione...* ostendit quomodo praedicta, divina pax efficiat in diversis: et primo, quomodo in supremis creaturis; secundo, quomodo, in inferioribus sibi [403]: *Et subiecta...*; tertio, quomodo communiter in omnibus, ostendens modum praedictorum; ibi [404]: *Quae simpliciter...*

888. — Est autem considerandum quod sicut alias perfectiones a Deo procedentes, ita istas abundantius aliis supremae creaturae participant ut per eas possint quodammodo ad infimas derivari. Supremas ergo creaturas dicit esse *digniores* de numero *congregativarum virtutum*, quia scilicet in tanta abundantia congregationi divinae pacis participant, ut etiam aliarum congregativae sint.

Harum enim virtutum unaquaeque, per participationem divinae pacis triplicem unionem habet: una quidem est *ad seipsas*, secundum quod unaquaeque earum, secundum se, est aliquod unum. Alia vero unio est secundum quod una unitur ad aliam, in ordine vere unius. Tertia vero unio est secundum quam uniuntur *ad unum* principium *pacis* omnium rerum, idest ad Deum.

889. — Et sicut ipsae tripliciter uniuntur, ita tripliciter uniunt ea quae eis subduntur; et hoc est quod dicit [403]: *et subiecta uniunt*, unumquodque scilicet eorum *ad* seipsum *et* ea *ad invicem et* omnia *ad* unam *causam et* ad *perfectum principium pacis* omnium, scilicet Deum in quem, sicut in ultimum finem et primam causam, omnia reducuntur.

890. — Deinde, cum dicit [404]: *Quae simpliciter...* ostendit quid divina pax faciat communiter in omnibus; et dicit quod prima causa pacis omnibus supervenit *simpliciter* quia, licet diversa sint in quibus operatur, tamen ex parte operantis non est aliqua diversitas nec in operatione nec in modo operandi.

891. — Ostendit autem quod supervenit rebus et ad conservandam unitatem pacis et ad instituendam. Unitas autem pacis in tranquillitate ordinis consistit, ut Augustinus dicit, XIX *de Civit. Dei* [1], ad quam quidem tranquillitatem ordinis, tria requiruntur: primo quidem ut ab invicem

[1]) Cap. XIII ubi pulcherrime *de pace universali* disserit: « Pax itaque corporis, est ordinata temperatura partium. Pax animae irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animae rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animae, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei, ordinata in fide sub aeterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata, imperandi atque obediendi concordia civium. Pax caelestis Civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. *Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis.* Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio » (Opp. t. VII, col. 557 B, C; ML 41, 640).

distinguantur: non enim potest esse ordo nisi distinctorum; et ideo dicit quod *omnia diffinit*. Secundo, necesse est ad tranquillitatem ordinis ut rerum distinctarum nulla exeat limitem suae naturae; et ad hoc pertinet quod dicit: *terminat*. Tertio, requiritur quod haec diffinitio et terminatio stabiliatur; et ad hoc pertinet quod dicit: *et firmat;* alioquin si rerum diffinitio et terminatio non esset firma, sed una res a termino suo egrediens, alterius fines invaderet, confunderetur ordo rerum et sic non esset tranquillitas ordinis.

Dicit autem quod *omnia diffinit et terminat et firmat, sicut quibusdam vectibus conclusivis diversorum,* utens similitudine sensibilium rerum: consuetum est enim, si multa tabulae eriguntur secundum aliquem ordinem, ut quidam vectes inserantur quibus erectae tabulae firmentur; ita rerum distinctio et terminatio, perfectionibus et virtutibus rebus a Deo inditis, quasi quibusdam vectibus rerum distinctarum, firmatur.

892. — Modum autem firmationis, qui pertinet ad conservationem pacis, manifestat subdens: *et non sinit divisa effundi ad interminatum et infinitum, inordinata et non collocata et deserta a Deo facta et ab unitione sui ipsorum exeuntia et in se invicem omni mixtione conspersa;* et dicit quod Deus non permittit res distinctas effundi *ad interminatum et infinitum,* ut scilicet operationes et transmutationes rerum non tendant in aliquem certum terminum et finem, quasi sint *inordinata et non collocata,* idest firmata in aliquo principio conservante. Ista autem effusio in infinitum opponeretur unitioni rerum triplici, quam supra dixit fieri in rebus per participationem divinae pacis **[891]**.

Tolleretur enim unio ad primum principium non perveniendum et quantum ad hoc dicit: *et deserta a Deo facta;* tolleretur et unio rei ad seipsam et quantum ad hoc dicit: *et exeuntia ab unitione sui ipsorum;* tolleretur et ordinata unitio unius ad alterum et quantum ad hoc dicit: *et in se invicem omni mixtione conspersa* per quamdam confusionem rerum ad invicem, si ad infinitum effundi sinerentur.

OBSERVATIONES

QUOAD TEXTUM:

* ad n. 399: « principem congregationis » - *ἀρχισυνάγωγον* proprie dicitur: « *synagogae praefectus,* cuius erat res in synagoga peragendas moderari et ordini ab omnibus observando invigilare » (Zorell); unde « Pax divina » est « praefectus ecclesiae » (" Ka'al " est *congregatio* vel *convocatio* seu *societas*).

* ad n. 401: « divisibilem » - *τὸ μεριστόν,* « *divisam* multitudinem ».

* ad n. 402: « ad unum [edit. T, Ve^3, ib. 600: *unam, μίαν* graece, sed latine vert. *unum*] totorum pacis-principatum » - *εἰρηναρχίαν* proprie est officium illius qui dicitur *εἰρηνάρχης* « caput pacis ».

Est *nova* omnino *notio Dei* qui hoc officium gerit per Christum (420) in Ecclesia et per Ecclesiam: « Ipse enim est Pax nostra » (*Eph.* 2, 14); quomodo vero per divinum regimen pax in mundo constituatur pulchre describit Clemens Romanus in I *ad Cor.* 20, 1-11, ut inde homines concorditer vivant in observantia divinae legis.

* in exposit. (**892**) ubi leg. « ad invicem *supple essent omnia,* si... », deleo: s.e.o.

LECTIO II (57^a)

De Causalitate divinae Pacis in speciali.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. XI; textus nn. 405-413; expositio nn. **893-912**).

Ostendit causalitatem divinae Pacis in speciali:
A) ostendit quid de divina Pace, dici possit in speciali (405; **894-897**)
B) manifestat propositum:
  1° - quantum ad ipsam pacem creatam, secundum se consideratam (406; **899**),
  2° - quantum ad ea in quibus invenitur pax:
    a) in communi (407; **901-903**),
    b) in speciali:
      j° - quantum ad Angelos (408; **905**)
      ij° - quantum ad Animas rationales (409; **906**)
      iij° - quantum ad totum universum:
        α) ostendit quid divina Pax perficiat in Universo (410; **908**)
        β) ostendit per quem modum:
          I. quantum ad ea quae connectuntur (411; **910**)
          II. quantum ad ipsam connexionem (412; **911**)
          III. quantum ad Causam connectentem (413; **912**).

TEXTUS DIONYSII

405. — « Igitur de ipsa quidem divina pace, quodcumque est, et silentio * et quod sanctus Iustus ineffabilitatem * vocat et ad omnem cognitum processum immobilitatem et quomodo quiescit et silentium agit et quomodo in seipsa et intra seipsam est et ad seipsam totam, tota superunita est et neque ad seipsam ingrediens et multiplicans seipsam, derelinquit sui ipsius unitionem, sed et procedit ad omnia, intus tota manens, per excessum omnia superantis unitionis,

neque dicere neque cogitare alicui existentium neque est fas neque possibile, sed sicut ineffabile et hoc et * ignotum ipsi attribuentes sicut existenti super omnia, intelligibiles ipsius et dictas participationes, et hoc ut est possibile viris et nobis a multis bonis viris deficientibus, inspiciemus *.

§ 2. 406. — Et primum quidem hoc est dicendum, quod ipsam per se pacem et totam et particularem subsistere facit *,

407. — Et quod omnia ad se invicem concreta facit secundum inconfusam ipsorum unitionem, secundum quam indivisibiliter

*405. — Περὶ μὲν οὖν αὐτῆς ὅ τι ποτέ ἐστι τῆς θείας εἰρήνης καὶ ἡσυχίας * — ἣν ὁ ἱερὸς Ἰοῦστος ἀφθεγξίαν * καλεῖ καὶ ἐπὶ πᾶσαν γίγνωσκομένην* [B] *πρόοδον ἀκινησίαν — ὅπως τε ἠρεμεῖ καὶ ἡσυχίαν ἄγει καὶ ὅπως ἐν ἑαυτῇ καὶ εἴσω ἑαυτῆς ἐστι καὶ πρὸς αὑτὴν ὅλην ὑπερήνωται καὶ οὔτε εἰς ἑαυτὴν εἰσιοῦσα καὶ πολλαπλασιάζουσα ἑαυτήν, ἀπολείπει τὴν ἑαυτῆς ἕνωσιν, ἀλλὰ καὶ πρόεισιν ἐπὶ πάντα ἔνδον ὅλη μένουσα δι' ὑπερβολὴν τῆς πάντα ὑπερεχούσης ἑνώσεως,*

*οὔτε εἰπεῖν οὔτε ἐννοῆσαί τινι τῶν ὄντων οὔτε θεμιτὸν οὔτε ἐφικτόν· ἀλλ' ὡς ἄφθεγκτον καὶ τοῦτο καὶ * ἄγνωστον ἐπ' αὐτὴν ἀναθέντες ὡς πάντων οὖσαν ἐπέκεινα τὰς νοητὰς αὐτῆς καὶ ῥητὰς μετουσίας καὶ τοῦτο ὡς δυνατὸν ἀνδράσι καὶ ἡμῖν πολλῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἀπολειπομένοις ἐπισκοπήσωμεν *.*

§ 2. 406. — [C] *Καὶ πρῶτόν γε τοῦτο ῥητέον ὅτι τῆς αὐτοειρήνης καὶ τῆς ὅλης * καὶ τῆς καθ' ἕκαστόν ἐστιν ὑποστάτις *

407. — καὶ ὅτι πάντα πρὸς ἄλληλα συγκεράννυσι κατὰ τὴν ἀσύγχυτον αὐτῶν ἕνωσιν, καθ' ἣν ἀδιαιρέτως ἡνωμένα καὶ ἀδιαστάτως

unita et indistanter tamen pura singula secundum propriam speciem subsistunt, non velata per concretionem ad opposita neque hebetantia aliquid unitivae diligentiae et puritatis.

Unam igitur quamdam et simplicem pacificae unitionis contemplemur naturam, unientem universa sibi ipsi et illis ipsis et sibi invicem et salvantem omnia in non confusa omnium continentia et immixta et concreta.

408. — Propter quam divinae mentes unitae intellectibus suis uniuntur et unitis * et rursum ad ignotam ascendunt super mentem collocatorum coniunctionem.

409. — Propter quam animae largissimas * ipsarum rationes unientes et ad unam intellectualem congregantes puritatem, perveniunt iuxta proprietatem suam, via et ordine per immaterialem et simplicem intellectum ad eam quae est super intellectum unitionem.

410. — Propter quam, una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam ipsius harmoniam consistit et concordatur consonantia perfecta et consensu et connaturalitate et congregata inconfuse et indissolubiliter contenta.

411. — Transit enim perfectae totalitatis * pax ad omnia existentia, secundum simplicissimam illius et immixtam unificae virtutis praesentiam, uniens omnia et coniungens extrema per media extremis, secundum unam connaturalem coniuncta amicitiam
et frui ipsa donans et extremis omnis rei terminationibus,

412. — et omnia consentientia * faciens unitatibus, identitatibus, unitionibus, congregationibus, indivisibiliter,

413. — videlicet, divina pace stante
et in uno omnia monstrante et per omnia proficiscente et a propria identitate non recedente;
procedit enim ad omnia et tradit omnibus seipsam, iuxta ipsorum proprietatem et supermanat abundantia pacificae fecunditatis
et manet propter excessum unitionis, tota ad totam et secundum totam seipsam superunita ».

ὅμως ἀκραιφνῆ κατὰ τὸ οἰκεῖον ἕκαστα εἶδος ἔστηκεν, οὐκ ἐπιθολούμενα διὰ τῆς πρὸς τὰ ἀντικείμενα κράσεως, οὐδὲ ἀπαμβλύνοντά τι τῆς ἑνωτικῆς ἀκριβείας καὶ καθαρότητος.

Μίαν οὖν τινα καὶ ἁπλῆν τῆς εἰρηνικῆς ἑνώσεως θεωρήσωμεν φύσιν ἑνοῦσαν ἅπαντα ἑαυτῇ καὶ ἑαυτοῖς καὶ ἀλλήλοις καὶ διασώζουσαν πάντα, ἐν ἀσυγχύτῳ πάντων συνοχῇ, καὶ ἀμιγῆ καὶ συγκεκραμένα·

*408. — δι' ἣν οἱ θεῖοι νόες ἑνούμενοι ταῖς νοήσεσιν ἑαυτῶν ἑνοῦνται καὶ τοῖς νοουμένοις * καὶ αὖθις ἐπὶ τὴν ἄγνωστον ἀναβαίνουσι τῶν ὑπὲρ νοῦν ἱδρυμένων συν[D]αφήν·*

*409. — δι' ἣν αἱ ψυχαὶ τοὺς παντοδαποὺς * αὐτῶν λόγους ἑνοῦσαι καὶ πρὸς μίαν νοερὰν συνάγουσαι καθαρότητα, προβαίνουσιν οἰκείως ἑαυταῖς ὁδῷ καὶ τάξει διὰ τῆς ὅλου καὶ ἀμεροῦς νοήσεως ἐπὶ τὴν ὑπὲρ νόησιν ἕνωσιν·*

410. — δι' ἣν ἡ μία καὶ ἀδιάλυτος πάντων συμπλοκὴ κατὰ τὴν θείαν αὐτῆς ἁρμονίαν ὑφίσταται καὶ ἐναρμόζεται συμφωνίᾳ παντελεῖ καὶ ὁμονοίᾳ καὶ συμφυΐᾳ, συναγομένη τε ἀσυγ[952 A]χύτως ἀδιαιρέτως τε συνεχομένη.

*411. — Διήκει γὰρ ἡ τῆς παντελοῦς εἰρήνης ὁλότης * ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα κατὰ τὴν ἁπλουστάτην αὐτῆς καὶ ἀμιγῆ τῆς ἑνοποιοῦ δυνάμεως παρουσίαν, ἑνοῦσα πάντα καὶ συνδέουσα τὰ ἄκρα διὰ τῶν μέσων τοῖς ἄκροις, κατὰ μίαν ὁμοφυῆ συζευγνύμενα φιλίαν·*
καὶ τὸ ἀπολαύειν αὐτῆς δωρουμένη καὶ ταῖς ἐσχάταις τοῦ παντὸς ἀποπερατώσεσι

*412. — καὶ πάντα ὁμόγνια * ποιοῦσα ταῖς ἑνότησι ταῖς ταυτότησι ταῖς ἑνώσεσι ταῖς συναγωγαῖς ἀδιαιρέτως*

413. — δηλαδὴ τῆς θείας εἰρήνης ἐσθώσης καὶ ἐν ἑνὶ πάντα δεικνυούσης καὶ διὰ πάντων φοιτώσης καὶ τῆς οἰκείας ταυτότητος οὐκ ἐξισταμένης·
πρόεισι γὰρ ἐπὶ πάντα καὶ μεταδίδωσι πᾶσιν οἰκείως αὑτοῖς ἑαυτῆς καὶ ὑπερβλύζει περιουσίᾳ τῆς εἰρηνικῆς γονιμότητος·
καὶ μένει δι' ὑπεροχὴν ἑνώσεως ὅλη πρὸς ὅλην καὶ καθ' ὅλην ἑαυτὴν ὑπερη[B]νωμένη.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

893. — Postquam Dionysius ostendit causalitatem divinae pacis in communi, hic prosequitur de ea in speciali; et circa hoc duo facit: primo, ostendit quid de divina pace dici possit in speciali; secundo, manifestat propositum; ibi [406]: *Et primum...*

894. — Dicit ergo primo quod *neque* licitum *est neque possibile*, non solum alicui hominum, sed neque *alicui existentium* creaturarum, *dicere* ore aut *cogitare* corde, ipsam divinam pacem secundum quod in se est et ipsum divinum silentium, *quod* quidam

sanctus nomine *Iustus* vocabat *ineffabilitatem* Dei, quia scilicet neque nos Deum effari possumus neque Ipse sic effatur nobis, quod nos Ipsum, secundum quod est, perfecte cognoscere possimus.

895. — Adiungit autem silentium paci, quia signum perturbatae pacis solet esse strepitus et clamor. Adiungit etiam paci *immobilitatem Dei* ad *omnem processum* qui a nobis cognoscitur: quamvis enim procedere dicatur secundum quod suam similitudinem in res diffundit, tamen Ipse secundum omnem huiusmodi processum in se ipso immobilis manet. Coniungitur autem quies et immobilitas paci, sicut et silentium, quia ea quae pacem habent, ex hoc ipso, quietem quamdam habere videntur.

896. — Haec ergo nos *de divina pace et silentio* et quiete *dicere aut cogitare* non possumus, *quomodo* scilicet *quiescit et silentium agit*, sicut dictum est [894], *et quomodo tota* supereminenter unita *in seipsa et intra seipsam et ad seipsam totam* sit divina pax.

Unitio autem, ut supra dictum est [880, 885], ad rationem pacis pertinet. Inveniuntur autem aliqua, quae in seipsis diversa sunt, sed uniuntur in aliquo uno, sicut multi homines uniuntur in una domo, sed Deus in seipso unitus est. Est autem aliquid quod in seipso quidem unum est, sed tamen intra seipsum non est unum, sicut unus homo intra seipsum non est unus, quia multa et diversa intra seipsum continentur. Sed Deus intra seipsum est unus, quia nulla diversitas invenitur in Ipso. Invenitur etiam aliquid quod intra seipsum est unum, quia non componitur ex divisibilibus partibus, sed tamen non totum sibi toti unitur, quia una pars eius non est unum cum altera. Sed Deus totus ad se totum unitur, quia in Eo nullus est numerus partium, sed est omnino simplex; et tanta est Eius unitio, quod *neque* cum ingreditur ad seipsum, intelligendo scilicet et amando neque cum multiplicat seipsum, per hoc quod multiplices sui similitudines imprimit rebus, *derelinquit* propriam *unitionem, sed* propter *excessum unitionis* Eius, quae superat omnem unitatem, sic Deitas *procedit ad omnia* per sui similitudines rebus communicatas, quod tamen *tota* manet intra seipsam, sicut sigillum quod imprimit suam imaginem et similitudinem diversis ceris et tamen idem manet identitate quod est.

897. — Huiusmodi ergo, cum sint ineffabilia et ignota nobis, oportet attribuere soli Deo qui se per se perfecte cognoscit eo quod Ipse existit *super* omnes *participationes* Eius, quae intelligi et quae dici possunt ab intellectu creato: Deus enim est supra omne esse et supra omnem vitam et supra omnia huiusmodi quae a creaturis participantur; et ita, cum connaturale sit intellectui creato quod intelligat et dicat Dei participationes, ipsum Deum, qui super omnia huiusmodi est, neque perfecte intelligere neque perfecte dicere potest.

Hoc est ergo quod de divina pace dicere intendimus, ipsius scilicet divinae pacis participationes, sicut *est possibile nobis* qui deficimus ab intelligendo divina, non solum ab Angelis, sed et *a viris bonis* et perfectis.

898. — Deinde, cum dicit [406]: *Et primum...* ostendit in speciali, causalitatem divinae pacis; et primo, quantum ad ipsam pacem creatam, secundum se consideratam; secundo, quantum ad ea in quibus invenitur pax; ibi [407]: *Et quod omnia...*

899. — Dicit ergo primo quod hoc primo dicendum est quod Deus, *ipsam pacem per se*, consideratam in abstracto, *facit* esse et in universali *et* in particulari consideratam: accipitur enim hic *subsistere*, communiter pro esse: non est enim aliqua pax creata per se subsistens.

900. — Deinde, cum dicit [407]: *Et quod omnia...* ostendit causalitatem divinae pacis quantum ad ea quae participant pacem; et primo in communi; secundo, in speciali; ibi [408]: *Propter quam...*

901. — Dicit ergo primo quod dicendum est, quod divina pax *facit omnia ad se invicem concreta:* nihil enim est in rebus quod non habeat cum aliquo alio unionem, vel per convenientiam in specie, vel in genere, vel in aliquo quocumque ordine. Sed quia haec unitio, distinctiones rerum non tollit, ideo dicit quod est inconfusa; et ad hoc exponendum, subdit quod secundum praedictam *inconfusam unitionem*, sunt omnia *unita indivisibiliter et indistanter*, quia scilicet unionem quam Deus rebus indidit nihil est quod auferre possit vel dividendo vel faciendo magis distans: non enim est possibile quod album et pallidum vel dividantur secundum genus vel tantum distent quantum album et nigrum. Et quamvis omnia sint unita, tamen *singula* conservantur in puritate propriae speciei; et homo licet uniatur aliis, praedictis modis, tamen non est in alia specie quam humana. Ad hanc autem speciei puritatem, consequitur puritas et cognoscibilitatis et virtutis: unumquodque enim cognoscitur per speciem suam.

902. — Quia ergo unumquodque remanet in puritate propriae speciei, consequens est ut unitio unius rei ad aliam per quamdam convenientiam, non sit ei in velamentum quin ab aliis possit discerni; et hoc est quod dicit: *non velata per concretionem ad opposita;* ut puta: album habet concretionem cum nigro, inquantum convenit cum eo in genere, tamen haec convenientia non impedit quin album in propria natura cognoscatur, secundum quod distat a nigro. Similiter etiam propria virtus uniuscuiusque sequitur speciem eius; et ideo, conservata puritate speciei, non hebetatur virtus propria consequens speciem; et hoc est quod dicit: *neque hebetantia aliquid unitivae diligentiae et puritatis,* quia scilicet neque puritas rei hebetatur per diligentem idest perfectam unionem neque e converso; sicut album per hoc quod differt specie a nigro, secundum puritatem suae speciei, non impeditur quin uniatur ei secundum genus neque e converso.

903. — Ex his igitur concludit quod debemus considerare *unam quamdam simplicem naturam,* quae per modum unionis facit pacem in rebus, scilicet, naturam divinam, quae unit omnia *sibi ipsi* dum omnia sibi assimilat per influentiam suorum donorum et ad se ordinat sicut ad ultimum finem *et* iterum unit universa *illis ipsis,* idest, quamlibet rem ad seipsam. Intantum enim unumquodque est sibi unitum *et invicem sibi,* idest unit unam rem alteri, prout una res convenit cum altera, quocumque modo. Haec enim divina natura sic conservat *omnia,* secundum quamdam continentiam non confusam, idest non inordinatam ad invicem, ut simul sint incommixta, idest non mixta *et* tamen *concreta:* non mixta quidem, dum unumquodque remanet in puritate suae speciei; et concreta, secundum quod coordinantur ad invicem.

904. — Deinde, cum dicit [408]: *Propter quam...* ostendit causalitatem divinae pacis, quantum ad ea quae participant pacem in speciali: et primo, quantum ad Angelos; secundo, quantum ad animas rationales; ibi [409]: *Propter quam animae...;* tertio, quantum ad totum universum; ibi [410]: *Propter quam una...*

905. — Dicit ergo primo [408] quod propter primam et simplicem causam, pacifice unientem, *divinae mentes,* idest Angeli tripliciter *uniuntur*: primo quidem unusquisque secundum proprium intellectum; secundo, prout quidam uniuntur ordine quodam aliis Angelis *unitis;* tertio, secundum quod ulterius *ascendunt* ad hoc quod coniungantur rebus divinis, quae sunt collocatae *super* omnem *mentem;* et haec coniunctio est nobis ignota.

906. — Deinde, cum dicit [409]: *Propter quam animae...* ostendit effectum divinae pacis in anima rationali prout scilicet ad unitatem reducitur. In qua quidem reductione, triplex gradus consideratur: primo enim anima dicitur habere largissimam rationem, inquantum ratio se ad diversa diffundit ex multis actibus vel effectibus, naturam rei investigando. Secundo, largitas rationis reducitur *ad* unitatem intellectualis puritatis seu simplicitatis; nullum enim effectum haberet investigatio rationis, nisi ad intelligibilem veritatem perduceret. Tertio, quodam *ordine, per* huiusmodi *immaterialem* et intellectualem *veritatem,* pervenit anima secundum *proprietatem* suae virtutis ut uniatur Deo, qui est supra *intellectum,* cui non ita perfecte anima in hac vita uniri potest, sicut Angeli boni.

907. — Deinde, cum dicit [410]: *Propter quam una...* ostendit effectum divinae pacis, quantum ad totum universum; et circa hoc, duo facit: primo, ostendit quid divina pax perficiat in universo; secundo, ostendit per quem modum; ibi [411]: *Transit enim...*

908. — Dicit ergo primo quod *propter* praedictam simplicem naturam est quaedam *una et indissolubilis complexio omnium, secundum* scilicet quod omnia conveniunt in uno ordine universi qui indissolubilis manet secundum quod ex Deo in ipso universo quaedam harmonia, idest proportionata concordia causatur; et hoc est quod exponit, subdens: *et concordatur consonantia perfecta.* Nihil enim est aliud harmonia, quam concors consonantia. Haec autem concors consonantia in rebus, causatur secundum consensum et connaturalitatem: ut scilicet consensus referatur ad concordiam voluntatis in his quae voluntatem habent; connaturalitas autem ad concordiam naturalis appetitus. Haec autem harmonica complexio sive concors consonantia et ordinem habet et firmitatem; unde quantum ad ordinem dicit: *et congregata inconfuse:* confusio enim ordinem tollit; unde illa inconfuse congregantur quae secundum ordinem quemdam, complexionem habent ad invicem. Quantum autem ad firmitatem subdit: *et indissolubiliter contenta:* est enim indissolubilis firmitas in rerum complexione, non ex congregatorum multitudine, sed ex virtute unius causae continentis et in unum congregantis.

909. — Deinde, cum dicit [411]: *Transit*

enim... ostendit quomodo praedicta harmonia concors statuatur in rebus ex divina pace. Hunc autem modum connexionis exponit tripliciter: primo quidem quantum ad ea quae connectuntur; secundo, quantum ad ipsam connexionem; ibi [412]: *Et omnia...;* tertio, quantum ad causam connectentem; ibi; [413]: *Videlicet...*

910. — Dicit ergo primo quod ideo dictum est quod propter divinam naturam, una et indissolubilis connexio in omnibus consistit, quia *pax perfectae totalitatis,* idest pax quae est a causa universali perfecta, secundum quod causae totales dicuntur causae universales, haec inquam pax pertransit a prima causa *ad omnia existentia,* secundum quod virtus unifica primae causae *uniens,* idest faciens unitatem in rebus, est praesens omnibus simpliciter, idest absque aliqua sui multiplicatione et immixte, quia rebus non permiscetur, sed secundum suam essentiam est rebus absoluta.

Haec quidem *pax* divina *ad omnia transit,* omnia uniendo, per hoc quod reducit omnia in quemdam ordinem: qui quidem ordo consistit in hoc quod quaedam *extrema* coniunguntur aliis *extremis per media.* Nam suprema influunt infimis per media et infima convertuntur ad recipiendum a supremis per media; et sic omnia coniunguntur *secundum unam connaturalem amicitiam. Et* non solum divina pax coniungit extrema extremis per media, sed etiam ulterius omnia coniungit sibi ipsi, inquantum dat omnibus suo modo ut *ipsa* divina pace fruantur et infimae creaturae et quidquid est infimum in quacumque creatura; et hoc est quod dicit: *et extremis omnis rei terminationibus;* nihil enim est ita infimum in rebus quod non aliquo divino dono participet, ex qua participatione sortitur ut habeat connaturalem amicitiam ad alias creaturas et ut ordinetur ad Deum, sicut ad ultimum finem, qui est *frui* Deo.

911. — Deinde, cum dicit [412]: *Et omnia consentientia faciens...* ostendit modum praedictae connexionis quantum ad ipsam connexionem. Ratio autem connexionis in quadam unitate perficitur et ideo, secundum modum unitatis, attenditur modus connexionis. Est autem considerandum quod unitas attribuitur rebus multipliciter: aliquid enim est quod est simpliciter et secundum se unum, sicut aliquid simpliciter dicitur unum in seipso et quantum ad hoc dicit quod facit *omnia consentientia unitatibus.*

Dicitur autem aliquid simpliciter idem, non secundum seipsum, sed per relationem ad aliquid quod est alterum: vel ratione aut nomine tantum, sicut si Marcum dicamus idem Tullio vel vestem indumento; aut est alterum secundum rem, sicut si dicamus: Socrates Platoni est idem specie et equus bovi est idem genere; et quantum ad hoc dicit: *identitatibus;* unum enim dicitur absolute, sed idem relative.

Aliquid vero est quod non est unum simpliciter, sed quasi ex multis adunatum, sicut omne compositum et quantum ad hoc dicit: *unitionibus.*

Aliquid vero est quod neque simpliciter neque secundum se unum dicitur, sed per relationem ad alterum, sicut unitas congregatorum et ideo subdit: *congregationibus;* congregata enim minus habent de ratione unitatis quam unita: nam unitum absolute potest dici unum, licet non simpliciter, sed congregata absolute quidem sunt multa, sed secundum quid, unum.

Indivisibilis ergo consensus constituitur ex divina pace in rebus, secundum quod unitatem consequuntur sive per modum simplicis unitatis sive per modum identitatis sive per modum unitionis sive per modum congregationis.

912. — Deinde, cum dicit [413]: *Videlicet...* ostendit modum praedictae connexionis ex parte causae connectentis; et dicit quod praedicta connexio in rebus statuitur, secundum quod divina pax primo quidem consideratur ut stans immobiliter in seipsa; secundo autem consideratur ut unum exemplar *in* quo exemplariter *omnia,* quae ad pacem pertinent, demonstrantur; tertio, consideratur secundum quod suam similitudinem omnibus tradit. Secundum hoc enim dicitur *per omnia* proficisci *et* tamen *a propria identitate non* recedere.

Ipsa enim divina Pax *procedit ad omnia,* secundum quod per suam similitudinem *omnibus* se *tradit, iuxta proprietatem* uniuscuiusque rei; et tamen *supermanat* secundum abundantiam *pacificae fecunditatis,* quia scilicet plus est in Deo de virtute ad faciendum pacem, quam sit in rebus ad suscipiendum et ideo emanatio pacis a Deo est supra omnem susceptibilitatem rerum. Et licet susceptio pacis sit secundum rerum proprietatem, cum divina Pax sic procedat ad omnia secundum emanationem effectuum, tamen ipsa *manet* immobilis in seipsa, supereminenter unita *tota ad totam,* quia non est ibi diversitas partium, quae impediat totum uniri toti. Non enim tota linea est unum cum tota,

quia sic oporteret quod quaelibet pars lineae esset unum cum qualibet parte; sed in simplicibus totum est unum toti. Addit autem: *et secundum* se *totam*, quia non est una participatione, sed essentialiter; punctum enim, etsi totum sit unum toti, non tamen secundum se totum, sed secundum unitatem quam participat. Si autem ipsa unitas separata subsisteret, esset tota una toti et secundum se totam. Et sic intelligendum est de Deo, qui est unitus totus ad totum, secundum se totum, per hoc quod est simpliciter et essentialiter unus.

OBSERVATIONES

1ª Quoad textum:

* ad n. 405, **895**: « et silentio et... ineffabilitatem... » - *καὶ ἡσυχίας ἦν... ἀφθεγξίαν... ἀκινησίαν*, « et *quiete* quam... *silentium* vocat... et... immobilitatem ».

* : « sed sicut ineffabile et hoc ignotum... inspiciemus » (edit.); « sed sicut ineffabile et hoc *et* ignotum, *ad ipsam tamquam trans omnia existentem applicantes nos* (*ἐπ'αὐτὴν ἀναθέντες ὡς πάντων οὖσαν ἐπέκεινα*), *intelligibiles et dicibiles ipsius participationes.. inspiciamus* ».

* ad n. 406: « subsistere facit » - *ἔστιν ὑποστάτις*, « ipsius pacis et universalis et particularis est sustentaculum ».

* ad n. 408, **905**: « divinae mentes... et unitis » - *ἑνούμενοι ταῖς νοήσεσιν ἑαυτῶν ἑνοῦνται καὶ τοῖς νοουμένοις*, « divinae mentes, unitae intellectionibus suis, uniuntur et *intellectis* (ideis) ».

* ad n. 409: « largissimas ipsarum rationes unientes » - *τοὺς παντοδαποὺς αὐτῶν λόγους ἑνοῦσαι*, « varias suas nectentes rationes » (Ambrosius); « omnium generum rationes coniungentes » (Perionius).

* ad n. 411, **910**, « perfectae totalitatis pax » - *τῆς παντελοῦς εἰρήνης ὁλότης*, « perfectae pacis totalitas ».

* ad n. 412, **911**: « consentientia » (leg. *ὁμονᾶ*) - *ὁμόγνια*, « sunt *germana et eiusdem ordinis* » (Maximus 396 C).

2ª Quies (ἡσυχία) Silentium (ἀφθεγξία) Immobilitas (ἀκινησια).

Ex duplici capite haec doctrina haud spernenda videtur: ad gnosticismi eversionem et ad intelligendam theologiam S. Ignatii martyris.

a) Notum est omnibus in gnosticismo quaedam notio Dei inveniri tali modo in « Revelatione Magna » descripta: « *ἥτις ἐστὶ δύναμις σιγὴ ἀόρατος ἀκατάληπτος* » - « quae *potentia* est silentium invisibile incomprehensibile » (Hippol., *Refut.* VI, 18), « radix » (*ῥίζη*) tum principii masculini, tum principii foeminini.

Huic consonant quae apud Irenaeum leguntur de « perfecto Aeone praeexistente » qui « infinitis saeculis temporum in *quiete* (*ἐν ἡσυχίᾳ*) et tranquillitate (*ἡρεμίᾳ* - cfr. « *ἡρεμεῖ* » [405] apud Dionysium) multa » fuit, dum « cum Ipso coëxistebat cogitatio quam et gratiam et *silentium* (*σιγήν*) vocant » (*Contra Haer.* I, 1. 1 et apud Epiphanium, *haeres.* XXXI, 11). Ex hac notione Dei plurima figmenta gnostica fluere notum est.

Dionysius qui notionem « potentiae » diligenter Deo applicat (332), nunc « quietem » interpretatur per « divinam pacem » (405). Per hanc doctrinam periculum tollitur pravae notionis, qua Deus, tamquam ens indeterminatum, per fieri cosmicum vel historicum sese determinans, intelligitur. Aliae notiones sunt *ἀφθεγξία* [lit. « insonantia » (Cordier)] et *ἀκινησία* (« immobilitas »); prima affinis est notioni quae invenitur in theologia aegyptiana apud Iamblichum *de Mysteriis* VII, 2 ex symbolo « loti »: *ἐν ἑαυτῷ ἀφανὴς* « in seipso absconditus »; *μένων ἐν ἑαυτῷ* « in seipso penitus quiescens » (Gale). Altera vero ex metaphysica Aristotelis manifeste derivatur (XII, 7) in qua ad « aliquid quod *non-motum* movet » pervenitur et inde ad *Actum* purum.

b) Quaedam ex epistolis S. Ignatii martyris occurrunt ex quibus forsan notiones de divina pace diligentius intelliguntur.

In epist. *ad Magnesios* 8, 2 legitur « quod unus est Deus manifestans seipsum per Iesum Christum filium suum, qui est Verbum Eius a *silentio* (*ἀπὸ σιγῆς* - cfr. « *ἀφθεγξία* » [405] apud Dionysium) exiens ». Et in epist. *ad Ephesios* 19, 1 haec illa praeclarissima mens dicit: « et principem huius mundi latuit Mariae virginitas et Partus ipsius, similiter et Mors Domini, tria mysteria (*christiani*) praeconii, quae in *quiete Dei* (*ἐν ἡσυχίᾳ θεοῦ*) acta fuere ».

Radices huius theologiae facile invenire quis poterit in epist. S. Pauli: v. gr. *ad Rom.* 16, 26 habetur notio « mysterii temporibus aeternis taciti » (*σεσιγημένου*) et maxime *ad Hebr.* cum tractat de « requie » Dei (3, 11-18; 4, 1-11) et christianos laetanter hortatur: « festinemus ergo ingredi in illam requiem » (*εἰς ἐκείνην τὴν κατάπαυσιν*). « Quies » illa Dei est causa huius requiei, quae est cessatio ab opere, unde habetur sensus *ἑστίας* (26, 100, 327, 386) quae est « perfectissimum *domicilium* ». Nam per metonymiam « requies » est « *locus ubi aliquis quiescit* seu *sedem stabilem figit, domicilium, habitaculum.* ... " non introibunt in domicilium meum " scil. Palaestinam (*psal.* 94, 11), quem locum S. Paulus... et allegat et ita sensu typico exponit ut partim typo (Palaestinae) antitypus substituatur (caelum ubi item Deus cum beatis habitat) partim " loco quietis " sufficiatur ipsa " Dei requies " i. e. beata vita aeterna, cuius beati erunt participes » (Zorell).

3ª De viginti personis in Corpore Dionysiano nominatis.

Personae quae in C. D. nominantur tres constituunt series:

A	A¹	B
Cum determinata aliqua circumstantia connexae:	Cum relatione ad peculiares circumstantias:	Absque determinatione aliqua in textu tradito.
1. *Petrus*, DN. III, 2 (91).	5 *Bartholomaeus* MTh. I, 3. Evangelium graecum S. Barth. compositum fuit circa saec. IV.	8. *Paulus* DN. II, 11 (75); III, 2 (88); VII, 1 (299).
2. *Jacobus*, DN. III, 2 (91).	6 *Ignatius*, DN. IV, 12 (164). Citantur ejus verba ex Prologo Origenis ad Cant. Canticorum.	9. *Hierotheus* DN. II, 9 (60); II, 11 (75); III 2 (87. 91); IV 14 (179).
3. *Apollophanes*, Epist. VII, 2.	7. *Simon* DN. VI, 2 (292). Quaedam referuntur; ex « Revelatione Magna », quae nota est Hippolyto, forsan accepta vel vulgata.	10. *Clemens* philosophus, DN.V, 9(283).
4. *Joannes*, Epist. X.		11. *Elymas* magus DN. VIII 6 (339).
		12. *Justus* DN. XI, 1 (405).
		13. *Timotheus* MTh. I, 1; Epist. IX, 1: invenitur et in titulis CH. EH. DN. MTh.
		14. *Titus*, Epist. IX, 1.
		15. *Caius* monachus, Epist. I, II, III, IV.
		16. *Dorotheus* diaconus, Epist. V.
		17. *Sosipater* sacerdos, Epist. VI.
		18. *Polycarpus* episcopus, Epist. VII.
		19. *Demophilus* monachus, Epist. VIII.
		20. *Carpus*, Epist. VIII, 6.

Dum Maximus (393 A) et Pachymeres (961 A) « Iustum » (405) putant esse Ioseph Barsaban (*Act.* 1, 23), S. Thomas prudenter notat: « quidam sanctus nomine Iustus » (**894**); et Cordier consentit (**955**).

Harum series personarum consideranti haud difficulter eas non eumdem habere valorem historicum apparet: in serie A¹ una tantum persona aliquam firmitatem habet (6), reliquae utriusque seriei velut umbratilem mundum constituunt et ad venerandam antiquitatem fundandam (A) vel quocumque modo confirmandam (B), inducuntur.

At nemo est qui non videat intimam contradictionem inter A¹ 6 et A et B nam certum videtur locum Ignatii († c. 110) ex opere Origenis († 253-255) derivari: unde sunt qui interpolationem ponunt vel, fallente vestigio, Areopagitae detrahunt.

Datur tertium: profunditas doctrinae scientiam auctoris manifestat et cohaerentia theoriae cum praxi sinceritatem eius declarat. Si ergo se non discipulum Pauli, sed Hierothei esse significat, ipsi credendum est. At eo ipso antiquitatis tectoria auferuntur, caetera ex se ipsis manifestantur: vel ut *symbola* sive ecclesiastica (A 1, 2) sive literaria (A¹ 5, 7) vel ut *manifestatio devotionis personalis* (A 4 - « vera theologia » Ioannis, « expositio fidei quam per revelationem a beato Ioanne Evangelista, mediante Dei Genitrice Maria Virgine, accepit » S. Gregorius Thaumaturgus episcopus Neocaesareae Ponti, intelligenda videtur et quae per Basilium Magnum propugnaculum fidei contra Arianismum fuit) vel ut *nomina personalia* sive historica (A¹ 6) sive symbolica (B 9) sive communia pluribus personis et horum nominum quaedam inveniuntur in literatura neo-testamentaria (B, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 17, 20) unum saltem in aevo apostolico vel sub-apostolico (B 18) caetera (A 3; B 16, 19) quacumque aetate inveniri possunt sicut et quocumque tempore aliquis se esse discipulum Pauli (B 8) affirmare sincerissime potest.

Quaenam autem realiter sint producta ab auctore primaevo, quaenam vero sint inducta, iuxta subsequentes status, per glossas marginales aut per compositores anonymos et personatos facile est intelligere, difficile vero determinare.

Unum certum est: circumstantiae externae loci temporis et personarum notantur in historia, ex quibus factum est ut vel textum intellexerint sensu diverso ab illo quem auctor intenderat vel eius verba et etiam nomina personalia ita modificata sint saltem quoad interpretationem ambientis ut aevo apostolico connexa videantur, at simul intima contradictione laborent, si inter se haec nomina comparentur.

Difficultates non minuuntur, immo augentur. Hoc saltem adhuc manifeste apparet: si, ex una parte, Ipathius episcopus ephesinus *certus est Severianos ostendere non posse testimonia Dionysii esse documenta Areopagitae* (Mansi, *Collectio* VIII, 821 D), ex altera parte, Leontius byzantius citat « Dionysium Magnum » (*contra Nestor.* I - DN. XIII, 1, 3; MG. 86, 1; 1288 C; *ibid.* DN. II, 4; 1304 D); recenset « novem magistros et patres » a nativitate Christi ad imperium Constantini: « *Ignatium* theophorum, Irenaeum, Iustinum philosophum et martyrum, *Clementem*, Hippolytum episcopum Romae († 236) *Dionysium Areopagitam*, Methodium episcopum Patarorum († 311), Gregorium Thaumaturgum, Petrum episcopum Alexandriae et martyrem » (*De Sectis*, Act. III; MG. 86, 1, 1213 A).

Mirum est Leontium, initium auctorum quos « magistros et patres » vocat, a Dionysio areopagita non sumpsisse et de actis in collatione constantinopolitana referens *nihil* de Dionysio illo Areopagita dixisse (*De Sectis* VIII; 1252-1257).

Optime quidem scriptum est Leontium silentium tenuisse qu'a ipse authentica esse opera Dionysii putabat, ob reverentiam tamen erga auctoritatem Ipathii, defensorem Areopagitae se manifeste ostendere noluit (J. Stiglmayr, *Das Aufkommen der Pseudo-Dionysischen Schriften...*, pag. 59).

Qua ratione in elencho auctorum primus sit *Ignatius* intelligere possumus ex eo quod Dionysius locum ex epistolis eius citat, unde ex hac parte Leontius consentit cum Ipathio contra Severianos. Sed tunc « Dionysius Magnus » cuius authentica esse opera Leontius putat, altera persona est a Dionysio illo « Areopagita », discipulo immediato Pauli, de quo quaestio erat in collatione cum Severianis. *Titulo honoris*, tamquam sapientissimo philosopho debiti, Dionysius alter, « Areopagita » a Leontio vel a « voce » (Theodoro) appellatur et *simul*, per quamdam coniecturam, collocatur post *Clementem*, inter Hippolytum et Methodium. Quod quidem non est hominis consentientis cum Severianis, sed nec. ob reverentiam debitam Ipathio, de realitate « Dionysii Magni » totaliter dubitantis. Nova ramenta congessi.

LECTIO III (58ª)

Excluduntur obiectiones quaedam et determinatur de Pace facta per Christi Incarnationem.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. XI; textus nn. 414-420; expositio nn. 913-924).

A) Determinat de divina pace, secundum quod pertinet ad divinam naturam, excludendo obiectiones (913)
- 1° - movet dubitationem (414; 914)
- 2° - solvit propositam dubitationem secundum tres intellectus dubitationis:
  - a) primum eorum determinatur:
    - j° - ponit solutionem (415; 917)
    - ij° - manifestat eam (416; 918); solvit dubitationem quoad nolle sponte quiescere (417; 919)
  - b) alterum intellectum explicatur (418; 920-921)
  - c) quoad testium intellectum dubitationis (419; 922)

B) Determinat de Pace facta per Christi Incarnationem (420; 923-924)

TEXTUS DIONYSII

§ 3. 414. — « Quomodo autem, dicat aliquis, desiderant omnia pacem?

Multa enim alteritate et discretione gaudent et non aliquando velint sponte quiescere.

415. — Et si quidem dicens hoc, dicit alteritatem et discretionem uniuscuiusque existentium proprietatem et quod hanc neque unum existentium existens quod est velit aliquando perdere, non quidem neque nos ad hoc contradicemus, sed et hoc pacis desiderium esse nuntiamus:

omnia enim diligunt ad seipsa et pacem habere et uniri et sua et quae sunt suorum esse immobilia et cadere non valentia,

416. — Et est et mundae singulorum proprietatis perfecta pax servativa, providentiis ipsius pacem donantibus, omnia non bellantia et inconfusa et ad seipsa et ad se invicem salvans et omnia, stabili et indeclinabili virtute, ad sui ipsorum pacem et immobilitatem statuens.

§ 4. 417. — Et si mota omnia non quiescere, sed moveri semper ipsorum motu velint et hoc desiderium est totorum divinae Pacis, omnia in seipsis cadere non valentia salvantis et omnium motorum proprietatem et motivam vitam immobilem et cadere non valentem custodientis, in eo quod mota ad

§ 3. 414. — Πῶς δέ, φαίη τις, ἐφίεται πάντα εἰρήνης;

πολλὰ γὰρ ἑτερότητι καὶ διακρίσει χαίρει καὶ οὐκ ἄν ποτε ἑκόντα ἠρεμεῖν ἐθελήσοι.

415. — Καὶ εἰ μὲν ἑτερότητα καὶ διάκρισιν ὁ ταῦτα λέγων φησὶ τὴν ἑκάστου τῶν ὄντων ἰδιότητα καὶ ὅτι ταύτην οὐδὲ ἓν τῶν ὄντων ὂν ὅπερ ἐστὶν ἐθέλει ποτὲ ἀπολλύειν, οὐκ ἂν οὐδὲ ἡμεῖς πρὸς τοῦτο ἀντιφήσομεν, ἀλλὰ καὶ ταύτην εἰρήνης ἔφεσιν ἀποφανούμεθα.

Πάντα γὰρ ἀγαπᾷ πρὸς ἑαυτὰ εἰρηνεύειν τε καὶ ἡνῶσθαι καὶ ἑαυτῶν καὶ τῶν ἑαυτῶν ἀκίνητα καὶ ἄπτωτα εἶναι.

416. — Καὶ ἔστι καὶ τῆς καθ' ἕκαστον ἀμιγοῦς ἰδιότητος ἡ παντελὴς εἰρήνη [C] *φυλακτικὴ ταῖς εἰρηνοδώροις αὐτῆς προνοίαις τὰ πάντα ἀστασίαστα καὶ ἀσύμφυρτα πρός τε ἑαυτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα διασώζουσα καὶ πάντα ἐν σταθερᾷ καὶ ἀκλίτῳ δυνάμει πρὸς τὴν ἑαυτῶν εἰρήνην καὶ ἀκινησίαν ἱστῶσα.*

§ 4. 417. — Καὶ εἰ τὰ κινούμενα πάντα μὴ ἠρεμεῖν, ἀλλὰ κινεῖσθαι ἀεὶ τὴν ἑαυτῶν κίνησιν ἐθέλοι, καὶ τοῦτο ἔφεσίς ἐστι τῆς θείας τῶν ὅλων εἰρήνης τῆς πάντα ἐφ' ἑαυτῶν ἀδιάπτωτα διασωζούσης καὶ τὴν πάντων τῶν κινουμένων ἰδιότητα καὶ κινητικὴν ζωὴν ἀκίνητον καὶ ἄπτωτον φυλαττούσης ἐν τῷ τὰ κινού[D]*μενα*

seipsam pacem habentia et eodem modo habentia, operantur ea quae sunt sui ipsorum.

§ 5. 418. — Si autem secundum casum a pace alteritatem dicens, conatur probare non esse omnibus amabilem pacem, maxime quidem nihil est existentium quod ab omni perfecte unitione ceciderit:

quod enim est omnino instabile et interminatum et incollocabile et indefinitum neque existens est neque in existentibus.

419. — Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari qui litibus et furoribus et variationibus et instabilitatibus gaudent, et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur, a passionibus multum moventibus impugnati et istas sedare stulte desiderantes et arbitrantes adimpletione semper fluentium pacem habere seipsos, non consecutione delectationum se detinentium perturbatos.

420. — Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum? Secundum quam non iam didicimus bellum facere neque nobis ipsis neque aliis neque Angelis,

sed et cum ipsis divina secundum virtutem operabimur secundum providentiam Iesu omnia in omnibus cooperantis, sed et facientis pacem ineffabilem et ex saeculo praediffinitam

et reconciliantis nos sibi ipsi in Spiritu et, per ipsum et in ipso, Patri.

De quibus supernaturalibus donis in *Theologicis Hypotyposibus* sufficienter dictum est, testimonium perhibente nobis sancta eloquiorum inspiratione ».

πρὸς ἑαυτὰ εἰρηνεύοντα καὶ ὡσαύτως ἔχοντα δρᾷν τὰ ἑαυτῶν.

§ 5. 418. — Εἰ δὲ τὴν κατ'ἔκπτωσιν εἰρήνης ἑτερότητα λέγων ἰσχυρίζεται μὴ πᾶσιν εἶναι ἐραστὴν τὴν εἰρήνην, μάλιστα μὲν οὐδέν ἐστι τῶν ὄντων ὃ πάσης παντελῶς ἐνώσεως ἀποπέπτωκε·

τὸ γὰρ πάντη ἄστα[953 A]τον καὶ ἄπειρον καὶ ἀνίδρυτον καὶ ἀόριστον οὔτε ὂν ἐστιν οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν.

419. — Εἰ δὲ τούτους φησὶν εἰρήνῃ καὶ εἰρήνης ἀγαθοῖς ἀπεχθάνεσθαι τοὺς ἔρισι καὶ θυμοῖς καὶ ἀλλοιώσεσι καὶ ἀκαταστασίαις χαίροντας καὶ οὗτοι ἀμαυροῖς εἰδώλοις εἰρηνικῆς ἐφέσεως διακρατοῦνται, πρὸς παθῶν ἐνοχλούμενοι πολυκινήτων καὶ ταῦτα ἰστᾷν ἀνεπιστημόνως ἐφιέμενοι, καὶ οἰόμενοι τῇ ἀποπληρώσει τῶν ἀεὶ ἀπορρεόντων εἰρηνεύειν ἑαυτοὺς τῇ ἀτευξίᾳ τῶν κρατησασῶν ἡδονῶν ἐκταρασσομένους.

420. — Τί ἄν τις εἴποι περὶ τῆς κατὰ Χριστὸν εἰρηνοχύτου φιλανθρωπίας [1]*, καθ' ἣν οὐ μὴ μάθωμεν ἔτι πολεμεῖν οὔτε ἑαυτοῖς οὔτε ἀλλήλοις οὔτε ἀγγέλοις* [2]*·*

ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς τὰ θεῖα κατὰ δύναμιν συνεργήσωμεν κατὰ πρόνοιαν Ἰησοῦ τοῦ « τὰ πάντα ἐν πᾶσιν » [3]*, ἐνεργοῦντος καὶ ποιοῦντος εἰρήνην* [4] *ἄρρητον καὶ ἐξ αἰῶνος προωρισμένην,*

καὶ ἀποκαταλλάσσοντος [5] *ἡμᾶς* [B] *ἑαυτῷ καὶ ἐν ἑαυτῷ τῷ Πατρί* [6]*.*

Περὶ ὧν ὑπερφυῶν δώρων ἐν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσιν ἱκανῶς εἴρηται, προσεπιμαρτυρούντων ἡμῖν καὶ τῆς ἱερᾶς τῶν λογίων ἐπιπνοίας.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

913. — Postquam Dionysius determinavit de pace, hic movet dubitationem circa praedeterminata: dixerat enim supra [401; 886], quod omnia desiderant pacem; hic circa hoc quaestionem movet: primo ergo movet dubitationem; secundo, solvit; ibi [415]: *Et si quidem...*

914. — Quaerit ergo primo *quomodo* possit dici quod *omnia desiderant pacem*, cum *multa* sint quae in hoc gaudeant quod sunt alia ab aliis discreta et propria *sponte quiescere non* volunt, sed semper moveri desiderant. Cum autem ratio pacis in unitate et quiete consistat, haec omnia rationi pacis adversari videntur.

915. — Deinde, cum dicit [415]: *Et si quidem...* solvit propositam dubitationem, secundum tres intellectus dubitationis propositae; quorum primum, primo prosequitur; secundo, secundum; ibi [418]: *Si autem secundum casum...;* tertio, tertium; ibi [419]: *Si autem istos...*

916. — Circa primum, duo facit: primo, ponit solutionem; secundo, manifestat eam; ibi [416]: *Et est et mundae...*

917. — Dicit ergo primo quod *si* ille qui praemissam dubitationem movet, cum *dicit* quod *multa gaudent alteritate et discretione*, intelligat de alteritate et discretione quae competit unicuique secundum suam

[1]) *Tit.* 3, 4.
[2]) *Colos.* 1, 20.
[3]) *Ephes.* 1, 23.
[4]) Cfr. *Ephes.* 2, 15.
[5]) *Colos.* 1, 20.
[6]) *Rom.* 5, 1.

propriam naturam, per quam alia ab aliis distinguuntur, quam quidem propriam naturam et distinctionem consequentem, nulla res *perdere* vult, contra hunc intellectum non oportet *nos* contradicere, *sed* dicemus quod desiderare talem discretionem est desiderare pacem: per hoc *enim omnia diligunt ad* semetipsa *pacem habere et* sibimetipsis *uniri*, quod volunt *sua et quae sunt suorum*, idest suas proprias naturas et quaecumque ad eadem pertinent, immobiliter et absque casu permanere. Per hoc autem quod id quod est proprium uniuscuiusque rei conservatur, et servatur pax et unitas rei ad seipsam. Unde sequitur quod desiderare discretionem quae consequitur propriam naturam, est desiderare pacem.

918. — Deinde, cum dicit [416]: *Et est et mundae...* manifestat praedictam solutionem per efficientiam divinae pacis: praedictam enim discretionem in rebus statuere, ad divinam pacem pertinet, unde non est contrarium desiderio pacis, si talis discretio desideretur. Hoc est ergo quod dicit quod *perfecta pax*, scilicet divina conservat proprietatem, idest propriam naturam *singulorum*, in sua munditia et puritate, non permixtam extraneo, sed discretam ab eo. Et hoc quidem pertinet ad providentiam Dei, secundum quod pacem rebus donat; quam quidem providentiam, pluraliter nominat propter diversas providentiae participationes.

Et hoc sic apparet: pertinet enim ad Providentiam Dei, secundum quod pacem facit in rebus, ut bellum a rebus excludat quod adversatur paci. Bellum autem in rebus esset nisi confusio tolleretur, quia una res non contineretur intra limites proprios, sed quodammodo invaderet alienos. Sic igitur, per hoc quod divina Providentia servat *omnia non bellantia et inconfusa* et unumquodque ad seipsum et diversas res *ad invicem*, statuit pacem in rebus; et hoc est quod subdit quod *omnia*, secundum stabilem et indeclinabilem virtutem, statuit *ad sui pacem et immobilitatem*, idest ut immobiliter in propria natura permaneant et sic ad se pacem habeant.

919. — Et quia iam solvit dubitationem quantum ad hoc quod dictum erat quod multa gaudent et | alteritate et discretione, consequenter cum dicit [417]: *Et si mota...* solvit eodem modo dubitationem, quantum ad hoc quod dictum est quod multi *non* volunt *sponte quiescere;* et dicit quod *si* illa, in quorum natura est quod moveantur, non volunt *quiescere*, sed volunt *semper moveri* proprio *motu, hoc* etiam *desiderium est* pacis quae a Deo est in omnia derivata, per quam omnia conservantur in seipsis, absque hoc quod cadant ab eo quod competit eis secundum propriam naturam; et per consequens, per divinam pacem conservatur proprietas omnium mobilium et motivorum.

Prima autem motiva sunt immobilia, quia cum in mobilibus non sit procedere in infinitum, necesse est devenire ad aliquod primum moventium immobile, ut probatur VIII° *Physicorum* [1]). Primum vero movens immobile, necesse est esse vivens, ut probatur in XII° *Metaphysicorum* [2]); et ideo signanter dicit: *et motivam vitam immobilem.* Sic autem custoditur per divinam Pacem, proprietas mobilium et vita immobilis motivorum, ut non excidant a naturali statu.

Intantum autem conservatio proprietatis mobilium et motivorum pertinet ad divinam Pacem, inquantum ea quae moventur, sic habent ad seipsa pacem *et eodem modo* se habent in sua mobilitate, secundum quod *operantur ea quae* ad ipsa pertinent: moveri enim est proprium opus mobilis, inquantum est mobile. Quod autem propriam operationem retinet, habet ad se pacem. Unde patet quod cum ea quae naturaliter moventur, volunt moveri semper et non quiescere, pacem desiderant.

920. — Deinde, cum dicit [418]: *si autem secundum casum...* solvit dubitationem motam, quantum ad secundum intellectum dubitationis; et dicit quod *si* ille qui dubitationem movet, cum dixit quod multa gaudent alteritate et discretione, non intellexit de alteritate et discretione naturali, quae pertinent ad rationem pacis, sed intellexit de alteritate et discretione *secundum casum a pace*, idest secundum quod aliquid excidit ab unione in quo consistit ratio pacis et sic velit *probare* quod pax non est omnibus amabilis, contra hunc opponentem sic erit dicendum quod *nihil est* quod totaliter excidat ab omni unione, in qua consistit ratio pacis.

921. — Et hoc sic probat: quia nullo modo potest esse aliquid *existens* per se vel aliquid *in existentibus*, ut accidens vel pars, quod omnino ceciderit ab unitione; quem quidem casum quadruplicem per quatuor loquitur: primo quidem quantum ad ipsum casum, cui opponitur statio, secundum quod aliquid stat in naturali unitione; et quantum ad hoc, dicit: *instabile.*

[1]) C. 5: 256, a, 13-b, 2; S. Th. l. 9, n. 4 sq.
[2]) C. 7: 1072, b, 26-30; S. Th. l. 8, n. 2544.

Deinde ea tangit ex quibus casus accidit: cadit autem aliquid, dum tolluntur ea per quae stabat; stat autem aliquid in naturali unitione per tria: primo quidem, per terminum quo continetur ne effluat; nam et sicca continentur propriis terminis et humida continentur terminis alienis et forma per quam unaquaeque res continetur in suo esse, terminus dicitur; et quantum ad hoc, dicit: *interminatum.* Secundo, aliquid habet stationem per aliquod extrinsecum continens, sicut corpora continentur loco; et secundum hanc similitudinem, omne exterius continens et non conservans, locus dici potest; et quantum ad hoc, dicit: *incollocabile.* Tertio, aliquid habet stationem in sua propria operatione ex fine; quia enim artifex habet finem determinatum suae operationis, regulariter operatur secundum regulam finis; quod autem non habet finem determinatum, sed vagatur circa diversos fines, oportet quod sit fluctuans et instabile circa propriam operationem; et quantum ad hoc dicit: *indefinitum.*

Sic ergo nihil totaliter excidit ab unitione pacis; unumquodque autem appetit et amat id quod est sibi conforme, refugit autem contrarium: impossibile enim est esse aliquod ens quod totaliter unitionem refugiat et appetat alteritatem et discretionem, quae est secundum casum a naturali pace.

922. — Deinde, cum dicit [419]: *Si autem istos...* solvit dubitationem secundum tertium intellectum, prout id quod dictum est quod multa sunt quae alteritate et discretione gaudent, non referatur ad appetitum naturalem, ut in praemissis, sed ad appetitum voluntarium. Et dicit quod si ille qui movet dubitationem dicat illos homines *inimicari paci et bonis* eius, *qui gaudent* in exterioribus *litibus* et interioribus commotionibus animi quas vocat furores, quae duo pertinent ad divisionem paci contrariam; et iterum gaudent *variationibus et instabilitatibus* quae videntur paci contrariari, et hoc quantum ad secundam partem dubitationis, dicendum est quod tales etiam homines detinentur a desiderio pacis, secundum quamdam obscuram similitudinem.

Et hoc sic manifestat: Tales enim homines *multum* impugnantur *a passionibus*, quibus commoventur et sic per huiusmodi passiones, eorum pax interior perturbatur. Huiusmodi ergo impugnationem passionum ex desideriis pacis *sedare* volunt non sapienter, sed *stulte.* Putant enim quod possunt habere interiorem pacem, implendo superflua et inordinata sua desideria quae incitantur secundum varias passiones, sed per hoc magis perturbantur, dum non possunt consequi delectationes a quibus detinentur: impossibile est enim quod homo, superfluis et inordinatis desideriis subiacens, omnia desiderata consequi possit; et ideo tales, quaerentes pacem, lites commovent ut sua desideria impleant. Et quia variis desideriis subiacent, variationibus gaudent.

Sapienter autem hanc impugnationem passionum sedarent si, multa desideria reprimentes, ad unum desiderium verae pacis converterentur.

923. — Deinde, cum dicit [420]: *Quid dicat...* determinat de pace facta per Christi incarnationem, dicens quod sufficiens aliquid dici non potest de pietate Dei quae effundit pacem in mundum per Christum; *secundum quam* pacem, *iam* liberati a peccato *didicimus*, doctrina et exemplo Christi et interiori Spiritus Sancti inspiratione, *non facere bellum* peccando neque contra nosmetipsos neque discordando a sanctis *Angelis*, sed per hanc pacem, *secundum* nostram *virtutem*, operamur ea quae Dei sunt, simul cum sanctis Angelis; et hoc, *secundum providentiam* et gratiam *Iesu* qui operatur *omnia in omnibus* et qui facit illam *ineffabilem pacem* quae est ab aeterno praeordinata; per quam pacem, reconciliamur ipsi Christo *in Spiritu* Sancto, qui est Spiritus dilectionis et pacis; *per ipsum* Christum et *in ipso* Christo, simul reconciliamur Deo *Patri.*

924. — De his autem supernaturalibus donis pertinentibus ad pacem factam per Christum, *dictum est sufficienter in* libro de *theologicis hypotyposibus* et hoc secundum testimonia Scripturarum a Deo inspiratarum; et ideo hic de his breviter pertransivimus.

LECTIO IV (59a)

De divinis perfectionibus secundum quod per se in abstracto considerantur.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. XI; textus nn. 421-426; expositio **925-938**).

Determinat de divinis perfectionibus secundum quod per se in abstracto considerantur
A) movet dubitationes (421; **926**)
B) solvit eas:
  1° - primo, secundam (422; **928**)
  2° - secundo, primam:
    a) repetit quaestionem (423; **930**)
    b) excludit falsum intellectum (424; **931-933**)
    c) determinat veritatem (425; **934-937**)
C) confirmat solutionem per dicta aliorum (426; **938**)

TEXTUS DIONYSII

§ 6. 421. — « Sed quoniam et alibi per epistolam me interrogasti: " quid forte dicam per se esse, per se vitam et per se esse * sapientiam "
et ad teipsum dixisti dubitasse
" quomodo Deum aliquando quidem per se vitam dico aliquando autem per se vitae substantificatorem * ",
necessarium arbitratus sum, sancte Dei vir, et ab hac dubitatione in nobis * te absolvere.

*§ 6. 421. — 'Αλλ' ἐπειδὴ καὶ ἄλλοτέ μου δι' ἐπιστολῆς ἐπύθου· « τί ποτε ἄρα φημὶ τὸ αὐτοεῖναι τὴν αὐτοζωὴν τὴν αὐτοσοφίαν » *·*

καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἔφης διαπορῆσαι·
*« πῶς τὸν θεὸν ποτε μὲν αὐτοζωὴν φημι, ποτε δὲ τῆς αὐτοζωῆς ὑποστάτην * »·*

*ἀναγκαῖον ᾠήθην, ἱερὲ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπε, καὶ ταύτης σε τῆς ἐφ' ἡμῖν * ἀπορίας ἀπολύσαι.*

422. — Et primum quidem, ut multipliciter * dicta et nunc assumam, non est contrarium per se virtutem aut per se vitam dicere Deum et per se vitae aut pacis aut virtutis substantificatorem *:
haec * enim quidem ex existentibus et maxime ex primo existentibus, sicut causa omnium existentium dicitur;
illa * autem sicut super omnia et etiam quae prius sunt superexistens supersubstantialiter.

*422. — Καὶ πρῶτον μέν — ἵνα τὰ μυριόλεκτα * καὶ [C] νῦν ἀναλάβωμεν — οὐκ ἔστιν ἐναντίον ἀυτοδύναμιν ἢ αὐτοζωὴν εἰπεῖν τὸν θεὸν καὶ τῆς αὐτοζωῆς ἢ εἰρήνης ἢ δυνάμεως ὑποστάτην *·*
*τὰ μὲν * γὰρ ἐκ τῶν ὄντων καὶ μάλιστα ἐκ τῶν πρώτως ὄντων ὡς αἴτιος πάντων τῶν ὄντων λέγεται,*
*τὰ δὲ * ὡς ὑπὲρ πάντα καὶ τὰ πρώτως ὄντα ὑπερὼν ὑπερουσίως.*

423. — Dicis autem: " Quid totaliter dicimus per se esse aut per se vitam aut quaecumque absolute et principaliter * esse et ex Deo primo subsistere ponimus? ".

*423. — « Τί δὲ ὅλως, φῄς, τὸ αὐτοεῖναι λέγομεν ἢ τὴν αὐτοζωὴν ἢ ὅσα ἀπολύτως καὶ ἀρχηγικῶς * εἶναι καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ πρώτως ὑφεστηκέναι τιθέμεθα »·*

424. — Hoc autem quod dicimus non est obliquum, sed rectum et simplicem habens manifestationem:
non enim substantiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus esse per se quod est causa quod sunt omnia.

424. — τοῦτο δὲ φαμεν οὐκ ἔστιν ἀγκύλον, ἀλλ' εὐθὺ καὶ ἁπλὴν τὴν διασάφησιν ἔχον.

Οὐ γὰρ οὐσίαν τινὰ θείαν ἢ ἀγγελικὴν εἶναί φαμεν τὸ αὐτοεῖναι τοῦ εἶναι τὰ ὄντα πάντα αἰτίαν

Solum enim quod sunt existentia omnia et ipsum esse supersubstantiale * est principium et substantia et causa.
Neque vitae-generativam aliam deitatem dicimus praeter superdeam vitam omnium quaecumque vivunt et ipsius vitae per se causam;
neque, ut colligendo dicamus, dicimus principales * existentium et causativas substantias et personas, quas * et deos existentium et causatores per se facientes * dixerunt, quos vere et proprie dicendum non existentes, neque ipsi sciverunt neque patres eorum.

*— μόνον γὰρ τοῦ εἶναι πάντα τὰ ὄντα καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι ὑπερούσιον * ἀρχὴ καὶ οὐσία καὶ αἴτιον —*
οὐδὲ ζωογόνον ἄλλην θεότητα παρὰ τὴν ὑπέρθεον, πάντων ὅσα ζῇ καὶ τῆς αὐτοζωῆς αἰτίαν ζωήν,
*οὔτε, [D] συνελόντα εἰπεῖν, ἀρχικὰς τῶν ὄντων καὶ δημιουργικὰς οὐσίας καὶ ὑποστάσεις, ἅς τινες καὶ θεοὺς τῶν ὄντων καὶ δημιουργοὺς αὐτοσχεδιάσαντες * ἀπεστομάτισαν — οὓς, ἀληθῶς καὶ κυρίως εἰπεῖν, οὔτε αὐτοὶ ᾔδεισαν οὐκ ὄντας οὔτε οἱ πατέρες αὐτῶν —*

425. — Sed per se esse et per se vitam et per se deitatem * dicimus et divine et causaliter unum omnium superprincipale * et supersubstantiale principium et causam; participabiliter autem datas ex Deo imparticipabili provisivas virtutes: per se substantificationem, per se vivificationem, per se deificationem, quibus existentia, iuxta proprietatem suam participantia et existentia et viventia et divina et sunt et dicuntur
et alia similiter;
propter quod et primo * ipsorum bonus substantificator * dicitur esse;
postea, totorum ipsorum;
postea, particularium ipsorum;
deinde, totaliter ipsis participantium *;
postea particulariter ipsis participantium *.

*425. — ἀλλ' αὐτοεῖναι καὶ αὐτοζωὴν καὶ αὐτοθεότητά * φαμεν, [956 A] ἀρχικῶς * μὲν οὖν θεικῶς καὶ αἰτιατικῶς, τὴν μίαν πάντων ὑπεράρχιον * καὶ ὑπερούσιον ἀρχὴν καὶ αἰτίαν· μεθεκτῶς δὲ τὰς ἐκδιδομένας ἐκ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου, προνοητικὰς δυνάμεις· τὴν αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν ὧν τὰ ὄντα οἰκείως ἑαυτοῖς μετέχοντα καὶ ὄντα καὶ ζῶντα καὶ ἔνθεα καὶ ἔστι καὶ λέγεται·*
καὶ τὰ ἄλλα ὡσαύτως.
*Διὸ καὶ τῶν πρώτων * αὐτῶν ὁ ἀγαθὸς ὑποστάτης * λέγεται εἶναι·*
εἶτα τῶν ὅλων αὐτῶν·
εἶτα τῶν μερικῶν αὐτῶν·
εἶτα τῶν ὅλως αὐτῶν μετεχόντων·
*εἶτα τῶν μερικῶς αὐτῶν μετεχόντων *.*

426. — Et quid oportet de istis dicere? quandoquidem divinorum quidam nostrorum magistrorum sanctorum et ipsius per se bonitatis et deitatis substantificatricem * dicunt superbonam et superdeam *
per se bonitatem et deitatem dicentes esse benificum et deificum ex Deo proveniens donum;
et per se pulchritudinem, per sepulchrificam effusionem
et totam pulchritudinem et particularem pulchritudinem
et totaliter pulchra et in parte pulchra
et quaecumque alia secundum eumdem dicta sunt et dicentur modum, monstrantia providentias et bonitates participatas ab existentibus ex Deo imparticipabili procedentes copiosa effusione et supermanantes,
ut diligenter omnium causa sit super omnia et excedat omnino supersubstantiale et supernaturale existentia, secundum quamcumque substantiam et naturam ».

*426. — Καὶ τί δεῖ περὶ τούτων λέγειν; ὅπου γέ τινες τῶν θείων ἡμῶν ἱεροδιδασκάλων καὶ τῆς αὐτοαγαθότητος καὶ * θεότητος ὑποστάτην * φασὶ τὸν ὑπεράγαθον καὶ ὑπέρθεον *,*
αὐτοαγαθότητα καὶ θεότητα λέγοντες εἶναι τὴν ἀγαθοποιὸν καὶ θεοποιὸν ἐκ θεοῦ προελθοῦσαν δωρεάν·
*καὶ αὐτοκάλλος * τὴν αὐτο[B]καλλοποιὸν χύσιν·*
καὶ ὅλον κάλλος καὶ μερικὸν κάλλος·
καὶ ὅλως καλὰ καὶ ἐν μέρει καλά·
καὶ ὅσα ἄλλα κατὰ τὸν αὐτὸν εἴρηται καὶ εἰρήσεται τρόπον, δηλοῦντα προνοίας καὶ ἀγαθότητας μετεχομένας ὑπὸ τῶν ὄντων ἐκ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προϊούσας ἀφθόνῳ χύσει καὶ ὑπερβλυζούσας,
ἵνα ἀκριβῶς ὁ πάντων αἴτιος ἐπέκεινα ᾖ πάντων καὶ τὸ ὑπερούσιον καὶ ὑπερφυὲς πάντῃ ὑπερέχῃ τῶν καθ' ὁποίαν τινά ποτε οὐσίαν καὶ φύσιν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

925. — Postquam determinavit Dionysius de pace quae in rebus constituitur per dona divina, hic determinat de ipsis divinis perfectionibus, secundum quod per se in abstracto considerantur; et circa hoc, tria facit: primo, movet dubitationem; secundo, solvit eam, ibi [422]: E*t primum quidem...;* tertio, solutionem per dicta aliorum confirmat, ibi [426]: *Et quid oportet?*.

926. — Est ergo circa primum sciendum quod Timotheus in quadam epistola ad Dionysium scripta, de duobus in ea interro-

gaverat: primo, quidem, quid sit per se vita et per se sapientia: talibus enim frequenter Dionysius utitur, ut in praecedentibus patet. Secundo, Timotheus in eadem epistola dixerat se dubitasse quomodo Dionysius quandoque dicebat *Deum* esse *per se vitam* quandoque, autem, Deum esse causam *per se vitae;* et ideo dicit Dionysius quod Timotheum *ab hac dubitatione* liberare voluit, quantum in ipso fuit.

927. — Deinde, cum dicit [422]: *Et primum...* solvit motas dubitationes; et primo, secundam: ostendens quomodo Deus sit per se vita et causa per se vitae; secundo, solvit primam: ostendens quid sit per se esse et per se vita; ibi [423]: *Dicis autem...*

928. — Dicit ergo primo quod non vult nunc assumere *dicta*, quasi dicta simpliciter; et ideo, quia per se vita non dicitur simpliciter, sed *multipliciter*, *non est contrarium* quod dicamus *Deum per se vitam aut per se virtutem;* et iterum quod dicamus Eum *substantificatorem*, idest creatorem *per se vitae aut* per se *pacis aut* per se *virtutis*. Esset autem contrarium, si ista non multipliciter dicerentur.

Cum enim dicimus Deum esse substantificatorem per se vitae et huiusmodi, laudamus Eum *sicut* causam *omnium existentium ex* illis *existentibus* quae *maxime* et *primo* existunt. Manifestum est enim quod per se vita est prius quam vivens et sic de aliis. Unde, si Deus est causa horum primorum, est causa omnium. Cum vero dicimus Deum esse per se virtutem aut per se vitam, laudatur Deus *sicut* existens *super omnia et* super ea *quae sunt* prima inter omnia dicitur per se vita, per quemdam excessum.

929. — Deinde, cum dicit [423]: *Dicis autem...* solvit primam dubitationem, scilicet quid sit per se vita; et primo, repetit quaestionem; secundo, excludit falsum intellectum; ibi [424]: *Hoc autem...;* tertio, determinat veritatem; ibi [425]: *Sed per se esse...*

930. — Proponit ergo primo, ex persona Timothei, quid significetur cum dicitur *per se esse aut per se* vita et *quaecumque* alia huiusmodi et dicit signanter: *absolute*, idest abstracte *et principaliter*, idest sicut principia aliorum; nam per se vita significat principia viventium.

931. — Deinde, cum dicit [424]: *Hoc autem...* excludit erroneum intellectum. Ad cuius evidentiam sciendum est quod Platonici, ponentes ideas rerum separatas, omnia quae sic in abstracto dicuntur, posuerunt in abstracto subsistere causas secundum ordinem quemdam; ita scilicet quod primum rerum principium dicebant esse per se bonitatem et per se unitatem et hoc primum principium, quod est essentialiter bonum et unum, dicebant esse summum Deum. Sub bono autem ponebant esse, ut supra dictum est [266; 633-635] et sub esse ponebant vitam et sic de aliis. Et ideo dicebant sub summo Deo, esse quamdam divinam substantiam quae nominatur per se esse et sub hac aliam, quae nominatur per se vita.

932. — Hoc ergo excludere intendens, dicit quod id quod supra dixerat [422], quod *per se esse* et *per se* vita *primo* a *Deo* subsistunt, non est aliquid erroneum, *sed* est *rectum* et planas manifestationes habens: *non enim* nominamus *per se esse* aliquam *substantiam divinam aut angelicam*, quae sit *causa* essendi omnibus; addit autem angelicam, quia quos Platonici deos secundos dicebant, nos Angelos nominamus. *Solum enim ipsum esse supersubstantiale* divinum *est principium et substantia et causa quod omnia existentia* sint: ut hoc quod dicit *principium* referatur ad ordinem naturae, secundum quod esse divinum praecedit omnia entia; *substantia*, vero, importet rationem exemplaris: id enim cuius substantia est suum esse, est exemplar omnium existentium; quod autem dicitur *causa* pertinet ad hoc quod dat esse existentibus. Similiter autem cum dicimus per se vitam, non intelligimus quamdam *deitatem* causativam *vitae*, quae sit alia praeter vitam summi Dei, qui est causa *omnium* quae *vivunt et* etiam *ipsius per se vitae*.

933. — Et ut in summa omnia colligamus, non dicimus esse aliquas essentias et hypostases separatas quae sint principia rerum et creatrices earum, *quas* Platonici *dixerunt* esse *deos* existentium et creatores, quasi *per se* operantes ad rerum productionem. Huiusmodi autem deos, si *vere et proprie* loqui volumus, dicamus *non* existere in rebus; *neque* illi qui tales deos posuerunt, per aliquam certitudinem scientiae hoc invenerunt aut *ipsi* aut *patres eorum;* quia neque primi Platonici neque posteriores, huius rei scientiam per certas et firmas scientias accipere potuerunt, sed per quasdam humanas rationes decepti sunt ad opinandum.

934. — Deinde, cum dicit [425]: *Sed per se esse...* excluso errore, solvit secundum veritatem; et dicit quod *per se esse et per se* vita et huiusmodi, dupliciter dicuntur: uno

modo, dicuntur de Deo qui est *unum supersubstantiale principium omnium et* causa; et dicitur Deus per se vita vel per se ens, quia non vivit participatione alicuius vitae neque est per participationem alicuius esse, sed Ipse est suum vivere et sua vita et excedens omne esse et omnem vitam quae participatur a creaturis et existens principium vivendi et essendi omnibus.

Alio autem modo, per se esse et per se vita dicuntur *virtutes* vel perfectiones quaedam secundum providentiam unius Dei imparticipabilis datae creaturis ad participandum. Licet enim Deus, qui est harum virtutum principium, in se imparticipabilis maneat et per consequens non participetur, tamen dona Ipsius dividuntur in creaturis et partialiter recipiuntur, unde et participari dicuntur a creaturis; et secundum quod participantur secundum *proprietatem* uniuscuiusque participantium, secundum hoc *participantia et sunt et dicuntur* ex natura *existentia*, inquantum participant esse; *et viventia*, inquantum participant vita; *et divina* inquantum participant deitate; et simile est de aliis. Et quia principium imparticipatum, causa est et participationum et participantium, ideo Deus et participationum et participantium *substantificator* est.

935. — Participationes autem ipsae tripliciter considerari possunt: uno modo secundum se, prout abstrahunt et ab universalitate et a particularitate, sicut signatur cum dicitur: per se vita; alio modo considerantur in universali, sicut dicitur vita totalis vel universalis; tertio modo in particulari, secundum quod vita dicitur huius vel illius rei.

936. — Similiter et participantia dupliciter considerari possunt: uno modo in universali, ut si dicatur vivens universale vel totale; alio modo, in particulari, ut si dicatur hoc vel illud vivens.

937. — Et horum omnium Deus causa est; et hoc est quod dicit quod *bonus*, idest Deus *primo* quidem *dicitur esse substantificator ipsorum*, scilicet per se vitae et per se esse et huiusmodi, prout per se et absolute consideratur; *postea, totorum ipsorum*, idem universalis esse et similium; *postea particularium ipsorum*, ut particularis esse vel particularis vitae; *postea totaliter participantium ipsis*, viventis universalis et existentis universalis; *postea particulariter ipsis participantium*, ut huius vel illius entis aut viventis.

938. — Deinde cum dicit [426]: *Et quid oportet...* confirmat solutionem propositam per dicta aliorum et dicit quod non oportet de praemissis dubitare, cum aliqui ex doctoribus divinae et christianae religionis, sicut Hierotheus et alii Apostolorum discipuli, hoc ipsum dicant, scilicet quod bonitas et Deitas omnibus supereminens, est causa *ipsius per se deitatis et bonitatis*, nominantes *per se bonitatem* quoddam *donum ex Deo proveniens* per quod entia sunt bona; *et* per se *deitatem* quoddam Dei donum, per quod aliqui fiunt participative dii; et similiter nominant *per se pulchritudinem*, ipsam *effusionem* pulchritudinis per quam causatur et universalis et particularis pulchritudo in rebus et per quam fiunt aliqua et universaliter et particulariter *pulchra*.

Et similiter est dicendum de omnibus aliis *quaecumque* dicuntur *secundum eumdem modum*, quibus demonstrantur dona divinitus provisa *et bonitates* participatae *ab* entibus creatis, quae procedunt *copiosa effusione et* supermanant a *Deo* qui est imparticipabilis, cum Ipse non fiat pars alicuius; ita quod Ipse, qui est *causa omnium*, perfecte *sit super omnia et* ipse Deus, qui est supersubstantialis et supernaturalis, *excedat* omnem *substantiam et naturam*, inquantum neque participat neque participatur, sed remanet in sua puritate simplex et indivisus.

OBSERVATIONES

1° QUOAD TEXTUM:

* ad n. 421: « per se esse sapientiam - *τὴν αὐτοσοφίαν* « per se sapientiam ».

* : « per se vitae substantificatorem - *ὑποστάτην*, « sustentaculum ».

* : « in nobis » - *ἐφ' ἡμῖν*, « quoad possim » (Cordier); cfr. « quantum in ipso fuit » (926).

* ad n. 422, 928: « multipliciter » - *μυριόλεκτα*, « quae millies dicta sunt » (Cordier); in expositione intelligitur ac si esset terminus technicus Logicae aristotelicae: *πολλαχῶς* « multipliciter ».

* : « aut virtutis substantificatorem - *ὑποστάτην*, « sustentaculum ».

* : « haec... illa » - *τὰ μὲν... τὰ δέ...* « illa quidem... haec autem » (Perionius): inversionem sequitur quaedam haud parvi momenti confusio in expositione doctrinae quae metaphysicam et theologiam tangit.

* ad n. 423: principaliter - *ἀρχηγικῶς*, « principialiter »; cfr. 930: « sicut principia aliorum ».

* ad n. 424, 932: « Solum... supersubstantiale ». Maximus (400 C): « dicit supersubstantiale (*ὑπερούσιον*) pro: *Deus* »; ita et Pachymeres (968 A) et est sensus: « solum enim Supersubstantiale est princi-

pium et substantia et causa ut omnia sint et ipsum per se esse ». M. de Gandillac intelligit et vertit eo modo quo S. Thomas exponit, « ... le seul principe... c'est *l'Etre même* dans sa suressentialité ».

• : « dicimus principales » - *ἀρχικάς*, « principiales »; cfr. **933** « quae sint principia rerum ».

• : « quas et deos » - *ἅς τινες*, « quas *aliqui* deos... ».

• **933**: « per se facientes » (424) exponitur: « quasi *per se operantes ad* rerum productionem » - *αὐτοσχεδιάσαντες*, « ex interiori impulsu effutientes »: agitur de « *σεσοφισμένοις μύθοις* » (II *Petr.* 1, 16) a poëtis inventis et perpolitis a philosophis, unde « elaboratis mythis » pluries vita suffulciebatur.

• ad n. 425: « sed per se esse... Divinitatem dicimus et divine... superprincipale » (edit.); « sed per se esse... *et per se deitatem* (*καὶ αὐτοθεότητα*) dicimus *principialiter* (*ἀρχικῶς*) *quidem* et divine... *superprincipiale* » (*ὑπεράρχιον*).

• : « et primo (*πρώτως*)... substantificator »; al. *καὶ τῶν πρώτων*, « *et primorum* bonorum, Bonus *sustentaculum* (*ὑποστάτης*) dicitur esse ».

• : « totaliter ipsis participantium »; add. *εἶτα τῶν μερικῶς αὐτῶν μετεχόντων*, « *postea particulariter ipsis participantium* »; edit. (T, Ve^2, ib. 621) non habent add. in textu vers. sed in expositione (**937**) invenitur (T, Ve^2, ib. 625).

• ad n. 426: « et ipsius per se bonitatis et deitatis... pulchra »; ita verto: « et ipsius per se bonitatis *et* deitatis *sustentaculum* (*ὑποστάτην*) *dicunt Illum qui est superbonus et superdeus; per se bonitatem et deitatem dicentes esse beneficum et deificum ex Deo proveniens donum;* et per se pulchritudinem (*dicentes esse*) effusionem per se *pulchrificantem et universalem* pulchritudinem et particularem pulchritudinem et *universaliter* pulchra et in parte pulchra ».

2ª De epistolica origine « Corporis Dionysiani » (421).

Maximus in scholio super EH. VII, 3, 11 notat: « haec autem tamquam interroganti sancto Timotheo scripsit, ut manifestum sit etiam priora *et alios libros* (*καὶ τοὺς ἄλλους λόγους*) *ad interrogantes scripsisse* » (184 A).

Hic autem (421) observat: « pulchre autem hoc dicit *et in epistolis*, maxime *in secunda* » (400 B), h. e. « quoniam *et in epistolis* hoc posuit » (Pachymeres, 965 D). Unde datum est intelligere Dionysio literarum commercium fuisse cum diversis personis circa ea de quibus tractat.

Ipse determinat aliquando opera sua, cum utitur termino « *πραγματεία* » (EH. I, 2-373 B; II, 3, 2-397 C) vel « *ἱερὰν πραγματείαν* » (DN. IV, 35-736 B). Sed ne nimis stricte intelligatur tamquam « tractatus » vel « sacer tractatus » technice, ut ita dicam, perpolitus et publici iuris faciendus, epistolicus character obstat, unde hac ratione motus supra (pag. 158; 220) quaedam hypothetice posui et brevissime de origine compositionis necnon de diversis statibus CD. tetigi, distinguendo auctorem primaevum epistolarum ad privatas personas scriptorum (D^1) ab anonymo glossatore huius Dionysii epistolarum (A^d) et a compositore qui demum in unum Corpus omnia redegit sub Dionysii areopagitae tectorio et cum aevo apostolico connexione (D^a).

Quae quidem connexio omnino superficialis apparet: nam *nihil de hac re* invenitur in CH. in EH. in MTh. quae autem in hoc opere de DN. ligamina cum aevo apostolico videntur, araneosa sunt vel per allegoriam dicta, unde in minimis periclitari non expedit.

Translatio in aevi apostolici antiquitatem per omnino levem expolitionem *Epist.* 7, 2 (1081 AB), *Epist.* 10 (1120 A) et maxime per quamdam novam interpretationem narrationis a Carpo factae et in *Epist.* 8, 6 (1097 B - 1100 D) insertae facta est. Quando traditio popularis Carpum istum fecit « episcopum Apostolis aequalem » (MG. 79, 300 A) ut legitur in « antiqua narratione » S. Nili († c. 430), tunc caetera quae in CD. inventa sunt, in aevum apostolicum translata, consequenter a sciolo quodam subacta sunt. Ni fallor, haec translatio « fictioni literariae » tribuenda non est: diligentior fuisset et absque intima contradictione, quam supra (339) notavi. *Ab extrinseco* facta est per traditionem illam popularem quae, ut dixi, narrationem quamdam aevo apostolico attribuit: inde quae leguntur DN. III, 2 (91) aliter intellecta sunt (cfr. pag. 82) et caetera quae passim inveniuntur vel paullisper mutata vel haud scienter adiecta.

Sed, ut pluries iam notatum est, haec omnia tantummodo per examen criticum textus CD. stabilienda sunt, si detur possibilitas primaevum statum detegendi. Diuturnus labor in studio sive doctrinali sive lexicologico impensus aliquid per modum possibilis hypothesis suggerere potuit, non tamen absque novis difficultatibus suscitandis, maxime ob auctorum discrepantia iudicia; si aliquem audias v. gr. circa stilum Dionysii haec tibi occurrunt: « ille *oratione* semper utitur *plusquam asiatica* h. e. super omnem modum inflata, redundante, alta, exaggerata et ubique circumfluente verborum compositionibus, ordinariis, novis, plerumque tumidis atque insolentibus » (cit. a I. Dallaeo, *de Scriptis...*, Genevae 1666, pag. 169). At si Dionysium consideramus inter illos scriptores qui, ut verbis S. Hieronymi in *epist. ad Rusticum* utar, « *asianum tumorem attico siccabant sale* », nonne diversum omnino iudicium erit?

3ª De ortu et constitutione novae metaphysicae (422-423).

Quaedam occurrunt dicenda circa quaestionem quam hic (421-426) Dionysius meus solvit et licet tanti non sim ut doctrinam hanc pulcherrimam illustrare queam, quae intus urgent dicam confidenter, nam responsio ista testimonium continet ortus novae metaphysicae.

Inversionem iam notavi (422) unde factum est ut aliquantisper idearum ordo confundatur apud auctores, cum tamen nexus manifestus appareat.

Dionysius (422):

« οὐκ ἔστιν ἐναντίον αὐτοδύναμιν ἢ αὐτοζωὴν εἰπεῖν πὸν θεὸν καὶ τῆς αὐτοζωῆς ἢ εἰρήνης ἢ δυνάμεως ὑποστάτην·

τὰ μὲν γὰρ ἐκ τῶν ὄντων καὶ μάλιστα ἐκ τῶν πρώτως ὄντων ὡς αἴτιον πάντῳν τῶν ὄντων λέγεται

τὰ δὲ ὡς ὑπὲρ πάντα καὶ τὰ πρώτως ὄντα ὑπερὼν ὑπερουσίως ».

Perionius (pag. 156):

« non pugnantia dicuntur cum Deus vis ipsa aut vita ipsa ac vitae ipsius aut pacis aut potentiae auctor dicitur.

Nam *illa* quidem ex iis quae sunt ac maxime ex iis quae primo loco sunt ut causa omnium quae sunt esse dicitur; *haec* autem ut omnibus etiam quae primo loco sunt, modo quodam singulari superior ».

Cordier, versionem Perionii retractans, invertit relationem propositionum: « *haec* enim dicitur Deus ex iis quae sunt et maxime ex iis quae prima sunt, tamquam causa omnium quae sunt; *illa* autem dicitur tamquam existens supra-substantialiter supra omnia quae sunt et quae primo sunt » (954 C) et consentire videtur cum versione quam S. Thomas exponit (422, **928**). De sensu theologico quaestionem non moveo nec audeo tam altam doctrinam vel leviter tangere. Dubium lexicale sive syntacticum me angit, nam *τὰ μὲν... τὰ δέ* quamdam relationem exprimunt cum praecedentibus propositionibus ita ut *τὰ μὲν* primae, *τὰ δὲ* alterae respondeat.

Exemplum classicum habetur in *Epist.* 9, 1 (1105 D) cum loquitur de duplici traditione theologorum: « unam quidem (*τὴν μὲν*) ineffabilem et mysticam » [quae est circa « credibile *per se* », ut technice loquar], alteram vero (*τὴν δὲ*) manifestam et notiorem [quae est circa « credibile per accidens »]; « et *illam* quidem (*τὴν μὲν*) symbolicam et perfectivam (esse), *hanc* autem (*τὴν δὲ*) philosophicam et demonstrativam »; connexio vero ita signatur: « complexum est effato ineffabile (*τῷ ῥητῷ τὸ ἄῤῥητον*) et *illud* quidem (*τὸ μὲν*) suadet et dictorum veritati iungitur, *hoc* autem (*τὸ δὲ*) operatur et collocat in Deo per initiationes quae non sunt obiectum (humanae) doctrinae ».

Inde, ni fallor, ordo propositionum et idearum nexus (422) sequenti modo exponendum est:

a) « Deus est ipsa potentia aut ipsa vita ».

b) (Deus est) « et sustentaculum ipsius vitae aut pacis aut potentiae ».

a') « ex entibus et quidem ex primo entibus, tamquam omnium entium Causa dicitur ».

b') « tamquam super-ens supersubstantialiter super omnia etiam primo entia ».

Utrobique affirmationes valorem habent ex nexu causalitatis qui in rebus creatis detegitur cum relatione ad Illum qui est omnium causa et omnes perfectiones *absque limite* possidet.

At in altera, sicut iam supra notavi (pag. 322) ideo Deus dici potest « sustentaculum » (422) vel « fundus » (385) omnium entium, quia Ipse est *Causa exemplaris* rerum et inde intelligitur tamquam « super-ens » habens quidquid necessarium est ad omnium constitutionem etiam quoad perfectiones primas et fundamentales rerum, *quibus omnia in seipsis constituuntur.*

Inde quaeri potest quid intelligendum sit per « ea quae *primo* sunt ». Maximus (400 CD) et Pachymeres (965 D) de « Angelis » exponunt et reverentia erga tantos auctores diu me tenuit. Difficultas tamen maxima me premebat: quomodo istae « supercosmicae substantiae » *medium* esse queant mentibus « encosmicis » in ascensione ad cognitionem « Causae omnium entium ».

Nunc ergo haec mihi propono: si velimus aliquem valorem tribuere « cognitioni entium » quae recte « philosophia » dicitur (*Epist.* 7, 2; 1080 B), ulterius recognoscendum est hic (422) agi de « philosophia *prima* », *magis secundum metaphysicam aristotelicam, quam iuxta dialecticam platonicam.*

4ª Critica idearum subsistentium per criticam theologicam mediarum potentiarum in cultu et philosophia antiquorum (424).

Determinatur notio « entis in se » ex principio *participationis* cuius origo platonica omnibus manifesta est. Apud Dionysium tamen aliquid speciale notatur quod interiorem constitutionem rerum tangit, maxime relate ad Causam, cuius actio formaliter immanens et *virtualiter* transiens omnia sustentat.

Notio ista « entis in se » invenitur clare exposita tamquam conclusio criticae idearum subsistentium non eo modo quo Aristoteles contra Platonem vel Plotinus contra alios quosdam fecit, sed per criticam theologicam potentiarum mediarum quae in cultu antiquorum « dii » vocabantur et in philosophia Plotini « *principiales* hypostases » (*En.* V, 1).

Inde factum est ut Dionysius cum Plotino consentire videatur qui et ipse affirmat « intelligibilia extra Mentem non esse » (*En.* V, 5), revera tamen diversam omnino utrobique doctrinam habemus: nam « Mens » est « deus secundus » (*En.* V, 5, 3) nec possibile est hanc notionem in doctrinam christianam inducere absque periculo Arianismi et quidem rigidioris formae.

Excluditur ergo notio « entis in se » aliarumque perfectionem, secundum triplicem directionem doctrinalem:

a) « Substantia divina aut angelica » potius quam « Demiurgus » Platonis in Timaeo (V, 28 A-29 A; VI, 29 E) est « Mens » Plotini tamquam « deus secundus » sive « Verbum » Philonis tamquam « instrumentum » quo Deus usus est (*χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ*) ad irreprehensibilem universi constitutionem (*de Migratione Abrahami*, 389 C).

Ratio suprema huius exclusionis est quia solummodo Ille qui est supersubstantialis dicitur et est principium efficiens omnium rerum et ipsius « entis in se ».

b) « Deitas generativa vitae » in memoriam revocat aliquam formam gnosticismi orientalis in qua talia effutiebantur ut v. gr. apud Magnae Matris sectatores iuxta S. Irenaei documenta: Spiritus Sanctus intelligitur tamquam « prima femina » (*Contra haeres.* I, 30, 1) « quam et matrem viventium dicunt » (*ibid.* 2).

Exclusio huius erroris habetur ex eiusdem principii veritate, nam « Vita superdivina » causa est ut omnia vivant et ipsa perfectio « vitae in se » ab Ipsa est.

c) Quae sequuntur manifeste tangunt notiones triplicis theologiae antiquorum: *civilis* nempe *mythicae* et *physicae*. De his plura dixi in articulo: « *Le fonti del Pensiero di S. Tomaso d'A. nella Somma Teologica* » (op. cit., pag. 62-73), quae repetere piget.

Theologia haec uno verbo excluditur: « figmenta sunt », talibusque illusionibus nec vita nec mundus suffulciri queunt. Habes igitur et apud Dionysium quamdam theoriam « illusionis » (māyā) sicut invenire est et apud indicos theosophos; triplex tamen datur differentia, quarum prima est quod dum in indica doctrina per hanc illusionem mundus evanescit, apud Dionysium tantummodo figmenta cultus evanescunt simulque vanae tum poëtarum tum philosophorum opiniones religiosae. Quae « vera ratio » dictat et S. Paulus (*Rom.* 1, 20) ex *Sapientia* (13, 5) confirmat, Dionysius optime exponit dum mundi visibilis constructionem *defendere in nobis* (*προβέβληται*) affirmat realitatem eorum quae de Deo nobis invisibilia sunt (*Epist.* 9, 2; 1108 B): *realitas* eorum quae videntur et cognoscuntur *defendit realitatem* Supremae Causae omnium.

Altera differentia distinguit doctrinam Dionysii a theoria vedantica in Upanishad elaborata, subtiliter et quadam animi angustia in praxim deducta: haec, ni fallor, in relictione formae cultualis brahmanicae resolvitur, ipsi quemdam personalem conatum ad unionem cum Deo, substituendo; illa tota est in stabilienda necessitate derelinquendi quascumque formas cultus quae figmentis sive poëtarum sive philosophorum fulciuntur, ipsis novum christianae societatis cultum ad unionem cum Deo, substituendo (*de Ecclesiastica Hierarchia*). Inde « processus negativus » apud Dionysium (*de Mystica Theologia*) ad Incognitum ob illimitatam perfectionem ducit et si omnia ad ritum sive consecratorium sive purificatorium pertinentia transcendit (MTh. I, 3; 1000 C), hoc non significat cultus positivi derelictionem, sed magis honorem « Dei absconditi » per spirituales « cognitiones » (EH. I, 1; 372 A) enuntiat, eo modo quo Clemens Alexandrinus declarat (*Strom.* VII, 10; edit. Potter II, 865).

Tertia differentia ex doctrina de divina *virtualitate* manifestatur, qua in linea ontologica, theoria idearum subsistentium sub specie mediarum potentiarum ablata (282-283; pag. 251-252), constituuntur « ea quae *primo* sunt » (422) h. e. illae rerum perfectiones ontologicae per quas omnia ordinata sunt propriis *rationibus* (*λόγοις* - 353) et unaquaeque res habet *speciem* (*εἶδος* - 356) in qua nata est esse (cfr. pag. 297c). Per hanc doctrinam, *theopanismi* pericula omnino vitantur, dum Causa prima et Creator omnium gloriam suam manifestat.

Notio divinae virtualitatis, ex Clementé Alexandrino hausta (cfr. pag. 59 ad n. 56; pag. 240), ita enucleatur a Dionysio ut humanae menti quaedam nova via ad Deum rerum omnium « sustentaculum » et « fundum » (385, pag. 322) patefiat.

5a De divina virtualitate in termino participationis (425).

Maximus verba Dionysii exponens (401 AB) scribit: « in his perspicue magis solvit propositum dubium: " *quomodo accipiendum sit ipsum Deum aliquando dici vitam ipsam et ea quae ita* (dicuntur), *aliquando vero horum sustentaculum h. e. haec sustentantem* "; quoniam Ille quidem ita haec dicitur, tamquam horum causa et superprincipiale principium; entia vero haec participantia, *ex his vocantur viventia et entia et divina.*

« Vivificationem, ergo, substantificationem pro rebus [*al. add.* deificationem, h. e. ipsas res] sustentat Deus.

« Primo ergo intelligimus *ipsam rem* (*ἐννοούμεθα αὐτὸ τὸ πράγμα*); postea, tali modo, *universalem notionem* eius (*τὴν καθολικὴν αὐτοῦ ἔννοιαν*) v. gr. vitam per omnem modum *contemplatam* vel substantiam et tunc particularia h. e. *accipimus notionem illius quod est secundum unamquamque speciem* v. gr. angelicae aut humanae vitae et reliquarum in quibus simul ingreditur et ipsorum participantium recordatio.

« Addens autem: " tum eorum quae omnibus participant " manifestavit quod non omnia omnibus participant: alia enim sola substantia, alia vero vita; quaedam autem et intellectione sive et intellectualitate, quaedam vero et deificatione ».

Pachymeres hanc solutionem metaphysicae naturalis non notavit, sed meminit eorum quae supra Dionysius dixit de *speciebus* et de *exemplaribus* et de *praedefinitionibus* (282) et adiungit: « platonico dogmati non se subiiciens, *absit!* (*μὴ γένοιτο*), sed *pie* accipiens quae ab ipso *viliter* et *indigne* Deo dicta erant » (968 C). Inde, ni fallor, quaedam retrogressio fit et haud pauci expositores incerti manent.

Ex Petavio posset aliquis suspicari has dionysianas formas non existere nisi in individuis post creationem: « non enim reipsa subsistentes sunt formae sed *ἐπινοίᾳ* sola et cogitatione mentis » (*de Theol. Dogm.* I, *de Deo*, l. IV, cap. 10, n. 17; Venetiis 1745, pag. 195), unde R. Arnou (*Platonisme des Pères* II, *Le monde intelligible*, in *Dict. de Théol. Cath.* XII, 2, Paris 1935, col. 2341-2342) putat, non absque fundamento, textus Dionysii magis realem interpretationem imponere.

Et revera, quae Petavius dicit pertinent ad notionem *universalis logici* et tali sensu verba Maximi interpretatur (n. 6, pag. 192), dum tamen de *universali metaphysico* intelligenda videantur, tum *in re* (« intelligimus ipsam rem ») tum *in statu abstractionis* (« universalem notionem... per omnem modum contemplatam »), tamquam *medium quo* singulae res cognoscuntur (« accipimus notionem illius quod est secundum unamquamque speciem »).

Petavius ipse, quaedam alia Maximi proferens, inde concludit: « has enim (Dionysius) sic explicat et vero appellationum eo genere declarat, quod efficientiam significat, ut cum eas vocat *αὐτοούσιωσιν, αὐτοένωσιν αὐτοζώωσιν*. Quae nomina vim quamdam efficientem sive afficientem etiam indicant cuiusmodi habent: illam quidem efficiens causa, hanc vero *formalis* » (n. 13, pag. 194). Eadem, ni fallor, intelligit et in scholio ad verba Dionysii de substantificatione (*αὐτοούσιωσις*) quae lit. est: « actio faciens existere in se substantiam »; similiter reliqua: « actio quae facit habere in se vitam » et « actio quae producit in se deificationem ». Ideo Dionysius vocat Deum « sustentaculum » harum perfectionum.

6a De « divinorum sacris magistris » (426).

Pachymeres meminit Hierothei (968 D), sed in textu explicite tantummodo « quidam » nominantur, quasi determinatam scholam theologicam suggerendo aeque ac vivam quamdam traditionalem doctrinam indicando, quam tamen in documentis requirere mihi non vacat. Quin immo difficillimum puto, ne dicam impossibile aliquem alium auctorem invenire qui tam perspicue rem exponat.

Positionem Dionysii aliquis forsan facilius intelliget, cum iis quae Eusebius refert in *Praeparatione Evangelica* (XI, 22-25) conferens: hic doctrinam maxime Philonis *de potentiis* libenter notat (XI, 24); ille diligenter exemplarismo divino declarato et theoria de medianis potentiis reiecta, ex Clemente Alexandrino « potentias » tamquam « virtualitates » exponit, unde perfectiones positivae in ipsis rebus veniunt tum in ordine ontologico (substantia et vita), tum in ordine salutis et perfectionis (gratia qua deiformes homines fiunt).

Quae de « substantia » et « natura » tangit Dionysius, ad Physicam et Metaphysicam nos mittunt et inde intelligere possumus quare « participationem » tamquam positivae perfectionis possessionem ex divina virtualitate explicet.

Philosophiam naturae et philosophiam primam « esse » rerum per intrinseca elementa constitutiva explicare notum est. Theologiam vero, divinum nempe Magisterium, « esse » rerum per Creationem et « bene esse » per gratiam declarare omnibus item compertum.

Hinc « theologi » h. e. « divinorum sacri magistri » doctrinam Theologiae et Ecclesiae exponentes, pulcherrimam synthesim veritatum componunt.

Ut aliquo modo antiquorum huius scholae theologicae magistrorum conversationis vel collationis obiectum suspicari liceat, Philonis verba rememoranda sunt, quibus « Mentem » tamquam « praestantiorem quam sit virtus aut scientia vel *ipsum bonum in se* (*αὐτὸ τἀγαθόν*) *et ipsum pulchrum* » (*αὐτὸ τὸ καλόν*) laudat (*de Mundi Opificio*, 2 C).

Pulchra alia quaedam addit, sed hoc sufficiens videtur ut plenius intelligantur quae hic exponit Dionysius de bonitate in se et de pulchritudine in se. Absque difficultate enim videre quivis potest non solum diversitatem doctrinae ex eodem principio enucleatae, sed et necessitatem alicuius theologici processus ut inde, notione virtualitatis divinae, omnia clarescant.

Est doctrina fundamentalis a qua Philonis theoria de Verbo initium sumit (*ibid.* 5 C; Euseb., *ibid.* XI, 24, 3; edit. Dindorf II, 51) tamquam « idea idearum ».

Ex principiis diligenter positis, alia possibilitas datur Dionysio: notionem Mentis divinae, tamquam superiorem et praestantiorem quam sit ipsum bonum in se et ipsum pulchrum, tali modo enucleare et inde perficere ut exemplaria rerum in Mente divina considerentur et per virtualitatem divinae actionis, ipsum esse in se, ipsum bonum in se, ipsum pulchrum in se constituere tamquam illius terminos.

Quae Clemens Alexandrinus excerpsit ex logica et metaphysica praecedentium philosophorum (*Strom.* VIII) Dionysium meum in sua venatione dirigere videntur et, ni fallor, maxime doctrina de *causis comprehensivis* « quae et *αὐτοτελῆ* (« per se perfectae ») vocantur, quandoquidem « *αὐτάρχως δι' αὐτοῦ ποιητικόν ἐστι τοῦ ἀποτελέσματος* » (*ibid.* 9; edit. Potter II, 929). Proprium per se perfectarum causarum est « *habere in se capacitatem* (*αὐτάρκως*) *per se producendi effectum* ».

Sed tunc succurrit Paulus affirmans sufficientiam (*ἱκανότης*) nostram *ex Deo* esse (II *Cor.* 3, 5). Inde necessitas subordinationem omnium stabiliendi, « *ut diligenter omnium Causa sit super omnia* » (426), *a qua omnia pendent et Ipsi ligata se tenent* (cfr. pag. 33).

** Quae supra exposui, temeritatis speciem habere videntur quam dicunt esse florentis aetatis, sed et ardentis amoris: inde veniam simul et benevolentiam sperare mihi liceat, qui tanta ausus sum.

CAPUT DUODECIMUM

De Sancto Sanctorum; Rege regum; Domino dominorum; Deo deorum.

LECTIO UNICA (60ª)

Exponuntur nomina quae designant rerum gubernationem.

SYNOPSIS

(Lect. un.; cap. XII; textus nn. 427-434; expositio nn. **939-956**).

Exponit nomina quae designant rerum gubernationem (**939**):
A) dicit de quo est intentio (427; **941**)
B) exequitur propositum:
1° - manifestat quid sit intelligendum per unumquodque istorum nominum:
a) quid sit unumquodque secundum se consideratum:
j° - quid sanctitas (428; **945**)
ij° - quid regnum (429; **946**)
iij° - quid dominatio (430; **947**)
iv° - quid Deitas (431; **948**)
b) qualiter praedicta Deo attribuantur (432; **949**)
j° - quantum ad sanctitatem (**950**)
ij° - quantum ad rationem regni (**951**)
iij° - quantum ad dominationem (**952**)
iv° - quantum ad Deitatem (**953**)
2° - exponit quid velint divina eloquia monstrare per nominum duplicationem:
a) qualiter dicatur Deus: Sanctus sanctorum, Rex regum, Dominus dominorum, Deus deorum (433; **955**)
b) ostendit qui sint isti sancti et reges, quorum Deus dicitur esse Sanctus et Rex etc. (434; **956**)

TEXTUS DIONYSII

C. XII. — § 1. 427. — « Sed quoniam et de istis quaecumque dicere oportebat *, convenientem, ut arbitror, acceperunt finem, laudare nos convenit * Eum qui est infinitorum-nominum et sicut Sanctum sanctorum et Regem regnantium et Regnatorem saeculorum et in saecula et adhuc, ut Dominum dominorum et Deum deorum.

C. XII. § *1. 427.* — [*969* A] *'Αλλ'ἐπειδὴ καὶ περὶ τούτων ὅσα εἰπεῖν ἔδει * τὸ προσῆκον ἀπείληφεν, ὡς οἶμαι, τέλος, ὑμνητέον ἡμῖν τὸν ἀπειρώνυμον καὶ ὡς « ἅγιον ἁγίων »* [1] *καὶ « βασιλέα τῶν βασιλευόντων »* [2] *καὶ βασιλεύοντα « τὸν αἰῶνα καὶ ἐπ' αἰῶνα καὶ ἔτι »* [3] *καὶ ὡς « κύριον τῶν κυρίων »* [4] *καὶ* [B] *« θεὸν τῶν θεῶν »* [5].

1) DAN. 9, 24.
2) I *Tim.* 6, 15 (cfr. *Apoc.* 19, 16).
3) *Exod.* 15, 18.
4) *Psal.* 135, 3; *Apoc.* 19, 16.
5) *Psal.* [illegible], 1; 135, 2.

Et primum quidem est dicendum quid quidem per se sanctitatem * esse arbitramur, quid autem regnum, quid autem dominationem, quid autem divinitatem et quid volunt monstrare eloquia duplicatione nominum.

§ 2. 428. — Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia;

429. — Regnum autem, omnis finis et ornatus et legis et ordinis distributio;

430. — Dominatio autem, non peiorum excessus tantum, sed omnis et pulchrorum et bonorum perfecta et omnimoda possessio et vera et cadere non valens fortitudo, unde et ab eo quod est dominium * facere, dicitur dominatio et dominus et dominans;

431. — Deitas autem, quae omnia videt providentia et bonitate perfecta omnia circumspiciens et continens et seipsa implens et excedens omnia, providentia ipsa utentia.

§ 3. 432. — Igitur, haec quidem in causa excedente omnia absolute laudare convenit * et addendum est ipsam esse excedentem sanctitatem et dominationem et regnum, superpositam et amplissimam * Deitatem: etenim ex ipsa in uno collective subsistit * et distributa est omnis munda diligentia omnis clarae munditiae; omnis existentium et ordinatio et ornatus, inconvenientiam et inaequalitatem et incommensurationem exterminans et ad bene ordinatam identitatem et directionem exultans et circumagens participatione ipsius quae sunt digna habita;
omnis omnium pulchrorum perfecta possessio; omnis providentia bona contemplativa et contentiva provisorum, seipsam benigne tribuens ad deificationem conversorum;

§ 4. 433. — Quoniam autem superplenus est omnibus, qui est omnium causa, secundum unum omnia excedentem excessum, Sanctus sanctorum laudatur et reliqua, secundum superemanantem causam et segregatùm excessum;
sicut, si aliquis dicat, inquantum excellunt non existentibus, existentia sancta aut * divina aut dominantia aut regalia et rursus * participantibus participationes, ita tantum collocatur super omnia existentia, qui est super omnia existentia et omnium participantium et participationum imparticipabilis causa.

434. — Sanctos autem et reges et dominos et deos vocant eloquia in singulis

*Καὶ πρῶτόν γε ῥητέον τί μὲν αὐτοαγιότητα * εἶναι οἰόμεθα, τί δὲ βασιλείαν, τί δὲ κυριότητα, τί δὲ θεότητα καὶ τὶ βούληται δηλοῦν τὰ λόγια τῷ διπλασιασμῷ τῶν ὀνομάτων.*

§ 2. 428. — Ἁγιότης μὲν οὖν ἐστιν — ὡς καθ' ἡμᾶς εἰπεῖν — ἡ παντὸς ἄχους ἐλευθέρα καὶ παντελὴς καὶ πάντῃ ἄχραντος καθαρότης·

429. — βασιλεία δὲ ἡ παντὸς ὅρου καὶ κόσμου καὶ θεσμοῦ καὶ τάξεως διανέμησις·

*430. — κυριότης δὲ οὐχ ἡ τῶν χειρόνων ὑπεροχὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσα τῶν καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν ἡ παντελὴς παγκτησία καὶ ἀληθὴς καὶ ἀμετάπτωτος βεβαιότης, διὸ καὶ κυριότης, παρὰ τὸ κῦρος *, καὶ* [C] *τὸ κύριον καὶ τὸ κυριεῦον·*

431. — θεότης δὲ ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια καὶ ἀγαθότητι παντελεῖ καὶ πάντα περιθέουσα καὶ συνέχουσα καὶ ἑαυτῆς ἀποπληροῦσα καὶ ὑπερέχουσα πάντα τὰ τῆς προνοίας αὐτῆς ἀπολαύοντα.

*§ 3. 432. — Ταῦτα μὲν οὖν ἐπὶ τῆς πάντα ὑπερβαλλούσης αἰτίας ἀπολύτως ὑμνητέον * καὶ προσρητέον αὐτὴν ὑπερέχουσαν ἁγιότητα καὶ κυριότητα καὶ βασιλείαν ὑπερκειμένην καὶ ἁπλουστάτην * θεότητα·*
καὶ γὰρ [D] *ἐξ αὐτῆς ἐν ἑνὶ καὶ ἀθρόως ἐκπέφυκε * καὶ διανενέμηται πᾶσα ἀμιγὴς ἀκρίβεια πάσης εἰλικρινοῦς καθαρότητος, πᾶσα ἡ τῶν ὄντων διάταξίς τε καὶ διακόσμησις ἀναρμοστίαν καὶ ἀνισότητα καὶ ἀσυμμετρίαν ἐξορίζουσα καὶ εἰς τὴν εὔτακτον ταυτό[972 A]τητα καὶ ὀρθότητα γαννυμένη καὶ περιάγουσα τὰ μετέχειν αὐτῆς ἠξιωμένα·*

πᾶσα ἡ παντελὴς καὶ πάντων τῶν καλῶν παγκτησία, πᾶσα ἀγαθὴ πρόνοια θεωρὸς καὶ συνοχικὴ τῶν προνοουμένων, ἑαυτὴν ἀγαθοπρεπῶς ἐπιδιδοῦσα πρὸς ἐκθέωσιν τῶν ὑπεστραμμένων.

§ 4. 433. — Ἐτειδὴ δὲ ὑπερπλήρης πάντων ἐστὶν ὁ πάντων αἴτιος, κατὰ μίαν τὴν πάντων ὑπερέχουσαν ὑπερβολήν, « ἅγιος ἁγίων » ὑμνεῖται καὶ τὰ λοιπά, καθ' ὑπερβλύζουσαν αἰτίαν καὶ ἐξῃρημένην ὑπεροχήν·

ὡς ἄν τις φαίη· καθ' ὅσον ὑπερέχουσι τῶν οὐκ ὄν[B]*των τὰ ὄντα ἅγια ἢ * θεῖα ἢ κύρια ἢ βασιλικὰ καὶ αὐτῶν. * μετεχόντων αἱ αὐτομετοχαί, κατὰ τοσοῦτον ὑπερίδρυται πάντων τῶν ὄντων ὁ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ πάντων τῶν μετεχόντων καὶ τῶν μετοχῶν ὁ ἀμέθεκτος αἴτιος.*

434. — Ἁγίους [1] *δὲ καὶ βασιλεῖς* [2] *καὶ κυρίους* [3] *καὶ θεοὺς* [4] *καλεῖ τὰ λόγια τὰς ἐν ἑκάστοις*

1) MAT. 27, 52; *Apoc.* 16, 6; 18, 20; I *Thess.* 3, 13; II Thess. 1, 10.
2) *Apoc.* 5, 10; cfr. I PETR. 2, 9.
3) *Ephes.* 6, 5; *Colos.* 3, 22; I *Tim.* 6, 1.
4) *Psal.* 81, 6; JOAN. 10, 34-35.

principaliores * ornatus, per quos secundi ex Dei donis accipientes illorum distributionis simplicitatem circa sui ipsorum differentias multiplicant,

quorum varietatem primi *, provisive et deiformiter ad unitatem sui ipsorum congregant ».

ἀρχικωτέρας * διακοσμήσεις δι' ὧν αἱ δεύτεραι τῶν ἐκ θεοῦ δωρεῶν μεταλαμβάνουσαι τὴν τῆς ἐκείνων διαδόσεως ἁπλότητα περὶ τὰς ἑαυτῶν διαφορὰς πληθύουσιν·

ὧν αἱ πρώτισται * τὴν ποικιλίαν προνοητικῶς καὶ θεοειδῶς πρὸς τὴν ἑνότητα τὴν ἑαυτῶν συνάγουσι.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

939. — Postquam Dionysius exposuit divina nomina per quae significatur emanatio perfectionum a Deo in creaturas, hic exponit nomina Dei quae designant rerum gubernationem; in qua quidem gubernatione, sunt quatuor attendenda: primo quidem, divinae cognitionis providentia, ad quam pertinet nomen Deitatis; secundo, potestas exequendi sapientiae divinae ordinationem, ad quam pertinet nomen Dominationis; tertio, ipsa executio gubernationis, ad quam pertinet nomen Regis; quarto, gubernationis effectus, qui est munditia ab omni inordinatione et ad hoc pertinet nomen Sanctitatis; unde in hoc capitulo agit de Sancto sanctorum; Rege regum; Domino dominorum; Deo deorum, ut patet ex titulo. Similiter etiam ex ipso modo loquendi quo dicitur: Sanctus Sanctorum vel Rex regum, quaedam gubernationis praesidentia designatur.

940. — Circa hoc ergo duo facit: primo, dicit de quo est intentio; secundo, exequitur propositum, ibi [428]: *Igitur Sanctitas...*

941. — Dicit ergo primo [427] quod quia, secundum suum arbitrium, ad *conveniente*m *finem* adducta sunt quae de praemissis dicere oportebat, conveniens est ut Deum qui infinitis modis nominari potest in suis effectibus, laudemus nunc *sicut Sanctum sanctorum*, secundum illud Daniel. 9 [24], secundum aliam litteram: « *cum venerit Sanctus Sanctorum* »; *et sicut Regem regum*, secundum illud Apocal. 19 [16]: « *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus dominantium* »; *et Regnatorem saeculorum*, secundum illud Psalm. 144 [13]: « *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum* »; *et in saecula et adhuc*, secundum illud Exod. 15 [18]: « *Dominus regnabit in aeternum et ultra* »; et sicut *Dominus dominorum*, ut est ex Apocalypsi introductum; *et Deum deorum*, secundum illud psalmistae, Psalm. 49 [1]: « *Deus deorum Dominus locutus est* ». Has enim laudes divinas in Scripturis positas, in hoc capitulo exponere intendit.

942. — Circa horum autem expositionem sic procedere intendit, ut primo dicat quid sit per se sanctitas [428]; et quid regnum [429]; et quid dominatio [430]; et quid Deitas [431]; deinde, quid intendunt Scripturae demonstrare per huiusmodi nominum duplicitatem, cum dicitur Sanctus sanctorum vel Deus deorum [433].

943. — Deinde, cum dicit [428]: *Igitur sanctitas...* exequitur intentum de praemissis; et primo, manifestat primum, scilicet per unumquodque praedictorum quid sit intelligendum; secundo, manifestat secundum, scilicet causam praedictae reduplicationis in Scripturis; ibi [433]: *Quoniam autem...*

944. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quid sit unumquodque praedictorum, secundum se consideratum; secundo, qualiter Deo attribuantur; ibi [432]: *Igitur haec...*

945. — Circa primum, quatuor exponit: primo [428] exponit quid sit sanctitas; et dicit quod, *secundum* nostram acceptionem, per sanctitatem intelligitur *munditia* quae est *libera ab omni immunditia et perfecta et immaculata;* in quibus verbis, tres gradus munditiae designantur qui ad sanctitatem requiruntur: quorum primus est libertas *ab omni immunditia*; servus autem immunditiae existit qui totaliter ab immunditia vincitur et ei subiicitur. Primus ergo gradus munditiae est ut aliquis ab hujusmodi servitute immunditiae liberetur.

Secundus autem gradus est ut sit munditia *perfecta*: perfectum enim est cui nihil deest; contingit autem quandoque quod aliquis immunditiae quidem non subiacet, deest tamen sibi aliquid ad munditiam, inquantum passionibus immunditiae inquietatur quae, cum tolluntur, fit *perfecta munditia*.

Tertius gradus munditiae est ut sit omnino *mimaculata*; maculari enim dicitur quod non ab intrinseco, sed ab extrinseco inquinatur. Erit ergo omnino immaculata munditia, cum non solum in seipso aliquis puritatem habet, sed etiam nihil est exterius, quod eum ad immunditiam trahere possit.

Et in his tribus munditiae gradibus, ratio sanctitatis perfecte consistit.

946. — Deinde, cum dicit [429]: *Regnum autem...* ostendit quid sit regnum; nomen autem regni a regendo est assumptum: in omni autem directione, primo, considerandus est finis ad quem dirigens perducere intendit; secundo, consideranda est facultas perveniendi ad finem; tertio, consideranda est regula per quam aliquid directe ad finem perducitur, quae quidem regula, in humanis actibus, lex vocatur; quarto vero, consideranda est proportio eius quod ad finem perducitur, ad finem ipsum: non enim quodlibet natum est consequi quemlibet finem.

Quia vero per nomen Regni datur intelligi non unius tantum directio, sed totius multitudinis humanae, quae quidem non est uniformis, sed habens multas varietates secundum diversas hominum conditiones et diversa officia, quae ad bonum statum multitudinis pertinent, ideo, quamvis sit unus communis totius multitudinis finis, tamen sunt multi et differentes diversorum fines particulares; puta: medici, sanitas; militis, victoria; oeconomici, divitiae; et sic de aliis.

Ad consequendum autem diversos fines, necesse est homines diversas facultates habere ex diversis bonis quibus oriuntur et diversis legibus regulari: aliae enim leges imponendae sunt militi; aliae emptori; aliae venditori; et sic de aliis. Similiter ad diversos fines diversi ordines hominum instituendi sunt: non enim decet eosdem esse milites et negotiatores, ne per confusionem impediantur officia.

Quia igitur Rex est qui regendae multitudinis curam habet, ad eum pertinet, primo quidem distribuere fines ut nihil necessariorum multitudini desit; ad eum etiam pertinet distribuere bonorum ornatus et distribuere leges ut scilicet singuli propriis legibus regulentur; ad eum etiam pertinet distribuere ordines officiorum; et hoc est quod dicit quod *regnum* est *distributio finis et ornatus et legis et ordinis.*

947. — Deinde, cum dicit [430]: *Dominatio autem...* ostendit quid sit dominatio; ad quam tria requiruntur: primo quidem, superioritas gradus. Esset autem indecens aliquem esse in superiori gradu, nisi et bonis potioribus abundaret; et ideo, secundo, requiritur bonorum abundantia. Quae etiam non sufficeret nisi, tertio, adesset potestas continendi et coërcendi subditos, alioquin excessus secundum bonorum abundantiam faceret ditiorem vel meliorem, non autem dominum; et ideo, tertio, requiritur potestas regendi subditos.

Hoc est ergo quod dicit quod *dominatio non tantum est excessus peiorum*, idest inferiorum quod pertinet ad sublimitatis gradum, *sed* etiam est *perfecta et omnimoda possessio et pulchrorum et bonorum;* dicit autem: *pulchrorum et bonorum:* non solum enim oportet eum qui dominatur abundare in bonis, sed etiam, ad hoc quod in reverentia habeatur, oportet illa bona esse conspicua, quod ad rationem pulchritudinis pertinet. Dicit autem: *omnis perfecta et omnimoda possessio*, ut omnia bona habeat et unumquodque eorum quae habet sit perfectum et ut plene habeat et non debiliter.

Quantum vero ad tertium, dicit: *et vera et cadere non valens fortitudo;* quod potest exponi vel de fortitudine virtutis interioris, quae est vera fortitudo ad ea quae sunt hominis et non potest cadere, nisi gratia divina sublata; vel potest referri ad exteriorem fortitudinem quod sit vera et non ficta, sicut contingit in aliquibus qui se ostentant esse potentiores quam sint, *et cadere non valens*, scilicet de facili propter sufficientiam auxiliorum.

Et quod hoc sit de ratione dominationis probat per derivationem nominis, quia hoc quod signat *dominium facere*, in graeco a quo denominatur et *dominatio et dominus et dominans*, signat praedicta.

948. — Deinde, cum dicit [431]: *Deitas autem...* ostendit quid sit Deitas. Et quia, ut Damascenus dicit [1]), hoc nomen « Theós » quod in graeco signat Deum, a « theasthe » idest considerando omnia dicitur, ideo nomen Deitatis hic Dionysius secundum rationem providentiae exponit. In nomine autem providentiae intelligitur cognitio non per modum speculationis tantum, sed secundum quod est directiva et inclinativa ad rerum gubernationem.

[1]) *De Fide Orthodoxa* lib. I, cap. 9 (MG 94, 836 B-837 A); cfr. *Bas.* epist. 8 (Gregorio Nysseno vel, recentius, *Evagrio Pontico* tributa) n. 11: « ...si igitur Deus dicitur eo quod posuerit (τεθεικέναι - Combefisius "legere mallet τεθεωρηκέναι contemplaverit) vel spectet (θεᾶσθαι) omnia... » (Opp. III, 88 E); epist. 189 (ab al. *Gregorio Nysseno* tributa) n. 8: « Appellatio igitur notam potestatis cuiusdam sive *inspectricis* (ἐποπτικῆς) sive *operatricis* (ἐνεργητικῆς) prae se fert » (ib. 281 B). Illud « theasthe » respondet graec. θεᾶσθαι iuxta vulgarem pronunciationem. « Est autem communis haec apud antiquos, nominis illius notatio dici θεὸν ἀπό τοῦ θεᾶσθαι quod est *intueri* et *contemplari* » (Petavius - *Dogmata theologica*, t. I, lib. VIII, cap. 8, n. 2) Apud recentiores dicitur a *dhes-os* « qui dirigit et ordinat omnia » (Zorell).

Sic igitur in nomine Deitatis, primo quidem intelligitur respectus divinus ad omnia; secundo, continentia qua omnia continentur sub Deo certis quibusdam regulis et mensuris; tertio, communicatio divinae bonitatis in creaturis quae sub Deo continentur.

Et hoc est quod dicit quod Deitas est *quae omnia videt:* dicitur autem a « theáste » quod est videre, ut dictum est. Sed qualis sit ista visio omnium, quae in nomine Deitatis intelligitur, exponitur per id quod subditur quod Ipsa est etiam *omnia circumspiciens et continens et seipsa implens,* suam bonitatem communicando et hoc secundum providentiam et bonitatem perfectam.

Sed ne aliquis aestimaret divinam providentiam et bonitatem obligatam esse ad istum cursum et ordinem qui apparet in rebus ex gubernatione divina, ad hoc excludendum subdit: quod Deitas excedit *omnia* quae Eius providentia utuntur, quia scilicet sapientia et virtus et bonitas Eius, non limitatur ad istum cursum rerum, sed in infinitum superabundat.

949. — Deinde, cum dicit [432]: *Igitur...* ostendit qualiter praedicta Deo attribuantur; et dicit quod in Deo, qui est causa excedens omnia praedicta, laudari possunt *absolute,* ut dicatur quod in Deo est Sanctitas, Regnum, Dominatio et Deitas. Sed adhuc addere nos possumus aliqua ad Ipsius excessum pertinentia, sicut quod dicamus quod ipsa prima Causa est sanctitas et dominatio excedens et etiam regnum supremum et simplicissima Deitas, quia primae Causae non convenit Deitas per participationem, sed per essentiam.

950. — Assignat autem consequenter rationem praemissorum: et primo quidem, quantum ad sanctitatem quam dixit esse munditiam quamdam; et dicit quod omnis munditia quorumcumque existentium praeexistit *in Uno* quod est prima Causa, non quidem divisim, sed *collective* prout scilicet ea quae sunt in effectibus multiplicata, in causa inveniuntur simplicia et *ex ipsa* prima Causa distribuitur munditia et puritas ad omnia existentia, secundum quod cuilibet competit.

Sed notandum quod duo adiungit munditiae, scilicet diligentiam et claritatem; quorum unum, scilicet diligentia est munditiae operativa: diligenti enim studio, munditia conservari oportet; alterum, vero, scilicet claritas ex munditia consequitur: ea enim quae sunt depurata, sunt in seipsis magis evidentia et perfectius aliunde splendorem recipere possunt.

951. — Deinde, quantum ad rationem regni, dicit quod similiter in prima Causa subsistit et ab eo distribuitur *ordinatio et ornatus* quae in ratione regni includuntur, per quae exterminatur, idest tollitur inconvenientia et inaequalitas et incommensuratio quae opponuntur iustitiae, quae per regnum constitui debet: ut inconvenientia accipiatur per comparationem hominis ad suam actionem, dum facit quod non convenit; inaequalitas vero per comparationem unius hominis ad alium, dum non servatur iustitiae aequalitas inter homines; incommensuratio autem per comparationem hominis ad ea quae habet, dum scilicet alicui plura dantur aliquando, praeter suam mensuram. Haec enim omnia per ordinationem regni excludi debent.

Nec sufficit excludere vitia, nisi qui gubernantur per regnum, dirigantur ad debitum finem; unde dicit quod ordinatio divini Regni, ea *quae* habentur *digna* eius *participatione* exultat, idest cum quadam laetitia elevat et implendo | circumagit *ad* quamdam *identitatem bene ordinatam,* idest ut conveniant in eodem optimo ordine; *et directionem,* idest ut debitam rectitudinem sortiantur: iste est enim finis regni, ut omnia sub uno, bono ordine, contineantur et dirigantur.

952. — Deinde, quantum ad dominationem dicit quod *in Uno,* quod est omnium Causa, *collective subsistit* et distribuitur *omnis perfecta possessio omnium pulchrorum,* quae pertinent ad rationem dominationis, ut dictum est [947].

953. — Quantum vero ad Deitatem, subdit quod *in* eodem *Uno subsistit* et in eodem distribuitur *omnis bona providentia* Dei quae est considerativa *et contentiva* eorum quibus providet, quae sub Eius ordine continentur, inquantum ex sua benignitate tribuit *seipsam* per quamdam participationem ad hoc quod deificet eos qui convertuntur ad Ipsum; deificet, dico, idest deos faciat per participationem similitudinis, non per proprietatem naturae.

954. — Deinde, cum dicit [433]: *Quoniam autem...* respondet secundae quaestioni, scilicet quid volunt eloquia monstrare per nominum duplicationem; et primo, ostendit qualiter dicatur Deus, Sanctus Sanctorum, Rex regum, Dominus dominorum, Deus deorum; secundo, ostendit qui sint isti sancti et reges quorum Deus dicitur esse Sanctus, et Rex, etc. ibi [434]: *Sanctos autem...*

955. — Dicit ergo primo quod Deus, *qui est omnium causa,* supereminenter omnibus, habet plenitudinem bonitatis super omnia alia. Ideo ad designandum hunc excessum quo excedit omnia, dicitur in Scripturis « *Sanctus Sanctorum* » *et reliqua,* idest Rex regum, Dominus dominantium et Deus deorum: designatur enim, in isto modo locutionis, emanatio quaedam a causa superiori, ut intelligatur, cum dicitur Sanctus Sanctorum, quod ab Ipso emanat sanctitas in omnes alios et sic de aliis.

Designatur etiam quidam excessus, secundum quem Deus ab omnibus segregatur, quasi superior omnibus existens, ut sit sensus: *Sanctus sanctorum,* idest Sanctus excedens omnes sanctos: sic enim ea quae sunt *sancta et divina* et *dominantia* et *regalia,* excedunt ea quae *non* sunt talia; *et rursus,* sicut *participationes* excedunt participantia, ut sanctitas sanctum, *ita collocatur super omnia existentia,* Ille *qui est* superior omnibus existentibus, eo quod est *Causa* quaedam *imparticipabilis omnium participantium et participationum:* causa enim excedit causata.

956. — Deinde, cum dicit [434]: *Sanctos autem...* ostendit qui dicantur sancti et reges quibus Deus comparatur; et dicit quod sancta eloquia nominant *sanctos et reges et dominos et deos, principaliores ornatus in singulis,* idest illos qui sortiuntur primos gradus in singulis ordinibus sicut, inter Angelos, supremi Angeli et, inter homines, supremi homines: et hoc ideo, quia supremi in singulis ordinibus, accipiunt Dei dona in maiori simplicitate, quia magis assimilantur Deo, in quo est simplex et uniformis Deitas et bonitas. Et sic per principaliores ex sui simplicitate illis distribuit et huiusmodi Dei dona multiplicantur in inferioribus, secundum eorum *differentias;* et rursus, secundum ordinationem finis, *primi* et superiores, *varietatem* provenientem in inferioribus *congregant* per quamdam reductionem ad similitudinem suae unitatis, per quamdam providentiam deiformem: sic enim et Deus diffundendo sua dona et multiplicat et rursus per opus providentiae multiplicia reducit in ordinem unius finis.

OBSERVATIONES

QUOAD TEXTUM:

* ad n. 427: « oportet » (edit.) ἔδει, « oportebat ».

* : « laudare nos convenit » - ὑμνητέον ἡμῖν « nobis... laudandus est » (Cordier).

* : « per se sanctitatem » (edit. T, Ve², ib. 629: « per se bonitatem »); corr. ex textu Dionysii - αὐτοαγιότητα, « sanctitatem ipsam » (cfr. 428) et ex textu expositionis: **942**.

* ad n. 430: « ab eo quod est dominium facere » - παρὰ τὸ κῦρος, « ab eo quod est forte »; eleganter ut solet M. de Gandillac: « car le mot *Kyriothès* (Seigneurie) vient de *Kyros* (garantie), ainsi que *Kyrion* (nom propre) et que *Kyrieuon* (dominateur) ».

* ad n. 432: « laudare convenit » - ὑμνητέον, « praedicanda sunt » (Cordier).

* : « et regnum superpositam et amplissimam Deitatem » - καὶ βασιλείαν ὑπερκειμένην καὶ ἁπλουστάτην, « et regnum supremum et simplicissimam Deitatem » (cfr. **949**).

* : « in uno collective subsistit » - ἐν ἑνὶ καὶ ἀθρόως ἐκπέφυκε, « ex Ipsa *singulariter et ubertim emanavit* atque diffusa est omnis mera perfectio totius sincerae puritatis » (Cordier); in expositione (**950**) libere.

* ad n. 433: « existentia sancta et divina » (edit. corr.) « *aut* divina ».

* : « dominantia » leg. (**955**), minime: « dominia » (edit. T, Ve², ib. 627).

* : « et rursus participantibus » - καὶ αὐτῶν μετεχόντων, « *et ipsis* participantibus ».

* ad n. 434: « principaliores » - ἀρχηγικωτέρας, lit. « magis *principiales* ».

* : « primi » - αἱ πρώτισται, non: « prime » (Ve², ib 627) vel « primae » (T).

CAPUT DECIMUMTERTIUM

De Perfecto et Uno.

LECTIO I (61a)

Exponuntur nomina quae pertinent ad Providentiae finem: et primo determinatur de Perfecto.

SYNOPSIS

(Lect. I; cap. XIII; textus nn. 435-438; expositio nn. **957-968**).

Exponit divina nomina quae pertinent ad Providentiae finem (**957**):
A) dicit de quo est intentio (435; **959**)
B) exequitur propositum:
  1° - determinat de perfecto:
    a) ostendit quomodo Deo attribuatur perfectum (436; **962**)
    b) ostendit quid sit de ratione perfecti, secundum quod Deus perfectus dicitur:
      j° - excludit quaedam a Deo quae sunt de perfectione creaturae (437; **964**)
      ij° - ostendit quae sunt de ratione divinae perfectionis (438; **965-968**)
  2° - determinat de uno (439; Lectio 2a et 3a).
C) epilogat quae in toto libro sunt dicta (453; Lectio 4a).

TEXTUS DIONYSII

C. XIII § 1. 435. — « Tanta et de istis.

Ad ipsum autem reliquum, si videtur, sermone brevissimum * eamus:

etenim Theologia de omnium causa et omnia et simul omnia praedicat et sicut perfectum ipsum et sicut unum laudat.

436. — Igitur perfectum quidem est, non solum sicut per se perfectum et secundum seipsum a seipso uniformiter segregatum * et totum per totum perfectissimum, sed et sicut superperfectum secundum omnium excessum,

C. XIII. § *1. 435.* — [*977* B] *Τοσαῦτα καὶ περὶ τούτων.*

*[3]Ἐπ'αὐτὸ δὲ λοιπόν, εἰ δοκεῖ, τῷ λόγῳ τὸ καρτερώτατον * χωρῶμεν·*

καὶ γὰρ ἡ θεολογία τοῦ πάντων αἰτίου καὶ πάντα καὶ ἅμα πάντα κατηγορεῖ καὶ ὡς τέλειον [1] αὐτὸ καὶ ὡς ἓν [2] ἀνυμνεῖ.

*436. — Τέλειον μὲν οὖν ἐστιν οὐ μόνον ὡς αὐτοτελὲς καὶ καθ'ἑαυτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ μονοειδῶς ἀφοριζόμενον * καὶ ὅλον δι' ὅλου τελειότατον, ἀλλὰ καὶ ὡς ὑπερτελὲς κατὰ τὸ πάντων ὑπερέχον·*

[1]) MAT. 5, 48; nota rursus insertionem in theologia unita.
[2]) Cfr. I *Tim.* 2, 5.

437. — Et omnem quidem infinitatem terminans, super omnem autem terminum extentum et a nullo captum aut comprehensum,

438. — Sed * extendens se ad omnia simul et super omnia indeficientibus immissionibus et interminabilibus operationibus.

Perfectum autem rursus dicitur et sicut inaugmentabile et semper perfectum et sicut non minorabile, sicut omnia in seipso praehabens et supermanans secundum unam impausabilem et eamdem et superplenam et imminorabilem largitionem, secundum quam perfecta omnia perficit * et propria adimplet perfectione ».

437. — καὶ πᾶσαν μὲν ἀπειρίαν ὁρίζον, παντὸς δὲ πέρατος ὑπεροπλωμένον καὶ ὑπὸ μηδενὸς χωρούμενον ἢ καταλαμβανόμενον,

*438. — ἀλλὰ * διατεῖνον ἐπὶ πάντα ἅμα καὶ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνεκλείπτοις ἐπιδόσεσι καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις.*

Τέλειον δ' αὖ λέγεται καὶ ὡς ἀνυπόστατον καὶ ἀεὶ τέλειον καὶ ὡς ἀμείωτον, ὡς πάντα ἐν ἑαυτῷ προέχον καὶ ὑπερβλύζον κατὰ μίαν τὴν ἄπαυστον καὶ ταύτην καὶ ὑπερπλήρη καὶ ἀνελάττωτον χορηγίαν καθ'ἣν τὰ τέλεια [C] *πάντα τελεσιουργεῖ * καὶ τῆς οἰκείας ἀποπληροῖ τελειότητος.*

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

957. — Postquam Dionysius exposuit divina nomina quae ad rationem providentiae pertinent, hic exponit divina nomina quae pertinent ad providentiae finem; est enim providentiae finis ut singula perfectionem propriam consequantur et ulterius omnia reducantur in unum finem et ideo dicitur hic: *de perfecto et uno*, ut ex titulo patet.

958. — Dividitur autem hoc capitulum in partes tres: in prima, dicit de quo est intentio; in secunda, exequitur; ibi [436]: *Igitur perfectum...;* in tertia, epilogat quae in toto libro sunt dicta; ibi [453]: *Has nos...* [lectio 4a].

959. — Dicit ergo primo [435] quod sufficit tot de praemissis dixisse; videtur autem *reliquum* esse ut transeamus ad id quod est *brevissimum* in *sermone*; quia sacra Scriptura de Deo, qui est *causa omnium*, non solum praedicat *omnia*, sed etiam *praedicat* de Eo *simul omnia*. Inveniuntur autem multa in aliqua una creatura, sed non simul vel quia conveniunt ei, non tamen eodem tempore, sicut corpus est album et nigrum, sed non simul; vel quia conveniunt ei, non secundum eandem partem, sicut si aliquod corpus sit secundum unam partem album et secundum aliam partem nigrum, habet quidem multa, sed non simul.

Sed Deus habet omnia in seipso neque successive secundum tempus neque divisim secundum partes, sed simul; et ideo, quia sic habet omnia simul, laudatur *sicut perfectum et sicut unum:* quod enim habet multa, non simul sed successive, imperfectum est quia est mutabile: motus autem est actus imperfecti; quod autem habet multa, non simul sed divisim, secundum suas partes, est compositum et non vere unum.

Sic igitur, brevissimo sermone, omnia quae supra de Deo dicta sunt, in nomine perfecti et unius comprehenduntur.

***960.** — Deinde, cum dicit [436]: *Igitur perfectum...* exequitur propositum; et primo, determinat de perfecto; secundo, de uno; ibi [439]: *Unum autem...* [lectio 2a].

961. — Circa primum, duo facit: primo, ostendit quomodo Deo attribuatur perfectum; secundo, quid sit de ratione perfecti secundum quod Deo attribuitur; ibi [437]: *Et omnem quidem infinitatem...*

962. — Circa primum, ponit modos divinae perfectionis per differentiam ad ea quae dicuntur perfecta in creaturis: dicuntur enim primo aliqua esse perfecta in creaturis non per se, sed per aliquid extrinsecum adveniens, sicut aër per lumen receptum a sole et homo per gratiam quam habet a Deo; sed Deus dicitur perfectus, sicut *per se* perfectus.

Secundo, dicitur aliquid perfectum per se quidem, quia per propriam formam naturalem, sed non secundum seipsum, quia ipsum non est sua forma, sed est ex forma et materia compositum, sicut si dicamus lapidem perfectum vel quamcumque rem materialem: nihil enim huiusmodi habet quod sit perfectum secundum se totum, sed secundum aliquid sui.

Tertio, invenitur aliquid perfectum secundum se, quia ipsum est forma quaedam subsistens, sicut quaelibet substantia immaterialis, non tamen est perfectum a seipso, quia non habet esse a se, sed ab alio; et ideo ad hoc excludendum attribuit Deo: *per se perfectum et secundum seipsum a seipso segregatum*, scilicet ab omnibus aliis; et ponit loco perfecti, segregatum ab aliis, quia unum-

quodque, secundum quod sanctum est et perfectionem habet, ab aliis segregatur.

Quarto, considerandum est de perfectione cuiuslibet creaturae quod, cum quaelibet creatura sit aliquo modo composita et in quolibet composito sit aliquid alio perfectius, nulla creatura est tota perfectissima secundum se totam, sed secundum aliquid sui; sicut perfectissimum in homine est anima et in anima intellectus. Et ad hoc removendum a Deo, dicit Deum esse *totum perfectissimum.*

Et non solum secundum praedictos modos attribuitur Deo esse perfectum, sed etiam dicitur perfectus *sicut* superperfectus, inquantum excedit perfectionem omnium rerum.

963. — Deinde, cum dicit [437]: *Et omnem...* ostendit quid sit de ratione perfecti, secundum quod Deus perfectus dicitur; et primo, excludit quaedam a Deo quae sunt de perfectione creaturae; secundo, ostendit quae sunt de ratione perfectionis divinae; ibi [438]: *Sed extendens...*

964. — Sunt autem tria consideranda in perfectione creaturae quae excluduntur a Deo: quorum primum est quod perfectum opponitur infinito quia, ut dicitur in III° Phys. [1]), infinitum est cuius quantitatem accipientibus, semper est aliquid ultra accipere; perfectum autem et totum est extra quod nihil est. Sic igitur creatura perfecta infinitati opponitur, sed Deus sua perfectione *omnem infinitatem* terminat quia quodcumque infinitum, divinae perfectioni comparatum, est finitum et terminatum; puta, si esset corpus infinitum secundum quantitatem, esset terminatum secundum genus et speciem, quam quidem terminationem, ex participatione divinae perfectionis sortiretur.

Secundo, considerandum est quod quaelibet creatura ex hoc perfecta dicitur, quod ad terminum suae naturae pertingit et ad debitum suae quantitatis terminum; Deus autem perfectus dicitur, non quasi habens terminum, sed sicut extentus, ut ipse dicit, *super omnem terminum*, quia omnis terminatio ab Eo derivatur.

Tertio, considerandum est quod quaelibet creatura dicitur perfecta ex hoc quod quibusdam certis limitibus continetur; Deus autem sic dicitur perfectus, quod tamen *a nullo* capitur *aut* comprehenditur.

965. — Deinde, cum dicit [438]: *Sed sicut extendens...* ponit quatuor quae sunt de ratione divinae perfectionis: primo enim considerandum est quod aliquid dicitur imperfectum cuius virtus non se extendit ad implendum omnia opera propria; sicut imperfecti regis esset, si eius virtus non se extenderet ad omnes suos subditos gubernandos et ideo, per oppositum, de Deo dicit quod *se* extendit *ad omnia* non quidem successive ita quod attingendo unum deserat aliud, sed *simul;* neque per quamdam adaequationem ad res, sicut potentia hominis, sed *super omnia* existens. Extendit autem se ad omnia *indeficientibus immissionibus*, inquantum indeficienter rebus communicat sua bona *et interminabilibus operationibus*, inquantum in omnibus interminabiliter operatur.

966. — Secundo, dicitur aliquid imperfectum quia tendit in perfectionem, sicut puer, dum est in statu augmenti; vel quia recedit a perfectione, sicut senex, dum est in statu decrementi; vel etiam quia non habet perfectionem semper immanentem, sicut omnia mutabilia dicuntur imperfecta; et ideo, per oppositum, de Deo dicit quod Deus dicitur perfectus *sicut* inaugmentabilis *et semper* perfectus *et sicut non* minorabilis.

967. — Tertio, dicitur imperfectum quia deest ei aliquid eorum quae debet habere sicut homo diceretur imperfectus si non haberet manum aut pedem aut scientiam aut virtutem; quod autem habet omnia quae debet habere secundum suam naturam, dicitur perfectum non simpliciter, sed secundum suam naturam. Deus autem dicitur simpliciter perfectus, quia simpliciter *omnia in seipso* praehabet, sicut effectus praeexistunt in causa, ut supra multoties dictum est.

968. — Quarto, dicitur aliquid imperfectum quod non potest aliquid sibi simile facere; perfectum autem est unumquodque, cum potest facere sibi simile, ut dicitur in IV° Meteorologicorum [2]) et ideo de Deo dicit quod Deus dicitur perfectus, inquantum desuper manat suam perfectionem omnibus creaturis et hoc non secundum diversas largitiones, ex parte ipsius Dei largientis, sed *secundum unam:* quae quidem largitio non deficit, sed est impausabilis et eadem manens. Nec iterum est diminuta, sed cum det « *omnibus affluenter* », ut dicitur Iacob. 1 [5], Eius largitio est superplena, ut quae numquam minorari potest per suae copiam effusionis, *secundum quam* largitionem, *perficit omnia perfecta*, inquantum *adimplet* ea, similitudine propriae perfectionis.

[1]) C. 6: 207, a, 7-8; S. Th. lect. 11, n. 2 sq.
[2]) C. 3: 380, a, 13-15; Contin. exp. S. Th. lect. 4, n. 1. Cfr. *De anima* II, 4: 415, a, 26-29; S. Th. lect. 7, n. 314.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 435, **959**: « ... ad ipsum autem reliquum, si videtur, sermone [*edit.* T, Ve², ib. 634: « sermonem » corr.] brevissimum eamus » - *ἐπ'αὐτὸ δὲ λοιπόν, εἰ δοκεῖ, τῷ λόγῳ τὸ κρατερώτατον χωρῶμεν*, « *ceterum* autem, si videtur, ad id quod *ratione validissimum* est procedamus »; « il reste, si tu le veux bien, à pénétrer *au coeur même de notre sujet* » (M. de Gandillac): perspicue simul et eleganter quod dicit exprimitur, at suspicor *τῷ λόγῳ* rationem indicare, unde *κρατερώτατον* [Pachymeres exponit: *ἰσχυρότατον*, 985 A, « fortissimum »] est doctrina quae ratione probatur validissimă, cum a Deo « fieri » et « multiplicitatem » excludat.

* ad n. 436, **962**: « a seipso uniformiter segregatum » - ... *ἀφοριζόμενον*, « definitum » ad excludendum quod Deus sit ens *indeterminatum*; al. *διοριζόμενον* distinctum, *segregatum.*

* ad n. 438: « sed extendens » - *ἀλλὰ καὶ διατεῖνον*; « *καὶ* omitto » (Turturro).

* : « omnia perficit » - *πάντα τελεσιουργεῖ*, verbo vigilanti Dionysius meus utitur, nam « divina Beatitudo... mundans (*καθαίρουσα*) illuminans (*φωτίζουσα*) et *sacra actione perficiens* (*τελεσιουργοῦσα*) dicitur (CH. III, 2; 165 C). Inde in Hierarchia sunt « qui sacra actione perficiunt » (*τοὺς δὲ τελεσιουργεῖν*) h. e. *episcopi* (EH. V, 1, 3; 504 AB) et « unifica adductio » ad Deum *sacris actionibus Eucharistiae et Unguenti perficitur* (504 C).

2ª GLOSSAE MARGINALES.

a) Contra opinionem qua Deus intelligitur ut « *αὐτοφυής* » (cfr. apud Clem. Alex., *Strom.* V, 14; edit. Potter II, 717, cit. Euripidis ex *Hecathaeo*) vel « *αὐτογενής* » (cfr. in Clem. Alex., *Protreptico* VII ex Carmine Orphico; edit. Potter I, 64) ponitur notio Dei prout est « *αὐτοτελής* » *per se perfectus* » (436).

b) Apud Clementem Alexandrinum « *αὐτογενής* » Orphici Carminis corrigitur hoc modo: « *εἷς ἔστ'αὐτοτελής - Unus est per se perfectus* » (*Strom.* V, 12; edit. Potter II, 693) quod Eusebio placet (*Praep. Evang.* XIII, 12, 5; edit. Dindorf II, 192).

Quaestio ista haud parvi erat momenti tempore quo Aetius tamquam « osor Dei » Ecclesiam commovebat. In fine sui opusculi Deus dicitur « *ὁ ὢν αὐτογένητος θεός* » - « qui est a se genitus Deus (apud Epiph., *haer.* LXXVI, 11; edit. Oehler II, 1, pag. 222) unde Epiphanius facile contradictionem notat (ibid. pag. 319). Suspicor tamen hoc modo Aetium *identitatem*, in theologia aegyptiana haud admissam, stabilire voluisse inter Illum qui « unus Deus » vocatur et alterum « qui est sui pater (*αὐτοπάτωρ*) et de se genitus (*αὐτογόνος*) et solus Pater (*μονοπάτωρ*) et *realiter bonus* » (Iambl., *de Mysteriis Aegypt.* VIII, 2). Eadem notio invenitur et in theologia assyro-babylonica: « Assur » vocatur « ba-nu-u ram-ni-su », h. e. causa sui vel lit. « productor ipsitatis suae » (Dhorme, *Choix de textes religieux assyro-babyloniens*, Paris 1907, pag. 92).

Ratione tamen validissime probatur a notione Dei excludi quodlibet *fieri* et quamlibet *multiplicitatem:* rursus occurrit doctrina theologica quae, in *Metaphysica Aristotelis* XII, 7, contra Pythagoricos et Spensippum, maximam perfectionem pulchritudinis et bonitatis primo Principio attribuit.

Inde tractat et de « Uno » cuius notio arcte cum notione « perfecti » connectitur et fusius a Plotino declaratur (*En.* VI, 9: « de ipso Bono seu de Uno »). Quae pulchra et vera sunt, utpote rectae rationi consona, Dionysius meus non rapit, sed assimilat et in christiana synthesi ponit.

LECTIO II (62ª)

Ostendit Causalitatem Unius in communi.

SYNOPSIS

(Lect. II; cap. XIII; textus nn. 439-446; expositio nn. 969-981).

Determinat de uno:

A) ostendit causalitatem unius in communi:
- 1° - proponit quod intendit (439; **971**)
- 2° - probat propositum quinque rationibus:
  - a) ponitur ratio prima:
    - j° - exponitur (440; **972**)
    - ij° - minor probatur:
      - α) probat propositum (441; **974**)
      - β) excludit obiectionem (442; **975-976**)
  - b) ratio secunda (443; **977**)
  - c) ratio tertia (444; **978**)
  - d) ratio quarta (445; **979**)
  - e) ratio quinta (446; **980-981**).

B) ostendit quomodo unum Deo attribuatur (447; Lectio 3ª).

TEXTUS DIONYSII

§ 2. 439. — « Unum autem, quoniam omnia unitive * est secundum unius unitatis excessum et omnium est unum inegressibiliter * causa,

*§ 2. 439. — "Ἓν δὲ ὅτι πάντα ἑνιαίως * ἐστὶ κατὰ μιᾶς ἑνότητος ὑπεροχὴν καὶ πάντων ἐστὶ τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοιτήτως * αἴτιον·*

440. — Nihil enim existentium est non participans uno;

440. — οὐδὲν γάρ ἐστι τῶν ὄντων ἀμέτοχον τοῦ ἑνός,

441. — Sed sicut omnis numerus unitate participat et unus binarius et denarius dicitur et dimidium unum * et tertium et decimum unum, ita omnia et omnium pars *, uno participant et per id quod est unum, omnia sunt existentia.

*441. — ἀλλ' ὥσπερ ἅπας ἀριθμὸς μονάδος μετέχει καὶ μία δυὰς καὶ δεκὰς λέγεται καὶ ἥμισυ ἓν * καὶ τρίτον καὶ δέκατον ἕν, οὕτω πάντα καὶ πάντων μόριον * τοῦ ἑνὸς μετέχει καὶ τῷ εἶναι τὸ ἓν πάντα ἐστὶ τὰ ὄντα.*

442. — Et non est quod omnium est causa unum, multorum unum sed ante omne unum et multitudinem et omne unum et multitudinem determinans.

Neque enim est multitudo non participans uno, sed ea quae sunt multa partibus, sunt unum toto; et quae sunt multa accidentibus, sunt unum subiecto; et quae sunt multa numero aut virtutibus, sunt unum specie; et quae sunt multa speciebus, sunt unum genere; et quae sunt multa processibus, sunt unum principio;

et nihil est existentium quod non participet, secundum aliquid, uno quod, in eo quod est singulare secundum omnia, omnia et tota omnia et opposita et singulariter * coaccepit;

442. — Καὶ οὐκ ἔστι τὸ πάντων αἴτιον ἓν τῶν πολλῶν ἕν, ἀλλὰ πρὸ παντὸς ἑνὸς καὶ πλή[D]θους καὶ παντὸς ἑνὸς καὶ πλήθους ὁριστικόν·

οὐδὲ [980 A] γάρ ἐστι πλῆθος ἀμέτοχόν πῃ τοῦ ἑνός, ἀλλὰ τὸ μὲν πολλὰ τοῖς μέρεσιν ἐν τῷ ὅλῳ· καὶ τὸ πολλὰ τοῖς συμβεβηκόσιν ἐν τῷ ὑποκειμένῳ· καὶ τὸ πολλὰ τῷ ἀριθμῷ ἢ ταῖς δυνάμεσιν ἐν τῷ εἴδει· καὶ τὸ πολλὰ τοῖς εἴδεσιν ἐν τῷ γένει· καὶ τὸ πολλὰ ταῖς προόδοις ἐν τῇ ἀρχῇ·

*καὶ οὐδέν ἐστι τῶν ὄντων ὃ μὴ μετέχει πῃ τοῦ ἑνὸς τοῦ ἐν τῷ κατὰ πάντα ἑνικῷ πάντα καὶ ὅλα πάντα καὶ τὰ ἀντικείμενα καὶ ἑνιαίως * προειληφότος.*

443. — Et sine uno quidem non erit multitudo; sine multitudine vero erit unum; sicut et unitas ante omnem numerum et multiplicatum.

443. — Καὶ ἄνευ μὲν τοῦ ἑνὸς οὐκ ἔσται πλῆθος, ἄνευ δὲ τοῦ πλήθους ἔσται τὸ ἕν, ὡς καὶ μονὰς πρὸ παντὸς ἀριθμοῦ πεπληθυσμένου·

444. — Et si omnibus omnia unita aliquis supponat, omnia erunt in toto unum.

444. — καὶ εἰ πᾶσι τὰ πάντα ἡνωμένα τὶς ὑπόθοιτο, τὰ πάντα ἔσται τῷ ὅλῳ ἕν.

§ 3. 445. — Et aliter et hoc sciendum est quoniam, secundum uniuscuiusque praeexcogitatam speciem unita dicuntur esse ea quae sunt unita,

§ 3. 445. — [B] "Αλλως τε· καὶ τοῦτο ἰστέον ὅτι κατὰ τὸ ἑνὸς ἑκάστου προεπινοούμενον εἶδος ἡνῶσθαι λέγεται τὰ ἡνωμένα

446. — Et omnium est unum elementatum *;

et si auferas unum, neque totalitas neque pars * neque aliud nihil existentium erit: omnia enim in seipso unum uniformiter praeaccepit et circumaccepit ».

*446. — καὶ πάντων ἐστὶ τὸ ἓν στοιχειωτικόν *·*

*καὶ εἰ ἀνέλῃς τὸ ἓν οὔτε ὁλότης οὔτε μόριον * οὔτε ἄλλο οὐδὲν τῶν ὄντων ἔσται·*

πάντα γάρ ἐν ἑαυτῷ τὸ ἓν ἑνοειδῶς προείληφέ τε καὶ περιείληφε.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

969. — Postquam Dionysius determinavit de perfecto, hic determinat de uno; et primo, ostendit causalitatem unius in communi; secundo, quomodo unum Deo attribuatur; ibi [447]: *Ita igitur Theologia...* [lectio 3ª].

970. — Circa primum, duo facit: primo, proponit quod intendit; secundo, probat propositum; ibi [440]: *Nihil enim...*

971. — Dicit ergo primo [439] quod *unum* attribuitur Deo propter duas rationes: primo, quidem, quia Ipse *est omnia unitive secundum excessum* suae singularis *unitatis*, sicut multoties supra dictum est quod effectus sunt in causa non ut multi, sed ut unum secundum unam causae virtutem, ac si diceremus quod omnes lineae progredientes a centro sunt unum in ipso.

Secundo, unum attribuitur Deo, quia *unum*, secundum suam intentionem consideratum, *est omnium causa inegressibiliter:* sic enim ex uno diversa causantur, quo tamen unum non egreditur a sua unitate.

972. — Deinde, cum dicit [440]: *Nihil enim...* manifestat propositum quinque rationibus, quarum prima talis est: Id quo aliqua participant est causa participantium, sicut albedo est causa alborum; sed *nihil est existentium* quod *non* participet *uno;* ergo unum est causa omnium existentium.

973. — Minorem autem probat, ibi [441]: *Sed sicut...* et primo probat propositum; secundo, excludit obiectionem; ibi [442]: *Et non est...*

974. — Quod autem omnia participent uno, probat per id de quo minus videtur, scilicet per numerum qui quodammodo opponitur uni, sicut divisum indiviso: *omnis* enim *numerus participat* uno sive numerus accipiatur secundum se, ut significatur cum dicitur binarius vel ternarius sive accipiatur numerus secundum quod denominat aliquam partem, ut cum dicimus dimidium vel tertium vel decimum.

Et hoc probat per hoc quod unum, utroque modo, de numero praedicatur: dicimus enim binarium et ternarium vel denarium unum; et iterum dicimus *dimidium* vel *tertium* vel *decimum*. Sicut ergo numerus uno participat, ita *omnia* tota *et omnium* partes *uno participant*. Et sic sequitur quod *per id quod est unum, omnia existentia* esse habeant, sicut participantia per participatum.

975. — Deinde, cum dicit [442]: *Et non est...* excludit obiectionem: posset enim aliquis obiicere quod *unum non est causa omnium*, neque multitudinis seu numeri, quia est pars quaedam multitudinis. Sed ipse respondet quod *unum* quod est *omnium causa, non est* illud *unum* quod est pars *multorum*, quia illud unum est partiale et participatum, sed est *ante* omnem *multitudinem*, non solum ordine temporis et naturae, sed etiam ordine causae quia determinat *omne unum* participabile *et* omnem *multitudinem* per modum quo participans determinatur ad formam per id quod participat: nulla enim *multitudo est* quae *non* participet *uno*, quia omnia multa sunt unum secundum aliquid: sicut *ea quae sunt multa partibus sunt unum toto; et* ea *quae sunt multa accidentibus*, ut album et musicum *sunt unum subiecto; et* ea *quae sunt multa numero, sunt unum specie*, sicut multa individua, ut Socrates et Plato, sunt unum in specie hominis; addit

autem *virtutibus* quia et in uno individuo eiusdem speciei sunt multae virtutes, unam et eamdem speciem consequentes sive quia in diversis individuis sunt diversae virtutes secundum quod diversimode disponuntur ad actus speciei: non enim est eadem potestas aut virtus omnium hominum ad intelligendum; *et* illa *quae sunt multa speciebus, sunt unum genere*, sicut homo et canis differunt quidem specie, conveniunt autem in uno genere animalis; *et* ulterius ea *quae sunt multa processibus*, conveniunt in uno principio, sicut esse et vivere et intelligere et huiusmodi, sunt diversae processiones procedentes ab uno principio quod est Deus, ut ex praemissis patet.

976. — Et sic manifestum fit quod, cum omnia quocumque modo sint multa, conveniunt tamen in aliquo uno: *nihil* enim *est* in entibus, *quod non participet secundum aliquid*, ipso *uno; quod* quidem secundum suam rationem, *est secundum omnia singulare*, idest indivisum in se. Nam multa individua quae sunt unum genere multa sunt divisa secundum speciem; et similiter, omne quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est, ut omnes effectus sunt in principio. Omnia autem participata operantur ad id quod participant, sicut ad principium. Unde relinquitur quod unum, inquantum est singulare, in omnibus participatum, *singulariter* idest indivisibiliter *coaccepit* in se, sicut in principio uno, *omnia* existentia, *et tota omnia*, sicut universa genera *et opposita*, sicut sunt differentia quibus dividitur totum genus.

977. — Deinde, cum dicit [443]: *Et sine uno...* ponit secundam rationem quae talis est: illud a quo non convertitur consequentia essendi, est naturaliter prius et quodammodo principium. Sed unum est huiusmodi quia *sine uno non* invenitur aliqua *multitudo*, sed invenitur aliquod *unum* absque omni *multitudine*. Unum igitur est prius omni multitudine et principium eius. Cuius signum apparet in numeris, quia *unitas* est *ante omnem numerum*, qualitercumque multiplicetur.

978. — Deinde, cum dicit [444]: *Et si omnibus...* ponit tertiam rationem, quae procedit ex quadam suppositione, scilicet, quod *omnibus omnia* sint *unita*. Hoc enim negant soli illi qui non ponunt unum principium omnium, sicut illi qui dicunt quod bonum et malum sunt duo prima principia et quod mala non coordinantur bonis. Sed cum ex supradictis sit manifestum esse unum principium omnium quod est bonum, necesse est *omnia omnibus* coordinata esse et *unita*. Quaecumque autem uniuntur ad invicem, se habent sicut partes unius totius quod per eorum unitionem constituitur. Sic igitur, *si omnia omnibus* sunt *unita*, necesse est quod *omnia* conveniant *in* uno *toto;* et sic, omnia participabunt uno, sicut partes participant forma totius. Erit igitur unum, principium omnium.

979. — Deinde, cum dicit [445]: *Et aliter...* ponit quartam rationem ex eadem suppositione procedentem: quae enim ad invicem sunt unita, non solum conveniunt in una forma totius, sed etiam *secundum* aliquam unam *praeexcogitatam speciem unita esse dicuntur*, sicut partes domus quae uniuntur in una forma domus, praeexcogitata ab artifice. Sic igitur, *si omnia omnibus* sunt *unita*, non solum conveniunt in una forma totius, sed etiam conveniunt in hoc quod sunt *unita* omnia secundum unam formam, ab Eo excogitatam qui est Auctor universorum. Ipsa enim unitas universi procedit ab unitate divinae mentis, sicut forma domus quae est in materia, provenit a forma domus quae est in mente artificis.

980. — Deinde, cum dicit [446]: *Et omnium...* ponit quintam rationem, quod *unum est omnium elementatum*. Est autem elementum ex quo componitur aliquid primo et est in eo et non dividitur secundum formam. Manifestum est autem quod, in omni composito, est aliqua componentium multitudo; omnis autem multitudinis elementum est unum, cum unum sit indivisibile et unum sit in multitudine, sicut id ex quo primo componitur multitudo. Relinquitur ergo quod unum sit sicut principium elementare omnium elementatorum.

981. — Patet ergo ex praemissis, quod unum quinque modis habet rationem principii: uno modo, sicut participatum participantium; alio modo, sicut universale a quo non convertitur consequentia essendi. Et hi duo modi procedunt secundum opinionem Platonis.

Tertio modo, sicut formatio eius et principium formale, ex quibus componitur totum; quarto modo, sicut forma praeexcogitata ab artifice est principium eorum quae producunt effectum; quinto modo, sicut elementum est principium.

Et ita, probato multipliciter quod unum sit principium omnium, quasi concludendo, subdit quod *si* removeatur *unum neque* totum *neque pars neque* aliquod *existentium* remanebit; quia *unum* in se *omnia praeaccepit*, tamquam principium omnium.

OBSERVATIONES

1° Quoad textum:

* ad n. 439: « unitive » - *ἑνιαίως*, « *unite* ».

* : « est unum inegressibiliter causa » - *ἐστὶ τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοιτήτως αἴτιον*, est causa *absque hoc quod egrediatur ab uno*, cfr. **971**: « non egreditur *a sua unitate* »; « non amittendo suam unitatem » (Cordier).

* ad n. 441: « sed sicut... et dimidium unum »; vers. lat. obscurior, nota vers. gal. M. de Gandillac: « ... mais de même que tout nombre participe à l'unité numérique et qu'on dit *une* dyade, *une* décade, *un* demi, *un* tiers et *un* dixième... ».

* : « omnium *pars* » - *μόριον* (cfr. *Theolog. Arithmetica* I, edit. de Falco, pag. 2) « particula ».

* ad n. 442: « et singulariter » - *καὶ ἑνιαίως*, « et *unite* ».

* ad n. 446: « elementatum » - *στοιχειωτικόν*, « *elementare* » cfr. **980**: « sicut principium *elementare* ».

* : neque pars - *μόριον*, « particula ».

2° Glossae marginales:

a) Quae Plotinus docuit de *uno* (*En.* VI, 9, 1): « Omnia entia ipso uno sunt entia cum quae primo entia sunt, tum etiam quae quoquo modo in rerum ordine numerantur » (Ficinus) hic (440-441) resonare audiuntur. Pariter possunt et quae leguntur in *Theolog. Arith.* occurrere (*loco cit.*); de *monade* tamen dicitur: « *seipsam generat et a seipsa generatur* tamquam *per se perfecta* (*αὐτοτελής*) et absque principio et absque fine... » (*ibid.*, pag. 3).

b) Quae hic de « uno » tanguntur sive ex theologoumenis arithmeticis sive ex philosophia Plotini aliquid profundius quam primo aspectu pateat manifestare videntur, maxime si verba Domini nostri Iesu Christi serius perpendantur. Intentio orationis Domini in novissima Cena: « ut omnes *unum* (*ἕν*) sint » (*Ioan.* 17, 21) pulcherrime in EH. evolvitur, praesertim vero III, 1 (424 C - 425 A) III, 3, 8 (437 A).

Inde in oratione Clementis Alexandrini hoc idem desiderium exprimitur (*Paedag.* III, 12; edit. Potter I, 311): « ...noctu et interdiu, ad perfectum usque diem, gratias agentes laudamus et laudantes gratias agimus unico Patri et Filio, Filio et Patri, paedagogo et magistro Filio, simulque sancto Spiritui:

Πάντα τῷ Ἑνὶ
ἐν ᾧ τὰ πάντα
δι' ὃν τὰ πάντα ἕν...
πάντα τῷ ἀγαθῷ
πάντα τῷ καλῷ
πάντα τῷ σοφῷ
τῷ δικαίῳ τὰ πάντα
ᾧ ἡ δόξα καὶ νῦν
καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας
ἀμήν.

« Omnia Illi qui unus est
in quo omnia sunt
per quem omnia unum
sunt...
Omnia Illi qui bonus est
Omnia Illi qui pulcher est
Omnia Illi qui sapiens est.
Illi qui iustus est, omnia
Ipsi gloria sit et nunc
Et in saecula.
Amen ».

Nominum divinorum synthesis, quae in oratione eucharistica componitur, manifestatur in synthesi theologica quae Deum laudat.

LECTIO III (63ª)

Quomodo Unum Deo attribuatur.

SYNOPSIS

(Lect. III; cap. XIII; textus nn. 447-452; expositio nn. **982-996**).

Ostendit quomodo unum attribuatur Deo:
A) ostendit quomodo unum attribuatur Deo:
  1° - assignat rationem quare unum attribuatur Deo (447; **984**).
  2° - rationem assignatam manifestat:
    a) per auctoritatem sacrae Scripturae (448; **986**)
    b) per experimentum humanae rationis (449; **987**)
B) ostendit differentiam unius, secundum quod de Deo dicitur, ad omnia quibus attribuitur:
  1° - ponit ordinem (450; **989-990**).
  2° - assignat praemissi ordinis rationem (451; **991**)
  3° - concludit differentiam (452; **992-996**).

TEXTUS DIONYSII

447. — « Ita igitur Theologia totam Thearchiam sicut omnium causam laudat unius nominatione: et unus Deus Pater et unus Dominus Iesus Christus et unus et idem Spiritus, propter excedentem totius divinae unitatis simplicitatem, in qua omnia singulariter congregata sunt et superunita et praesunt * supersubstantialiter.

448. — Propter quod et omnia ad ipsam iuste remittuntur et reponuntur, a qua et ex qua et per quam et in qua et ad quam omnia sunt et coordinata * sunt et manent et continentur et adimplentur et convertuntur.

449. — Et non invenies aliquid existentium quod non in uno, secundum quod omnis Deitas supersubstantialiter nominatur, et sit hoc quod est et perficiatur et salvetur.

450. — Et oportet et nos, a multis ad unum virtute divinae Unitatis conversos, unitive * laudare totam et unam Deitatem *, omnium causam unum, quod est ante omne unum et multitudinem et partem et totum et diffinitionem * et infinitatem et terminum et interminabilitatem;

quod omnia existentia et ipsum esse diffinit et omnium est et totorum omnium et simul et ante omnia et super omnia et singulariter causa; et super ipsum unum existens et ipsum unum existens terminat.

451. — Quoniam existens unum quod est in existentibus numerabile est; numerus autem essentia participat;

supersubstantiale autem unum et existens unum et omnem numerum terminat et ipsum est unius et numeri et omnis existentis principium et causa et numerus et ordo.

452. — Propter quod et Unitas laudata et Trinitas, quae est super omnia Deitas, non est neque unitas neque trinitas quae a nobis aut alio quodam existentium sit cognita;

sed ut * super-unum Ipsius et deigenum vere laudemus, Trinitatis et Unitatis Dei nominationem supernominabilem nominamus et existentibus superessentialem *.

Nulla autem monas aut trinitas neque numerus neque unitas aut fecunditas neque aliud aliquid existentium aut alicui cognitum *, educit existens super omnia et rationem et mentem occultum superdeitatis super omnia supersubstantialiter superexistentis;

neque nomen ipsius est neque sermo, sed in inviis * segregatum.

Et neque afferimus ipsum nomen bonitatis sicut concordantes * ipsi, sed desiderio intelligendi aliquid et dicendi de ineffabili natura illa, nominum dignissimum sanctificamus ipsi primum. Et concordabimus quidem et in hoc theologis, a rerum autem veritate deficiemus.

Propter quod et ipsi per negationes ascensum praehonoraverunt, sicut exsuscitantem animam ab his quae sunt ipsi connaturalia et per omnes divinos intellectus pergentem, a quibus segregatum est quod est super omne nomen et omnem rationem et omnem cognitionem.

In ultimis autem totorum Ipsi coniungentes, inquantum nobis Illi coniungi est possibile ».

*447. — Ταύτῃ γοῦν ἡ θεολογία τὴν ὅλην θεαρχίαν ὡς πάντων αἰτίαν ὑμνεῖ τῇ τοῦ ἑνὸς ἐπωνυμίᾳ καὶ εἷς θεός ὁ Πατὴρ καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα[1], διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς ὅλης θεικῆς ἑνότητος ἀμέρειαν ἐν ᾗ πάντα ἑνικῶς συνῆκται καὶ ὑπερήνωται καὶ πρόσεστιν * ὑπερουσίως.*

*448. — Διὸ καὶ πάντα ἐπ' αὐτὴν ἐνδίκως ἀναπέμπεται καὶ ἀνατίθεται, ὑφ' ἧς καὶ ἐξ ἧς καὶ δι' ἧς καὶ ἐν ᾗ καὶ εἰς ἣν[2] πάντα ἐστὶ καὶ συντέτακται * καὶ μένει καὶ συνέχεται καὶ ἀποπλη[C]ροῦται καὶ ἐπιστρέφεται·*

449. — καὶ οὐκ ἄν εὕροις τι τῶν ὄντων ὃ μὴ τῷ ἑνὶ καθ' ὃ πᾶσα ἡ θεότης ὑπερουσίως ὀνομάζεται καί ἐστι τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ καὶ τελειοῦται καὶ διασώζεται.

*450. — Καὶ χρὴ καὶ ἡμᾶς ἀπὸ τῶν πολλῶν ἐπὶ τὸ ἓν τῇ δυνάμει τῆς θεϊκῆς ἑνότητος ἐπιστρεφομένους, ἑνιαίως * ὑμνεῖν τὴν ὅλην καὶ μίαν θεότητα *, τὸ πάντων αἴτιον ἕν, τὸ πρὸ παντὸς ἑνὸς καὶ πλήθους καὶ μέρους καὶ ὅλου καὶ ὅρου * καὶ ἀοριστίας καὶ πέρατος καὶ ἀπειρίας,*

τὸ πάντα τὰ ὄντα καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι ὁρίζον καὶ πάντων καὶ ὅλων πάντων καὶ ἅμα καὶ πρὸ πάντων καὶ ὑπὲρ πάντα καὶ ἑνιαίως αἴτιον καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ ἓν ὄν καὶ αὐτὸ τὸ ἓν ὂν ὁρίζον,

451. — ἐπείπερ τὸ ὂν ἓν τὸ ἓν τοῖς οὖσιν ἐνάριθμός ἐστιν· ἀριθμὸς δὲ οὐσίας μετέχει·

τὸ δὲ ὑπερούσιον ἓν καὶ τὸ ὂν ἓν καὶ πάντα ἀριθ[D]μὸν ὁρίζει καὶ αὐτό ἐστι καὶ ἑνὸς καὶ ἀριθμοῦ καὶ παντὸς ὄντος ἀρχὴ καὶ αἰτία καὶ ἀριθμὸς καὶ τάξις.

452. — Διὸ καὶ μονὰς ὑμνουμένη καὶ τριὰς ἡ ὑπὲρ πάντα θεότης οὐκ ἔστιν οὐδὲ μονὰς οὐδὲ τριὰς ἢ πρὸς ἡμῶν ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ὄντων διεγνωσμένη,

*[981 A] ἀλλὰ ἵνα * καὶ τὸ ὑπερηνωμένον αὐτῆς καὶ τὸ θεογόνον ἀληθῶς ὑμνήσωμεν τῇ τριαδικῇ καὶ ἑνιαίᾳ θεωνυμίᾳ, τὴν ὑπερώνυμον ὀνομάζομεν, τοῖς οὖσι τὴν ὑπερούσιον *.*

*Οὐδεμία δὲ μονὰς ἢ τριὰς οὐδὲ ἀριθμὸς οὐδὲ ἑνότης ἢ γονιμότης οὐδὲ ἄλλο τι τῶν ὄντων ἢ τινι τῶν ὄντων συνεγνωσμένων * ἐξάγει τὴν ὑπὲρ πάντα καὶ λόγον καὶ νοῦν κρυφιότητα τῆς ὑπὲρ πάντα ὑπερουσίως ὑπερούσης ὑπερθεότητος·*

*οὐδὲ ὄνομα αὐτῆς ἐστιν οὐδὲ λόγος ἀλλ' ἐν ἀβάτοις * ἐξῄρηται.*

*Καὶ οὐδὲ αὐτὸ τὸ τῆς ἀγαθότητος ὡς ἐφαρμόζοντες * αὐτῇ προσφέρομεν, ἀλλὰ πόθῳ τοῦ ἐννοεῖν τι καὶ λέγειν περὶ τῆς ἀῤῥήτου φύσεως ἐκείνης, τὸ τῶν ὀνομάτων σεπτότατον αὐτῇ πρώτως ἀφιεροῦμεν καὶ συμφωνήσοιμεν ἂν κἀν τούτῳ τοῖς θεολόγοις, τῆς δὲ τῶν πραγμάτων ἀληθείας ἀπολειφθησόμεθα.*

Διὸ καὶ αὐτοὶ τὴν διὰ τῶν ἀποφάσεων [B] ἄνοδον προτετιμήκασιν ὡς ἐξιστῶσαν τὴν ψυχὴν τῶν ἑαυτῇ συμφύλων καὶ διὰ πασῶν τῶν θείων νοήσεων ὁδεύουσαν ὧν ἐξῄρηται τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα καὶ πάντα λόγον καὶ γνῶσιν·

ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ὅλων αὐτῷ συνάπτουσαν, καθ' ὅσον καὶ ἡμῖν ἐκείνῳ συνάπτεσθαι δυνατόν.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

982. — Postquam Dionysius ostendit quod unum secundum propriam rationem est principium omnium, hic ostendit quomodo unum attribuatur Deo; et dividitur in partes duas: in prima, ostendit quomodo unum attribuatur Deo; in secunda, ostendit differentiam huius unius, quae est ad omne aliud unum; ibi [450]: *Et oportet et nos...*

983. — Circa primum, duo facit: primo, assignat rationem quare unum attribuatur Deo; secundo, rationem etiam assignatam manifestat; ibi [448]: *Propter quod...*

984. — Est autem advertendum quod tria supra dixerat de uno, scilicet: quod sit omnium causa; quod sit singulare vel simplex et indivisum; et quod omnia in se praeaccepit. Unde per haec tria unitatem Deo attribuens, ex praemissis concludit quod sacra Scriptura *laudat totam Thearchiam* idest principalem Deitatem totius Trinitatis, *sicut omnium causam*, in hoc quod nominat Eam, unam: dicit enim Apostolus I ad Corinth. 8 [6]: « *Unus Deus Pater... et unus Dominus Iesus Christus* »; et ibid. 12 [11]:

[1]) Cfr. I *Cor.* 8, 6 juxta pleniorem lectionem; n. 75 (pag. 109²).
[2]) Cfr. n. 121, 151, 155.

« *Unus atque idem Spiritus haec omnia operatur* ». Et sic attribuit singulis unitatem *propter* excellentem *simplicitatem* divinam. *In qua* quidem simplici unitate omnia, sicut in causa, sunt aggregata et supereminenter unita *singulariter*, idest indivisibiliter et omnia praeexistunt in ea, non per modum proprium, sed per modum ipsius Dei, scilicet *supersubstantialiter*.

985. — Deinde, cum dicit [448]: *Propter quod...* manifestat rationem positam de causalitate divinae unitatis; et primo, per auctoritatem Scripturae; secundo, per experimentum humanae rationis; ibi [449]: *Et non invenies...*

986. — Dicit ergo primo quod quia Deus laudatur unus, sicut omnium causa et sicut omnia in se praehabens, propter hoc in sacra Scriptura, *iuste*, idest rationabiliter, *omnia ad ipsam* Deitatem *remittuntur*, idest reducuntur, sicut effectus ad suam causam a qua procedunt. Addit autem: *et reponuntur*, quantum ad hoc quod effectus praeexistunt in causa; dicit enim Apostolus, Rom. II [36]: « *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* », quibus tribus Dionysius duo addit, scilicet: *a* quo et *ad* quem, quae etiam non longe sunt a traditione Scripturae.

Quibus quinque habitudinibus, quinque correspondentia ponit, ut intelligatur quod a Deo *sunt omnia* sicut a principio quod omnibus esse influit; ex Deo autem ordinata sunt omnia, inquantum in se ordo rerum sumitur ex ipsa ratione divinae bonitatis; per Deum *manent* omnia, sicut per causam conservantem; in Deo *continentur* omnia, sicut effectus in causa; et ad Deum *convertuntur* omnia, sicut ad finem et *adimplentur*, idest perficiuntur omnia: ultima enim rei perfectio est ex eo quod attingit proprium finem.

987. — Deinde, cum dicit [449]: *Et non invenies...* manifestat idem per experimentum humanae rationis et dicit quod, si quis diligenter consideret, non potest invenire *aliquid* quod non habeat et esse et perfectionem et salutem, idest conservationem per unum, *secundum quod Deitas* Trinitatis, una *supersubstantialiter nominatur*.

988. — Deinde, cum dicit [450]: *Et oportet...* ostendit differentiam unius, secundum quod de Deo dicitur, ad omnia alia quibus attribuitur unum; et circa hoc, tria facit: primo, ponit ordinem huius unius ad alia; secundo, assignat huius ordinis rationem; ibi [451]: *Quoniam existens unum...;* tertio, concludit differentiam; ibi [452]: *Propter quod...*

989. — Dicit ergo primo quod *oportet nos laudare totam et unam* Trinitatis *Deitatem unitive*, idest secundum rationem unius, ita quod convertamur *a multis* creaturis quae participant unum, *ad* id quod vere *unum* est, scilicet Deum; et haec conversio fit in nobis *virtute divinae Unitatis:* dum enim consideramus quod divina Unitas est virtuosior omni unitate, omnia relinquentes, in ipsam convertimur.

Et quia dixerat quod oportet unam Deitatem laudare *unitive* quid hoc importet exponit subdens: *scilicet omnium causam.* Est enim de ratione unius causalitas, ut supra dictum est [442; **975**], similiter etiam prioritas, unde subdit: *unum, quod est ante omne unum* creatum *et* ante omnem *multitudinem et* ante omnem *partem et totum*, de quibus supra dictum est quod participant unum; et iterum est ante *omnem diffinitionem et infinitatem* oppositam *et terminum* oppositum ad *interminabilitatem:* finis enim et terminus ad rationem unius pertinere videntur. Unumquodque enim inquantum est finitum et terminatum, secundum hoc habet unitatem in actu. Sed unum quod est Deus est ante omnem finem et terminum et opposita eorum et est causa terminationis omnium et non solum existentium, sed etiam ipsius esse. Nam ipsum esse creatum non est finitum si comparetur ad creaturas, quia ad omnia se extendit; si tamen comparetur ad esse increatum, invenitur deficiens et ex praecogitatione divinae mentis, propriae rationis determinationem habens.

990. — Et ipsum Unum divinum est *causa omnium* et non solum particularium entium, sed etiam *omnium totorum*, idest entium universalium et est *simul* cum omnibus *et ante omnia*, quia scilicet sua aeternitate continet omnium durationes et excedit; et est *super omnia* sublimitate suae naturae *et singulariter* sua celsitudine ab omnibus separatum existens; et cum sit unum supersubstantiale, Ipse est *super ipsum unum existens*, idest super unum creatum, quod in existentibus creatis invenitur; *et ipsum unum existens terminat*, idest dat terminationem propriae rationis uni creato, quod non est superexistens, sed existens, quasi intra genus existentium contentum.

991. — Deinde, cum dicit [451]: *Quoniam existens...* assignat rationem praemissi ordinis, quare scilicet unum, quod est Deus, est ante ipsum unum creatum et ante omnia alia; et dicit quod, hoc ideo est, quia *unum existens, quod est* in genere creaturarum,

est numerabile, idest quaedam pars numeri: omne enim quod est unum in creaturis, connumeratur alteri cum quo convenit aut specie aut genere aut in aliquo ordine; sed *numerus participat* | *essentiã*, cum sit quaedam species entis; unde, per consequens, unum quod est in rebus creatis, participat | *essentiã*.

Sed *Unum supersubstantiale*, quod Deus est, non connumeratur alteri nec *participat* | *essentiã*, sed dat terminationem propriae rationis et uni creato et numero, atque Ipsum est *principium et causa et numerus et ordo* unius creati et numeri et universaliter omnis entis: dicitur autem esse *principium* omnis entis, prout est ante omnia; *causa* autem, secundum quod ab Ipso omnia procedunt; *numerus* autem, secundum quod est mensura omnium, unicuique proprium modum statuens; *ordo* autem est omnium, secundum quod omnia sua sapientia ordinat.

992. — Deinde, cum dicit [452]: *Propter quod...* concludit ex praemissis differentiam unius quod attribuitur Deo, ad unum quod est in creaturis; et dicit quod quia unum, quod est Deus, est supra omne unum creatum et supra omnem numerum, ideo, cum in Deitate *quae est* supra *omnia* laudatur *Unitas* ac *Trinitas*, non est accipiendum quod sit talis *unitas* aut *trinitas quae* sit *a nobis cognita aut* a quocumque *existentium*, secundum naturalem cognitionem; quia nec ipsi Angeli ad cognoscendam Unitatem et Trinitatem divinam, prout est in se, per sua naturalia pertingere potuerunt. Sed tamen per gratiam non solum Angeli sed et nos pertingere poterimus ad videndum essentiam unius aeterni Dei, sed non ad comprehendendum. Et quamvis ipsa Unitas et Trinitas Dei non sit talis, qualis nota est nobis, tamen Deum, qui superessentialiter existit omnibus existentibus et qui est supra omne id quod nominatur, *nominamus* nomine divinae Unitatis et Trinitatis *ut* per haec duo nomina, *laudemus* superunitatem *Ipsius*, idest excellentiam unitatis Eius quae est super omne unum; *et vere* laudemus *deigenum* Eius, idest ut in nomine Trinitatis insinuetur nobis divina processio prout Filius generatur a Patre et Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio: Trinitas enim personarum non distinguitur nisi per relationes originis, quibus designatur processio unius personae ab alia.

993. — Et quamvis intendamus in Deo laudare *super-unum et deigenum* Eius, nomine Unitatis et Trinitatis, hoc retinendum est quod *nulla monas*, idest unitas *aut trinitas neque* universaliter quicumque *numerus* aut quaecumque *unitas* sive quaecumque *fecunditas neque* quodcumque *aliud* quod a quocumque entium creatorum naturaliter cognoscatur, *educit*, idest manifestat et perfecte exprimit illud *occultum* superexcellentis Deitatis, quae *supersubstantialiter* superexistit omnibus. Quod quidem dico *occultum* non propter sui defectum, sed quia existit supra omnem et *rationem* humanam et *mentem* angelicam. Et quia voce exprimuntur ea quae ratione vel mente capiuntur, ideo subdit quod illius occulti quod est super mentem et rationem, nec potest esse *nomen* simplex *neque sermo* compositus, exprimens Ipsum ut in se est, *sed in inviis* est *segregatum*. Et loquitur ad similitudinem sensibilium rerum, in quibus ea sunt occulta hominibus, quae sunt posita extra vias per quas homines transeunt. Ita et essentia Deitatis est occulta, quia est praeter omnes vias, quas ratio aut mens creata excogitare potest.

994. — Est autem considerandum quod Platonici posuerunt Deum summum esse quidem super ens et super vitam et super intellectum, non tamen super ipsum bonum quod ponebant primum principium. Sed ad hoc excludendum, Dionysius subdit quod *neque ipsum nomen bonitatis afferimus* ad divinam praedicationem, *sicut concordantes ipsi*, quasi hoc nomen per quamdam aequiparantiam Ei respondeat. Sed quia desiderabile est nobis ut *de* illa *ineffabili* Dei *natura aliquid* quantumcumque modicum intelligamus et dicamus, consecramus Deo, primo et principaliter, *dignissimum nominum*, quod est bonum.

995. — Et *in hoc* quidem concordamus cum *theologis*, idest Apostolis et Prophetis, qui sacras Scripturas ediderunt, qui et hoc nomen Deo attribuunt, sed multum | deficimus *a rerum veritate:* manifestum est enim quod hoc nomen bonum, cum sit a nobis impositum, non signat nisi quod nos mente capimus; unde, cum Deus sit supra mentem nostram, superexcedit hoc nomen.

Et quia theologi consideraverunt quod omne nomen a nobis impositum deficit a Deo, ideo *ipsi*, inter omnes modos quibus in Deum possumus ascendere per intellectum, praeordinaverunt eum qui est *per negationes*, per quas quodam ordine in Deum ascendimus.

996. — Primo enim anima nostra quasi exsuscitatur et consurgit a rebus materialibus, quae sunt animae nostrae *connaturalia;* puta, cum intelligimus Deum non esse aliquid

sensibile aut materiale aut corporeum; et sic, anima nostra negando pergit *per omnes divinos intellectus*, idest per omnes ordines Angelorum, *a quibus est* segregatus Deus qui est *super omne nomen et rationem et cogitationem.*

Ad ultimum autem anima nostra Deo coniungitur, ascendendo per negationes, *in ultimis totorum*, idest in supremis finibus universaliorum et excellentiorum creaturarum. Et quidem coniunctio animae ad Deum fit *inquantum nobis possibile est* nunc Deo *coniungi:* non enim coniungitur in praesenti intellectus noster Deo ut Eius essentiam videat; sed ut cognoscat de Deo quid non est. Unde haec coniunctio nostri ad Deum, quae nobis est in hac vita possibilis, perficitur quando devenimus ad hoc quod cognoscamus Eum esse supra excellentissimas creaturas.

OBSERVATIONES

1ª QUOAD TEXTUM:

* ad n. 447: « et praesunt » - *πρόσεστιν* « ...et *praeexistentia* » (Cordier), cfr. n. **984**: « et omnia *praeexistunt* in ea ».

* ad n. 448: « et coordinata » - *συντέτακται*, « et *componuntur* » (Cordier).

* ad n. 450: « unitive » - *ἑνιαίως*, « *unite* ».

* : et unam Deitatem *scilicet* omnium causam unum » (edit.) *καὶ μίαν θεότητα, τὸ πάντων αἴτιον ἕν*, « et unam Deitatem, unum quod est omnium causa »; superfluit: scilicet.

* : « et totum et diffinitionem *omnem* » (edit.) *καὶ ὅλου καὶ ὅρου*, « et totum et diffinitionem »; superfluit: « omnem ».

* : « et singulariter » - *ἑνιαίως*, « unite ».

* ad n. 452: « sed ut super-unum... vere laudemus... superessentialem » (edit. T, Ve², ib. 644: « *et... laudamus* ») corr. ex textu Dionysii et *exposit.* (**992**): « ut ... laudemus ... et vere laudemus »; sensus est: « sed *ut vere laudemus* id (quod) in ipsa (Deitate est) super-unitum et id (quod est) deigenum, trina et unita divina-nominatione nominamus (Deitatem) quae (est) supernominabilis et existentibus supersubstantialis ».

* : « aut alicui *cognitum* » - *ἤ τινι τῶν ὄντων συνεγνωσμένων*, « ni aucune dénomination tirée des êtres ni *des notions accessibles aux êtres* » (M. de Gandillac) vel lit. « neque aliud aliquid existentium *aut cognitorum* ab aliquo existentium ».

* : « in inviis » - *ἐν ἀβάτοις*, « *in iis ad quae aditus non patet* » (Perionius); est dictio sumpta ex myst. cultu: « franchir un *abaton*, entrer dans *un lieu interdit au non-initié* » (A. J. Festugière, *Les mystères de Dionysos, Rev. bibl.* 1935, pag. 385).

* : « sicut concordantes ipsi » - *ὡς ἐφαρμόζοντες αὐτῇ*, « ei tamquam aptum accomodamus » (Cordier).

2ª GLOSSAE MARGINALES:

a) Maximus ad quinque particulas (448) notat: « cum *a qua* coniunge *sunt;* cum *ex qua* (coniunge) *componuntur;* et cum *per quam* (verbum) *manent;* atque cum *in qua* (verbum) *continentur* h. e. custodiuntur; et cum *ad quam* (coniunge) *convertuntur*, etsi Pater sigillatim et simul verba collocarit » (409 D). Pachymeres vero (989 D) consentit et *ad quam* simul refert *et adimplentur et convertuntur*. His consona sunt quae in expositione S. Thomae leguntur (**986**) et notatu digna iudicavi, ne quis artificiose composita putet, quae ibi leguntur.

b) Maximus super illud: « deigenum vere » (452) notat divinam fecunditatem declarari ex appellatione Trinitatis. « Ut enim adoranda ineffabilium personarum manifestatio repraesentaretur, *numerus excogitatus est*, sicut dicunt Basilius et divini Gregorii » (413 A) Nazianzenus et Nyssenus.

Occurrunt difficultates quas ex notione connumerationis et subnumerationis pneumatomachi confingebant: « nos inquiunt profitemur iis qui honore pares sunt convenire connumerationem, iis vero qui inferioris sunt conditionis subnumerationem » (Bas., *De Spiritu Sancto*, cap. XVII, 42; Opp. III, 36 A).

Basilius vero diligenter notat: « cum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum traderet Dominus, non cum numero simul tradidit. Non enim dixit: in primum et secundum et tertium; neque: in unum et duo et tria; sed, per sancta nomina, cognitionem fidei ad salutem perducentis largitus est. Quare quod nos salvos facit fides est. *Numerus* vero signum declarans quot sint supposita *excogitatus est* » (id., *ibid.*, cap. XVIII, 44; ibid. 37 CD). De connumeratione et subnumeratione videas, si placet, B. Pruche - Basile de Césarée, *Traité du Saint-Esprit*, pag. 29-39; 184 ss.

c) Rursus contra intuitionismum Aetii et Eunomii notentur quae hic Dionysius (452) affirmat nullam notionem adaequatam nos habere quae « occultum » Deitatis manifestet, unde iuxta theologicam traditionem (cfr. CH. II, 3; 140 D - 141 A) cavet illos qui « ipsam Dei universorum substantiam *pervadere* (*ἐμβατεύειν*) se gloriantur » (*Adv. Eun.* I, 12; Opp. I, 224 C).

LECTIO IV (64ª)

Epilogat ea quae in hoc libro sunt dicta.

SYNOPSIS

(Lect. IV; cap. XIII; textus nn. 453-457; expositio nn. **997-1007**).

Epilogat ea quae in hoc libro sunt dicta:

A) recapitulat ea quae dicta sunt
  1° - ostendit quomodo divina nomina exposuerit (453; **999-1000**)
  2° - inducit ad reddendas Deo gratias de bene dictis (454; **1001-1002**)
  3° - petit corrigi et dirigi, si qua sunt in quibus non bene dixit:
    a) ponit petitionem (455; **1004-1005**)
    b) rationem petitionis assignat (456; **1006**)

B) continuat se ad sequentem librum (457; **1007**).

TEXTUS DIONYSII

§ 4. 453. — « Has nos intelligibiles Dei significationes colligentes, sicut est possibile, reseravimus, non solum ab earum diligentia * deficientes — hoc enim vere et Angeli dicant — neque a laude ipsarum ab * Angelis, nam apud nos potentissimi theologi minus habent quam illorum extremi, neque a laude philosophantium * illis aut comitantium, sed et nobis coordinatorum extreme et subiecte.

§ 4. 453. — [C] *Ταύτας ἡμεῖς τὰς νοητὰς θεωνυμίας συνῃρηκότες, ὡς ἐφικτόν, ἀνεπτύξαμεν, οὐ μόνον αὐτῶν τῆς ἀκριβείας * ἀπολειπόμενοι — τοῦτο γὰρ ἀληθῶς καὶ ἄγγελοι φαῖεν, — οὐδὲ τῆς κατὰ * ἀγγέλους αὐτῶν ὑμνῳδίας· καὶ τῶν ἐσχάτων γὰρ ἀποδέουσιν οἱ κράτιστοι τῶν παρ' ἡμῖν θεολόγων·*

*οὐδὲ μὴν αὐτῶν τῶν θεολόγων * οὐδὲ τῶν αὐτῶν ἀσκητῶν * ἢ συνοπαδῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἡμῖν ὁμοταγῶν ἐσχάτως καὶ ὑφειμένως·*

454. — Quare recte si quidem habent dicta et sicut secundum nos vere tetigimus deliberatione * reserationem Dei-nominationum, ad omnium bonorum causam res est referenda quae dat primum dicere, postea bene dicere.

Et si aliquid aequipollentium est praetermissum et illud nos, secundum easdem rationes et easdem regulas *, subaudire oportet.

*454. — ὥστε εἰ μὲν ὀρθῶς ἔχοι τὰ εἰρημένα καὶ ὡς καθ' ἡμᾶς ὄντως ἐφηψάμεθα τῇ διανοίᾳ * τῆς θεωνυμικῆς ἀναπτύξεως, ἐπὶ τὸν πάντων ἀγαθῶν αἴτιον τὸ πρᾶγμα ἀναθετέον τὸ δωρούμενον πρῶτον αὐτὸ τὸ εἰπεῖν ἔπειτα τὸ εὖ εἰπεῖν·*

*καὶ εἴ τι τῶν ὁμοδυνάμων παραλέλειπται κἀκεῖνο ἡμᾶς κατὰ τὰς αὐτὰς μεθόδους * προσυπακούειν δεήσει.*

455. — Si autem ista aut non recte aut imperfecte se habent et a veritate aut totaliter aut particulariter erravimus, tuae sit benignitatis dirigere non voluntarie ignorantem et tradere rationes discere indigenti et subvenire sufficientem virtutem non habenti et sanare aegrotare nolentem. Et haec quidem per teipsum, alia autem per alios invenientem, omnia autem ex bono * recipientem et ad nos transferre.

455. — Εἰ δὲ ταῦτα ἢ οὐκ ὀρθῶς ἢ ἀτελῶς ἔχει καὶ τῆς ἀληθείας ἢ ὁλικῶς ἢ μερικῶς [D] *ἀποπεπλανήμεθα, τῆς σῆς ἂν εἴη φιλανθρωπίας ἐπανορθῶσασθαι τὸν ἀκουσίως ἀγνοοῦντα καὶ μεταδοῦναι λόγου τῷ μαθεῖν δεομένῳ καὶ ἐπαμῦναι τῷ μὴ αὐτάρκη δύναμιν ἔχοντι καὶ ἰάσασθαι τὸν οὐκ ἐθέλοντα ἀρρωστεῖν· καὶ τὰ μὲν παρ' ἑαυτοῦ τὰ δὲ παρ' ἑτέρων ἐξευρίσκοντα, πάντα δὲ ἐκ τἀγαθοῦ * λαμβάνοντα, καὶ εἰς ἡμᾶς διαβιβάσαι.*

456. — Ne pigriteris autem amico benefaciens: vides enim quod et nos nullum traditorum nobis thearchicorum * sermonum

456. — Μηδὲ ἀποκά[984 A]*μῃς φίλον ἄνδρα εὐεργετῶν· ὁρᾷς γὰρ ὅτι καὶ ἡμεῖς οὐδένα τῶν παραδοθέντων ἡμῖν ἱεραρχικῶν * λόγων*

ad nos ipsos contraximus, sed sursum currentes * ipsos et vobis et aliis sanctis viris tradidimus et trademus, sicut quidem et nos sumus sufficientes dicere et quibus dicitur audire, secundum nihil Traditioni iniuriam facientes, nisi forsitan ad intelligentiam aut expositionem ipsorum infirmemur.

457. — Sed haec quidem, qualiter Deo erit amicum, ita et habeantur et dicantur. Et sit quidem iste intelligibilibus Dei-nominationibus, secundum nos, finis; ad *symbolicam* autem *theologiam* duce Deo transibimus ».

εἰς ἑαυτοὺς συνεστείλαμεν, ἀλλὰ ἀνοθεύτους * αὐτοὺς καὶ ὑμῖν καὶ ἑτέροις **ἱεροῖς** ἀνδράσι μεταδεδώκαμέν τε καὶ μεταδώσομεν, ὡς ἂν ἡμεῖς τε εἰπεῖν ἱκανοὶ καὶ οἷς λέγεται ἀκούειν, κατ' οὐδὲν τὴν παράδοσιν ἀδικοῦντες, εἰ μὴ ἄρα πρὸς τὴν νόησιν ἢ τὴν ἔκφρασιν αὐτῶν ἀσθενήσομεν.

457. — Ἀλλὰ ταῦτα μέν, ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον, ταύτῃ ἐχέτω τε καὶ λεγέσθω· καὶ ἔστω δὴ τοῦτο ταῖς νοηταῖς θεωνυμίαις τὸ καθ' ἡμᾶς πέρας· ἐπὶ δὲ τὴν συμβολικὴν θεολογίαν ἡγουμένου θεοῦ μεταβήσομαι.

EXPOSITIO SANCTI THOMAE

997. — Postquam Dionysius in hoc libro exposuit divina nomina, hic epilogat ea quae in hoc libro sunt dicta; et primo, recapitulat ea quae dicta sunt; secundo, continuat se ad sequentem librum; ibi [457]: *Sed haec quidem...*

998. — Circa primum, tria facit: primo, ostendit quomodo divina nomina exposuerit; secundo, inducit ad reddendas Deo gratias de bene dictis; ibi [454]: *Quare si recte...;* tertio, petit corrigi et dirigi, si qua sunt in quibus non bene dixit; ibi [455]: *Si autem ista...*

999. — Dicit ergo primo [453] quod ipse in hoc libro reseravit, idest exposuit, secundum suam possibilitatem, *intelligibiles significationes* divinorum nominum, congregando et redigendo in unum opus. Dicit autem *intelligibiles* ad differentiam eorum quae symbolice vel metaphorice dicuntur de Deo, quorum significationes sunt sensibiles.

1000. — Et ne aliquis intelligat quod ipse praesumat se sufficienter exposuisse significationes divinorum nominum, ad hoc excludendum subiungit quod non solum in exponendo significationes praedictas defecit *ab earum diligentia*, idest ab earum perfecta expositione, secundum quod res requirit, quia hoc neque *Angeli* facere possent cum non comprehendant divinam bonitatem et divinum esse et divinum vivere et alia huiusmodi, de quibus dictum est; nec solum dicit se defecisse a laudando significationes praedictas sicut ab Angelis laudantur, quia excellentissimi *theologi* qui sunt *apud nos*, deficiunt in minimis Angelorum, sicut dicitur Matth. 11 [11] quod « *qui minor est in regno caelorum, maior est* » Ioanne Baptista; neque etiam dicit se solum defecisse a laudando significationes praedictas sicut theologi philosophantes de rebus divinis, scilicet Prophetae et Apostoli aut etiam Socii eorum qui canonicas Scripturas ediderunt ut Lucas et Marcus, sed asserit se deficienter et in fine dixisse per comparationem ad alios qui erant sui gradus et ordinis.

1001. — Deinde, cum dicit [454]: *Quare si recte...* concludit quia ex quo ita deficientem se cognoscit in rebus divinis, *si recte* se *habent* ea quae *dicta* sunt et si, *secundum* deliberationem sibi proportionatam, *vere* tetigit expositionem divinorum nominum, referendum est hoc cum gratiarum actione ad Deum qui est causa *omnium bonorum*, qui primo quidem *dat* nobis virtutem loquendi et *postea* dat nobis ut hac virtute bene utamur, *bene* aliquid dicendo.

1002. — Et tamen *si aliquid est praetermissum* quod aequipolleat his quae dicta sunt, *oportet* hoc subintelligere *secundum easdem rationes et regulas*, secundum quas praedicta exposita sunt. Et hoc ideo dicit quia forte aliquod nomen in Scripturis dictum de Deo non est expositum, quod tamen aequipollet alicui praemissorum. Vel, si aliquis modus exponendi est praetermissus in aliquo dictorum nominum, potest subintelligi ex aliorum nominum expositione.

1003. — Deinde, cum dicit [455]: *Si autem ista...* petit corrigi de non bene dictis; et primo, ponit petitionem; secundo, rationem petitionis assignat; ibi [456]: *Ne pigriteris...*

1004. — Dicit ergo primo [455] quod *si ista* quae dicta sunt ab eo in expositione divinorum nominum *aut non recte aut imperfecte se habent* et si ipse vel in toto vel in parte erravit *a veritate*, petit a Timotheo ut ex sua benignitate dirigat eum; quia si ipse alicubi erravit, non hoc fuit ex voluntaria ignorantia et ideo vult dirigi: si qui

enim voluntarie ignorant, dirigi nolunt. Haec est ergo prima conditio ex parte sui quare petit se dirigi, quia *non voluntarie* ignoravit.

Secunda conditio est quia, secundum suam reputationem indiget addiscere et ideo tradendae sunt ei *rationes* quibus addiscere possit: supervacaneum autem videtur tradere disciplinam ei qui se non reputat disciplina indigere.

Tertia conditio est quia subveniendum est ei qui non reputat se *sufficientem virtutem* habere.

Quarta conditio est quia sanitatis cura impendenda est ei qui nolens aegrotat.

1005. — Quomodo autem ipsum possit dirigere ostendit subdens quod quaedam potest ei tradere, ad eius directionem, quae per seipsum Timotheus cognoscit; quaedam autem quae potest invenire accipiendo ab aliis, accipiat: certum est enim quod recipiuntur a *bono* quod est Deus et accepta a Deo qualitercumque, petit ad se transferri.

1006. — Deinde, cum dicit [456]: *Ne pigriteris...* assignat rationem petitionis positae; et primo quidem ex parte amicitiae, quia non debet homo esse piger ad benefaciendum *amico*. Maximum autem beneficium alicui impenditur, si ab errore ad veretatem reducatur.

Secundo, assignat rationem ex sui exemplo, quia scilicet ipse *nullum* sacrorum *sermonum* sibi *traditorum*, *ad* se contraxit, idest sibi avare retinuit, *sed* currendo *sursum* ad Dei imitationem, ea quae sibi tradita sunt, iam tradidit et in futuro tradere intendit et Timotheo *et aliis sanctis viris*, secundum quod ipse sufficiens est *dicere* et alii sunt sufficientes *audire*. Et in hoc, in nullo facit *iniuriam Traditioni* divinorum, cui fit iniuria dum vel tradita avare retinentur vel inconsiderate sparguntur.

Sic autem ea quae sibi sunt tradita, aliis tradere intendit, *nisi* forte in aliquibus ipse non sit potens *ad* intelligendum *aut* ad exponendum aliis.

1007. — Deinde, cum dicit [457]: *Sed haec quidem...* continuat se ad sequentem librum. Et quia quaedam dixerat ad futurum pertinentia, scilicet quod tradet aliis quae sunt sibi tradita, ideo dicit quod *haec ita habeantur et dicantur* sicut est *Deo amicum*, idest sicut Deo placet, secundum illud Iacob. 4 [16]: « *pro eo ut dicatis: si Dominus voluerit* ».

Et in hoc fit *finis* expositionis intelligibilium divinorum nominum, quantum ad ipsum.

Sed intendit ulterius transire *Deo duce ad symbolicam Theologiam* in qua scilicet exponit nomina quae symbolice dicuntur de Deo, puta: quod dicitur leo, lapis, ignis et alia huiusmodi; qui quidem liber apud nos non habetur.

CONCLUSIO EXPOSITIONIS

1008. — Et nos, post expositionem dictorum beati Dionysii, longe ab eius intellectu deficientes, corrigi de non recte dictis postulamus.

Si qua autem bene dicta sunt
referendae sunt gratiae
bonorum omnium Largitori
qui est trinus et unus Deus
vivens et regnans
per omnia saecula saeculorum.
Amen.

OBSERVATIONES

I^a QUO AD TEXTUM:

*ad n. 453: « ab earum intelligentia deficientes » (edit.) *τῆς ἀκριβείας, diligentia;* cfr. **1000**: « ...*diligentia* i. e. ab earum *perfecta expositione* »; « eorum accuratae interpretationi impares » (Perionius). Unde minus diligenter aliquando notatur (ad n. **1000**: « textus Dionysii habet: " intelligentia " » (ib. 652 n. 1).

* : « ab Angelis » - *κατὰ ἀγγέλους αὐτῶν ὑμνῳδίας,* « neque quidem angelicas [earum] laudes assecuti » (Ambrosius).

* : « neque a laude philosophantium illis aut comitantium, sed et nobis coordinatorum »; « aut *theologis ipsis* aut *eorum auditoribus* vel *sectatoribus* sed etiam inferiores iis *qui nostri sunt ordinis* » (Perionius). Claritatis gratia, totum 453 legas in vers. M. de Gandillac: « Après avoir réuni ces noms intelligibles de Dieu, nous les avons expliqués de notre mieux. Et ce faisant, nous ne demeurons pas seulement en deça de ce que signifient réellement les noms divins (les anges eux-mêmes devraient confesser la même insuffisance), en deça des louanges que les Anges font de Dieu (et les derniers des anges l'emportent ici sur les meilleurs de nos theologiens), en deça des théologiens mêmes, de leurs élèves et de leurs compagnons, mais en deça aussi de nos pairs, car nous demeurons au dernier rang de tous et fort inférieur ».

* ad n. 454: « deliberatione » - *τῇ διανοίᾳ,* facultate intellectuali ».

* : « secundum easdem rationes et easdem regulas » - *κατὰ τὰς αὐτὰς μεθόδους* (ita legit et Pachymeres - 993 D), « secundum easdem methodos ».

* ad n. 455: « ex Bono » - *ἐκ τἀγαθοῦ, ex ipso Bono.*

* ad n. 456: « thearchicorum » - *ἱεραρχικῶν, hierarchicorum:* « qui nous furent transmis par la hiérarchie » (M. de Gandillac).

* : « sursum currentes » ex oscitantia legit: *ἀναθέοντας* loco: *ἀνοθεύτους*, quod *spurium* non est *ἀνόθευτον* dicitur, hinc: « veras atque incorruptas » (Perionius), « integras illas atque in nullo violatas » (Ambrosius) « omnino puras » (Cordier), « sans les falsifier » (M. de Gandillac).

2ª De « theologis » et « ascetis » (453).

Dionysius meus conscienter se a traditione hierarchica doctrinam theologicam accepisse sincera quidem et humili declaratione affirmat (456). Versiones quas supra posui non satis distincte annulos huius interioris traditionis declarant, quos tamen diligenter distinguuntur in textu: infimus Angelorum « maior est omnibus Ecclesiae theologis » inquit Pachymeres (993 C) et quidem de « potentissimis » theologis agitur; in comparatione vero omnium praecedentium et praestantiorum, *αὐτῶν τῶν θεολόγων... τῶν αὐτῶν ἀσκητῶν ἢ συνοπαδῶν*, inde *τῶν ἡμῖν ὁμοταγῶν* mentionem facit.

Certe hic non agitur de illis theologis qui sunt homines per quos Deus loquitur, nam traduntur non *λόγια* h. e. divinae sententiae et oracula, sed *λόγοι* h. e. rationes harum sententiarum seu viva doctrina quae divinarum sententiarum sensum nobis (*ἡμῖν*) praebet.

Dionysius se novissimum locum (*ἐσχάτως*) tenere et subordinationem suam ita declarat ut subiectum (*ὑφειμένως*) se sentiat magisterio superiori, unde recognoscit se deficere a peritia non tantum « *ipsorum* theologorum » (*αὐτῶν τῶν θεολόγων*) necnon « *eorumdem* ascetarum » (*τῶν αὐτῶν ἀσκητῶν*) « seu consodalium », sed et illorum qui sunt eiusdem secum ordinis (*ὁμοταγῶν*) et simul docent insimulque loquuntur.

Ascetae isti, iuxta Pachymeres sunt « consodales » h. e. « discipuli » (*μαθητῶν*) theologorum et sic appellantur quia « divinas illuminationes assequuti sunt *δι'ἀσκήσεως* (exercitio) et *non per visionem* (*δι'ὁράσεως*) ut *apostoli* » (993 C). Expositio pachymeriana manifeste procedit ex hypothesi areopagitica quae nullo solido fundamento fulcitur. Unde optime quidem ascetae discipuli et consodales theologorum appellantur, sed eo sensu quo supra « discens » et « patiens » distinguuntur et connectuntur (60; cfr. 88-92) vel, si penitius rem declarare oporteat, eo modo quo Clemens Alex. ex Philone « Iacob » allegorizat: « dicitur autem Iacob congredi cum pluribus ut qui *exercitator* (*ἀσκητής*) interpretetur. *Exercitia* (*αἱ ἀσκήσεις*) autem (sunt) ex pluribus variisque principiis doctrinae [cfr. Philo., *de Congressu quaerendae eruditionis gratia*, 429 B]. Unde hic etiam nominatur Israël qui revera est vi perspiciendi praeditus (*διορατικός*) ut qui multa experientia dives (*πολύπειρος*) et exercitiis aptus (*ἀσκητικός*) sit » (*Strom.* I, 5; edit. Potter I, 334; cfr. *Paed.* I, 7; ibid. pag. 132).

Philo tres modos quibus anima pulchrum desiderat descriptos ponit in Sacra Scriptura per tres patriarchas Abraham, Isaac et Iacob: « unus per doctrinam [Abraham], alius per naturam [Isaac] tertius per ascesim » [Iacob], a potiori describitur (*de Confusione linguarum*, 357 B; cfr. *de Congressu*, 429 BC; *de Ioseph*, 526 A; *de Vita Mosis*, 614 B; *de Praemiis et Poenis*, 920 C; *de Nominum mutatione*, 1057 C - 1058 C).

Periculum valde grave quod in Philonis suppositione evidenter apparet (*de Somniis* 590 BD), christiana mens devitat divinae doctrinae studium in theologicam scientiam evolvens, naturae desiderium per Dei gratiam perficiens, vitae ascesim intime connectens cum veritate doctrinae ut inde « ascetae » revera theologorum « consodales » fiant et sint (453).

Pulchre enim et vere dicit Philo: *τὸ γὰρ ἀσκήσει ἔκγονον τοῦ μαθήσει* » (*de Somniis*, 590 D) et christiana mens pulchrius et verius intelligit quid valeat generale principium: « *quod* (repraesentatur) *ascesi* (est) *soboles illius* (quod repraesentatur) *doctrina* ».

APPENDIX

PROCLI DIADOCHI DE MALORUM SUBSISTENTIA

Πρόκλου διαδόχου
περὶ τῆς τῶν κακῶν ὑποστάσεως.

Procli Diadochi
de malorum subsistentia.

ex translatione Guillelmi de Moerbeka edit. V. Cousin, Pārisiis 1864, pag. 196-267.

* Quia translatio huius pretiosi opusculi procliani fratri *Guillelmo de Moerbeka* debetur, justum est ut tanti viri aliquas notitias praemittamus ex Quetif-Echard, *Scriptores Ordinis Praedicatorum* I, Lutetiae Parisiorum 1719 pag. 388-391.

« Fr. Guillemus de Moerbeka sive Morbeka sic dictus a loco natali quod oppidulum est vernacule iam *Meerbeke* Ninive Flandrorum vulgo *Ninove* tribus milliariis circiter situm in Brabantiae et Flandriae confiniis, sicque ex legibus eo saeculo in ordine servatis domus Lovaniensis provinciaeque Teutoniae alumnus fuit, hincque a quibus *Brabantinus* nuncupatus: *Corinthiensis* etiam apud quosdam audit quod ad sedem illam fuerit aliquando promotus.

Ut autem *vir erat pietate religione doctrinaque insignis, sed et zelo animarum ac domus Dei aestuans,* linguas quae ad id maxime conducunt impense coluit ac, praeter latinam, graecam et arabicam familiares sibi fecit.

Cumque in Graeciam plures tum fere quotannis ex singulis provinciis a capitulo generali mitterentur sodales graves et voluntarii, ex iis Guillelmum unum fuisse, ea quam sibi comparavit graece loquendi facilitas persuadet ».

Ex notitiis diligentissime collectis et recentius exaratis (cfr. Miscellanea Historiae Pontificiae edita a Facultate Historiae Eccles. in Pontif. Univers. Gregoriana vol. XI n. 20: M. Grabmann, *Guglielmo di Moerbeke o. p. il traduttore delle Opere di Aristotele,* Romae 1946) coniectura Quetif-Echard certis documentis confirmatur. Nam *Historia animalium* ab Aristotele concinnata, latine reddita est a Wilhelmo interprete et Thebis « anno Domini 1260, decimo Kalendas Januarii » expleta. Commentarii vero Alexandri de Aphrodisia in lib. Meteorol. Arist. versionem latinam Niceae (Isnik) die 24 aprilis 1260 complevit (*ibid.*, pag. 38-39).

Ditissimum patrimonium Orientis per huius missionarii labores occidentalibus patefactum omnibus notum est, unde novum humanitatis sensum animis ingerebat Brabantinus noster.

Inde apud « Dominum Papam » totius veritatis custodem, fratrem Guillelmum reperimus, ut legitur in codice toletano: « explicit liber meteorologicorum Aristotelis. Aristoteles translatus de graeco in latinum per fratrem Guilelmum domini papae poenitentiarium et capellanum » (ib. pag. 41).

Nunc temporis harum rerum peritiores istam translationem sub pontificatu Urbani IV (1261-1264) ponunt unde et frater Thomas de Aquino validum adiumentum scriptis et ore obtinuit. Patet omnibus et speciatim ex Commentariis Angelici Doctoris in librum *de Causis* in quo originem procliana ab *Elementatione theologica,* cuius latinam versionem frater Guillelmus expleverat (18 maii 1268) ipse primus detegit.

Officio poenitentiarii functus est frater Guillelmus sub pontificatu Clementis IV (1265-1268), Gregorii X (1271-1276), Innocentii V († 22 iun. 1276), Adriani V († 18 aug. 1276), Ioannis XXI (1276-1277), Nicolai III (1277-1280), in Ecclesiae servitium amice consocians spiritualis vitae pulchritudinem, divinae veritatis defensionem, humanae civilitatis propagationem, vere S. Dominici filius, S. Thomae sodalis et amicus.

Quaedam notatu digna occurrunt apud Quetif-Echard de opera fratris Guillelmi in Concilio Lugdunensi II, oecumenico XIV: « Anno Domini MCCLXXIV, Gregorio X Lugdunum concilii celebrandi gratia progresso, Guillelmus Summo Pontifici individuus astitit ac *suum sedulo praestitit ministerium nec parum in ea synodo Ecclesiae servivit, pro ea qua pollebat linguae graecae peritia* ».

Inter Missarum solemnia, in vigilia Apostolorum Petri et Pauli, cum patriarcha Gregorio et omnibus graecis archiepiscopis de Calabria, « frater W(ilhelmus) de Morbecca de ordine fratrum praedicatorum et frater Ioannes de Constantinopoli de ordine

fratrum minorum poenitentiarii D(omini) papae qui linguam graecam noverant, cantaverunt solemniter et alta voce praedictum symbolum [Credo] et quando ventum est ad articulum illum " qui ex Patre Filioque procedit ", solemniter et devote ter cantaverunt... » (Quetif-Echard, pag. 389; Cfr. M. Grabmann, *op. cit.*, pag. 50-51, ex Mansi XXIV, Venetiis 1780, 64-65).

Aliud maximi momenti in historia culturae invenio apud Quetif-Echard, ex quo pulcherrime clarissimorum virorum humanitatis sensus elucent. Unde merito recentiores pretiosum testimonium quo « suum ei de *Perspectiva* librum nuncupavit Witelo polonus » plurimi faciunt (Cfr. M. Grabmann, *op. cit.*, pag. 57-60 ex Bäumker, Birkenmajer, de Wulf).

Huius « epistolae quod Guillelmi nostri dotes et studia ingenue narret, particulas aliquot non piget hic referri ».

« *Veritatis amatori*, fratri Wilhelmo de Morbeka, Witelo filius Turingorum et Polonorum, *aeternae lucis irrefracto mentis radio felicem intuitum* et intellectum perspicuum subscriptorum.

« *Universalium entium studiosus amor* te vinctum detinens, me tibi ut idem appetentem sic coniunxit ut voluntas tua mihi sit imperium, *voluntas quoque tua me arceat ab affectibus tibi displicentium passionum.*

« Quia ergo tibi ut totius entis sedulo scrutatori, dum ens intelligibile a primis suis prodiens principiis entibus individuis sensibilibus per modum causae astu mentis coniungeres et singulorum causas singulas indagares, occurrit divinarum virtutum influentiam inferioribus rebus corporalibus per virtutes corporales superiores modo mirabili fieri...

« Cum itaque tui solertis diligentia ingenii secundum huiusmodi coelestium influentiarum divinam virtutem respectu rerum capacium mutari prospiceret et non solum secundum virtutes agentes, sed secundum diversitatem modi actionis vel actas diversificari videret, placuit tibi in illius rei occultae indagine versari, eiusque diligenti inquisitioni studiosam animam applicare.

« Libros itaque veterum tibi super hoc negotio perquirenti occurrit taedium verbositatis arabicae, implicationis graecae, paucitas quoque exarationis latinae: praesertim quia *commissum tibi officium poenitentiariae Romanae Ecclesiae, cujus curae partem geris, credens plus intellectu practico quam speculativo poenitentibus succurrere, quam ipsorum hominum ignorantias relevare;* meque putans vacare otio, sub amoris nexu quo tibi coniungor, voluisti constringere ut hoc laboris tibi placiti onus subirem, hisque materiis mihi nondum cognitis applicarem.

« At ego qui cunctis iussionibus tuis obtemperare desidero, velle tuum suscipiens pro mandato, maioris negotii quod de ordine entium olim conscribendum susceperam, capitulum in tempus semovi, praesentisque operis dispendium pro meae possibilitatis viribus, quibus hoc impar fateor adii conscribendum... ».

Ad archiepiscopatum Corinthiorum ecclesiae promotus (9 april. 1278), frater Guillelmus inter sollicitudines pastoralis officii operam contemplativae vitae non intermisit et quia per *Elementationem theologicam* Procli neoplatonicorum doctrinam iam pridem occidentalibus patefecerat, nunc quaedam alia proclianae doctrinae documenta latine vertit, scilicet: *de decem dubitationibus circa Providentiam* (4 febr. 1280);
de Providentia et fato et eo quod in nobis (14 febr. 1280);
de Malorum subsistentia (21 febr. 1280).

Alias versiones proclianas a fratre Guillelmo peractas auctores referunt: *Commentarium in Timaeum Platonis* ad instantiam fratris Thomae et, sub fine terrenae peregrinationis, *Commentarium in Parmenidem Platonis* (Cfr. M. Grabmann, *op. cit.*, pag. 148-153). Huius novissimi laboris meminit Henricus Bate in *Speculo Divinorum et quorumdam Naturalium:* « Verum in Parmenide Platonis, qui liber *nondum* apud nos communiter habetur, plura forsan de his continentur, prout ab interprete huius libri seu translatore [intellige: Guillelmum arch. Corinth. amicum Henrici] *dudum* intellexi, *qui mihi promisit eum transmittere, sed morte preventus non transmisit* » (ib. pag. 61).

Post Quetif-Echard et M. Lequien scribit: « quamdiu postea vixerit et ubi quove die et anno obierit non constat » (*Oriens Christianus* III, Parisiis, 1740, col. 887). Nunc vero ex regestis Honorii IV scimus « *dudum* » Corinthiensem Ecclesiam « *per obitum bene memorie G*(uillelmi) *Corinthiensis archiepiscopi*, pastoris solatio » destitutam et Robertum archidiaconum « Dysesie in ecclesia Nivernensi » electum fuisse (26 oct. 1286) in eius successorem (M. Grabmann, *op. cit.* pag. 55-56).

ANALYTICA DELINEATIO TRACTATUS

* *Introductio historica:*
a) *documenta doctrinae traditae iudicantur* 1-2
b) *quaestiones tractandae signantur* 3
c) *iuxta Platonis doctrinam* 4

I *Quaestio de « an sit »*
a) « *Principium speculationis* » 5
b) *Argumenta praecedentium auctorum referuntur*
j° - Quatuor argumenta eorum qui negant malum esse reale principium metaphysicum:
ex eo quod omnia sunt ex bono 6
ex eo quod omnia appetunt bonum 7
ex eo quod malum est ultra non-ens 8
* ex eo quod Pater vult omnia bona 9
brevis conclusio 10
ij° - Duo argumenta eorum qui affirmant malum esse reale principium metaphysicum
ex oppositione contrarietatis inter virtutem et vitium in anima 11-12
ex necessitate corruptionis ad generationem rerum in mundo 13
iij° - Indicatur « Altera via » in processu inventionis
Praeter dictas rationes est « altera via » 14
Exponitur « altera via » per analysim notionum contrarietatis et privationis 15-21
c) Sententia profertur circa quaestionem de « an sit »
auditis contradicentibus, necessaria sententia 22
sit haec apud nos sententia 23-24
conclusio 25

II *Quaestio de « quid sit »* (26-172). Responsio datur ex consideratione quatuor causarum.
A) *Causa materialis seu subiectum in quo sit malum* 26-106
an in diis sit malum 26-34
an in angelis sit malum 35-39
an in daemonibus sit malum 40-44
an in heroibus sit malum 45-50
an in animabus sit malum 51-70
an in natura sit malum 71-79
an in materia sit malum 80-96
argumenta eorum qui affirmant materiam esse malum ipsum 81-83
argumenta eorum qui praecedentem positionem excludunt 84-87
iudicium iuxta Platonis doctrinam 88-96
an in privatione sit malum 97-99
exponitur opinio 97
datur responsio 98-99
conclusio circa subiecta particularia 100
an malum prius sit in anima vel in corpore 101-105
conclusio generalis 106
B) *Causa efficiens seu a quo sit malum* 107-127
Expositio generalis praecedentium opinionum 107
Processus analyticus de causis efficientibus 108-127
Si una est causa, qualis sit quaeritur: 108-122
Estne Deus? 109-114
Suntne Exemplaria? 115-118
Estne Anima? 119-122
Sitne complexus causarum 123-127
C) *Causa formalis seu quid constituat malum* 128-154
Modus existentiae parhypostaticae 128-132
Quid malum constituit 133-137
Relatio eius ad bonum 138-146
Distinctio eius seu « Quotuplex sit » 147-154
D) *Causa finalis seu ad quid sit malum* 155-172
Dubium de Providentia ex malo 155
Inde ortae opiniones 156
Examen quaestionis iuxta Platonis doctrinam 157-172

SYNOPSIS TRACTATUS

*Post brevem introductionem historicam quae documenta doctrinae traditae indicat (1-2) quaestiones tractandae signantur (3) iuxta Platonis doctrinam (4).

I — Quaestio de « an sit » (5) cum argumentis auctorum (6-24) et conclusio Procli (25).

II — Quaestio de « quid sit » (26-172):
A) Causa materialis seu subiectum in quo sit malum (26-106).
B) Causa efficiens seu a quo sit malum (107-127).
C) Causa formalis seu quid constituat malum (128-154)
D) Causa finalis seu ad quid sit malum (155-172).

196 1. — Mali naturam quae sit et unde habeat generationem quaesiverunt quidem et eorum qui *ante hos* [1]) aliqui non superflue neque aliorum gratia eam quae de hoc theoriam transeuntes, sed ipsum secundum se malum sive est sive non et si est qualiter est et unde in esse et hypostasim venit haec considerantes.

2. — Nihil autem deterius etiam nos aliterque et vacationem habentes scribere breviter quae *horum singuli* dicunt recte et *ante hos* quae divino Platoni de malorum essentia speculata sunt; nam *illorum dicta* intelligemus facilius et comprehensioni quaesitorum propinquius semper erimus Platonis invenientes intelligentiam et velut lumen accendentes nobis iis quae inde quaestionibus.

3. — Sive igitur est sive non malum primo considerandum; et si est utrum in intellectualibus est aut non; et si in sensibilibus utrum secundum causam principalem consistit aut non; et si non, utrum substantiam aliqualiter ipsi dandum aut penitus insubstantiale ipsius esse ponendum; et si est hoc quomodo subsistit, principio altero ente et unde incipit et usque quo procedit; et adhuc quomodo Providentia
197 ente, | est malum et unde est; et totaliter quaecumque de ipso quaerere in commentis consuevimus.

4. — Super omnia autem et prae omnibus, *Platonis de ipso doctrinam* sumendum aut nihil reputabimus tractasse nobis ab illius theoria decidentibus.

5. — Principium igitur de ipsis speculationis secundum naturam sit: *utrum entium est malum aut non.*

6. — Etenim qualiter esse hoc possibile quod omnino est expers principii entium? Neque enim lumine tenebras neque virtute malitiam participare possibile neque bono malum. Sicut igitur si lumen esset prima causa non utique esset in secundis tenebra ut non generationem a fortuna habeat et aliunde quam a principio, sic quoniam bonum causa omnium nusquam entium oportet malum esse.

Sive enim a bono etiam hoc, quomodo adhuc bonorum omnium illud est causa quod mali produxit naturam?

Sive non inde, non erat ergo omnium bonum neque principium omnium entium si quidem malum in entibus ordinatum diffugit eum qui ex illo progressum.

Totaliter autem, si omne qualitercumque subsistens ex ente subsistit, quod autem | ente 198
participat necesse et uno participare — simul enim ensque et unum; ante ens enim unum. Fas autem neque erat neque erit secundis aliter quam cum suprapositis facere quae faciunt: intellectum quidem cum vita, vitam autem cum ente, omnia autem cum uno — oportet utique et malum rursum duorum alterum pati:

aut neque ente participare penitus,

aut et qualitercumque ex ente genitum simul et ea quae ultra participare causa et rursum iis quae consequentia, et velut deinceps:

aut non esse principium,

aut neque esse malum,

aut neque factum esse malum;

quod enim expers entis non ens, et quod ex prima Causa non malum; utroque autem modo nusquam dicere malum necessarium.

7. — Si autem, sicut diximus, bonum supra ens et fontem entium, quia omnia qualitercumque entia et genita secundum naturam bonum appetunt, *quomodo est malum* unum aliquod entium si erit *a tali appetitu exclusum*?

Multo ergo opus est malum esse, quia *bono aliquid omnino subcontrarium esse necesse;* subcontrarium enim omnino quomodo utique appetet contrariam naturam?

Bonum autem non appetens esse aliquid entium impossibile: omnia enim entia et facta sunt et sunt propter desiderium istud et salvantur secundum hoc; quare si malum contrarium bono malum non est entium.

[1]) « *Hos*; fortasse *nos*, ut supra » ubi agit *de decem dubitationibus circa Providentiam*:... " ab iis qui *ante nos* " Plotinum et Jamblicum respiciens; cfr. *de Providentia et Fato et eo quod in nobis:* ... " quum dederint iam multas directiones et ab illis Plotinicis et Jamblichicis elaborata et *ante hos* a divino Platone scripta et, si non grave dicere, et *ante hunc* a Theologis preconizata maniaco ore dicentibus, qualia sobriis demonstrationibus Plato explicuit... ».

8. — Et quid oportet dicere multa? Si enim ultra *τὸ* esse *τὸ* unum et quam dicimus boni naturam ultra ipsum esse malum; dico autem non *τὸ* esse simpliciter, etenim simpliciter ente bonum melius;

duorum igitur alterum si non ens est nullatenus ens multo magis neque malum est quod et nullatenus ente *ἀδυνηνότεφον* [id est immansivius],
199 *ut pronunciavit sermo* | magis enim a bono distat malum quam non ens.

Significant autem qui τὸ non esse ante *τὸ* male esse ponunt; quod autem ab illo remotius *ἀνούσιον* [id est sine essentia] magis propinquiori;

ipsum ergo *τὸ* nullatenus ens est magis quam dictum malum; multo igitur magis omniquaque non ente non est *τὸ* malum.

9. — Si autem et, ut Platonis sermo, non solum instituit bonorum naturam huius mundi Pater sed et vult nihil esse usquam malum, quae est ars subsistere malum involitum conditori ad hypostasin?

Non enim alia quidem ipsum velle, facere autem alia licitum sed voluntas simul et factio erat in divinis substantiis, quare non solum involitum ipsi malum sed et *ἀνυπόστατον* non tamquam utique illo non faciente — hoc enim neque intelligere fas — sed tamquam neque esse faciente: etenim voluntas erat non ut non fieret ab ipso malum sed ut totaliter non esset. Quid igitur adhuc quod faciet esse adducente ipsum ad non esse *ὑποστάτου* penitus et Patre ente? Quid enim contrarium ipsi et unde?

Neque enim ex ipso *τὸ* maleficium — non enim fas ipsi — et si aliunde inconveniens: omnia, enim a Patre quae in mundo, hoc quidem ex se, ut dictum est, hoc autem velut operantibus aliis.

10. — Quae quidem malum exterminans ab esse ratio talis utique quaedam erit et talia utique nobis proferat probabiliter dicens.

11. — *Qui autem contrariam huic vocem emittens* exiget primum nos aspicere ad rerum hypostasin et ad hanc respicientes sive est sive non malum enunciantes dicere intemperantiam ipsam et iniustitiam et quaecumque alia animae malitias consuevimus appellare, ponentes sique bonum unamquamque harum tolerabimus dicere, sique malum. |
200 Si enim et harum unamquamque bonum ponemus duorum alterum utique dicere necessarium:

aut non esse virtutem contrariam malitiae toti totam et eas quae in parte proportionalibus;

aut bono oppugnans non semper esse malum.

Et quidem quid horum utroque fiet utique inopinabilius aut ad rerum naturam minus congruum? Malitiae enim contrapugnant virtutibus et qualiter contrapugnant palam et ex alia humana vita secundum quam iniusti quidem iustis intemperati autem temperatis contrariantur et ex ea quae in ipsis, si velis, animabus dissensione, velut quando in incontinentibus ducit quidem ratio alio cogat autem passio contrariantibus autem ambobus vincitur quidem melius a deteriori.

Quid enim aliud est in ipsis quam sobrium animae dissidere ad intemperatum morem? Quod autem in contrariantibus ad iram, non alterum aliquid tale? Quid autem in aliis malis in quibus dissidentem sentimus animam?

Totaliter autem apparentes malorum ad bonos contrariationes *multo prius in ipsis sunt occultae animabus* et ultima in disciplina; et aegritudo haec animae, quando quod in nobis melius et quae in ipso rationes bonae inexistentes a terrenis vincuntur et vilibus passionibus.

Hoc igitur quidem non et valde stultum sit per plura memorari?

12. — Si autem, contrariae quidem sicut diximus malitiae virtutibus bono autem contrarium omnino malum — *non enim* n a t a e s t *boni* n a t u r a i p s a *ad se ipsam* d i s s i d e r e s e d *veluti ἔκγονος* [id est genitura] ens *unius causae et unitatis unius*, similitudineque *et unione et amicitia tenetur ad ipsam; et maiora quidem bonorum salvativa minorum sunt minora* au | tem *ornantur* a *perfectioribus* — ne- 201
cesse malitias omnino non solum ratione esse malitias sed enter malum unamquamque et non minus bonum:

nusquam enim *contrarium maiori bono τὸ minus, sicut neque maiori calido minus calidum, neque magis frigido quod minus.* Si autem animae malitiae naturam mali confiteantur ostensum utique erit malum in entia facere.

13. — Et non hoc solum sed et quia *malum corruptivum est uniuscuiusque. Hoc enim* esse malum et qui in *Politia* Socrates demonstravit dicens, congrue, quoniam et bonum est uniuscuiusque quod uniuscuiusque salvativum, propter quod et appetitus boni omnibus:

nam esse et salvari omnibus inde, sicut rursum *τὸ* non esse et corrumpi propter naturam mali.

Necesse igitur aut nihil esse nullius corruptivum sed sic generatioque considens stabit: corruptivis enim non entibus neque corruptionem esse possibile; corruptione autem non ente neque generationem quoniam omnis generatio per alterius fit corruptionem et generatione non ente imperfectus erit simul omnis mundus: mortalia enim in ipso genera animalium non habebit; oportet autem, si debeat perfectus sufficienter esse, ait Timaeus.

Si ergo oportet mundum felicem deum esse, oportet similitudinem eam quae ad omnino perfectum animal, ipsum perfecte salvare;

si hoc oportet, et mortalia genera complere *τὸ* omne;

si hoc oportet, et generationem esse et corruptionem;

si autem hoc, et corruptiva entium esse oportet et generativa, haec quidem aliorum alia autem aliorum: neque enim generatio neque corruptio omnibus ex iisdem.

Corruptivis autem entibus | quae generatio- 202
nibus sortientibus, ingenita corrumpunt illorum virtutem et *τὸ* malum esse: hoc enim erat malum corruptivum uniuscuiusque genitorum in quo primo est secundum se.

Etenim animae quidem alia corruptiva, corporis autem alia et quod corrumpitur aliud et non idem modus corruptionis sed huius quidem substantialis huius autem vitalis et huius quidem substantia ut esse et corruptionem ducente, huius autem vita ab ente fugiente et totaliter ad aliud non ens.

Eadem ergo ratio omnem mundum perfectum nobis salvabit et malum in entibus ponet; quare non solum erit malum propter bonum sed et bonum ipsi esse;

hoc itaque inopinabilissimum quod et iterum erit notius.

14. — Si autem oportet *non dictis solum acquiescere rationibus* sed et *secundum alteram viam* prosequi quod quaeritur, age itaque et hunc ipsum modum explicemus.

15. — Omne bonum quod suscipit eius quod magis et minus differentiam secundum *τὸ* magis quidem perfectius est, et propinquius sui ipsius fonti constituitur; secundum rursus *τὸ* minus debilitatumque et imperfectius factum propter defectum distat ad inferius suae unitatis. Quoniam, et aequale similiter quod quidem maxime ipsi cognatissimum utique erit et velut consequenter, quod autem magis secundum habet post hoc ordinem quod autem minus ultimum; et calidum etiam et frigidum et pulchrum et turpe et magnum et parvum secundum eamdem rationem.

Ergone iniustitiam ipsam et intemperantiam non et magis et minus dicemus aut aequali modo intemperati et iniusti omnes? Nullatenus dicemus.

Quid autem non eius quae magis et minus
203 quanto | minus est iniustitia tanto a boni natura minus distat, quae autem rursum magis quanto maiori modo habet iniustitiae passionem tanto est expers boni maiori modo? Necesse utique concedere.

Sed bonum omne quodque minus et quod maius augmentatum propinquius primo bonorum dicebamus fieri, et quod perfecte bonum idem maxime bono; sed iniustitiae excrementum boni penitus defectus erat, non ergo bonum adhuc iniustitiam congruit vocare neque maius neque minus sed omnino malum: quod quidem enim minus bonum crescens fit maiori modo bonum; etenim minus calidum et minus frigidum magis utrumque, iniustum autem crescens non fit maius bonum.

Contrarie igitur habens ad bonum quomodo non utique erit malorum? Haec quidem itaque et ratio ista dicet et confidet de hypostasi malorum simul etiam et Platonis litteras in medium producens ut etiam et sic alteram adiuvet per quam ille non enunciative solum sed et demonstrative malorum naturam in entia inducere videtur.

16. — Qui igitur in Theaeteto Socrates et valde protendit neque utique perire mala, neque iterum superfluam esse et velut casualem existentiam ipsorum: nam necessarium esse et bonum esse, malum autem esse ait necessarium, bonum ergo esse malum.

Si autem bonum esse malum, est utique malum, ut illius sermo, non in non utique perire perfectum solum et sic quidem enim scilicet et in habere principium secundum bonum scilicet in esse transitum.

17. — Quam igitur causam dicemus eius quod malum necessarium sit? Eam quae ad bonum contrariationem ut Socrates nobis inducit. Sicut enim et in aliis diximus et | species omnes et 204
quod ultra species neque post se ipsas contingenter ipsis participantem generare natae sunt substantiam, neque usque ad intransmutabiliter ipsis et eodem modo semper potentia frui determinant sui ipsarum operationem, sed propter abundantiam virtutis et excellentiam bonitatis producunt quidem et proxime ipsis participantes ordines qui ab ipsis observant *μονοειδῶς* non mixti ad privationes existentes, producunt autem et ultimas hypostases suarum operationum in quibus quae ex causis non adhuc permanere immaculata et intransmutabilia nata sunt.

18. — Neque enim quae quandoque quidem ipsis participant quandoque autem interrupta ab ea quae inde illustratione et virtute oportebat fieri solum: non enim utique haec participarent illis quae sunt separata a totis et exempta ab omnibus iis quae in aliis subsistunt et participata solum; neque oportebat solum ea quae semper obtenta illarum impressionibus subsistere, non et ultimis productis quibus *τὸ* quandoque participare illis dilectum: essent enim utique omnia bona entium ultima et quae aeternaliter entia materiae ordinem habentia, sterilia itaque et debilia et omnia simpliciter quaecumque generabilibus et corruptibilibus inferre consuevimus, illa ante haec utique essent veluti iis non entibus.

Si igitur et haec, necessarie sunt autem quae eam quae omnis potentiae et omnis bonitatis primarum causarum operationem, neque utique bonum semper eodem modo in omnibus erit entibus neque etiam mali generatio expelletur ab entibus.

19. — Si enim est quandoque quidem bono participare potens, quandoque autem iterum illius coexistentiam negligens, privatio quidem ex necessitate erit transump | tionis, boni pri- 205
vatio autem ipsa secundum se ipsam non potens esse neque absoluta omnino a natura cuius et privatio modo quodam potens facta ab ipsa propter complicationem ad ipsam in eum qui contrariorum ad bonum constituitur ordinem — aliae quidem enim privationes absentiae solum sunt habituum nihil a suis ad esse assumentes — *bonum autem ergo propter potentiae excellentiam potentificat et sui ipsius privationem.*

20. — Sicut enim in omnibus entibus bonum ingenuit primam virtutem, sic utique et in unoquoque entium quod ubique omnimode bonum generat sui ipsius potentiam. Sic autem, sicut diximus quae *boni complicata privatio* et *τὸ* impermanens sui ipsius, *illius usa potentia fit quidem contraria bono, roborata ea quae ad ipsum mixtura et potentiam ad oppugnandum*

ad id quod prope sumens; sustinet autem non idem cum aliis privationibus passio: hae quidem enim abscedentis omnino habitus sunt; ea autem abscedente, bono penitus non est. Non enim est sic mala species vitae ut omniquaque rationis potentiam extinxerit; manet equidem ratio intus debile quidem loquens, attamen et haec omnimodis ipsam circumstantibus passionibus, et *σύνεσις* [id est intelligentia] non relinquit eam quae sursum animam.

Neque umbra corporis aut aegritudo in privatis omnino contrario habitu: ordine enim non ente neque corpus salvari possibile, defectus autem ordinis aegritudo non omnis. Manifestant autem periodi naturae numeris mensurantes undique quod inordinatum.

21. — Haec quidem igitur iterum. Si autem, sicut diximus, non per dictas rationes solum sed et ex Platonis narratione explicare convenit
206 eam quae de exis|tentia malorum doctrinam, sufficiunt dicta etiam mediocriter ipsa assequi potentibus.

22. — Oportet autem, *sicut in iudicatorio, non contradicentes invicem audire solum, sed iam* aliquam et ipsos proferre sententiam.

23. — Sit igitur haec *apud nos,* si velis, sententia: malum esse duplex, ut ita dicam, primo hoc quidem *ἄκρατον* et non mixtum malum cum bono solum, hoc autem non *ἄκρατον* neque non mixtum ad boni naturam; quoniam autem et bonum aliud quidem quod prime bonum et velut *αὐτὸ* [id est ipsum] et nihil aliud quam bonum neque intellectus neque intelligentia neque enter ens; hoc autem mixtum aliis et alicubi quidem non mixtum ad privationem alicubi autem iam cum tali mixtura.

Quod enim quandoque participat prime bono insinuat complicationem non boni quoniam et ens ipsum et entis natura sursum quidem enter ens et ens est solum, in ultimis autem entium commixtum est aliqualiter non enti: nam hoc quidem ens hoc autem non ens, et quandoque quidem ens infinities autem non ens, et hoc quidem ens alia autem omnia non ens, quid utique dicet quis esse magis quam non esse omnino non ente repletum?

Et *τὸ* non ens ipsum quod quidem nullatenus ens aliud et ultra ultimam naturam quae secundum accidens est neque secundum se neque secundum accidens esse potens: non enim sic quidem est sic autem non est quod nullatenus ens. Quod autem simul cum ente non ens, sive privationem entis sive alteritatem vocare ipsum fas, aliud et hoc quidem omniquaque non ens;
207 hoc autem rursum quidem non in minus | ente est ut ait Eleates Xenus. In iis autem quae quandoque quidem entia quandoque quidem non entia debilius quidem ente, per esse autem et ipsum modo quodam obtentum. Sicut igitur si *τὸ* non ens quaereret quis utrum est aut non est, quod quidem omniquaque non ens nullatenus esse participans, diceremus nullatenus ens, hoc autem modo quodam non ens in entibus connumerare concederemus haec amanti, secundum eadem utique et malum — quoniam et hoc duplex: hoc quidem solummodo malum hoc autem non (im)permixtum ad bonum, — hoc quidem, videlicet, nullatenus entis ultra ponemus, quando bonum entis ultra; hoc autem in entibus ordinabimus neque ergo ab esse propter boni *μεσιτείαν* [id est mediationem] neque a bono propter esse potens adhuc manere desertum. Simul enim ens est et bonum et quod quidem omniquaque malum primi bonorum decidentia ens et velut exitio, merito et ente privatum est: quid enim utique in entia progressum habebit bono participare non potens? *Quod autem non omniquaque malum subcontrarium quidem est bono cuidam et non omni;* ordinatur autem et bonificatur propter eam quae totorum bonorum excellentiam, *et iis quidem est malum quibus contrariatur, ab iis autem tamquam bonum dependet:* contrariari enim illis non fas sed sequi omnia secundum *δίκην* aut neque esse penitus.

24. — Recte ergo Plato: *in Timaeo,* quidem, secundum conditivam voluntatem bona quidem omnia, pravum autem nihil esse ait, *in sermonibus autem ad geometram* neque | utique perire mala, 208
et ex necessitate in entibus facta esse praetendit.

Nam omnia bonificantur voluntate Patris et nihil ad illius condituram malum neque entium neque fientium. Et non diffugit malum esse partialibus quorum bonum perimit natura per gradus distinguens quoniam et tenebra quae quidem impermixta omnino ad contrarium et luminis expers non est, quae autem in lumine facta et terminata ipso undique, entium est; et sole quidem tenebrosum nihil: dat enim et tenebrae claritatem debilem; aëre autem tenebra est privatio eius quod in ipso luminis. Omnia igitur bona omnium Patri et est malum in non omnino secundum bonum stare potentibus; propter quod autem et hoc necessarium esse diximus prius.

25. — Qualiter quidem igitur est et qualiter non est malum ex iis palam. *Omnes enim dicunt sic quidem recte sic autem non recte* quique omnia bona dicunt, quique non: etenim quod omnia entia sunt, verum sed et non ens est enti complexum. Omnia igitur bona per nullum stare malum inornatum et impermixtum; et malum est quibus et est malum: est autem quorum natura in bono manere impermixtim, non est nata.

26. — In quibus autem entium malum et qualiter subsistit et unde consequens utique erit post haec speculari propterea quod entium nobis apparuit et huius natura. Superius igitur inchoandum et speculandum ut poterimus, ubi malum.

27. — Dii enim et deorum regna et numeri et ordines primam entis partem obtinent, magis autem entia omnia et intellectualem | substan- 209
tiam super quam insidentes omnia generant omnibus principantur ad omnia procedunt omnibus praesentes impermixtim et omnia ornantes exaltatim neque ipsorum intelligentia hebetata

providentiis neque *πατρονομικὴ* superstantia laxata puritate intelligentiae; nam intelligere ipsorum cum esse idem et providere propter bonitatem ipsis adest et propter *γόνιμην* virtutem in se ipsa manere non volentem sed veluti parientem quae utique et parere ipsis fas scilicet entia omnia et quaecumque meliora animabus genera et animas ipsas et si quid etiam horum ad esse demissius.

28. — Ipsi quidem enim dii et entium omnium sunt ultra et mensurae entis quoniam et ens omne in ipsis ut in monadibus numerus; procedunt autem ab illis entia haec quidem in ipsis manentia haec autem in secundum *πολλοστὴν* naturam a deorum unitate secundum submissionis rationem deficientia; et haec quidem in ordine participantium sunt locata a bonitate entis deorum dependentia, ii autem secundum bonum ipsum et metrum totorum substantiati et nihil aliud entes quam entium unitates et metra et bonitates et summitates, si velis, et velut flores et supersubstantialia lumina et omne quod tale participabiles quidem sunt secundum enter ens et primam substantiam, omnia autem bona et pulchra mediaque et qualitercumque entia producunt a seipsis.

29. — Sicut igitur, si quis nos interrogaret de hoc lumine, quod per totum mundum ipsius visibilis rex et proportionaliter Bono ordinatus spargit deus, si est ipsum secundum se susceptivum tenebrarum sive etiam non, | multipliciter utique ipsum ad recusationem talium omnium circumduceremus quandoque quidem simplicitatem naturae quandoque autem eam quae ad generans continuitatem quandoque autem aliud aliquid causantes, eodem modo et de diis dicentes forsitan quidem neque oportebat quaerere in divinis moribus manentes, dicentes attamen et simpliciorum gratia multa quidem ex Poëtica multa autem ex aliis *συνουσιῶν* [idest conventibus] quae iuvenum sustinentium animas imbuunt, dicentes igitur quod dictum est malum quomodo non est in ipsis.

210

30. — Rememorandum quidem et quod omnia ornant dii et quod nullo indigent et quod sunt in omni beatitudine et vita ipsorum in affluentia vivere quae utique de diis in intelligentiis indeflexis habemus inde sumentes et quid oportet de diis dicere.

31. — Sed et animae *ἐφήμεροι* intellectum assumentes et sui ipsarum alatum inflantes et diis assimilatae manent in bono, malum autem nullum ipsis neque est neque fiet unquam et *εὐφροσύνη* omnis et innocua vita et chorus virtutum quae utique tales animas ducunt ad superiorem locum ad epulationemque et fruitionem et longe ab iis quae hic malis non ut vincant etiam haec sed ut cum diis ipsa ornantes secundum *δίκην* ipsae maneant in diis, repletae autem ea quae ibi speculatione et *κόρον* alimenti sumentes principium quidem iniuriationis et deliciarum hic et audaciae nondum autem quod omnino malum; si igitur et animabus divinis entibus malum non est quomodo erit in ipsis diis? *Neque* enim *saxo caliditas*, aiunt, *neque igni frigiditas inest*, neque igitur in diis malum neque in malis quod *ἔνθεον* [idest divinum].

32. — Dicendum quidem igitur et haec indicen | tibus iis; submemorandum autem et quod 211
diis *τὸ* esse deos secundum bonum est. Sicut enim animae ab anima *τῇ* tota et ab intellectu omnino perfecto partiales intellectus, sic utique et ex prime bono magis autem si fas dicere ex bonitate ipsa et ex bonorum omnium unitate primissimus bonorum numerus quibus non aliud esse et existentia praeter unum et bonum: neque enim rursum partialibus intellectibus praeter intelligere neque animabus praeter vivere.

33. — Si enim omnibus praecedentibus ex sui ipsorum principio per similitudinem est et continuus processus ex primaque unitate procedentia primae unitates et ex uno bono bonorum multitudo, quibus igitur esse secundum bonum, quid ad haec *τὸ* malum et mali natura? Non enim fas ipsi: bonum quidem enim mensura et lumen, malum autem tenebra et immensuratio et hoc quidem illocabile est et debile, hoc autem omnis locationis et omnis potentiae causa; et hoc quidem salvativum omnium hoc autem unumquodque in corruptionem ducens quibuscumque adest secundum uniuscuiusque ordinem, non enim idem in omnibus corruptionis modus, ut dictum est.

34. — Utrum igitur deos bonos esse falsum esse dicemus aut bonos entes transmutari quod utique partiales animas pati dicimus alias, alias vitae species proferentes? Sed sic utique dicemus quod neque tolerabile dicere et ipsam deorum existentiam. Neque enim bonum non bono congeneum, quod autem tale non deus, neque transmutans simile uni et meliori omnis operationis: nam quod similitudinis secundum unum et aeternaliter ens ex eo quod ante aeternum et quod eodem modo in operari locatum ex meliori quam proprietas operandi prime | subsistit. 212

Non ergo in diis malum neque simpliciter neque secundum tempus: totaliter enim et aeternum et *tempus post deos;* substantiae enim haec et circa substantiam, ii autem ante substantiam et ens, ipsorum enim sunt entia et non ipsi et hic quidem est unusquisque bonus, hic autem dependet ab ipso *τὸ* enter ens.

35. — Rursum itaque post deos, si vis, angelorum ordinem considerandum si et hunc adhuc omnino bonum dicendum aut malum in hoc prime et quomodo utique adhuc deorum ipsos nuncios vocabimus si malum qualitercumque in ipsis. Malum quidem enim omne longe est a diis et alienum et velut tenebra ad id quod ibi lumen et non sui ipsius solum in ignorantia quod tale sed et aliorum omnium et maxime quaecumque bona: fugiet enim utique seipsum et perdet non potens se ipsum nosse aut boni naturam.

36. — *Genus autem interpretativum deorum continuum est diis et intellectum novit deorum et*

elucidat divinam voluntatem et est utique etiam ipsum divinum lumen ex lumine in abditis ente quod extra et apparens et nihil aliud quam bonum progressum et ex intus manentibus in uno prime elucescens. Oportet enim utique processum totorum continuum facere consequenter autem aliud alii secundum naturam propter simile; fonti quidem igitur bonorum consequenter multa bona et numerus unitatum secretus manens in indicibili fontis, huic autem primus procedentium et procedentium numerus continuus velut in *προθύροις* [idest proforiis] deorum ordinatus et pronuncians illorum silentium.

37. — *Quibus igitur esse hoc est bonum elucidare quomodo in iis malum?* Ubi enim malum inde bonum abest sed non elucidatur, occultatur autem magis praesentia contrariae naturae. | Uniale autem quod unius enunciativum 213
et totaliter enuncians quodcumque in secundo ordine hoc est quod nunciatum erat ante eam quae in alia operationem, unde *utique angelorum φῦλον* [idest tribus] *assimilatur differenter diis a quibus dependet,* ut *per expressam similitudinem elucidare ipsius proprietatem possit* iis quae post ipsum.

38. — Si autem non sic solum velis sed et secundum alium modum ostendere bonificum ordinem angelorum, vide utique omnia genera entium et numeros omnes qualiter unusquisque ipsorum quod in ipso primum et principalem ordinem haereditans et *immalignabilem* habet et *sincere bonum* merito. Oportet enim quod in unoquoque primum *imaginem ferre primae causae:* ubique enim sunt proportionalia illi et omnia salvantur illius participatione; sive enim dividas entia omnia in intellectualia et sensibilia, sive sensibile rursum in coelum et generationem, sive intellectuale similiter in animam et intellectum, ubique quod primissimum et divinissimum est insusceptivum mali.

39. — Oportet itaque non solum in dictis sic, sed et in triplici *ἡγεμονείᾳ* [idest praesidatu] meliorum generum, *immaculatum* et intellectualem et *impermixtum ad malum* et qualitercumque secundum bonum determinatur, primum factum esse ordinem quoniam et processus ipsius propter bonitatem factus est, sicut rursum qui daemonum secundum potentiam et secundum *γόνιμον* deorum, propter quod utique et ii medium acceperunt in tribus generibus. Medii enim potentia sicut intellectus tertii et quae secundum circulum conversio ad principium. Hoc quidem igitur heroum quod conversionis, bonitas autem in angelis operata et determinans existentiam ipsorum sui ipsius unitate. Quomodo utique adhuc malum in illorum | naturam 214
subintrare concedet non est dicere. Solummodo ergo quod boniforme angelorum ordinem obtinebit, malum autem nullum usquam: deorum enim sunt elucidatores et summitatem meliorum generum acceperunt et bono characterizatur esse ipsis.

40. — Sed ergone in daemonibus malum prime? Isti enim sunt post angelicum chorum consequenter. Sunt igitur *aliqui* et passiones daemonum *dicentes:* ii quidem et *secundum naturam* quando mortes ipsorum et generationes alias et alias tragoedizant, alii autem *ex electione* solum quando nequam quosdam et malos nominant daemones quos et animas inquinare et ducere ad materiam et eum qui sub terra locum ab itinere in coelum detrahentes. Et haec dicentes putant etiam Platonem huius doctrinae praesidem fuisse duplicia exemplaria ponentem in omni, hoc quidem divinum et lucidum et boniforme hoc autem *ἄθεον* [idest sine Deo] et tenebrosum et malificum, et animarum has quidem huc ferri has autem illuc et delatas *δίκην* sustinere, sicut rursum et earum quae in inferno has quidem sursum oris fieri fugientes eum qui ibi locum, has autem ab igneis et sylvestribus illis phantasmatibus ad *ἀσπαλάθους* et ad Tartarum trahi.

Omne igitur tale, ut dictum est daemonum genus, seductorium et malignum et destructivum animarum *dico,* esse susceptivum malitiae primae *illorum insinuat sermo* et bono et malo dividi etiam horum naturam.

41. — Quos si nihil aliud, hoc interrogare oportet — *divini enim* et *qui horum sermonum patres* — utrum daemones quos malos esse dicitis et *sibi ipsis esse dicitis tales aut sibi ipsis quidem non tales et malos, aliis autem malos?*

42. — *Si quidem enim sibi ipsis essent mali* duorum alterum: *aut manent in malo sempiterno tempore aut transmutationis sunt susceptivi.* Et si quidem semper mali, *quomodo quod ex diis sub | sistit semper malum?* Melius enim non esse 215
omnino quam semper male esse. *Si autem transmutantur non sunt eorum qui substantia daemonum sed eorum qui in habitudine talium,* simul enim quod melius et deterius et vitae alia species; daemones autem semper omnes in daemonum ratione et in eo qui sui ipsorum ordine singuli.

43. — *Si autem sibi ipsis quidem boni aliis autem mali in ad deterius ducere, simile ac si quis et doctores vocaret nequam et paedagogos quosdam qui castigatores peccatorum ordinati non permittunt persequentibus fluctuose meliorem ordinem pro conveniente ipsis, aut si quis ipsos ante sacra stantes et inquinatum detinentes extra περιβολὰς* [idest cortinas], *malos nominaret quia participatione intrinsecorum prohibent; erat igitur malum non extra manere dignis, sed esse talis ordinis et talibus prohibitionibus dignum.*

44. — Si igitur et eorum qui in mundo daemonum ii quidem sursum ducunt animas, ii autem nondum potentes ascendere custodiunt in sui ipsorum moribus, neutros utique merito dicemus malos, neque igitur hinc separantes neque hic detinentes: oportebat enim esse et hos qui inquinatum et progressu in coelum indignum in eo qui circa terram loco coërcentes habent. *Non ergo malum neque in iis ratio adinvenire videtur: secundum enim ipsorum naturam singuli faciunt quae faciunt et semper eodem modo; hoc autem non malum.*

45. — Quid autem heroum genus? Non primo quidem et huic esse est secundum eam quae ad melius conversionem et substantia et existentia? Deinde et semper ipso esse faciunt singuli hoc utique sui ipsorum opus a Patre ordinati aliorum et aliorum providentiis. Si igitur eodem modo non malum: *instabile enim natura et illocabile omne malum*, quod autem semper totum contrarium. Potentia enim τὸ
216 semper: hoc enim | in potentia horum est quibus et est malum.

46. — Totaliter autem transmutari et qualitercumque in vitae specie eos qui secundum habitudinem heroas facit et non adhuc ipso esse tales. Etenim angelus et daemon et deus qui secundum substantiam semper ipsius ordinem unusquisque salvare natus est et non quandoque quidem aliter quandoque autem aliter, sed operantur semper secundum naturam quam accepit unusquisque.

47. — Adhuc, si quidem et iis ira et impetus et omnia talia dictis malis *ex perversione eius quod secundum naturam infierent* est et in iis malum *et suae potentiae inordinatio et convenientis ipsis perfectionis egressio ubique, nam malum impotens et imperfectum et naturae debilis ad salvare ipsam.*

48. — Si autem in agendo haec unusquisque salvat seipsum et sui ipsius naturam et eam quae in omni desinentiam quam ex aeterno haereditavit, quomodo adhuc praeter naturam ipsis haec agere? *Secundum naturam autem non entis erit malum si malum unicuique praeter sui ipsius naturam: neque enim leonum neque pardalium malum dices utique esse furorem* sed hominum quibus optimum ratio, alii autem secundum rationem agere non bonum cui esse secundum intellectum. Oportet enim malum, ut dictum est saepe, non quod secundum naturam esse et quod in unoquoque melius, bonum enim quod tale, sed naturae assequentis deteriori. *Igitur et heroum, quorumcumque phantasia praeceps agit et furor et iracundia et praecipitium et pertinacia, non extra naturam:* quae talia nam esse ipsis non ratio. Quid igitur ex iis malum ipsis?

49. — Si autem animabus haec impedimenta unde vinculum iis et quae deorsum unitio? Non enim eas quae nondum deciderunt ducunt in sui ipsorum locum, non enim utique
217 esset possibile, | sed deorsum genitas et indigentes ipso pati in *δίκην* puniunt omni assequentes et ipsi quidem secundum naturam agunt. Utitur autem ipsis ut organis ad sanationem omne, quoniam et bestiis utitur ad hominum devorationem et inanimatis ipsis ad alia quaedam secundum naturam agentibus. Et lapis quidem secundum naturam delatus percutit occurrens, corporum enim eae factiones percussiones, et ut ad hoc huius natura utens in optimum replet necessitatem indigentis pati; neque igitur corporibus percutere malum, neque totaliter agentibus secundum sui ipsorum naturam, secundum naturam autem agit omne quod nullam habet operationem ista meliorem.

50. — Quam ergo aliam dictis heroum malis vita ista existere meliorem dicemus, non est dicere: hic enim ipsis ordo haec operationis species ex *δημιουργίας* determinata est consummationum gratia custodiae, cuius custodes entes quod factum in ipsorum terminis praeter sui ipsorum vitam in periodis ordinatis dignificare sui ipsorum custodia. Ordinat autem patientium potentia periodi tempus et purgatione quidem perfecta facta *orificium* quiescit et alia omnia subtracta sunt ascendentibus animabus; imperfecta autem adhuc punitione ente hae quidem propter sui ipsarum ignorantiam appetunt progressum ad sursum, has autem ad conveniens ducit universum et talium custodes universi voluntati ministrantes alias ad aliam punitionis speciem vertentes has quidem ad amplius has autem ad minus tempus coercentes dimiserunt qua universum ordinant et *universi lex* unamquamque.

Quae quidem igitur de diis et de melioribus generibus misericorditer aliqualiter nobis facta esse dicimus, quod neque est in ipsis malum ullum neque utique fiet per haec considerantibus: omnia | enim agunt secundum ipsorum 218
ordinem in quo unumquodque ordinatum est et eum qui ex *δημιουργίας* terminum indeclinabiliter habent eumdem in suis moribus manentia.

51. — Quae autem consequenter iis considerandum in quibus si alicubi malum videbitur tentantibus, si autem nusquam entium ipsum dicendum esse neque igitur ibi, neque in hoc loco. Dicta quidem enim genera omnia insusceptiva speciei transmutationis erant, dico autem transmutationis quae secundum ipsorum ordinem: semper enim unumquodque eumdem ordinem quem accepit et salvare natum est. Iis autem consequenter sunt potentia quandoque quidem ascendere quandoque autem ferri in generationem et mortalem naturam et horum haec quidem meliora et diviniora et nihil in attingere mortalem naturam recusantia eam quae ad divinum cognationem, haec autem omnimodas fracturas sustinentia et perversiones circulorum et oblivioni omni repleta et habitudine et malis.

52. — Meliora igitur prius considerandum. Haec ergo quod quidem meliora et quod humanae malitiae nullam in se ipsa passionem immittunt significat et in Politia Socrates poëticam accusans quae deorum pueros ex aequo hominibus amatores pecuniarum narrat fuisse et non veretur eosdem simul et talium patrum natos nominans et talibus malis repletos quae circa humanam naturam videmus accidentia. Si autem, ut qui de ipsis sermo ait, et quod quidem ipsis plurimum periodi est theoria et vita innocua et cum diis providentia totorum secura descendentes autem in generationem pro beneficentia eorum quae hic locorum hae quidem pro *εὐγονίᾳ* [idest bona prole] hae autem pro puritate eae autem pro virtute eae autem pro divino intellectu facientes elucescentiam perficiuntur cum diis glorificatione et daemonum

bonorum aspiratione et universi annuitione, quod utique erit iis et totaliter malum, excepto si |
219 generationem ipsam velis dicere? Mensuram enim quamdam poculi oblivionis necessarium omnem animam facere ut ait qui in Politia Socrates, quod autem oblivionis aliud in aliis alicubi quidem et habitu perdito alicubi autem operatione solum sepulta, hanc itaque operationis quietem habitu manente intus veluti lumine extra procedere propter adiacentem caliginem impotente, oblivionem si vis et malitiam si vis illarum animarum. Eae autem si quidem sunt impassibiles sicut ab ea quae in generatione turbatione circa animam facta, propter hoc enim et immaculatas nominare consuevimus tamquam iis quae hic malis in ipsas ingredi non potentibus, sed inflexibilem quidem et inflectuosam vitam eam quae in intellectuali loco non adhuc et hic servare potentes, turbatorium autem ipsarum et instabile dependentibus manere sinentes, eae autem et intus silentes donec utique in tranquillitate fuerint, aliter autem effulget ipsarum pulchritudo quasi verisimile deorum pueros dictos.

53. — Sive igitur in terrenis animalibus sive in aliis partibus universi animarum sint generationes iste modus descensionis omnibus et oblivio usque ad hoc et malum: *etenim lumen obtenebrari dicimus quod propter extraneitatem eius quod circum grossi et nebulosi entis propinqua illuminare non potest*, perfecte autem obtenebratum esse quod neque ipsum salvare potens. Igitur et divinarum illarum animarum descensus intrinsecam non perdens vitam debilitatem ad agere dat ipsis.

54. — Quae autem post haec et quae vitam intrinsecam perdiderunt et eorum quae inde speculaminum oblivionis habitae veniunt et mors in iis enter est et insatiabilitas et *alarum defluentia* et quaecumque alia saepe de ipsis dicere consuevimus. Etenim quid aliud insusceptivorum mali et omnino malignatorum oportebat intermedium ponere quam τὸ tenue et
220 apparens, ut est | dicere malum? Haec utique et de iis sint dicta.

55. — Habitum autem iis *φῦλον* [idest tribus] omnimodum enter est et varium et omnimodis electionibus et impetibus transmutatum cui et quae intus iam et animae ipsius potentiae defalcatae feruntur multum quidem habentes laborem claudicantes autem et debiles et omnia quaecumque animarum dicuntur mala patientes per decidisse inde ubi quidem entibus ipsis quod sine moestitia et beatum in vivendo est.

56. — Sursum quidem enim ens anima omnis *μετεωροπορεῖ* [idest alta petit] et omnem mundum dispensat, entia speculans et cum diis praesidibus ad felicem et perfectissimam mentis epulationem ascendens et quae in ipsam respicientia replens eo quod ibi nectare. Non enim erat prime bonum *θέα* [idest speculatio] et intellectualis vita et prudentia, ut alicubi ait aliquis, sed quae secundum divinum intellectum detinens quidem intellectualia sui ipsius intellectu, ambiens autem sensibilia iis quae alterius potentiis et eorum quae inde bonorum partem quamdam etiam iis exhibens, quia quod perfecte bonum non in salvare se ipsum solum habet τὸ plenum, sed iam ea quae ad alia datione et non invidioso operationis omnia bonificare desiderat et sibi similia facere.

57. — Quando autem impotens secundum ambas vitae species imitari praesides ipsius speculationis quidem entis expers fit, secundis autem aliis potentiis attrahitur et volventibus quidem | circa 221
mundum generationis principium hoc et periodi animabus aliter et impotentia quidem et privatio speculationis et iis malum.

58. — Universaliter autem malum neque iis sed vitae species alia quam prima propter defectum potentiae indigentior: ibi enim prime *αὐταρκες* [idest per se sufficiens] ubi prime bonum, quae autem maxime potentia ubi τὸ *αὐταρκες*.

59. — Debilitas quidem igitur animae et haec scilicet ab illa intuitione peccantem ferri ad deorsum, potentia autem rursus ibi fieri ante in profundum decidere, non enim omnibus idem debilitatis modus neque enim corpora omnia in ultimam aegritudinem ponit distantia a virtute mensurante ipsa et salvante.

60. — Si autem anima, sicut ait ille, *συντυχίᾳ* [idest confortuna] utens mortalis generis mortem ferentis oblivioneque entis repleta gravataque in terram decidit, ducit quidem ipsam ad convenientem ordinem omne, aliam autem et aliam vitae speciem variabit donec utique, ut qui in Timaeo sermo, ad id quod sursum iter versa multam turbam et suborientia ipsi repellens et manere sinens ad ens ipsum et ad clarissimum entis ducatur.

61. — Descendens igitur inde veniet quidem utique et ad continens vel pontum et speculabitur eas quae ibi animas. Veniet autem et sub necessitatis thronum et oblivionis campum; non qualia primordialem naturam habens speculabitur: etenim iis quae sursum animabus veritatis campus et | quod ibi continens in specu- 222
lationibus aderat. Sed quod quidem inde alimentum congruum erat animae optimo, pascua, ait ille; quod autem hic opinabile, propter quod utique et oblivionis fluvius prope et nondum horum dirum si non multo.

62. — Repletam autem ducit ad simile animae *ἄνοιαν* [idest inintelligentiam] dicens et tenebram et quod obscurissimum ipsum, si vis dicere, fundum omnis ubi utique multa haec et invincibilia malorum mortalem naturam circumdantia et velut circulo adnascentia animabus: nam fracturae circulorum et perversiones et vincula et quaecumque mortem adducunt animabus et mille annorum periodi et punitiones et, ut est dicere, tragicotatissimae passionum quascumque ipsis universi lex superduxit in hoc loco; et non nequaquam haec fugiemus neque requiescemus a laboribus si non extra alia facti, sui ipsorum bona et entis speculationem sequestraverimus a mortali nugacitate.

63. — Exuendum ergo nobis et tunicas quas descendentes induti sumus et nudis hinc progrediendum illuc et purificandum omnino animae oculum quo entia speculemur et intellectum praesidem faciendum interioris vitae pro
223 sensu. Mali | quidem enim nobis exhibuit generationem quae *ad deterius nobis semper communicatio et convivere et oblivio et ignorantia* per ad inintellectuale et tenebrosum videre, bonis autem fuga et ad divinum similitudo: ibi enim totum bonum et fons bonorum omnium et pura entis et felix vita ibi perfectis animabus.

64. — De anima quidem itaque potente ascendereque illuc et descendere huc ita sit dictum, *qualiter malum in ipsa et debilitas et casus* et alia quaecumque praedicta sunt de ipsa.

65. — Alias autem animas non quae partes entium sunt sed idola quaedam et deterioris animae partes quam *κακεργάτιν* [idest malefactorem] Atheniensis Xenus vocat, et has igitur nobis considerandum utrum insusceptivae malitiae aut etiam in iis aliter malum.

66. — Si quidem itaque deteriores sint anima hominum — dico autem eo quod in nobis idolo — malum ipsis *τὸ* non secundum naturam agere non enim utique natura transmutata semper per bene et male in illis eodem modo erit *τὸ* bene si neque *τὸ* male. Si autem animae alterius essent eius quae ante ipsas qualis utique et nostrae palam quod necesse ea quae sursum anima deteriusque et melius valente et idolum |
224 ferri quandoque quidem coassequens ad id quod sursum quandoque autem in generationem et materiae locum; irrationalitate quidem enim ad rationem dependente *τὸ* deterius in dissidere ad rationem non suscipiente inde lumen et *τὸ* immensuratum ipsius curante eo quod inde metro, etenim erat hoc non potentia ipsius sed debilitas et defectus potentiae: etenim ad melius duci et ad boni participationem quod suscipere natum est unumquodque, eius autem quod secundum ipsam malum sed in peccare a conveniente virtute.

67. — Etenim delectationes et tristitiae iis quidem metro fiunt et usque ad necessitatem, aliis autem sui ipsarum indeterminatio coassequentibus immensurate.

68. — *Et quod virtutis autem non idem in omnibus, sed hic quidem eam quae equi possidens virtutem habet τὸ bene suae naturae, hic autem leonis hic autem alterius animalis et omnes in bono species eae quidem magis eae autem minus. Si autem hic quidem vulpis pro leone fiat elatum et virile naturae laxans, hic autem pro pugnante formidolosus, alius autem aliam vitae speciem variet eamque secundum naturam, ipsis conveniente virtute sublata et malum in iis enunciat,* omni enim *τὸ* secundum naturam agere non est.

69. — Aut ad melius natura ipsorum aut ad deterius necesse est translationem fieri; ad melius quidem igitur et iis ascensus quando in ipsis operatio aliqua elucescit rationi conformis, anima tali praesente sortiente daemone veluti inspirante talem potentiam; ad deterius rursum quando propter malitiam corporis aut alimentum non conveniens quae secundum naturam operatio obtenta contrario habitu ipsis repletam | enunciat animam. 225

70. — *Totaliter autem omne per generationem progrediens in imperfecto nascitur et in tempore perfectum ipsi,* perficitur autem appositione cuiusdam: quod enim uniuscuiusque finis bonum. Imperfectum autem unumquodque dupliciter: aut in non operari (aut) habitus privatione; quod quidem igitur operatione solum deficit est melius ea quae secundum naturam virtute et in eo quod ante naturam habet habitum perfectum; quod autem ex naturalibus virtutibus perfici aptum natum simul cum imperfecto naturae et habitu isto privatum est, hoc autem malum est habitus qui in virtute privatio qua utique praesente et perverti subiectam naturam et totum contrarium fieri ad suam naturam possibile. Si autem et moribus haec quidem meliora fiant haec autem peiora quid mirum et ex iis ipsis advenire mali naturam? Puta: si quid quidem natura superbum assuescat quis humile esse, hoc autem ad feralitatem difficiliorem evocet, hoc autem aliter et aliter ab ea quae secundum naturam virtute abducat. Omnia enim virtutem habent eam quae ipsorum, sed iis quidem et consuetudo facit ad hanc iis autem fit impedimentum eius quae secundum naturam viae et alicubi quidem natura praevalens nocumentum quod ex illa minorat, alicubi autem ipsa patiens et velut extra se ipsam facta ad iter assuefactionis ducitur.

71. — Ipsam itaque naturam iam nobis considerandum et quibuscumque esse omne et existentia haec utrum et in hac malum aut non et propter quam causam. *Omnis quidem itaque naturam* aut si qua alia corporis aeterni natura est, *neque dicimus neque aestimamus a sui ipsius habitu exire | aliquando,* manentem autem quod 226
equidem est ducere corpus secundum naturam — quod enim aliud naturae opus quam salvare id in quo et continere semper? hoc autem in causis omnibus. — Hanc autem quae in parte per singula obtinentem quidem subiectam materiam recte et prudenter paedagizare, obtentam autem veluti partialem et rationibus talibus utentem totum contrarium agere quam nata sit.

72. — *Toti quidem enim naturae praeter naturam nihil — omnes enim rationes ab ipsa — ei autem quae per singula hoc quidem secundum naturam erit, hoc autem non secundum naturam, alii enim aliud praeter naturam:* hominis quidem enim naturae leonis species haec generatur praeter naturam, quia neque erat intus quae huius ratio neque rursum aliarum specierum sed hominis solum, ei autem quae aliorum alia et in omnibus similiter quorum rationes secundum speciem alterae. Huius igitur naturae obtineri et praeter naturam agere, sed non totius neque aeternorum alicuius.

73. — Materia enim subiecta non aeternis saepe quidem iis quae ex natura vinculis obtenta, sui ipsius tenebras et informitatem decorat

et velut illuminat et alienum induit ornatum et etiam in totis sic occultatur turpitudo ipsius; quare, et si est a principio non omnibus fieri notum neque iis qui multa secretorum naturae elucidaverunt.

74. — Ea autem quae in parte natura impotens et propter defectum potentiae substantialis — est enim velut radius totius et impressio et ratio partita inde et in corpus defluxa neque pura manere potens — et rursum propter contrariorum undique ipsam circumdantium potentiam — multa enim quae extrinsecus et aliena ad mortalem naturam — hanc igitur, diximus debilitatem obtinens et sui ipsius turpitudinem
227 superducens defalcat quidem opera | tiones ipsius quod autem ab ipsa lumen tenebrosum sui ipsius informitate ponit: etenim quod turpe naturae, ratione non obtinente passio est et inordinatum, ordine impotente; obtinetur autem ratio a deteriori, ipsa irrationabilis facta.

75. — Si igitur *τὸ* non impeditum et in hac operante ostendit, habebimus utique omnia secundum naturam et nusquam malum in iis. *Si autem alius quidem huius finis et quae secundum naturam via aliud autem quod praeter hoc et naturae impedimentum* et ratio quidem una, quae autem praeter ipsam infinita, *quid utique aliud dicemus quam hanc esse naturae malitiam?* Cui quidem enim speculatio bonum, huius privatio malum, cui autem quae in aliud factio et quae secundum rationem operatio non vincere rationem neque in finem pertingere operationem victam a deteriori, malum.

76. — *Corporum autem malitiam ponendum si quae super ipsis species non sit invincibilis a deteriori: etenim turpitudo quae corporalis est victa ratione et aegritudo, ordine soluto;* quoniam et pulchritudo quando vincit species velut flos speciebus superinsidens quod autem sanitatis quando qui secundum naturam ordo inconcussus fuerit. Et haec sicut in natura dicta sunt usque ad materialia corpora et singularia entia sed non usque ad ea quae ut tota, sed non usque ad ea quae extra materiam audiendum: ubi enim *τὸ* turpe ex ipsa materia quam *τὸ* turpe ipsum et ultimam naturam ut immensuratam et impulchram et claritatem neque debilem habentem vocare consuevimus? Ubi autem inordinatio et *τὸ* praeter naturam in iis quae semper secundum naturam, quae utique obtinente semper natura habent *τὸ* eodem modo in *τῷ* bene?

77. — Singularia quidem igitur corporum quae in materia, omnimodas sustinentia transmutationes quandoque quidem | habent ordinem et
228 bonum quandoque autem contraria obtinentia naturam ipsorum, quae autem non singularia quae et ut tota manere semper et mundum complere necesse, habent semper ordinem vincentem inordinationem. Eorum autem quae extra materiam haec quidem semper secundum naturam eadem et operationibus similiter habentia et ab omni mortali difficultate pura, haec autem ipsa esse quidem et natura eadem ad deterius autem et melius ducta operationibus autem qualia utique et animarum humanarum organa quod quidem substantiale utique secundum naturam habentia quod autem vitae alias aliud et quandoque quidem in sui ipsorum pulchritudine et ea quae secundum naturam operatione et in eo qui secundum naturam loco manentia, quandoque autem in alienam regionem dispersa et delata praeter naturam et turpitudinem materiae insinuantia. Animae enim organum unumquodque potentis aspicere ad utrumque, assequitur igitur illi et illius impetibus et delatum omniquaque omnimodos sustinet motus et assimilatum impetibus animae.

78. — Dictum est autem et de corporea natura et quod malum in hac et quomodo aliud in alia. Singularium quidem enim haec quidem in materia et substantia malum habent et infinita secundum numerum, haec autem extra materiam finita quidem sunt numero et substantiae ipsorum neque est malum operationibus autem et transmutationibus vitae apparet contrariis. Eorum autem quae ut totorum hoc quidem in ordine solum inordinatione non ente, hoc autem est in ordine victa semper inordinatione: omnis enim totalitas est ordinis vincentis semper et *τὸ* eodem modo. Propter ordinem
quem | et omne fluctuose et ordinate motum 229
quodcumque est hoc non solum materialibus corporibus, sed et aeternis supponi dicimus; aliter *τὸ* inordinatum illis et non eodem modo dicimus.

79. — Hic quidem enim *τὸ* inordinatum propter materiam et propter speciei ad informe mixturam, ibi autem non ut speciei expers sed ut vitae *τὸ* inordinatum, etenim subiectum ratio et species; quare, ibi quidem et quod quasi inordinatum ordo, sed ordo hic ad eum qui desuper ornatum inordinatus, in generatione autem *τὸ* inordinatum in materia propter irrationale et obscurum et indeterminatum ipsius naturae: non enim accidit ipsi *τὸ* inordinatum neque ad aliud tale dicitur, nondum enim ultimum quod ad aliud tale, sed *αὐτὸ* immensuratio et *αὐτὸ* indeterminatio et *αὐτὸ* tenebra est *τὸ* materiae inordinatum.

80. — Sed bene, quia antequam ad ipsam considerandam consideratione feramur, materiam nobis in medium sermo ipse produxit, dicendum et de hac sive est malum sive etiam non: accidisse enim ipsi malum nullatenus possibile quia secundum se *ἄποιος* [idest sine qualitate] et informis est et subiectum sed non in subiecto et simplex sed non aliud in alio.

81. — Si autem est totaliter malum, *sicut aiunt quidam,* secundum substantiam est malum quod et dicunt illi materiam *τὸ* prime malum et quod oderunt dii facientes. Quid enim aliud est malum quam immensuratio et indeterminatio et omnia quaecumque boni privationes? Bonum enim metrum est omnium et terminus et finis et perfectio, quare malum immensuratio et *αὐτὸ* infinitum et imperfectum et indeterminatum; haec autem omnia in materia prime non alia entia praeter illam sed illa est quod

est ipsius esse. Malum | ergo τὸ prime et mali
230 natura materia et omnium ultimum.

82. — Si autem et bonum est duplex hoc quidem αὐτὸ bonum et nihil aliud quam bonum hoc autem in alio et bonum quoddam et non prime bonum, erit et malum duplex hoc quidem velut αὐτὸ et prime malum et nihil aliud quam malum hoc autem in alio et malum quoddam et propter illud malum et illius transumptione aut assimilatione malum. Et sicut bonum primum sic et αὐτὸ malum ultimum entium — neque enim bono melius neque malo deterius esse possibile nihil: etenim alia omnia propter haec meliora et deteriora dicimus — ultimum autem entium materia: omnia enim alia facere aut pati nata sunt haec autem neutrum virtutem amborum privata; ergo αὐτὸ malum et τὸ prime malum materia.

83. — Si autem in corporibus τὸ praeter naturam materia vincente sicut dictum est, et in animabus malum et debilitas per casum in materiam et per inebriari ea quae circa ipsam indeterminatione assimilatas ad ipsam; quid hanc dimittentes aliam malorum causam quaerimus principium et fontem horum subsistentiae?

84. — *Sed si malum materia — iterum enim ad altera transeundum — necesse alterum duorum*
231 *aut bonum | mali causam facere aut duo entium principia.* Omne quidem enim qualitercumque subsistens necesse aut principium esse totorum aut a principio; materiam autem ex principio quidem entem a bono et ipsam habere in esse progressum, principium autem entem duo entium nobis subiicere principia oppugnantia invicem quod prime bonum et quod prime malum, *sed impossibile: neque enim duo prima.* Unde enim totaliter, monade non ente? *Si enim utrumque duorum unum oportet ante ambo esse τὸ unum* quo haec ambo unum et unum principium, neque ex bono malum: sicut enim bonorum causa maiori modo bonum, sic utique et mali generativum maiori modo utique erit malum et *neque bonum adhuc sui ipsius naturam habebit mali producens principium. Si autem utique genitum assimilari amat ad generans et ipsum utique malum bonum erit bonificatum propter transumptionem causae ipsius, quare bonum quidem erit malum ut mali causa, malum autem bonum ut ex bono productum.*

85. — *Si autem et necessarium materia ad omne et non utique esset mundus omnimode magnus iste et felix deus materia absente, quomodo adhuc mali naturam ad hanc reducendum? Aliud enim*
232 *τὸ malum et τὸ necessarium | aliud* et hoc quidem est tale sine quo esse impossibile hoc autem ipsius esse privatio. *Si igitur et ad conditurum simul omnis mundi sui ipsius exhibet opportunitatem et producta est primitus susceptaculum generationis futura et velut nutrix et mater quomodo utique adhuc dicetur malum* et τὸ prime malum? Si autem et immensurationem ipsam et τὸ infinitum et unumquodque talium multipliciter dicimus — etenim ut oppugnans metro et ut absentiam illius et ablationem, et ut subiectam ipsi et velut indigentem mensura et termino materiam — materia autem oppugnare quidem non est nata neque facere totaliter nihil cui neque pati est secundum naturam propter defectum virtutis patiendi; sublatio autem non est mensurae et finis — non enim est idem privationi quia praesentibus illis privatio quidem non est materia, autem et est et suscipit ipsarum ἔμφασιν — necesse itaque τὸ infinitum ipsius et immensuratum esse indigens metro et fine. Indigens autem iis quomodo ipsis contrarium erit? *Quomodo autem adhuc malum bono indigens? Fugit enim boni naturam malum* et totaliter contrarium omne contrarium habitum. Si autem expetit et concipit generationem et ut ait ille nutrit, malum autem nullum ab ipsa matre ente iis quae ex ipsa magis autem in ipsa genitis.

86. — Si autem et animabus debilitas et casus non propter materiam — quoniam ante corpora et materiam erant — haec et praeerat iis ipsis aliqualiter animabus materiae malorum causa, aut unde in assequentibus Iovi tollere quidem ad eum qui extra locum aurigae caput et impotentes occumbere, et velut hebetatas ad aspectum illum aversas fieri oculis?

Qualiter autem et in illis entis | oblivio et 233
συντυχία [idest confortunatio] et exorbitatio? Exorbitat enim malitiae equus participans ad terram repensque et gravans, materia non ente. Quando enim in terram ceciderit tunc et materiae communicatio et quae hic tenebra, ibi autem et ante haec debilitas et oblivio et malum: non enim discederemus non debilitati quoniam et distantes adhuc affectamus entis speculationem. Si igitur debilitari quidem et ante poculum existit in materia autem fieri et ad materiam venire post eam quae inde fugam, non adhuc propter materiam debilitas et totaliter mala animabus. Etenim quid utique aget in alia non potens facere? Quomodo autem rursum habebit facere τὸ ἄποιον secundum se?

87. — *Verum autem et adducit ad se ipsam materia animas aut a se ipsis illae ducuntur et separatae fiunt potentia et impotentia sui ipsarum: si quidem itaque a se ipsis ducuntur hoc erat ipsis malum qui ad deterius impetus et appetitus sed non materia* — omnis enim fuga melioris malum et multo magis quae ad deterius — et propter debilitatem patiuntur quae oportet tales pati male eligentes; si autem a materia adducuntur, ubi est τὸ αὐτὸ mobile et animae electiones si attractionibus animae velut adductivo quodam generationis causam permittemus? *Aut qualiter earum quae in materia generatarum animarum hae quidem ad intellectum adspiciunt et bonum* hae autem ad generationem et materiam si omnes ducit ad se ipsam materia et molestat et vim infert ibi entibus? Hoc quidem et ista ratio dicet et coget non quod non malum sed et bonum materiam ostendi contrario illi modo tempestans.

88. — *Videbitur autem utique et ipse Plato | velut trahi ad ambas rationes:* in Timaeo quidem 234
enim matrem et nutricem ipsam generationis

vocans et concausam mundi conditurae dicere omni manifestus est, tamquam bonum ipsam ponens totum quidem mundum felicem deum nominans, materiam autem mundi particulam; in sermonibus autem Eleatis Xeni causam inordinationis universi in subiectam naturam remittit a componente quidem omnia bona habere mundum dicens, ab eo autem qui anterius habitu, contraria horum in ipso generationem habere; in Philebo autem et materiam ipsam et omnem infiniti naturam ex uno producens et totaliter aut distantiam finis et infiniti divinam causam ponens ἔνθεον [idest divinam] ipsam et bonum propter Dei transumptionem et eam quae a Deo generationem esse concedet et nusquam malum, malorum autem alias quasdam ait oportere quaerere causas et nullam ut in aliis dictum est.

89. — Ne forte igitur inordinatio et malum non propter fluctuose et inordinate motum — hoc enim est quod corporeum quod ait Eleates Xenus — inordinationis causam ultimis universi
235 neque materia esse potente: | motus enim circa ipsum, materia immobili ente secundum se; neque ἄποιον [idest non quale] corpus τὸ prime compositum: visibile enim est ut ait Timaeus, quod autem ἄποιον non visibile, sed cum emphasi specierum omnium et velut confusione, quod et in moveri facit τὸ inordinatum: vestigia enim differentium specierum ad aliam et aliam lationem ducentia fluctuosum totum motum manifestant. Hoc igitur est qui anterius habitus: non enim potens obtineri speciebus inornatum se ipsum ostendit et impulchrum. Et in totis quidem obtinet, in iis autem quae in parte propter debilitatem ratio a contraria ipsi natura victa ducitur ad malum et velut irrationatur a deteriori obtenta. Qualiter quidem igitur τὸ praeter naturam in corporibus ingreditur paulo post erit manifestum; quod autem non ex materia malum neque corporibus ex iis palam: non enim est materiaque et quod fluctuose movetur idem.

90. — Sed et quod materiam non prime malum ponendum, sufficienter, ut existimo, ostendit qui in Philebo Socrates ex Deo infinitatem generans. Si autem et ex se infinitum materiam
236 dicendum ex Deo | materia sive τὸ prime infinitum. Substantialem enim infinitatem ex una causa dependentem divinitus exgenerari dicendum et maxime eam quae cum fine facere mixturam non potentem: etenim subsistentiae ipsorum et mixtionis Deus causa, haec quidem igitur et corporis qua corpus naturam in unam causam ducere scilicet Deum, ipse enim est qui mixtum genuit. Neque ergo corpus malum neque materia haec enim sunt Dei γεννήματα hoc quidem ut mixtura haec autem ut infinitum. Quid enim τὸ infinitum et super materiam ordinatum significat alicubi et ipse dicens in illis: igitur quae quidem generantur et ex quibus fiunt omnia tria genera exhibuerunt nobis. Quod ergo corpus: etenim hoc unum omnium quoniam mixtum et hoc, et hoc quidem finis in ipso et ratio, hoc autem infinitum dupliciter inde erit et secundum totum et secundum partes. Quid enim aliud in ipso infinitum quam materia? Quid autem finis quam species? Quid autem quod ex iis quam σύνολον [idest simul totum]? Si igitur et ipsa quae generantur omnia et ex quibus fiunt mixtum est et finis et infinitum quod autem etiam omnia haec condit aliud et quartum, ut ait ille, neque utique materiam, neque utique speciem neque utique mixtum aliunde quam ex Deo mixtum producimus dicemus. Quid autem inde genitum erit malum? Neque enim caliditatis infrigidare neque boni mala producere; neque ergo materia, neque corpus malum dicendum. |

91. — Forsitan igitur et aliquis nos utique 237
interrogabit quid utique et ipsi de materia dicemus et utrum bonum ipsam aut malum esse ponimus et qualiter utrumque. Sit itaque nostra et haec sententia: neque ergo bonum esse materiam neque malum.

92. — Sive enim bonum finis erit et non ultimum omnium, et cuius gratia et desiderabile: omne enim bonum tale, quoniam τὸ prime bonum finis et cuius gratia omnia et desiderabile omnibus entibus. Sive rursum malum, Deus erit et principium entium aliud dissidens ad bonorum causam et erunt duo fontes fabulati influere ex contrario, bonorum quidem alius malorum autem alius, neque erit ipsis diis vita innocua neque extra mortalem difficultatem et quibus est aliquid difficulter tolerabile et alienum et velut molestans.

93. — Si autem non est utrumque quid utique erit secundum ipsam? aut hoc quod saepe dictum est τὸ necessarium de ipsa dicendum. Est enim alia quidem boni natura, alia autem mali et haec quidem enim ens illi contraria, tertia autem alia neque bonum simpliciter ens neque malum, sed necessarium: malum quidem enim abducit a bono et fugit illius naturam, quod autem necessarium boni gratia omne est quod est et ad ipsum relationem habet et propter illud qualemcumque generationem habuit. Si itaque generatio gratia huius, aliud autem ipsius gratia nullum ut utique et finem ipsum et bonum dicemus, *necessarium utique ad generationem ipsam et non malum | dicendum et* 238
factum esse divinitus tamquam necessarium et esse necessarium speciebus in se ipsis firmari non potentibus.

94. — Non enim solum bona et a se ipsis talia generare oportebat bonorum omnium causam, sed et naturam illam quae non est quidem simpliciter et a seipsa bonum, appetit autem bonum quod et appetens dat aliis generationem ad esse et qualitercumque ab ipsa: nam indigens ipsa bonorum confert ad sensibilium conditurum, quoniam et τὸ ens non entia solum, sed et desiderantia participationem ipsius esse instituit quibus τὸ esse est secundum entis desiderium.

95. — Aliud igitur prime desiderabile aliud quod desiderat illud et in hoc bonum habens;

intermedium aliud omne quod iis quidem desiderabile est, haec autem desiderat videlicet quae ante ipsum et quorum gratia est. Materiam quidem igitur ipsam in ratione hac considerantes, utique inveniemus quod neque bonum neque malum sed necessarium solum; et ut quidem boni gratia genita bonum, simpliciter autem non bonum, et ut quidem ultimum entium si quidem plurimum distans a bono malum, malum, simpliciter autem non malum sed, sicut dictum est, necessarium; totaliter autem malum ipsum secundum se facere, non verum: non enim est non mixtum malum neque prime malum.

96. — Si enim bono omni malum contrarium erat, oportebat bono ante id quod in alio et secundum se et prime ens, et malum esse duplex: hoc quidem ipsum, hoc autem in alio. Si autem illis est bonorum contrarium malum quibus τὸ esse in alio, multo utique magis et τὸ malum in alio, secundum se autem non est: neque enim τὸ bonum cui malum contrarium sed in alio et non separatim. Etenim quid utique erit prime bono non quia malum, sed et aliud quod-
239 cumque | entium contrarium? Omnia enim entia propter illud et illius gratia sunt, contrarium autem esse propter contrariam naturam impossibile, sed ipsum hoc contrarium non esse: corrumpuntur enim ab invicem contraria et totaliter omnia contraria ex uno prodierunt vertice et genere. Prime autem boni genus quid utique erit? Quid enim ultra naturam boni? Quid autem utique entium illi fiet homogeneum? Oportet enim utique alterum aliquid esse circa ambo cuius pars utique erit aliquid illorum et non utique adhuc bonum principium entium sed illud utique erit commune ambobus. Nihil ergo contrarium prime bono sed neque participatis omnibus, sed quibus non eodem modo participatio; dictum est autem et prius de iis. Sed materiam quidem hic relinquendum.

97. — Ad privationem autem rursum transeundum quoniam et hanc malum quidam dicunt et bono penitus contrariam: materiam quidem enim specie praesente sufficere, privationem autem *nusquam adhuc esse, malificam entem semper et speciebus contrariam* et hanc quidem appetere bonum et expetere et transumere, hanc autem fugere bonum et *corruptionis factivam esse* et totaliter malum.

98. — Sed, si prime quidem bonum prime enti idem erat et simul bonum et ens et una natura, oportebat et prime malum esse privationem τὸ non ens entem secundum se et contrarium ad ens. Si autem bonum alterum ab ente et non idem esse utrumque, et malum a privatione alterum. Et ut neque bonum ens, sed supra ens, neque τὸ ens ipsum secundum se, sed submissio boni et elucescentia prima et velut illius splendor, sic utique et privatio simpliciter, quoniam et privatione praesente nondum malum, et facta mali natura abscessit — *dico autem velut aegritudo in corpore, inordi-*
240 *natione quidem praesente, sed | non omni: omnis enim ordinis privatio simul subiectumque perimit et quod in ipso malum.* Et nondum genitum [non] privatio quidem est, malum autem non est: ignis enim et aqua et alia secundum se eius quod ex ipsis non entis, horum autem nondum malum.

99. — Totaliter autem, inordinationem et immensuratum, sicut dictum est, sumendum aliter quidem absentiam illorum — mensurae dico et ordinis — aliter autem contrariam ad ipsa naturam: haec quidem enim adversantur ordini et mensurae, haec autem ablatio est illorum solum et nihil nisi negatio magis quam illa; praesentia quidem enim sunt quae sunt, absentia autem sui ipsorum relinquunt privationes. Si igitur malum quidem contrarium bono et dissidet ad ipsum privatio autem neque oppugnat sui ipsius habitui neque facere aliquid nata est cuius et esse tale debile omnino et non mansivum, *ut illorum sermo*, quomodo utique adhuc τὸ malificum ad ipsam reducemus a qua remotum est omne facere? Species enim est hoc et potentia, haec autem informis et debilis sed non potentia magis autem absentia potentiae.

100. — In quibus quidem entium malum est et non est, ab his palam.

101. — Quoniam autem aliter quidem est in animabus aliter autem in corporibus, quis ordo ipsorum sumendum et unde incipit et usque quo submissio: utrum enim quod in animabus malum eo quod in corporibus maius? aut hoc quidem malorum ultimum, illud autem debilius malum?

102. — Quod autem in anima hoc quidem usque ad operationem solum hoc autem obtinet et potentiarum iis quidem varias fractiones, iis autem quietationem induxit, ut qui illius sermo. Si igitur aliud quidem operationis solum impedimentum aliud autem et usque ad potentiam, aliud autem et substantiae ipsius corruptivum, haec quidem divinarum animarum est passio generationem attingentium, haec autem debilior est quae ex intel | lectu claritatem superducen- 241
tium, hoc autem ipsorum iam corporum; hoc quidem erit videlicet apparens malum, hoc autem enter malum quod esse defalcat et naturam eius in quo est, hoc autem intermedium horum quod potentiis malum existens, nihil in substantiam natum est facere.

103. — Totaliter enim quod maiora potest laedere maius malum; substantia autem ultra potentiam et potentia ultra operationem, et quod quidem substantiae corruptivum potentiamque simul et operationem dissipat, quod autem potentiae, operationem — neque ergo substantia cum iis, neque potentia post operationis cessationem perimi potente — aut quod quidem usque ad operationem, privatio et non contrarium, quod autem potentiae substantiae contrarium.

104. — Maiori autem bono maius malum contrarium, quare maius quod in animabus quam in corporibus malum, non omnibus sed quibuscumque potentia pati nata est. Quibuscumque autem operatio solum minus malum et absentia totius perfectionis et submissio so-

lum: hoc quidem enim virtuti contrarium, hoc autem bonis corporis; et hoc quidem ei quod secundum intellectum, hoc autem ei quod secundum naturam. Quanto itaque intellectus quam natura et quod secundum intellectum eo quod secundum naturam melius, tanto utique et quod praeter intellectum eo quod praeter naturam ultra ad malum. Si autem hoc quidem substantiae est corruptivum hoc autem potentiae solum, mirabile: quando enim eiusdem hoc quidem substantiam hoc autem potentiam corrumpit tunc maiori modo malum substantiae corruptivum; quando autem alterius et aliam non inconveniens potentiae corruptivum longius a natura boni ens excedere in malo; puta, si alterius potentia melior quam substantia qua quidem utique et animae potentiae dicuntur corpoream substantiam et generare et salvare.

105. — Hoc ergo et qui in Politia Socrates
242 om | nino dirum malitiam nominat et non utique talem esse ait si mortale erat. Celeriter enim utique in non esse deduceret habentes ipsam animas; melius autem non esse quam male esse: hoc quidem enim est entis hoc autem boni privatio, quod et corporeum malum non otiosius enunciat ea quae in animabus nequitia; hoc quidem enim intensum in non esse consummat, hoc autem in male esse.

106. — Si itaque haec recte dicimus, non utique erit prime malum materia et secundum hanc, ut dictum est, rationem: propinquius enim corpus quam materia animarum, minori malitia repletum, sed neque a bono remotius bonum magis, neque mali magis transumens minus malum, sed est in animabus quidem malum magis, in corporibus autem minus quoniam et animarum alius ordo et corporum alius. Etenim animarum eae quidem sursum omnino purae — iis autem ad malum operationis privatio — eae autem et usque ad potentias suscipientes malitiam; et corporum hae quidem semper in ordine, hae autem quibus operatio et potentia alias aliter, hae autem quibus substantia malum suscipit utique. Quae quidem ordinis talia.

107. — Consequens autem utique erit speculari malum ipsum secundum se, quidque est et quam habet naturam; ante hoc autem causas malorum *sive et horum est aliqua omnium una et eadem causa sive non.* Etenim hoc ii quidem aiunt ii autem non, et ii quidem fontem malorum dicentes ab hoc producunt omne qualitercumque malum, ii autem et animarum *κακεργέτες* [idest malae operationis] principium ponentes naturae mali hinc mala generari aiunt, ii autem intermedie horum in intellectuali natura species malorum relinquentes inde sicut alia omnia et
243 mala progressum habere confiten | tur. Horum autem ii quidem *ex aliis suppositionibus* concludunt sermones, ii autem *et Platonem faciunt suorum dogmatum patrem:* ii quidem omnium ideas intellectuales ponentes et eum qui in Theaeteto Socratem attestantes exemplaria duplicia hoc quidem *ἔνθεον* [idest divinum] hoc autem *ἄθεον* [idest sine Deo] facientem, ii autem Atheniensem Xenum duo genera animae hoc quidem benefaciens, hoc autem contrarium huic relinquentem et omne quidem ab altera solum, mortalem autem locum ab ambabus gubernari dicentem.

108. — Etenim totaliter, si unam causam malorum ponendum divinam ipsam aut intellectualem aut animalem existimare oportet. Dii enim et intellectus et animae causae ordinem acceperunt alii autem haec quidem organa ipsorum haec autem idola quaedam et imagines in alio factae.

109. — *Ad dicentes* quidem igitur fontem malorum sufficiunt prius dicta: dii enim omnes et fontes omnes bonorum causae, mali autem nullius neque sunt neque fient unquam. Si enim, sicut dictum est prius et qui in Phaedro Socrates vult, divinum omne bonum pulchrum sapiens, aut praeter naturam ipsius faciet malorum generationem ingenians, aut omne subsistens inde erit boniforme et *ἔκγονον* eius quae in ipso manentis bonitatis.

110. — Sed neque ignis, *aiunt*, infrigidare neque boni malum a seipso producere; duorum igitur alterum aut neque esse malum dicendum malum si deitus, aut et esse et non deitus esse. Ostensum est autem prius quod est alia ergo malorum causa et non Deus, ut alicubi et Plato docet, *bonis quidem omnibus ex una causa progressum supponens, malorum autem generationem ad alias causas et non ad divinam reducens* — omne enim inde subsistens | bonum, totum igitur 244
bonum — et quod velut cordiale bonitatis lumen in diis: aliud autem lumen omne ex lumine et claritas et potentia et pars potentiae illius; sed illi beati et entes felices a *diis etiam mala ordinari dicentes et mensurari et infinitum ipsorum et tenebrosum determinari* secundum quod utique et haec partem boni suscipiunt et ad esse sortiuntur potentia et haec ornantem et ordinantem causam appellaverunt fontem malorum non ut matrem generativam ipsorum — non enim erit fas primam entium causam generationis malorum principium esse — sed ut finem ipsis et terminum adiacentem et τὸ obscurum ipsorum illustrantem sui ipsius lumine.

111. — Etenim malum infinitum quidem ex partialibus causis existit, finis autem ex totis, propter quod et illis quidem est malum quod est, totis autem non malum: non enim secundum potentiam ipsis existit τὸ infinitum ut utique et infinito tueri sui ipsorum bonam naturam transumerent, sed propter defectum potentiae; roborantur autem aliqualiter bono participatione finis.

112. — *Illi quidem igitur talia meditantes* neque malorum generationem inordinatam esse persuasi Deum et ordinis horum causam fecerunt. Videntur autem mihi *et non barbari solum, sed et Graecorum summi omnium* in diis cognitionem relinquentes malorumque et bonorum, bonis quidem per se ex diis dare generationem, malis autem secundum quod boni partem acceperunt et haec et potentiam ad esse ad finem.

113. — Non enim sine mixtura malum τὸ malum, sicut dictum est saepe, sed sic quidem
245 malum sic autem bonum et ut quidem bonum ex diis ut autem malum ex alia causa impotente: omne enim malum propter impotentiam generatur et defectum, quoniam et bonum ex potentia et in potentia hypostasin accepit, ipsius enim potentia et in ipso.

114. — Etenim, si quidem sine mixtura malum esset τὸ malum et solum malum ignotum utique esset diis bonis entibus et omnia bonificare potentibus quibuscumque esse ab ipsis, hoc autem est quorumcumque habent notitiam quoniam cognitiones ipsorum activae potentiae sunt et institutivae omnium quorum utique et esse dicuntur cognitiones. Quoniam autem simulque malum et aliter bonum et non hac quidem bonum hac autem malum, sed omne quod est bonum et magis bonum quia omne tale, neque in diis cognitionem neque inde ipsius generationem interimendum sed *cognoscunt dii malum qua bonum et faciunt. Eodem igitur modo et cognoscentes habent et apud ipsos causae malorum sunt potentiae bonificae horum naturae* velut si secundum species dicat quis potentias intellectuales specificas in formis naturae.

115. — Sed euge quia ad species et specierum ordinem sermo transivit — ne forte enim ex iis mala et malorum generationes aut unde τὸ indeficiens etiam iis? Omne enim semper ens ex immobili quadam causa procedit et determinata — si itaque malum aeternum mortalem naturam circumambiens *quid τὸ aeternum ipsius et unde*? Non enim ex alia causa dicimus quam a semper eodem modo habente et ab immobili natura, sed haec specierum natura et τὸ semper
246 ens bonum. | Et quid enim utique intellectu fiet non bonum? Si ergo bonum αὐτὸ unumquodque quod ad illa fit bonum: quod enim bono assimilatur bonum, malum autem assimilari bonis qua tale non est aptum natum. Et eum quidem qui intellectualibus speciebus assimilatur perfectum et felicem esse dicimus, malum autem totum contrarium miserum et infelicem nominamus. Non ergo malús qua malus assimilatur intellectui; hoc autem existente, neque utique *in intellectu exemplaria erunt malorum:* omnis enim imago exemplaris est imago.

116. — Si autem et Plato species quidem divinissima vocat entium — nam semper eodem modo se habere omnium divinissimis solis convenire ait Eleates Xenus — exemplar autem malorum ἄθεον et tenebrosum, sicut dictum est, quod ingenium talem naturam in illis supponentes inde producere malum?

117. — Si autem et conditor universi apud quem species omnes et specierum numerus velit non esse malum in omni et omnia quidem ipsi similia generare velit malum autem nihil, quomodo utique adhuc exemplar malorum? Habebit omnia quidem bonificans, nihil autem concedens esse frivolum: non enim iis quidem specierum condit et generat, iis autem sterilis est et inefficax, sed ipso esse producens omnibus impartibiliter operatur. Et igitur species mali generabit mala et neque quae vult faciet solum illa neque secundum naturam voluntas ipsi: simile enim ac si ignis calefaciens alia et exsiccans hoc quidem velit hoc autem non. Duorum igitur necesse alterum aut et velle
mala | et esse et fieri divinum intellectum si et 247
horum est secundum substantiam patiens, aut non volentem *neque generare ipsa neque producere neque habere rationes ipsorum quibus singula mundialium instituit.*

118. — *Sed ille quidem sermo neque iste per seipsum persuadere sufficiens quod sit verus,* ad contraria saepe transmutatus. Si autem aeternum dicentes malum et aeternaliter entium immobiles causas relinquentes, malum talem causam recusare dicimus, non mirum: nam aeternum illud dicimus quod secundum naturam habet in esse progressum sed non quod qualitercumque factum, quoniam et circumferri ipsum malis existere dicendum non secundum quod malum unumquodque, sed quia et haec ornat universi ordo et maximum coelum, genitis quidem aeternitatis postessentiam dans, iis autem quae recti motus periodorum circularium, inordinatis autem ordinis, indeterminatis vero termini malis autem bonitatis. *Omne igitur secundum naturam ens et semper ens ex causa determinata generatur, malum autem non secundum naturam neque enim quae claudicationis in natura ratio, neque inartificationis in arte.* Quomodo igitur et hic immobile principium quaerendum et quae in speciebus malorum ratio, omnibus quidem quaecumque secundum illas fiunt speciebus et finibus entibus, natura autem malorum infinita et indeterminata secundum se ipsam ente?

119. — *Tertio, igitur, animam speculandum si et hanc omnium malorum causabimus quam κακεργάτιν nominamus: utrum enim esse* | *ipsius et,* 248
sicut ignis calefacere, infrigidare autem nihil, et aliorum aliud opus, sic utique et huius mala generare et omnia quibuscumque vicinaverit malitia inficere, aut quod quidem naturae ipsius semper bonum, operationibus autem hoc quidem sic hoc autem non sic, aliter habet secundum eumdem ordinem alius aliam praeiaciens vitam.

120. — Si quidem igitur hac malefica dicatur non quod irrationalem animam sed et hac meliorem et a qua sit bonum maleficam dicendum: etenim huic transmutatio habitus existit ad melius et deterius. *Si autem, sicut quidam aiunt, essentia et per esse unde esse hoc ipsius aestimabimus? Ergo aliunde quam ex conditiva causa* et ex iis qui in mundo diis? Et quomodo enim non ex iis a quibus mortalis vitae species exoritur? *Sed si ex iis quomodo secundum substantiam malum? Bona enim omnia et quae horum ἔκγονα* et totaliter omne malum extra substantiam et non substantia: substantiae quidem enim contrarium nihil, malo autem contrarium est bonum; substantia quidem entis est imago, ens autem locatum est in bono et generat omnia secundum bonum et nihil inde malum.

121. — *Si autem κακεργάτιν nominat talem animam Atheniensis Xenus propter eam quae in potentiis ipsius et operationibus malitiam, neque hanc semper permanentem sed quod aliquando dictum est a me, et hac boniformi aliqualiter facta et operationes sui ipsius superiori animae coaptante, quid mirum?* Haec quidem enim se ipsam nata est salvare, haec autem inconvertibilis est ad
249 se ipsam et huic quidem mali | gnanti a se ipsa existit boniformi factae mensura et ratio, huic autem aliunde quoniam et corpori et omnibus ab altero mobilibus τὸ esse et τὸ bene esse propter aliud et velut extrinsecus. Inconveniens autem et in totum, ut est dicere, malorum causam facere talem animam: neque enim corpori omnium causa eorum quae in ipso malorum neque meliori animae. Etenim huic malum et debilitas propter ipsum quoniam et descendenti quidem ipsi cooritur mortalis species vitae, debilitas autem et ante sortiri generatione: non enim alia qui inde causa quam debilitate et per impotentem esse ad speculationem. Neque enim potentibus simul et volentibus nobis in intellectuali locari, fuga et inordinatio speculationis entis existit, neque potentibus totaliter per non velle neque videre quae in superiori loco: etenim distantes affectant quidem id quod sursum omnes, impotentes autem submersae concircumferuntur, ait ille. Relinquitur ergo quod debilitatis solum: namque animae oculi perseverare ad verum ipsum et eam quae ibi claritatem aspicientes, impotentes sunt; multo ergo prius in animabus malum et non ex secunda vita.

122. — Sed qualiter quidem in hac malum et quare κακεργάτιν vocavit ipsam Plato, dictum est ad praesentia sufficienter: nam immensuratum ipsius et indeterminatum contrariatur mensurae et terminis iis qui ex ratione et neque privata est solum ipsis neque desiderat adeptionem illorum. Si quis itaque ad hanc aspiciet, maleficam ipsam et contrariam rationi vocabit non
250 tamquam sortientem natura tali sed | tamquam et sic repentem et ad melius trahi a se ipsa potentem.

123. — Sed si non hae malorum causae quid utique nos ipsi generationis horum causam ponemus? *Unam quidem itaque secundum se malorum causam nullatenus ponendum. Si enim bonorum causa una, malorum multa et non unum;* si bona quidem omnia commensurata invicem et similia et amica, mala autem totum contrarium neque invicem neque bonis σύμμετρα. Si itaque similium quidem invicem unam causam praecedere, dissimilium autem multitudinem — quae enim *ex una causa omnia amica* sunt et *compatientia* et *appellantia* invicem, haec quidem magis haec autem minus sunt — multas et non unam malorum causam ponentibus, alias quidem animabus alias autem corporibus ex iis et in iis malum speculandum.

124. — Quod mihi videtur et qui in Politia Socrates insinuans quoniam divinam non causam negavit bonorum dicere, malorum autem alias quasdam oportet quaerere causas. Etenim ut multas has et indeterminatas et ut singulares per haec significat: qualis enim monas aut qualis terminus aut quae aeterna ratio malorum quibus τὸ esse per dissimilitudinem est et indeterminationem usque ad individua natura, totum autem ubique malitiae expers? Factivae quidem igitur malorum causae eae et tales quaedam sunt animae | et quaecumque specierum circa materiam: 251
eae quidem enim ducunt ipsas ad malum, eae autem invicem adversantes dant ei quod praeter naturam locum in generatione; quod enim alii secundum naturam, alii praeter naturam.

125. — Exemplum autem et horum, si vis, sit tibi ἄθεον illud et tenebrosum quod et in Theaeteto Socrates ostendit malitiae species ipsa mortalem naturam ex necessitate circumambiens: assimilatae enim animae entibus malis pro ea quae ad melius assimilatione transmutant horum vitam. Etenim bonorum quidem exemplaria anima aspicit ad se ipsam conversa, et quae se ipsa meliora apud quae quae prime bona et entium summitates in casto fundamento et ipsae separatim locatae; malorum autem rursum ad ea quae extra se ipsam respiciens et quae post se ipsam et quaecumque singularia et extra se ipsam inordinata et indeterminata et fluctuosa sui ipsorum natura quae et expertia bonorum et quibus nutritur animae oculus et rigatur et vivit sui ipsius vita. *Neque igitur factivae malorum rationes et potentiae sed impotentia et debilitas et similium commensurata communio et mixtio; neque rursum exemplaria immobilia quaedam et semper eodem modo habentia, sed infinita et indeterminata et in aliis delata et iis infinitis.*

126. — Quod autem cuius gratia omnium minime ponendum est in iis non enim utique |
congruet finem esse malorum bonum; sed quo- 252
niam animae omniquaque bonum venantes et huius gratia omnia facientes et mala agunt, *sic utique aliquis forte putabit et malorum finem esse bonum, huius ergo boni gratia omnia et quaecumque bona et quaecumque contraria.* Etenim haec ignorantia sui ipsorum naturae agimus bonum desiderantes et forte utique bene habebit neque faciens principale poni malorum, neque exemplar secundum naturam, neque quod cuius gratia secundum se. *Etenim species et natura ipsorum defectus est et indeterminatio et privatio et hypostaseos modus qui utique, ut dicere consueverunt, παρυποστάσει magis assimilatur; unde utique et involuntarium esse malum saepe dictum est.* Et quomodo utique voluntarium erit boni factum gratia, secundum se autem quod est neque desiderabile neque volitum ulli entium? Sed haec quidem aliis.

127. — Quod autem malum in animabus quidem propter debilitatem nascitur et propter deterioris victoriam — exorbitat enim equus malitia participans, ait ille, ad terram repens et gravans — *in corporibus autem propter dissimilium permixtionem* — speciei dico et informi — et iterum contrariarum rationum, per haec palam.

128. — Quis autem modus et qualiter sub-

sistit malum ex iis causisque et non causis entibus *consequenter nobis dicendum dictam παρυπόστασιν hic ponentibus: non enim est aliter*
253 *subsistere.* Quod enim ex principali | causa factum est qualitercumque neque indeterminatum finem et ad *τὸ* cuius gratia relationem habens neque secundum se eo qui in esse progressu sortiens, optime ipsum principaliter substans et quodcumque ex causa fieri secundum naturam: omni enim impossibile sine causa generationem habere et ad aliquem finem ordinem generationis ipsius referre. *Utrum igitur malum ponendum aut horum quibus esse secundum accidens et propter aliud et non ex principio proprio quoniam et agimus omnia* et secundum nos ipsos operamur *boni participationis gratia et ad illud respicientes et velut parientes ipsum et semper desiderantes*?

129. — *Et quod fit sic quidem recte sic autem non recte: quia quidem enim τὸ non bonum aestimamus non recte, quia autem bonum adipisci appetentes agimus recte,* et quia universale quidem recte particulare autem contrarium. *Aliud ergo quod desiderabile nobis et aliud quod fit et cuius adeptio,* et hoc quidem boni natura hoc autem contrarium illi.

130. — Igitur, generatione contrarii praesente, si contrarium et qualitercumque fiat, propter debilitatem facientis et propter incommensurationem ad id quod fit subsistere magis utique quam *παρυφίστασθαι* [idest iuxta subsistere] ei quod fit dicentes recte dicemus utique aut subsistere quidem eorum quae ex principio in finem progredientium erant, *παρυφίστασθαι* autem eorum quae neque ex principio secundum naturam
254 apparent neque in determinatum | aliud consummantium; malorum autem generationes neque principalem acceperunt eius quod est facere ipsa dictam causam — neque enim natura eius quod praeter naturam, neque ratio eorum quae praeter rationem fiunt, causa — neque in finem pertingunt et *τὸ* cuius gratia omne quod fit natum est; *παρυπόστασιν ergo talem generationem dicendum imperfectam et ἄσκοπον* [idest non intentam] et *non causatam* aliqualiter entem et *indeterminatam.*

131. — Neque enim causa ipsius una, neque quae et causa est secundum se et principaliter causa ad malum ipsum et mali naturam aspiciens facit, neque quae neque secundum se neque principaliter causa, totum autem contrarium: boni enim gratia omne quod fit, fit, malum autem extrinsecus et superadventitium; adeptio convenientis unicuique finis, inadeptio autem propter facientis debilitatem hoc autem quia naturam accepit talem qua hoc quidem deterius hoc autem melius et hoc diversum ab invicem. Ubi enim *τὸ* unum, simul et bonum, malum autem in natura divisa et non unum: incommensuratio enim et inharmonizatio et contrarietas in multitudine. Ex iis autem debilitas et *τὸ* indigens quoniam et in diis *τὸ* volatile simul et equorum utrumque, sed ibi quidem boni omnes et ex bonis et non ex contrariis, quae autem aliorum mixta sunt et multitudo hic et potentiarum diversitas ab aliis ad alia tractum facientibus. Ibi quidem igitur multitudo ad unum respicit et secundum unam speciem vitae determinata est, ubi autem multitudo et diversitas eluxit propter submissionem unionis indigentiaque potentiae hic; omnis enim potentia uno et ex uno est quod est, et inharmonizatio et dissidentia alterius ad aliud delati appetitibus.

132. — Qualiter quidem igitur habent malorum ge | nerationes dictum est et quae vocata *παρυπόστασις* 255 et unde.

133. — Ipsum autem malum quid quidem sit, iam dicendum.

134. — Videbitur autem utique omnium difficillimum esse nosse secundum se ipsam mali naturam si quidem omnis cognitio speciei est attactus et species, malum autem sine specie et velut privatio. Forsitan autem utique fiet et hoc manifestum si ad bonum ipsum et bonorum naturam aspicientes sic utique malum quid quidem sit speculabimur: ut enim *τὸ* prime bonum ultra omnia sic *malum ipsum omnium expers bonorum,* dico autem *qua* malum et *defectus* illorum et *privatio.*

135. — Bonum igitur quatenus et qualiter subsistit et quos habet ordines in aliis dictum est, malum autem si boni omnino est qua malum privatio, ut quidem malum est expers fontis bonorum, ut autem *infinitum* primi finis, ut autem *debilitas* eius quae ibi potentiae, ut autem *incommensuratio* et *falsum* et *turpitudo* pulchritudinis videlicet et veritatis et mensurae per quae et *τὸ* mixtum et in quibus entium unitates, ut autem *illocabile* ipsius natura et *instabile* manentis aeterni in uno et potentiae illius, ut autem privatio et *ἀζωΐα* [idest invitalitas] primae specierum monadis et eius quae ibi vitae; si autem et *corruptivum est et divisivum quibuscumque affuerit* et imperfectum perfectivae totorum bonitatis: nam corruptivum quidem ab ente ducit ad non ens, divisivum autem continuitatem et unionem entis perimit, imperfectum autem suam perfectionem excludit et dispositionem quae secundum naturam singulis. Adhuc igitur, *τὸ indeterminatum* quidem naturae mali defectus est et peccatum unialis summitatis, *τὸ ἄγονον* [idest infecundum] *γονίμης, τὸ otiosum* conditivae: exclusio enim et *debilitas* et indeterminatio | bonorum horum privatio 256 monadicae causae dico et generativae potentiae et efficacis factionis. Si autem et *dissimilitudinis* est et partitionis et inordinationis causa palam quod et sic ab assimilativis bonis deficere ipsum et ab impartibili Providentia partitorum et *ab* eo qui in partitis *ordine* necessarium. Si autem non usque ad haec bonum sed est immaculatum ibi genus et efficax et *μεγαλουργόν* [idest magna faciens] *inefficax* utique erit malum et *tenebrosum* et *materiale.*

136. — Aut unde ipsi horumque et talium unumquodque si non bonorum illorum privationibus? Ibi enim bona prime quorum et quod in nobis bonum pars et imago est cuius malum

privatio, quare et illorum quibus bonum assimilari dicimus. Et quid oportet dicere quando et quod in corporibus malum non eius quod in ipsis solum boni privatio sed et eius quod ante hoc enter in animabus est? Etenim quod in corporibus est bonum est animarum boni imago corrupta. Ergo et speciei privatio non alterius alicuius decidentia quam intellectualis utique erit potentiae quoniam et species est *ἔκγονον* intellectus et *τὸ* speciei factivum intellectuale utique secundum substantiam est.

137. — Sed quod quidem *malum omniquaque tale privatio* bonorum et *defectus,* dictum est.

138. — Unde autem ipsi secundum ipsius naturam enti tali, sicut diximus, quae ab bonum contrarietas, dicamus: est quidem enim et hoc privatio sed non perfecta privatio.

139. — Habitui igitur sui ipsius coexistens cuius est privatio, illum quidem debilem facit ipsius praesentia, *ipsum* autem *assumit potentiam et speciem ab illo,* unde utique et specierum quidem privationes perfectae entes privationes absentiae solum sunt habituum non adversantes ad ipsos, quae autem bonorum adversantur ad sui ipsorum habitus et contrariae sunt aliqualiter illis: non enim sunt impotentes omnino et inefficaces coexistentes illorum potentiis
257 et velut in speciem et | operationem ductae ab illis.

140. — Quod et Plato sciens iniustitiam ipsam secundum se et debilem et inactivam esse ait, iustitiae autem praesentia et potentiam habere et ad agere duci, non manentem in sui ipsius natura neque in *ἀζωΐᾳ* [idest vitae privatione] solum, quoniam et praeiaciens ipsum vitale ens dat et malo vitae participationem, vita autem omnis potentia secundum se, in potentia autem aliena factum malum contrarium est bono sui ipsius potentia ad adversari utens et magis quidem potentia inexistente maiores operationes et opera mali, minus autem, minores.

141. — Iam et in corporibus naturae potentiis simul et quae in ipsis desinit praeter naturam operatio, et haec eo quod praeter naturam tunc magis omni ente soluto omniquaque ordine, quare et in animabus maiora quidem a minori malitia minora autem a maiori opera. Solificata enim a contrario, secundum turpe quidem ipsius et informe augetur, secundum virtutem autem et operationem minorata debilis simul et inefficax est: non enim ab ipsa potentia ut utique et augmentata etiam potentia ad maius transitio esset, sed ex praesentia contrarii — puta si et caliditatis potentia utatur ad sui ipsius opus frigiditas vincens et subiiciens illius potentiam — deficiente igitur contraria natura et eo quod magis defectu ad privationem habet *τὸ* magis, ea autem quae virtutis submissione ad facere est debilior, malum quidem est magis agit autem minus.

142. — Si itaque haec recte dicimus *neque agere malum neque posse dicendum sed et agere ipsi et posse a contrario: etenim bonum debile et inefficax propter mixturam mali fit et malum virtute et operatione transortitur propter boni praesentiam* — in uno enim ambo — et sicut in corporibus materia fit contrarium contrario et *τὸ* secundum naturam fortificat *τὸ* praeter naturam. Aut unde ipsi mensura et periodi et ordo periodorum quam ex natu | ralibus nu- 258
meris et ex ea quae secundum naturam dispositione?

143. — Quod autem praeter naturam debilitat quod secundum naturam latitante natura ad facere et ordine in quo *τὸ* bene naturae soluto; sic, utique, et in animabus malum vincens bonum utitur illius potentia ad suum scilicet ea quae rationis et inventionibus ad concupiscentias et tradunt invicem ex sui ipsorum natura hoc quidem de potentia, hoc autem de debilitate quoniam et secundum se malum neque agere natum est neque posse: omnis enim potentia bonum, et omnis operatio extensio potentiae est.

144. — Et quomodo enim utique adhuc potentia esset ens malum ponentibus ipsam si omnis potentiae opus salvare ipsam et in quo est, malum autem dissipat unumquodque cuius est malum? Est ergo malum inefficax et impotens secundum se. *Si autem et involuntarium est, ut ait ille, et involitum erit utique et sic primissimae trinitatis boni privatio, voluntatis, potentiae et operationis: bonum quidem enim et volitum est et potens et efficax secundum ipsius naturam malum autem involitum et debile et inefficax.* Neque enim volitum ulli quod uniuscuiusque corruptivum, neque potentiae corrumpere potens ipsam, neque operationis *τὸ* non secundum potentiam habere hypostasin ipsius, sed sicut mala appetunt apparentia ipsis bona et est malum iis apparens volitum — propter mixturam boni talem dicimus — sic utique et potentia in malo et factio est apparenter quia non secundum se neque qua malum sed extrinsecus cui et *παρυφέστηκε* [idest iuxta existit] et ad quod dicitur malum.

145. — Hoc ergo mihi videtur et qui in Theaeteto Socrates ostendens potentibus aliqualiter assequi ipsi neque privationem neque contrarium bono malum dicere — neque enim privatio facere aliquid potens aut totaliter potens, neque contrarium quod secundum se neque potentiam neque operationem habet — sed sic aliqualiter subcontrarium ip | sum nomi- 259
nare quod secundum se quidem est privatio, quia autem non omnino perfecta est privatio sed simul cum habitu transumens de potentia inde et de operari in contrariationis partem constituitur et neque privatio est perfecta neque contrarium sed subcontrarium bono et parhypostasin aut veritate significante non otiose audire ipsum consuetis.

146. — Quid quidem igitur est malum et quam naturam accepit et qualiter est et unde per haec palam.

147. — Quot autem ipsius differentiae et quae post haec dicendum.

148. — Dictum est quidem igitur et prius quod malum aliud quidem est in animabus aliud autem in corporibus et quod in animabus dupliciter hoc quidem in irrationali specie vitae hoc autem in ratione factum. Dicitur autem et nunc quod tria haec sunt in quibus malum anima particularis et animae idolum et corpus singularium ens.

149. — Si igitur ei quidem quae sursum animae bonum secundum intellectum — ante ipsam enim intellectus — et irrationali secundum rationem — unicuique enim ex proxime meliori τὸ bene — corpori autem rursum τὸ secundum naturam — principium enim hoc motus et quietis ipsi — *necessarie utique malum huic quidem praeter intellectum* — ut τὸ secundum intellectum subcontrarium esse — *huic autem praeter rationem* — cui τὸ bene secundum rationem — *huic autem praeter naturam erat* et tres hae malorum species inexistentes tribus naturis debilitari potentibus propter submissionem in partiale substantiae. Tota quidem enim, sicut dictum est saepe, habent τὸ bonum quod ipsorum semper, malum autem hic dico autem in singularibus et individuis in quibus utique et potentiae defectus propter submissionem ipsius esse et divisionis additio unione attenuata.

150. — Totaliter autem malum aliud quidem quod in animabus aliud autem quod in corporibus, et horum quod in animabus duplex hoc quidem aegritudo hoc autem turpitudo ut alicubi
260 ait Eleates | Xenus; est autem turpitudo quidem ignorantia et intellectus privatio, aegritudo autem rursum dissidium in anima et eius quae secundum vitae rationem defectus.

151. — Tripliciter utique erit et sic malum, sed et horum unumquodque duplex: etenim turpitudo aliter quidem est circa διάνοιαν [idest ratiocinationem] alia autem circa opinionem — quoniam et cognitio altera — et alicubi quidem scientiae alicubi autem artis indigentia.

152. — Turpe autem et aegritudo aliter, quidem in cognitionibus, aliter autem in impetibus: etenim appetitus non secundum rationem et sensuum autem multi et phantasiae praecipites quibus quidem vita in actione, appetitibus contrariantibus, quibus autem in speculationibus phantasia praeterincidente et purum ipsarum et immateriale auferente.

153. — Et τὸ praeter naturam autem duplex: etenim turpitudo quae in corpore praeter naturam, speciei enim est et hoc debilitas et defectus et aegritudo eo qui in ipso ordine et commensuratione soluta.

154. — Malum quidem igitur tot modis dividendum quoniam et mensurae entium in tribus iis sunt principiis: Natura et Anima et Intellectu, et τὸ immensuratum aut earum quae in Natura rationum privatio est, aut earum quae in Anima, aut earum quae in Intellectu et ab Intellectu generatarum. Etenim ornans singula melius est ornantis prime — dico autem prime τὸ ornantium unumquodque — tale autem in corporibus quidem, natura; in irrationalibus autem speciebus vitae, ratio; in rationalibus autem quod ante ipsas bonum; in idolis autem aut propter eam quae sursum animam quaecumque et ex anima dependent tali, aut propter id quod extrinsecus principium a quo bonum iis qui | bus 261
providetur; corporibus autem iis quidem ex particulari, iis autem ex tota natura.

155. — Dubitabit autem utique aliquis qualiter et unde mala, Providentia ente. Sive enim est malum qualiter Providentia ad bonum non instabit? Sive Providentia plenum universum qualiter in entibus malum?

156. — Quidam quidem igitur alteri rationum cesserunt huic quidem quod non omnia ex Providentia si malum est, huic autem quod malum non est si omnia ex Providentia et Bono. Etenim hoc movet animam, forsitan autem utique alicui apparebit et qua non adversantur.

157. — Et primum quod in animabus malum hoc secundum se et impermixtum erat ad contrarium expers illius penitus ens et obscurissimum et nihil aliud quam tenebra, forsitan autem Providentiae operibus impedimentum erat a qua omnia bona, frivolum autem nihil. Si autem, sicut dictum est saepe, malum hoc et bonum est et non impermixte malum neque αὐτὸ malum sed sic quidem malum simpliciter autem non malum, neque malo esse propter boni participationem ipsi penitus intermediam neque τὸ et usque ad hoc omnia bona et esse et fieri propter eam quae in ipso malitiam.

158. — Totaliter enim non idem omniumque causam dicere Deum et solam causam omnium sed hoc quidem verum hoc autem non. Etenim Intellectus causa est eorum quae post ipsum, et Anima eorum quae consequenter, et Natura corporum et quaecumque in corporibus; et horum unumquodque hoc quidem aliter hoc autem aliter facit, hoc quidem prime et unialiter hoc autem aeternaliter, hoc autem per se motive hoc autem per necessitatem et neque
quod intellectualiter et quod ante ipsum | idem 262
neque secundo qua secundum.

159. — Si igitur ex Providentia omnia et nullum omnium malum secundum quod ex Providentia est et fit, quid mirum si malum habebit locum in enibus secundum quod ex anima? Et idem malum quidem erit singularibus, totis autem bonum, magis autem et singularibus secundum quod quidem ab ipsis malum, secundum quod autem a totis non malum: non enim operatio solum ex Providentia sed et operans habet τὸ bene.

160. — Qualiter igitur bonum in iis dico autem iis quae in anima malis: sic enim utique et Providentia τὸ credibile habebit, neque horum ullum sinens expers se ipsa. Duplicia igitur et haec ponendum: haec quidem intus et ipsius animae entia ad ipsam puta quaecumque in phantasiis inconvenientibus aut consensibus malis aut electionibus aliter turpibus, haec autem extra et in actionibus variis aut secundum iram aut secundum concupiscentiam factis.

161. — Talia quidem igitur omnia bonum habent multipliciter. Etenim ad aliorum vindictam facta sunt et secundum dignitatem actio et non idem agentem male in quodcumque |
263 agere aut ad indigens pati. Haec igitur et patienti omnia bona et facienti secundum quod assequitur totis, qua autem ut a se ipso et non assequens facit malum et inconvenientem sui ipsius et non magnum conceptum animae explevit, hoc autem principium salvationis patienti. Multis enim malum meditatum quidem et intra animam manens occultatur et bonificatur ut turpe et inconveniens; actum autem quale est evidens fit. Manifestant autem poenitentiae et animae conscientiae velut ipsa exprobrante sibi ipsi actum quoniam et medicorum artes ulcerum aperturis ad evidens ducentes passionem et intus occultatam causam facientem aegritudinem imaginem exibent Providentiae operum et factionibus turpibus et passionibus admiscentis ut utique immutatae ab eo qui in ipsis conceptu et subcauteriato et inflato malis habitu principium periodi et vitae sumant melioris.

162. — Quaecumque autem intus sunt passiones ipsius ipsum malignantis bonum habent secundum quod semper ad proprium ducunt animam: non enim est eligentem deteriora manere in melioribus, sed ad tenebrosum mox
264 fertur et | turpe. Et non actiones solum sed et sine iis animae electiones habent in ipsis δίκην: omnis enim electio ducit ipsam ad simile.

163. — Si igitur quod deterius et turpe et ἄθεον in anima genus ad congeneum transfert ipsam habet bonum mox in ipso et eam quae ex Providentia dignitatem et ista quae in animabus lex ducens unamquamque ad suum: hoc quidem enim praeiacit vitam, hoc autem copulat similibus ipsam, hoc autem est ei quod secundum dignitatem idem, hoc autem ei quod secundum δίκην, hoc autem ei quod ex Providentia, hoc autem bono. Si quidem enim et iniuriantibus ipsis competeret in sursum manere, quod neque dicere fas, nullatenus utique ipsis electio haberet τὸ bene, solummodo autem ens malum ἄθεος utique esset omniquaque et iniusta. Si autem mox eligentem removet a melioribus habet τὸ bonum hac malo commixtum: omnis enim anima secundum naturam appetit τὸ sursum. Cadentibus ipsis igitur turpe apparet eius quae in ipsis vitae, cadere autem necesse omne cui operari non secundum intellectum etsi iis quidem magis, iis autem minus casus quoniam et electio aliter aliis.

164. — Sed qualiter in corporibus malum simul et bonum est aut et hoc toti quidem secundum naturam parti autem praeter naturam est?

165. — Magis autem et huic secundum quod ad omne facit secundum naturam, secundum quod autem partitum est inde, praeter naturam. Quoniam autem et quod in corporibus malum
265 duplex hoc quidem | ut turpitudo hoc autem ut aegritudo — voco autem turpitudines omnia quaecumque non aegritudines praeter naturam entia: etenim monstra naturae sunt turpitudines — et horum hoc quidem turpe secundum naturam totam quia et in hoc ratio et species est: in particulari quidem enim natura ratio una et quod praeter hanc huic praeter naturam, in tota autem omnes rationes et species omnes naturaliter et quandoque quidem ex una specie quod generatur unum — homo enim hominem generat, principalius dicere — quandoque autem ex uno multa — etenim figurae ratio una, sed et idem multa — quandoque autem ex multis unum — quales utique specierum quae circa materiam mixtiones quae et monstra videntur esse ad individuam naturam amantem obtinere una specie et subsistentem secundum unam — quandoque autem ex multis multa — etenim aequalitas et inaequalitas in multis — omnes igitur species secundum naturam et quae impermixtae et quaecumque mixtae et ex iis quae in natura rationibus ibi omnibus entibus.

166. — Aegritudo autem aliis secundum naturam quia horum unumquodque genitum est hoc quod dicitur dupliciter et particulari naturae et toti. Corruptibile autem secundum naturam quidem totam, praeter naturam autem particularem: in quam enim transmutatur quod corrumpitur speciem ea habet rationem ex tota contrariam ei quod huius naturae et non ab ipsa habentem speciem sicut ex illa. Quae quidem igitur inde transmutatio secundum naturam
haec contra quidem cor | rumpit iis autem adhibet 266
generationem. Quae autem una ratio in transmutante praeter naturam: ut quidem enim tota praeter naturam — totum enim unumquodque secundum eam quae in ipso rationem — ut autem totius particulae secundum naturam, sic enim et factum est ex alio corrupto et corrumpitur iterum in alterius generationem.

167. — Non ergo quod in corporibus malum impermixtim est malum, sed sic quidem malum et secundum quod non inde, sic autem bonum et secundum quod ex Providentia naturale, totaliter autem et quibus generatio propter bonum.

168. — Quomodo hoc dicet aliquis utique omniquaque bonum recusare et boni naturae expertia manere? Neque enim possibile est esse malum non contrarium phantasiatum ut bonum, quoniam boni gratia omnia et ipsum malum.

169. — Sed omnia gratia boni et divinum incausativum malorum: nusquam enim malum qua malum inde sed ex aliis causis et quibus generare non secundum potentiam, sed propter
debi | litatem existere dictum est. 267

170. — Propter quod mihi videtur Plato, circa regem omnium omnia ponens et illius gratia omnia et quaecumque non bona — phantasiata enim ut bona et haec entium sunt similiter bonorum — omnium causam illud appellare et non semel omnium — neque enim malorum sed et horum incausativum — et omnis entis causam: etenim horum tamquam entium et qua bonum unumquodque.

171. — Si itaque haec recte dicimus et omnia utique ex Providentia erunt et malum habet locum in entibus, quare et faciunt dii malum sed tamquam bonum et cognoscunt ut omnium unialem habentes cognitionem impartibiliter, quidem partibilium, boniformiter autem malorum, unialiter autem multitudinis.

172. — Alia enim animae cognitio et alia intellectualis naturae, alia deorum ipsorum: hic quidem enim αὐτοκίνητος [idest ex se mobilis] hic autem aeternalis cognitio, hic autem indicibilis et unialis ipso uno omnia et cognoscens et producens.

* *Expleta fuit translatio huius libri Corinthi a fratre Guillelmo de Morbeka, archiepiscopo Corinthiensi,*
anno Domini 1280, 21 *die Februarii.*

** *Et expleta fuit schematizata transcriptio eiusdem libri, Augustae Taurinorum, a fratre Ceslao Pera,*
anno Domini 1933, 12 *die Augusti.*

USUS LIBRI DE DIVINIS NOMINIBUS
in Quaest. disputatis, Quodlibetis, Summa contra Gentiles et Summa Theologiae.

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
Caput I					
[4]	11	De Pot. 10, 4, 12a			I, 29, 3, 1a; 32, 2, 1a; 36, 2, 1a; 39, 2, 2a
[7]	23-24	De Spir. creat. 2, 1a			I, 12, 2c; 88, 2, sc. Suppl. 92, 1, 2a
[13]	53-54				I, 13, 2, 2a; II-II, 91, 1, 1m
[14]	61				III, 2, 3, 3a
[15]	64-67				I, 58, 3c
[18]	73-74				I, 56, 3, 1a
[19]	75	De Ver. 8, 1, 10a			
[21]	77	De Ver. 8, 1, 8a			I, 12, 1, 1a; 13, 1, 1a; 105, 2, 1a
[24]	86-95				I, 5, 2, 1m; 13, 6, 2a II-II, 13, 1c; 101, 3, 2m; 106, 3c III, 1, 1c; 20, 1c
[26]	100-101				I, 57, 1c; I-II, 79, 1c
[23]-[27]	83-102	De Pot. 7, 5c, 2m; 9, 7c. De Malo 5, 1, 4m; 16, 8, 3m			I, 84, 7, 3m; II-II, 27, 4c
Caput II					
[34]	121	De Ver. 4, 5, 4a			
[36]	124-125				I, 32, 1c II-II, 1, 5, 2m
[37]	126-127		IV, 4, 1, 1a		I, 45, 6, sc III, 3, 4, sc
[44]-[46]	147-150				I, 67, 2, 3a
[49]	158-161				I, 73, 2c
[50]-[51]	163-165			I, 26, 246.	I, 3, 8, sc

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[53]	168				III, 19, 1, 1a, 1m
[55]	176-178	De Ver. 4, 7c			
[57]	181-184	De Pot. 10, 4, 1a De Malo 16, 9, 6m			
[58]	185-186	De Ver. 7, 7, 1a; 21, 4, 4m			I, 93, 2, 1a
[59]	188	De un. V. Inc. 1c			
[60]	191-192	De Ver. 26, 3, 19a			I, 1, 8, 3m I-II, 22, 3, 1a II-II 45, 2c; 97, 2, 2m
[70]	207	De un. V. Inc. 2, 5m			
Caput III [78]	225-228	De Pot. 7, 5, 3a			I, 5, 2, 1a; 13, 11, 2a
[86]	244				II-II, 83, 1, 2a
Caput IV [95]	269				I, 73, 3, 2a I-II, 1, 4, 1a; 2, 3, 2a III, 1, 1c
[96]	270-271				I, 19, 4, 1a; 23, 4, 1a III, 44, 2, 2m
[95]-[96]	269-271	De Ver. 5, 2, 1a; 10, 7, 10a, 10m; 12, 5, 6a; 21, 1, 4a; 23, 3, 1a; 27, 3, 3a; 28, 3, 10a De Pot. 7, 5, 7a De Malo 4, 6, 19a			
[97]	276	De Malo 16, 1, 14m	VI, 2, 1c		I, 50, 3, 4a
[97]-[98]	276-277			II, 55, 1312	I, 50, 5sc
[99]	278			II, 91, 1781	I, 50, 2sc; 51, 1, sc; 55, 1, sc; 106, 1, 1m
[98]-[99]	277-278	De Ver. 8, 4, 1m; De Pot. 6, 6c; De Spir. creat. 1, 1sc; 5, 1sc; De Malo 16, 1, 2m i. c			I, 9, 2c
[100]	279			II, 98, 1845	
[101]	280	De Malo 7, 9sc			
[102]	282-285				III, 26, 1, 1a
[103]	286				Suppl. 92, 3, 1m
[104]	287	De Malo 7, 9sc			

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[105]	289	Se Spir. creat. 2, 1sc			I, 76, 6 sc I-II, 5, 1, 1a III, 10, 4, 2a; 46, 1, 4a
[111]	295-298			III, 20, 2013	I, 12, 1, 3a Suppl. 92, 1, 2a
[112]	300				I-II, 5, 1, 1a II-II, 95, 5, 1a
[113]	306				I, 93, 2, 2a
[118]	312				I, 90, 3, 1a; 115, 3, sc I-II, 46, 1c II-II, 95, 5, 1a III, 7, 9c
[119]	313				I, 67, 4, 2m; 68, 1c; 70, 1, 2m
[118]-[119]	312-313	De Ver. 21, 6, 11m De Pot. 4, 2, 8m			
[120]	316				I-II, 1, 8, 2a II-II, 34, 1, 3a
[121]	317-318	De Ver. 21, 1, 4a; 27, 3, 3a; 28, 3, 10a De Pot. 9, 9, 14a; 10, 1c; 2, 3sc De Malo 4, 6, 19a		I, 37, 307; III, 24, 2053	I, 73, 3, 2a I-II, 112, 3, 3a II-II, 117, 6, 2a
[122]	318	De Malo 16, 4, 15m			
[125]	322				I, 67, 1, 2a
[128]	329				III, 27, 3, 3a
[131]	332	De Ver. 1, 4, 2sc			
[132]	334				I, 5, 4, 1a
[135]	339				II-II, 141, 2, 3m; 145, 2c
[135]	340				I, 55, 1, 3a
[147]	369-373				I, 54, 2 sc; 58, 1, 1a II-II, 180, 6, 1a
[148]	375-376				I, 94, 2c
[147]-[150]	368-379	De Ver. 8, 15, 3a			II-II, 179, 1, 3m
[156]	400-402				I-II, 26, 1, 3m; 27, 1, 3a II-II, 24, 2, 1a; 25, 7, 3a; 34, 1, 1a; 114, 1, 1a; 145, 2, 1m
[157]	407				I-II, 28, 5, sc
[158]	408			III, 3, 1888	I-II, 8, 1, sc; 28, 6, sc

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[156]-[158]	400-408	De Ver. 22, 1, 12a, sc, 13m. De Spe C, 5a			Suppl. 98, 5, 1a
[157]-[158]	404-408				I-II, 27, 2, 3a
[159]	409	De Pot. 10, 2, 19m		I, 91, 765; IV, 20, 3570	I-II, 109, 3c; 6c
[160]	412				I-II, 26, 3, 1a
[164]	419				I-II, 26, 3, sc
[167]	424-425	De Carit. 9, 7a; De Spe 1, 11a		I, 91, 758; IV, 54, 3926	I, 20, 1, 3a; 60, 3, 2a; I-II, 25, 2, 2a; 26, 2, 2m; 28, 1, sc II-II, 25, 4c; 27, 5, 2a; 29, 3, 3m; 31, 1, 1m
[168]	427-433	De Ver. 13, 2, 9m De Malo 6, 1, 13a	III, 6, 3c		I, 20, 2, 1a I-II, 28, 3, sc II-II, 82, 2, 1a; 175, 2, 1a
[170]	436				II-II, 156, 2, 3a; 175, 2, 2m
[171]	437				I, 20, 2, 1m I-II, 28, 3, sc
[172]	438-441	De Ver. 26, 4, 8a			I-II, 28, 4, sc
[180]	454				I, 60, 1, 1a; 2, 1a I-II, 26, 2, 3a; 28, 6, 1m; 41, 3, 2a
[180]	454-456	De Carit. 9, 71; De Spe 1, 11a		I, 91, 760; IV, 54, 3926	I, 20, 1, 3a; 37, 1, 3a; 60, 3, 2a I-II, 26, 2, 1a, 2m; 28, 1, sc II-II, 25, 4c; 27, 5, 2a
[185]	465				I, 114, 3, 1a; I-II, 80, 4, 1a
[189]	477				I-II, 18, 4, 1a; 72, 1c; 78, 1, 2a; 79, 2, 2a
[190]	478-480				I, 48, 2, 1a
[188]-[190]	474-480	De Malo 1, 1, 10a; 2, 3m; 3, 5a; 3, 12, 10a			
[192]	487				II-II, 129, 2c
[193]	490	De Malo 16, 2, 7a			I, 19, 9, 2a
[194]	492	De Malo 1, 1, 8a, 16a; 2, 11, 9a; 12, 1, 10m De Virt. 9, 1sc De Carit. 12, 12a			I, 48, 1, 4m I-II, 18, 1, 1a, 3a; 29, 3, sc; 35, 6, sc; 60, 5, 4m; 63, 2, sc III, 86, 5, 2a

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[196]	497				I, 48, 1, sc
[197]-[198]	500-501				I-II, 98, 1c
[203]	508			III, 7, 1119	
[204]	509	De Ver. 1, 10, 5a; De Malo 1, 2, 2a			
[205]	511-513			III, 7, 1919	
[210]	522	De Ver. 8, 7, 1a (4)			
[211]	524-525	De Ver, 8, 3, 3a; 4, 3a; 8, 8a; 16, 1a			I, 12, 4, 1a; 58, 4c
[213]	527	De Malo 1, 5, 10c			I, 48, 6c I-II, 87, 1, 2m App. Suppl. 1, 5c
[214]	529-530	De Malo 3, 5, 2a; 16, 2, 1sc, c			I, 63, 4, sc
[216]	533	De Ver. 6, 2, 11a; De Malo 3, 1, 8m			
[219]	537	De Malo 16, 2, 1m, 4m; 3, 1a, 2a	V, 4, 1, 1m		
[220]	538-540	De Anima 19, 8a; De Malo 16, 1, 3a, 2sc; 6, 15a			I, 54, 5, 3a; 58, 5, 1a; 59, 4, 1a
[221]	541	De Ver. 9, 1, 14a; 22, 2, 3m; 24, 10, 14a, 17a; De Anima 17, 7m; 18, 1a; De Malo 2, 11, 1a; 4, 1, 11a; 16, 1, 2sc; 5, 1a, 16a, 18a; 6, 3a, c; De Virt. 8, 1sc		IV, 51, 3870	I, 64, 1, sc, c; 2, 5a; 95, 1c; 109, 1c I-II, 63, 1, sc; 85, 1, 1a II-II, 25, 11, 1a Suppl. 89, 4, 2m; 98, 1, 1a
[223]-[224]	544-545	De Malo 1, 1, 5a			
[225]	546	De Malo 2, 12, 7a; 3, 1, 10m; 12, 1, 2a; 16, 2c			I, 63, 4, 3m
[236]	569			III, 9, 1931	I-II, 75, 4, 1a
[237]	572	De Ver. 15, 4, 13m; 28, 3, 15m De Malo 2, 1, 3m; 4, 2m; 7, 3a; 9, 12a; 4, 1, 13m; 8, 1, 12a; 4c; 10, 1c; 16, 6, 11m De Correct. frat. 1c			I, 19, 12, 4a I-II, 18, 3a; 4, 3m; 19, 6, 1m; 7, 3m; 35, 8, 1m; 70, 4, 2m; 71, 5, 1m; 72, 9, 1a II-II, 53, 2, 3a; 79, 3, 4m; 92, 2, 1m; 110, 3c III, 8, 7, 3a; 90, 2, 4m; Suppl. 49, 4, 2a; 69, 7, 1m

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
					App. Suppl. 1, 1, 2m
[238]	573	De Malo 3, 1, 7a			
[240]	576	De Malo 3, 6, 4a; 4, 2, 8a			I, 49, 1, 4a I-II, 75, 1, 1a
[241]	578	De Malo 16, 2, 12a			
[242]	579				I, 48, 1, 4m; I-II, 21, 2, 3a; 55, 3c; 75, 4, 1a II-II, 10, 5, sc Suppl. 50, 1, 1sc
[243]	581-582				I, 103, 8c; I-II, 8, 1, sc; 18, 4, 1a; 72, 1c; 78, 1, 2a; 79, 2, 2a
[244]	584-585			III, 4, 1894	I, 48, 1, 4m; 82, 2, 1a I-II, 8, 1, sc; 19, 1, 1a; 29, 4c; 74, 1, 1a Suppl. 49, 5, 1a; 98, 1, 2a; 5, 2a
[243]-[244]	581-586	De Ver. 18, 6c; 24, 2c; 7, 6m; 8c; 28, 2, 7m De Malo 1, 3, 2 sc, 5m, 14m; 5, 10a; 2, 1c; 3, 2, 1a; 6, 4a; 9, 4a; 12, 1a, 10a; 14, 7a; 10, 1c; 16, 6, 13a	VI, 9, 2, sc VIII, 6, 5c		
[247]	592	De Ver. 13, 1, 5a; 15, 3, 4a De Malo 2, 4c; 4, 2, 3m; 7, 7, 2sc; 14, 1c; 16, 2c			I-II, 18, 5c; 24, 1, 2a; 34, 1, 1a; 55, 4, 2m; 58, 1, 3a; 71, 2c; 6, 5a II-II, 47, 6c; 123, 1c; 12c; 135, 1, 2a; 141, 1c, 6c; 142, 1, 2a; 158, 1, 2a; 8, 3a; 162, 1c; 167, 1, 1a
[250]	596	De Ver. 5, 3, 5a; 4, 4m			I, 22, 4, sc; 48, 2, 3m I-II, 10, 4c; 51, 4, 2a II-II, 165, 1c III, 44, 2, 1a
[251]	598	De Malo 1, 2, 1a			
[254]	602	De Carit. 6, 6a			
[256]	605	De Malo 3, 12, 10a			
Caput V [257]	609-611			III, 20, 2013	I, 5, 2, 2a, 1m I-II, 2, 5, 2a
[262]	624-628				I-II, 79, 2c

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[257]-[262]	609-628	De Malo 1, 2c			
[263]	629	De Malo 16, 9, 5m		I, 28, 267	I, 4, 2c; 80, 1c III, 13, 1c
[266]	633-635				I, 4, 2, 3m; 44, 3, 4a; 54, 2c; 75, 5, 4m
[267]	636-639				I, 75, 5, 1a
[266]-[267]	633-639	De Ver. 22, 6, 1m; 11, 4sc			
[269]	644	De Ver. 8, 10 3m			
[268]-[270]	641-645			III, 20, 2014	I, 76, 5c
[271]	646	De Ver. 3, 2, 7a			
[275]	655	De Ver. 2, 8, 1a			
[279]-[280]	660-661				I, 57, 1c I-II, 79, 2c
[280]	661	De Pot. 9, 7, 2a; De Spir. creat. 8c			I, 4, 2c, 1m
[281]	662	De Ver. 5, 9, 2 sc; 10, 10, 6m; 20, 4c; 5c			
[282]	664-666	De Ver. 3, 1c; 4, 2 sc; 6, 3a			I, 15, 3, 2a
[283]	667-668	De Ver. 3, 2c; 7c; 8, 8, 1a; 18, 1, 7m De Anima 18, 7sc		I, 54, 461	
[284]	669-673				I, 57, 1c; 75, 5, 1m; 91, 1c
Caput VI [285]	675	De Ver. 7, 5, 3a			
[287]	680				II-II, 179, 1, 3a
[288]	681				I, 18, 1, sc
[294]	692				I-II, 5, 1, 1a; II-II, 8, 1, 2a
Caput VII [304]	708	De Ver. 4, 5, 5 sc			
[305]	710	De Malo 16, 6, 1sc	VII, 3, 2, 1a, 2a		
[306]	711	De Ver. 2, 1, 4a, 4m; 8, 8, 8a; 9, 1 sc; 11c; 15, 1 sc; 18, 2, 6a De Anima 20c De Malo 16, 4, 14a, c; 6c; 8, 15a			I, 55, 2, sc; 56, 3, 3a; 58, 3, sc; 76, 5c; 79, 8c; 84, 4, 1m III, 11, 3, 3a

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT.	SUMMA THEOLOGIAE
[305]-[306]	710-711				I, 75, 7, sc
[307]	712				I, 58, 4, sc
[308]	713	De Ver. 18, 8, 10a			I, 75, 7, sc I-II, 5, 1, 1a II-II, 8, 1, 2a III, 10, 4, 2a
[305]-[306], [308]	710-711,713	De Ver. 15, 1c			
[305],[308]	710,713	De Spir. creat. 2, 12m			
[305]-[308]	710-713	De Ver. 10, 1, 4a			II-II, 180, 3c
[310]	715				I, 58, 5, 3a
[312]	719	De Ver. 24, 3, 1m			
[304]-[312]	707-719	De Ver. 12, 6, 2a			
[314]-[315]	721-722	De Ver. 2, 1c			
[316]	723	De Ver. 1, 5c; 2, 5, 10a; 3, 1, 6a, 6m			I, 14, 10c; 15, 1, 1a
[317]	724	De Ver. 2, 2 sc; 4, 9a, 9m			
[316]-[317]	723-724			I, 49, 415; 58, 502	
[318]	725	De Ver. 2, 3, 3m			
[319]	726	De Ver. 2, 3, 5m; 8, 8, 7a; 10, 4a; 14, 6m			I, 55, 1, 1a
[324]	733	De Ver. 14, 1, 9m; 15, 1c; 16, 1c De Anima 1, 17a De Spir. Creat. 6, 1a De Malo 16, 1, 4a	VI, 11, 1c	I, 57, 489 II, 68, 1453 III, 97, 2725	I, 78, 2c; 110, 3c I-II, 2, 8, 1a II-II, 52, 2, 1a; 188, 6c
[326]	737	De Ver. 14, 1, 5a; 2c; 8, 1 sc			II-II, 1, 1, 8c; 4, 1c
[328]	739	De Ver. 14, 8c			
Caput VIII [344]	775-776			I, 93, 789	II-II, 175, 1, 2a
[348]	781	De Ver. 13, 1, 4a			
[350]	783				I-II, 87, 7, 2m
Caput IX [371]	826				I, 3, 1, 1m
[374]	832	De Ver. 2, 11. 1m; 4, 4, 2m De Malo 16, 7, 8m		I, 93, 786	I, 4, 3, 4m; 42, 1, 3m

DIONYSIUS	S. THOMAS				
DE DIV. NOM.	EXPOSITIO	QUAESTIONES DISPUT.	QUODLIBETA	S. C. GENT	SUMMA THEOLOGIAE
[376]	834			I, 29, 272	I, 4, 3, 1m II-II, 19, 11, 2m 163, 2c
[381]-[382]	844-845				II-II, 175, 1, 2a
Caput X [388]	860				Suppl. 90, 1, 4a
[393]	869		V, 4, 1c		
Caput XI [400]	885				II-II, 29, 1, 2a; 2, 1a
[401]	886	De Ver. 22, 1, 12a			II-II, 29, 2, sc
[421]	926				I, 44, 3, 4m; 84, 5c
[425]	934-937	De Pot. 7, 5c; 9, 7, 2a, c			
[421]-[426]	925-938		VIII, 1, 1c		
Caput XII [431]	948				I, 13, 8c; 103, 4, sc
[433]-[434]	955-956				I, 108, 5, 2m
Caput XIII [438]	967	De Ver. 8, 8, 2m			
[440]	972-973				I, 11, 1, sc
[442]	975-976				I, 11, 1, 2m I-II, 17, 4c
[452]	992-993	De Pot. 9, 7, 1 sc			

* Quia iustitiae actus est ius suum unicuique tribuere, officii mei est auctorem praecedentis tabulae locorum libri de D. N. ab Angelico Doctore cit. signare D. PETRUM CARAMELLO, eique grati animi sensus offerre sinceros (C. P.)

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

EX LIBRIS VETERIS TESTAMENTI

GENESIS:

1, 3-13 ; c. IV°, l. 3ª (13), **313**.
— 16 ; c. IV°, l. 2ª (12), **303**; l. 3ª (13), **313**.
— 26 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.
3, 8 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.
17, 1 ; c. X°, l. 1ª (53), **849**.
32, 29 ; c. I°, l. 3ª (3), **96**.

EXODUS:

3, 6 ; c. I°, l. 3ª (3), **97**.
— 14 ; c. I°, l. 3ª (3), **97**; c. II°, l. 1ª (4) **112**; c. V°, l. 1ª (34), **635**.
15, 18 ; c. XII°, l. (60), **941**.
20, 5 ; c. IV°, l. 10ª (20), **438**.
33, 20 ; c. I°, l. 1ª (1), **33**.

DEUTERONOMIUM:

4, 19 ; c. V°, l. 3ª (36), **668**.
— 24 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
33, 15 ; c. X°, l. 3ª (55), **869**.

II SAMUELIS (Vulg. II° Regum):

1,26 ; c. IV°, l. 9ª (19), **423**.

I° REGUM (Vulg. III° Regum):

19, 12 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
— 12-13 ; c. IX°, l. 9ª (49), **800**.

IOB:

9, 4 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
11, 7 ; c. I°, l. 1ª (1), **33**.
14, 4 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
23, 6 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
28, 21 ; c. V°, l. 1ª, (34), **611**.

PSALMI:

24 (Vulg. 23), 7 ; c. V°, l. 2ª (35), **659**; c. X°, l. 3ª (55), **869**.
— » — 10 ; c. VIII°, l. 1ª (44), **745**.
36 (» 35), 4 ; c. IV°, l. 23ª (33), **602**.
50 (» 49), 1 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**; c. XII°, l. (60), **941**.
71 (» 70), 18 ; c. X°, l. 2ª (54), **864**.
— » — 19 ; c. IX°, l. 3ª (51), **834**.
76 (» 75), 5 ; c. X°, l. 3ª (55), **869**.
86 (» 86), 8 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**; l. 3ª (51), **834**.
89 (» 88), 9 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
96 (» 95), 6 ; c. IV°, l. 5ª (15), **334**.
102 (Vulg. 101), 28 ; c. IX° l. 1ª (49), **800**; l. 2ª (50), **815**; c. X, l. 3ª (55), **874**.
104 (» 103), 10 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
— » — 28 ; c. I°, l. 2ª (2), **44**.
— » — 29-30 ; c. VI°, l. 1ª (37), **681**.
111 (» 110), 2 ; c. V°, l. 3ª (36), **666**.
113 (» 112), 4 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
118 (» 117), 21 ; c. I° l. 3ª (3), **98**.
119 (» 118), 43 ; c. I° l. 3ª (3), **98**.
143 (» 142), 10 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
145 (» 144), 3 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**; c. XII°, l. (60), **941**.
148, 8 ; c. X°, l. 1ª (53), **857**.

PROVERBIA:

4, 6 ; c. IV°, l. 9ª (19), **417**.

CANTICUM CANTICORUM:

1, 2 ; c. IV°, l. 11ª (21), **443**.
— 15 ; c. IV°, l. 5ª (15), **334**.
— 16 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
5, 2 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

SAPIENTIA:

2, 24 ; c. IV°, l. 13 (23), **464**.
7, 13 ; c. III°, l. (10), **259**.
— 24 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.
— 27 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
8, 1 ; c. VII°, l. 5ª (43), **735**; c. X°, l. 1ª (53), **875**.
— 2 ; c. IV°, l. 9ª (19), **417**.
18, 15 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

ECCLESIASTICUS:

3, 22 ; c. III°, l. (10), **259**.
23, 29 ; c. VII°, l. 3ª (41), **722**.
24, 8 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
24, ? ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

ISAIAS:

6, 1, 2 ; c. I°, l. 2ª (2), **65**.
9, 7 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.
40, 18 ; c. IX°, l. 3ª (51), **834**.
46, 4 ; c. X°, l. 2ª (54), **864**.
49, 6 ; c. II°, l. 6ª (9), **219**.
62, 2 ; c. X°, l. 2ª (54), **864**.
63, 1 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
66, 1 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
— 9 ; c. V°, l. 1ª (34), **611**.

IEREMIAS:

23, 24 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

LAMENTATIONES (THRENI):

5, 21 ; c. VI°, l. 2ª (38), **668**.

BARUCH:

4, 10 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

DANIEL:

7, 9 ; c. X° l. 1ª (53), **849**.
— 13 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
9, 24 ; c. I° l. 3ª (3), **98**; c. XII°, l. (60), **941**.

OSEE:

6, 4 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
14, 6 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

IOEL:

2, 28 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

AMOS:

7, 7 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.

MALACHIAS:

3, 6 ; c. IX°, l. 1ª (49), **800**.
4, 2 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**; c. IV°, l. 3ª (13), **306**.

EX LIBRIS NOVI TESTAMENTI

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM:

1, 21 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
6, 11 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
7, 6 ; c. I°, l. 3ª (3), **105**.
— 18 ; c. IV°, l. 17ª (27), **512**.
13, 41-42 ; 49-50; c. IV°, l. 18ª (28), **527**.
17, 2 ; c. I°, l. 2ª (2), **66**.
18, 24 ; c. VII°, l. 5ª (43), **735**.
25, 15 ; c. I°, l. 1ª (1), **20**.
— 46 ; c. X°, l. 3ª (55), **873**.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM:

11, 13 ; c. I°, l. 2ª (2), **44**.
12, 47 ; c. IV°, l. 23ª (33), **602**.
18, 19 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**; c. II°, l. 1ª (4), **112**; c. IV°, l. 1ª (11), **269**.
20, 36 ; c. I°, l. 2ª (2), **67**.

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM:

1, 1 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**; c. VII°, l. 5ª (43), **735**.
1, 10 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
2, 21 ; c. III°, l. (10), **255**.
4, 10 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
5, 21 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
6, 64 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
8, 12 ; c. I°, l. 3ª (3), **97**; c. IV°, l. 4ª (14), **325**.
10, 11 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
— 30 ; c. II°, l. 1ª (4), **120**.
14, 6 ; c. I°, l. 3ª (3), **97**.
15, 26 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
16, 15 ; c. II°, l. 1ª (4), **120**.

ACTUS APOSTOLORUM:

13, 8 ; c. VIII°, l. 3ª (46), **764**.
— 47 ; c. II°, l. 6ª (9), **219**.
17, 25 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.

EPISTOLA B. PAULI AP. AD ROMANOS:

1, 20 ; c. IV°, l. 3ª (13), **320**.
7, 2 ; c. IV°, l. 9ª (19), **417**.
8, 30 ; c. V°, l. 3ª (36), **666**.
8, 38 ; c. VII°, l. 5ª (43), **738**.
11, 33 ; c. I°, l. 1ª (1), **33**.
— 35 ; c. VIII°, l. 4ª (47), **775**.
— 36 ; c. XIII°, l. 3ª (63), **986**.
16, 25 ; c. X°, l. 3ª (55), **869**.

EPISTOLA 1ª AD CORINTHIOS:

1, 21 ; c. I°, l. 1ª (1), **98**.
— 24 ; c. I°, l. 1ª (1), **98**; c. VIII°, l. 1ª (44), **745**.
— 25 ; c. VII°, l. 1ª (39), **700**.
— 30 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
2, 4-13 ; c. I°, l. 1ª (1), **6**.
5, 3-5 ; c. IV°, l. 18ª (28), **527**.
6, 19 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
8, 5 ; c. II°, l. 6ª (9), **219**.
— 6 ; c. XIII°, l. 3ª (63), **984**.
10, 4 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
12, 11 ; c. II°, l. 1ª (4), 120; c. XIII°, l. 3ª (63), **984**.
13, 13 ; c. I°, l. 1ª (1), **8**.
14, 33 ; c. IV°, l. 17ª (27), **516**.
15, 6 ; c. III°, l. (10), **255**.
— 28 ; c. I°, l. 3ª (3), **99**.
— 53-54 ; c. I°, l. 2ª (2), **66**.

EPISTOLA IIª AD CORINTHIOS:

3, 17 ; c. II°, l. 1ª (4), **119**.
4, 18 ; c. X°, l. 3ª (55), **873**.
5, 16 ; c. I°, l. 2ª (2), **66**.
12, 4 ; c. I°, l. 1ª (1), **34**.

EPISTOLA AD GALATAS:

2, 20 ; c. IV°, l. 10ª (20), **436**.

EPISTOLA AD EPHESIOS:

1, 21 ; c. I°, l. 3ª (3), **96**.
2, 14 ; c. IV°, l. 17ª (27), **516**.
3, 15 ; c. I°, l. 2ª (2), **57**.
3, 17 ; c. I°, l. 3ª (3), **98**.
4, 7 ; c. IV°, l. 4ª (14), **330**.

EPISTOLA AD PHILIPPENSES:

2, 7 ; c. IIº, l. 5ª (8), **207.**
2, 9 ; c. Iº, l. 3ª (3), **96.**
3, 20 ; c. IVº, l. Iª (11), **279.**
— 21 ; c. Iº, l. 2ª (2), **66.**

EPISTOLA AD COLOSSENSES:

1, 16 ; c. IIº, l. Iª (4), **119.**
2, 3 ; c. Iº, l. 3ª (3), **98**; c. VIIº, l. Iª (39), **700.**

EPISTOLA Iª AD THESSALONICENSES:

4, 17 ; c. Iº, l. 2ª (2), **66.**

EPISTOLA Iª AD TIMOTHEUM:

1, 17 ; c. Vº, l. Iª (34), **629**; c. VIº, l. Iª (37), **679.**
6, 15 ; c. VIIIº, l. 3ª (46), **769.**
— 16 ; c. Iº, l. Iª (1), **33.**

EPISTOLA IIª AD TIMOTHEUM:

2, 13 ; c. VIIIº, l. 3ª (46), **764.**
— 19 ; c. Iº, l. 3ª (3), **98.**

EPISTOLA AD HEBRAEOS:

1, 12 ; c. IIº, l. Iª (4), **119.**
4, 12-13 ; c. IXº, l. Iª (49), **800.**
5, 14 ; c. IIIº, l. (10), **251.**
11, 1 ; c. VIIº, l. 5ª (43), **737.**

EPISTOLA CATHOLICA B. IACOBI:

1, 5 ; c. IVº, l. 23ª (33), **604**; c. XIIIº, l. 1 (61), **968.**
— 17 ; c. Iº, l. Iª (1), **98.**

EPISTOLA Iª B. IOANNIS:

4, 10 ; c. IVº, l. 5ª (15), **334.**
— 16 ; c. IVº, l. 11 (21), **443.**
5, 20 ; c. VIº, l. Iª (37), **675.**

APOCALYPSIS B. IOANNIS APOSTOLI:

1, 8 ; c. IIº, l. Iª (4), **119**; c. Vº, l. 2ª (35), **661.**
19, 13 ; c. Iº, l. 3ª (3), **98.**
— 16 ; c. Iº, l. 3ª (3), **98**; c. XIIº, l. (60), **941.**
22, 16 ; c. Iº, l. 3ª (3), **98.**

INDEX AUCTORITATUM

ARISTOTELES:

— *Physicor.* I, 9 : **226, 295, 559.**
» III, 6 : **964.**
» VIII, 5 : **919.**
— *de Anima* II, 4 : **647.**
» implic. ex implicita Dionysii (97), III, 4 : **276.**
» III, 7 : **369.**
— *Meteorolog.* IV, 3 : **227, 968.**
— *Metaphys.* VII, 7 : **550.**
— » X, 3 : **385.**
» XII, 7 : **919.**
— *Ethic. ad Nic.* II, 5 : **572.**
» » III, 2 : **586.**
» » VIII, 7 : **507.**

AUGUSTINUS:

— *de Haeresibus* (implicite:) XI, XLVI, XLIX, LV : **60.**
— *de Trinitate* VIII, 3 : **117.**
— *de natura Boni contra Manichaeos* III : **467, 775.**
— *Enchir. ad Laurentium* XI, 3 : **490.**
— *de Civitate Dei* IX, 5 : **540.**
» » IX, 8 : **538.**
» » XIX, 13 : **891.**
— *de diversis quaestionibus*, LXIII : **735.**
— *de Genesi ad lit.* IV, 3 : **775.**

BOETIUS:

— *de Consolatione Philosophiae* III, pr. XI : **421.**
— *Arithmetica* I, 7 : **644.**

DAMASCENUS IOAN.:

— *de Fide orthodoxa* I, 9 : **948.**

DIONYSIUS:

— de coel. Hierarchia, VII, 3 : **47, 286, 327.**
» » XI, 2 : **276.**
» » XIII, 4 : **656.**

IGNATIUS:

— *epist. ad Rom.* VII, 2 : **419.**

PLATO:

— *Cratyl.* XXIV implicite ex textu Dionysii (123) : **319.**
» XXIX implicite ex textu Dionysii (135) : **340.**
— *Sympos.* XXIX implicite ex textu Dionysii (137) : **345.**
— *Tim.* VI implicite ex implicita Dion. (125) : **325.**

PROCLUS:

— *Elementatio theol.* 57, 70 implicite : « secundum Platonicos » ex libro *de Causis* 1 : **296.**

INDEX RAMENTORUM

pag.

1 — Quoad divinam transcendentiam (3,7) 11
2 — Quoad silentium mysticum (3) 11
9 — Quoad doctrinam christologicam (14) 22
4 — Quoad positionem theologicam Dionysii 33
5 — Quoad theologiam unitam et discretam (37) 41
6 — Quoad unitam discretionem et unitionem discretam (44) 48
7 — De Divinae Bonitatis diffusione (49) 53
8 — Quoad Hierotheum (60) 60
9 — Quoad doctrinam christologicam (61-70) 64
10 — Quoad magisterium Pauli (75) 70
11 — Quoad optimismum metaphysicum (78) 79
12 — Quoad apologiam pro seipso (87-94) 80
13 — Quoad libertatem Dei (96) 92
14 — Quoad theologiam solarem (96) 92
15 — De compositione spiritualium (97) 94
16 — Quod doctrinam cosmologicam (111) 98
17 — Quoad similitudinem Causae primae in materia prima (111) 99
18 — Quoad praeconium solis (117) 105
19 — Quoad cosmicam denominationem spirituum in triadica dispositione (130) . 109
20 — Quoad testimonium Platonis de pulchritudine Dei (137) 115
21 — Quoad unite in Deo (142) 119
22 — Quoad triplicem motum circularem, rectum, spiraliformem (147-150) . . . 123
23 — Ἔρως et Ἀγάπη (160-167) 138
24 — De non oculorum immissionibus (161) 140
25 — De extasi in vita christiana (168) 144
26 — Quoad amabilitatem Dei (173) 148
27 — Quoad amativos hymnos (179) 153
28 — Quoad fragmentum Hierothei (180-183) 154
29 — Praenotanda in quaestione critica de Dionysio proclizante 156
30 — Quoad τὸ μὴ ὄν (184) 162
31 — Quoad quaestionem de daemonibus et de malo (185) 162
32 — Quoad parallelia (188.189.190) 166
33 — Quoad parallelia (191.192.193) 170
34 — Quoad parallelia (194.200.203.204) 179
35 — Quoad sensum huius doctrinae (205-209) 184
36 — Quoad parallelia (205.207.209) 185
37 — De Angelis apud quosdam philosophos neoplatonicos 189
38 — De malo culpae et de malo poenae (213) 189
39 — Quoad parallelia (210.213) 190
40 — De malis daemonibus apud quosdam philosophos neoplatonicos 198

pag.

41 — Quoad parallelia (214.215.217.219.220) 198
42 — Quoad parallelia (222.223.225) 202
43 — De corporis doctrina theologica (228) 209
44 — Quoad parallelia (226.227.228.231.233.234.235.236) 209
45 — Quoad parallelia (237.238.239.240.241.242.243.244.245.246.247) 217
46 — Paralipomena 219
47 — Quoad vanam multorum rationem (250) 225
48 — De iusto et divino Iudicii loco (255) 225
49 — Quoad illud τῶν κακῶν ἀναίτιον (256) 226
50 — Glossae marginales (257.262.263) 239
51 — De traditione Vedantica apud Dionysium 239
52 — Glossae marginales (276.277.280.281) 246
53 — Glossa marginalis (283) 251
54 — De Potentiis medianis in Theurgia et Philosophia 251
55 — Glossa marginalis (288) 256
56 — Glossa marginalis (292) 259
57 — Glossae marginales (299.300.301.302-303) 263
58 — Glossa marginalis (308) 268
59 — Glossae marginales (314.319) 272
60 — Glossa marginalis (321) 275
61 — Glossae marginales (325.327.329) 278
62 — De sapientia theurgica (339) 289
63 — Glossae marginales (344.345.349) 293
64 — Glossae marginales (352.344.351.354) 297
65 — Glossae marginales (357.358.364) 303
66 — Quoad ἀγένητον 308
67 — Quoad ὅμοιον (simile et ἀνόμοιον (dissimile) 312
68 — Glossae marginales (377.381) 318
69 — Glossa marginalis (385) 322
70 — Glossa marginalis (388) 325
71 — Glossa marginalis (392) 328
72 — Quies (ἡσυχία) silentium (ἀφθεγξία) immobilitas (ἀκινησία) 338
73 — De viginti personis in corpore dionysiano nominatis 338
74 — De epistolica origine corporis dionysiani (421) 348
75 — De ortu et constitutione novae metaphysicae (422-423) 348
76 — Critica idearum subsistentium per criticam theologicam mediarum Potentiarum in cultu et philosophia antiquorum (424) 349
77 — De divina virtualitate in termino participationis (425) 350
78 — De divinorum sacris magistris (426) 350
79 — Glossae marginales (435.436) 361
80 — Glossae marginales (440.441) 365
81 — Glossae marginales (448.452) 370
82 — De Theologis et Ascetis (453) 374

INDEX PERSONARUM

quae in expositione Angelici Doctoris occurrunt.

Aegyptii **241**
Apollinaris **60, 168**
Apostoli **6, 8, 64, 83, 134, 172, 189, 190, 255, 256, 740, 938, 995, 1000.**
Apuleius **538.**
Aristoteles **226, 295, 559, 646,** vel *Philosophus* **369, 488, 507, 572, 586.**
Arius **60, 81, 116, 168.**
Augustinus (S.) **117, 467, 490, 538, 540, 589, 735, 775, 891.**
Boetius **644.**
Clemens (philosophus) **667.**
Damascenus (S. Ioan.) **948.**

DIONYSIUS:
de eius stilo et modo loquendi pr. II a b c.
de eius methodo **6.**
de eius theologica educatione **249.**
de eius expositione divinorum Nominum **999, 1000, 1002, 1004, 1005, 1006.**
«*gratias agamus Domino Deo nostro*» **1001, 1008.**
Elymas **764, 768.**
Epicurei **241.**
Eutyches **62.**

HIEROTHEUS:
Magister Dionysii **189, 190, 192, 219, 700, 864.**
Fragmentum Christologicum **193-207.**
Laus Hierothei **254-257.**
Fragmentum ex Commentario super Cant. Cantic. **452, 454-460.**

Iacobus (S.) **255.**
Ignatius (S. Martyr) **419.**
Iustus **894.**
Manichaei **60, 168, 308.**

MARIA (beata Virgo):
Occultum mysterium Conceptionis Iesu **188.**
In Eius morte convenerunt Apostoli **255.**
Multi **404.**
Nestorius **61.**
Origenes **81, 116.**

PAULUS (S.):
Instructor Hierothei et Dionysii **219, 249, 700.**
Peripatetici **241.**

PETRUS (S.):
Summum Caput omnium Apostolorum **255.**
Plato **295, 559, 646, 981.**
Platonici pr. II a, **94, 100, 113, 226, 241, 296, 340, 550, 606, 612, 625, 634, 639, 664, 931, 932, 933, 994.**
Prophetae **6, 8, 83, 102, 172, 995, 1000.**
Pythagorici **300.**
Quidam **550.**
Simon **690.**
Stoici **241.**
Timotheus **106, 248, 250, 255, 256.**
Valentinus (gnosticus) **60, 168.**

INDEX ELEMENTORUM

quae in expositione Angelici Doctoris continentur.

* Quae antiqui Patres nostri sub titulo generali: « Index rerum, verborum ac sententiarum » colligebant, in sequenti Indice Elementorum summatim posita sunt.

Difficultatem ma imam huiusmodi selectionis nemo est qui non videat, si elementum stricte sumatur « ex quo componitur aliquid primo » (980).

Re enim vera, opus supra vires idiotae datas comperi, maxime si technice perpendatur.

Sed ne cuiquam desit auxilium ad loca facilius inveniendi in quibus Angelicus Magister doctrinalia elementa tradit, inde, consilio et opera D. Petri Caramello valide fultus, Indicem Elementorum diligentiori modo quo potui sedulo collegi et consequenter subnecto.

A

Abstractio
Res corporales dicuntur cognosci a nobis per abstractionem **176.**
Corpora sunt sensibilia et imaginabilia, non tamen intelligibilia actu **278.**
Nulla forma in materia existens est actu intelligibilis, sed potentia tantum (*ib.*).
Divina participantur in rebus quae se intellectui nostro offerunt **177, 729.**
Obscuritas creaturarum corporalium in hoc attenditur quod non sunt intelligibilia actu, sed secundum potentiam tantum **501.**
Homo intellectu cognoscit universalia, sensu vero singularia **726.**
Dicitur « ratio hominis » id quod per considerationem abstrahitur a singularibus ad hominum naturam pertinens **735.**
« Per se » quod importat separationem secundum rationem signat perfectiones formales rerum ipsis inhaerentes **634, 934.**
* Momentum et valor abstractionis in doctrina Dionysii perpendenda veniunt in theoria cognitionis Dei per remotionem et eminentiam. Ista remotio (*remotio*) est abstractio; v. **Nominatio** (Dei).
Accidens
Omne accidens causatur vel ex subiecto vel ex aliquo alio extrinseco **512.**
Causantur a Deo et ea quae quocumque modo insunt ut accidentia **628.**
In quarto gradu entium sunt accidentia quae sunt in novem generibus **655.**
Accidentia fundantur in subiectis **851.**
Actio
In corporibus est actio per contactum, in intellectu per scientiam, in voluntate per unitionem **388.**
Omnis actio cuiuscumque rei ex amore causatur **408.**
In his quae per necessitatem naturae agunt tota diversitatis ratio est ex diversa proportione materiae; in his quae agunt per voluntatem duplex ratio assignatur **502.**
Aliquid fit in altero per hoc quod sua actione transmutat illud in sui similitudinem **824.**
Actio agentis qua facit sibi simile est aliquid egrediens ab agente in patiente (*ib.*).
Actio agentis facientis sibi simile non est continua et sempiterna (*ib.*).
Unumquodque passivum suscipit effectum agentis **845.**
Aequalitas I
Unum in quantitate causat aequalitatem **361.**
Aequalitas II
Aequalitas Deo attribuitur **843, 844.**
Aequalitas attribuitur Deo sicut causae **845.**
Deus praehabet omnem aequalitatem **846.**
Aeterna
Proprie dicuntur aeterna quae non habent causam **869.**
Aeternitas
Esse quod mensurat aeternitas non habet prius et posterius **871.**
Ipsa aeternitas est simplex non habens prius et posterius et sic quidquid mensurat secundum se totam mensurat (*ib.*). v. **Aevum.**
Aevum
Est mensura essendi **203, 310, 627, 631, 757, 871.**
Quatuor sunt acceptiones aevi **869.**
Deus toti aevo dominatur **769.**
Deus est causa et temporalium et aeternorum **875.**
Afflictiones
Sancti cum afflictiones in rebus temporalibus patientes, quodam fervore amoris, spiritualibus magis inhaerent, consequuntur bona spiritualia desiderata **783.**
Agens
Agens agit sibi simile non in quantum est ens quocumque modo, sed in quantum est perfectum **227.**
Agentis perfecti est ut agat per amorem eius quod habet **352.**
Agentis imperfecti, nondum habentis quod desiderat, est quod agat ex desiderio finis (*ib.*).

Aliter assignatur ratio diversitatis in effectibus causae per necessitatem naturae agentis et aliter in effectibus causae agentis per voluntatem **502.**
Agere
Principium agendi est forma per quam aliquid est actu **560.**
Unumquodque agit secundum quod actu est (*ib.*).
Alterum
Modus metaphysicalis quo alterum attribuitur Deo **823.**
Modus symbolicus quo alterum attribuitur Deo **826.**
Amabilis
Deus dicitur amabilis essentialiter **444.**
Deus vult bonum suum et ideo dicitur amabilis a seipso **444**
Amicitia
Omnia bona sunt amica sibi invicem et conveniunt **516.**
Omnia coniunguntur secundum unam connaturalem amicitiam **910.**
Cum volumus bonum esse ei qui amatur, a multis amor benevolentiae vel amicitiae vocatur **404.**
Non debet homo esse piger ad benefaciendum amico **1006.**
v. **Amor.**
Amor
Est unitio et concretio virtuosa **455-456.**
Radix omnium appetitivarum operationum **401. 407.**
Importat habitudinem appetitus ad bonum amantis **404.**
Quadruplex modus amoris **406-407.**
Omnis operatio ex amore causatur **408.**
Amor corporalis est idolum **422.**
Amores encosmici (naturalis, psychicus, intellectualis-humanus) et amores supercosmici (angelicus, divinus) **454, 457.**
Amores creaturarum (nat. psych. intellect. angel.) et Amor Dei **459.**
Omnes amores reducuntur ad Amorem quo Deus amat **460.**
De extasi prout est effectus amoris, v. **Extasis.**
De triplici effectu Amoris, v. **Amor** (Dei).
De quinque proprietatibus amoris; item.
Amor (Dei)
Quomodo Deus amat **409.**
Nomen Amoris commendatur in Deo **412, 414, 415, 417, 419, 421-423, 424, 858.**
Triplex effectus amoris exponitur relate ad Deum **448.**
Quinque proprietates amoris considerantur in amore Dei **449.**
Processus amoris in Deo **450.**
Amor dependens ex bono creato regulatur ab amore qui dependet a Bono increato **459.**
De extasi prout dicitur de Deo, v. **Extasis.**
Angeli
Completio secundum intellectum **47, 183, 286, 327.**
Cognitio Dei **74, 82, 95, 286, 710.**
Spiritualitas Angelorum **184, 711, 712.**
Creatio Angelorum **276, 655.**
Vita Angelorum **277, 679.**
De intellectu Angelorum **278, 712, 726.**
Quinque pertinentia ad conservationem **279.**
De desiderio Angelorum **280, 318.**
De ordine Angelorum **283, 284, 285.**
De Hierarchiae ratione **286, 287, 288, 656.**
Causalitas intelligibilis luminis in Angelis **325.**
In Angelis non est malum **522, 524, 525, 526.**
Angeli excellentius habent esse **615, 616.**
Angelus in sapientia praefertur homini **637.**
Vita Angelorum dependet a Deo **679.**
Particulares proprietates vitae Angelorum causantur a Deo **683, 684, 685.**
Causalitas divinae Sapientiae quantum ad Angelos **710.**
Simplicitas intellectus Angelici manifestatur per remotionem **711.**
Est in Angelis puritas intellectus et splendor **712.**
Angelus cognoscit per mentem non solum universalia sed etiam singularia **726.**
Distributio divinae virtutis pervenit ad Angelos **751, 754, 757.**
Angeli existunt immutabiliter et sine tempore **875.**
Propter primam et simplicem causam pacifice unientem, Angeli tripliciter uniuntur **905.**
Per gratiam non solum Angeli sed et nos pertingere poterimus ad videndum essentiam unius aeterni Dei sed non ad comprehendendum **992, 1000.**
Excellentissimi theologi qui sunt apud nos deficiunt in minimis angelorum **1000**
Imitatio Angelorum **67, 83, 713.**
Quoad triplicem motum Angelorum, v. **Motus.**
Anima (irrationalis)
Creaturae irrationales ex divina Bonitate habent vitam sensitivam **292.**
Desiderant Deum **95, 318.**
Malum non est in animalibus **546, 547.**
Vita sensitiva animalium habet causam in Deo **681, 691.**
Cognitio sensitiva a divina sapientia derivatur **714.**
Distributio divinae virtutis pervenit ad animalia **751, 755.**
Anima (rationalis)
Descriptio animae ad modum corporis **826.**
Rationalia supereminent sensibilibus **617.**
Animae habent esse et bene esse a Deo **655, 657.**
Vita animarum est a Deo **681.**
Animarum rationalitas a divina Sapientia derivatur **713.**
Perfectissimum in homine est anima et in anima intellectus **962.**
Actio divini Luminis in animabus **327, 329, 330, 713.**
In animabus rationalibus relucet divina Bonitas **289, 578.**
Desiderant Deum **95, 318.**
Habent ordinem ad Angelos **290, 687, 713.**
De earum ordine ad Deum per gratiam **291, 330. 688, 705, 923.**
Omnes virtutes radicantur in anima sicut in communi radice **647.**
Distributio divinae virtutis pervenit ad homines **751, 755.**
Animae fiunt malae in quantum deficiunt a bono **544, 545.**
Malum animae est esse praeter rationem **592;** v. **Peccatum.**
Animam rationalem divina Pax reducit ad unitatem secundum triplicem gradum **906.**
Animae quae assistunt malis quibus provident non sunt malae **543.**
Quoad triplicem motum animarum, v. **Motus.**
Anonimus (Deus)
Quia segregatus ab omnibus **96, 143, 180.**
Antiquus dierum
Deus laudatur ut Antiquus dierum **849.**
Duplici ratione dicitur Deus antiquus dierum **860, 862, 863, 864.**
Appetitus
Actus virtutis appetitivae est secundum incli-

nationem quam habet appetens ad rem quae appetitur **191, 427.**
Secundum ordinem appetituum est ordo amorum **402.**
Omnis appetitus deficiens a sua regula tendit in suum obiectum ultra quam rectum sit **537.**
Unaquaeque res appetit suam perfectionem quam a Deo participat et amat eam et cum adepta eam fuerit quiescit appetitus eius **876, 880, 885.**
Impossibile est esse aliquod ens quod totaliter unitionem refugiat et appetat alteritatem et discretionem quae est secundum casum a naturali pace **921**; v. **Passiones; Peccatum.**

Apprehensio
Apprehensio sensitiva est eius quod est hic et nunc **487.**
Veritas existentium radicaliter consistit in apprehensione quidditatis rerum **713.**
Hanc quidditatem rationales animae non statim apprehendere possunt per seipsam, sed diffundunt se per proprietates et effectus qui circumstant rei essentiam ut ex his ad propriam veritatem ingrediantur (*ib.*).

Ars
Nullus sapiens disputat contra negantem principia suae artis **124.**
Omne quod est secundum artem habet aliquam rationem in arte **576.**
Non potest dici quod ratio eius quod est inartificiatum sit in arte (*ib.*). v. **Pulchritudo.**

Aversio
Aversio a regula divinae Voluntatis est malum in daemonibus **573.**
v. **Daemones.**

B

Bonum I
Bonum est quod omnia appetunt **87, 94-95, 317-318, 400, 463.**
De ratione boni est quod ab eo procedant effectus per eius communicationem **136.**
Bonum universaliter se habet ad omnes processiones **213, 262.**
Bonum est universalior et altior causa **226, 227, 616, 994.**
Bonum dupliciter dicitur **404.**
Quadrupliciter contingit aliquid esse bonum alicuius **406.**
Bonum nullo modo contrariatur bono **488, 489.**
Bonum est universalis causa rerum bonarum **498, 500.**
Magis et minus bonum inveniuntur in rebus **501.**
Boni causalitas se extendit ad malum **504.**
Nihil quodcumque videatur malum est totaliter privatum bono **508.**
Bonum non est productivum mali **518.**
Boni est bona producere et conservare **531.**
Bonum procedit ex una et perfecta causa, malum ex multis particularibus defectibus **572, 576. 577-578, 579.**
Bonum est principium mali non per se, sed per accidens **581-582, 584.**
Tria pertinent ad rationem boni in communi **589, 775.**

Bonum II
Deus laudatur ut bonus **269.**
Deus est essentia bonitatis **88, 269.**
Quidquid Deus creaturae communicat, ex sua bonitate communicat **213, 228, 262, 308, 309, 310, 316, 317, 318.**
Divina Bonitas communicat se omnibus per similitudinem suae Bonitatis **501.**
Ultimus omnium finis est Bonitas divina ad quam ordinantur omnes praevii et particulares fines in quos res naturaliter inclinantur **858.**
v. **Amor; Desiderium** (Dei); **Motus; Pulcher.**

C

Causa
Praehabet in se similitudinem sui effectus **86.**
Producit sibi simile **185, 824.**
Finis est prima causarum **87, 227.**
Potest nominari ex nomine sui effectus **89.**
Causa activa finis **92.**
Inter causas et causata non potest esse perfecta comparatio **185, 186, 832.**
Effectus convertitur per desiderium in suam causam **226, 296.**
Omnis causalitas aliarum causarum in Deo praeexistit **391.**
Ab Ipso derivatur **392, 393.**
Ratio diversitatis in effectibus causae per necessitatem naturae agentis et causae agentis per voluntatem **502.**
Quanto aliqua causa est altior tanto ad plura se extendit eius causalitas **296.**
Plus influit causa universalis ad suos effectus quam causa particularis **662.**
Quod non habet finem determinatum sed vagatur circa diversos fines oportet quod sit fluctuans et instabile circa propriam operationem **921.**
Quandocumque aliquod unum convenit multis oportet quod illius unius sit una aliqua causa **574.**
Causa debilis non potest conservare eundem ordinem in causando **579.**
Quae est proportio particularis causae ad suos effectus eadem est proportio universalis causae ad omnia **648.**
Universalis causae virtus non potest comprehendi aut mensurari per ea quae in sensibus apparent **690.**

Clavis aurea
In nobis est duplex compositio intellectus una quae pertinet ad inventionem veritatis, alia ad iudicium **711, 713.**
* Angelicus Doctor aperit nobis thesauros scientiarum naturalium et humanae civilitatis; v. **Cognitio I, Politicus, Regula aurea.**

Centrum
Punctum quod dicitur centrum **645.**

Coaptatio
Habitudo vel coaptatio appetitus ad aliquid sicut ad suum bonum, amor vocatur **401.**

Coelestia (corpora)
Quae pertinent ad spheras **300.**
In stellis fixis quatuor consideranda **301.**
Quod pertinet ad quinque planetas **302.**
De Sole et luna **303.**
Divina virtus custodit invariabiliter substantias et ordines coelestium corporum **757, 789.**
Corpora coelestia sunt loca inferiorum corporum **851.**
Corpora coelestia sunt media inter existentia immutabiliter et ea quae generantur **875.**

Cognitio I
Cuiuslibet cognitionis creaturae est certus terminus **72.**
Omnes cognitiones sunt de rebus existentibus **75.**
Nihil cognoscitur nisi secundum quod est in cognoscente **176, 427.**

Cognitio non trahit cognoscentem ad rem cognitam sed e converso **449.**
Intellectus non fit actu intelligens nisi per participationem intelligibilis quod est ipsum existens **625.**
Tres defectus nostrae operationis intellectualis **684.**
Mens nostra habet intelligentiam naturalem per quam inspicere potest intelligibilia sibi proportionata **705.**
Divinae sapientiae tres sunt effectus in triplici cognitione **714.**
Omnis cognitio est secundum modum eius quo aliquid cognoscitur **724.**
Modus cognitionis sequitur cognitionis principium **726.**
Qui cognoscit veritatem semper eodem modo permanet in una et eadem veritate **738.**
Omnes cognoscentes veritatem in una veritatis cognitione uniuntur (*ib.*).

Cognitio II
Limites et extensio nostrae cognitionis theologicae **13, 16, 19, 32, 44, 72, 897.**
Triplex modus cognitionis excluditur **35.**
Quomodo cognitio occultae Deitatis aliis communicatur **36-38.**
Tres conditiones sanctarum mentium **39.**
Cognitio praesentis vitae **64-65, 69-70.**
Cognitio in vita futura **66-67.**
Cognitio divinorum, per participationem **176.**
Per considerationem superiorum entium tendendum est in Deum **668.**
Quomodo decipimur in cognitione divinorum **704.**
Quomodo hanc deceptionem vitamus **705.**
Cognoscimus Deum ex ordine totius universi **729, 908.**
Hoc ipsum est Deum cognoscere quod nos scimus nos ignorare de Deo quid sit **731, 732.**
Quaecumque alia Dei cognitio discordat a communi christianorum cognitione quae catholica fides nominatur magis dicenda est error quam Dei cognitio **740.**

Connaturalitas
Refertur ad concordiam naturalium appetituum **885, 908.**

Consensus
Refertur ad concordiam voluntatum **885, 908.**

Conservatio
Conservatio in bono multipliciter fit **789.**

Cooperatio
Cuiuslibet ordinis est accipere aliquam cooperationem eorum quae sub ordine continentur, ad quam tria requiruntur **284.**

Corpus
Malum in corpore est defectus alicuius formae aut privatio alicuius ordinis **554, 572.**
Causa malitiae animae non est corpus **555, 566.**
Malum corporis est esse praeter naturalem dispositionem **592.**

Corruptio
Corruptio unius est generatio alterius in quaestione de origine mali **490, 508.**
v. **Generatio.**

Creatura
Non Deus est propter creaturas, sed e converso **91.**
Ex nullo Deus accipere potest aliquid, sed omnia acquirunt quidquid habent ab Ipso **92.**
Rationalis creatura secundum suam naturam defectibilis est **596.**
Comparatur Deus ad creaturas sicut lumen ad tenebras **723.**
Creaturae etsi aliquae inveniantur quae non excidant ab esse simpliciter, possunt tamen excidere ab aliquo in quantum sunt mutabiles **769.**

D

Daemones
Daemones non sunt naturaliter mali **529, 530.**
Daemones dicuntur mali secundum quod carent aliquo bono **533, 535, 545.**
Daemones non totaliter bono privantur **536.**
Daemones defective se habent in operatione quae competit naturae eorum **537, 538-540.**
Desiderant aliquod bonum cum defectu debiti modi et ordinis **541, 599, 600.**
Malum daemonis est esse intellectum non conformem divinae Bonitati **592.**
Causalitas divinae vitae extenditur etiam ad daemonum vitam **685.**
Cognitio daemonum a divina sapientia derivatur **715.**

Deificatio
Dicitur creatura rationalis deificari per hoc quod suo modo Deo unitur **50.**
Perfectio per conformitatem ad Deum **218.**
Divina virtus dat ipsam deificationem **761.**
Per se deitatem nominant quoddam Dei donum per quod aliqui fiunt participative dii **938.**

Deitas
In nomine Deitatis tria intelliguntur **948.**

Desiderium (Dei)
Diversimode diversa Ipsum desiderant **95, 318.**
Circulatio luminis et desiderii **330.**
Omnia convertuntur per desiderium in Deum **317, 832.**
In quolibet desiderato obiecto Deus desideratur **857, 858.**
Divina pax inquantum ab omnibus desideratur habet rationem finis **836.**

Deus
Ipse solus perfecte cognoscit seipsum **13, 19, 23-25, 609, 897.**
In sua essentia est incomprehensibilis et incontemplabilis nobis in statu viae **27, 32, 34, 609, 731.**
Ipse est Causa quae cognosci potest ex effectibus **46, 51, 85, 86-94, 99, 100-101, 392, 393, 610, 624-628, 631, 651, 732, 733, 932.**
Agit per intellectum et voluntatem **88, 271.**
Non venit in compositionem rerum **52, 673, 731, 824, 854.**
Visio Dei per essentiam est super naturam cuiuslibet intellectus creati **82, 609.**
Ipsa divina Essentia remanet imparticipata **158, 178, 934.**
Universis adest **234, 235, 811.**
Quidquid est in mundo sive bonum sive malum est visum a Deo **573.**
Omnia universaliter sunt in Deo, **640, 641, 644-648, 649-650, 662, 665, 666, 708.**
Deus habet universalem habitudinem ad omnia **669, 670, 671, 672.**
Ipse Deus est et locus et fundamentum et vinculum connectens omnia **851.**
Deus est per se vita et causa per se vitae **928.**
Id cuius substantia est suum esse est exemplar omnium existentium **932.**

Deus deorum
Deus laudatur ut Deus deorum, **941, 948, 949, 953.**

Dictio
Contingit unam intentionem significari diversis partibus orationis **412.**

Differentia
Substantiales differentiae **384.**
Differentiae in rebus corporalibus **385, 386.**
Differentiae diversorum generum **387.**
Remotis differentiis quibus aliqua ad invicem differunt, sequitur ea esse idem **484.**
Dilectio
Est appetitus cum cognitione et libera electione **402.**
Dilectio et amor **419, 424.**
Diligibile
Determinat quemdam modum amoris **402.**
Deus dicitur diligibilis essentialiter **444.**
Deus vult bonum suum et ideo dicitur diligibilis a seipso **444.**
Discretio
Communis modus discretionis consideratur secundum processiones et manifestationes Deitatis **136.**
In communi modo discretionis est quaedam discretio et unitio **153.**
In discretione communi est propria discretio secundum processionem unius Personae ab alia **155.**
Sub eodem communi discretionis modo continetur quaedam propria unitio secundum processionem creaturarum **157-161, 163-164, 166-167, 211.**
Discretum est quod pertinet ad Humanitatem Christi **168.**
Discretio secundum processionem creaturarum est cum unitione **213-220.**
Distinctio
Ubi non est distinctio, ordo locum non habet **283.**
Unitati distinctio sive discretio opponitur **361.**
Dissimilis
Dicitur Deus dissimilis **800, 834.**
Doctrina (theologica)
Principia et methodus **11, 15, 31.**
Conditiones quibus doctrina fit vita **39.**
Dicta a sacris Doctoribus servanda **125, 258.**
In expositione doctrinae, vitanda et observanda **130, 260.**
Dominatio
Ad dominationem tria requiruntur: superioritas gradus, bonorum abundantia, potestas regendi subditos **947.**
Dominus dominorum
Deus laudatur ut Dominus dominorum **941, 949, 951, 952, 954, 955, 956.**
Duratio
Duratio uniuscuiusque esse praefigitur et mensuratur a Deo **310, 627, 631.**
v. **Aevum, Tempus.**

E

Effectus
Effectus procedunt per quamdam assimilationem a suis causis **86, 88, 89, 90, 832.**
Ratio diversitatis in effectibus differenter assignatur **502.**
Effectus assimilatur causae **511, 832.**
Effectus sequuntur conditionem causarum et principiorum **515.**
Effectus non participarent causam nisi causa in se praehaberet causaliter ea quae sunt effectuum **662.**
Ex proprietatibus et effectibus causas inveniunt et ex causis de effectibus iudicant **713.**
Omnes effectus praeexistunt virtualiter in sua causa **770, 846.**
Coordinata sunt sibi invicem similia **832.**
Elementa
Non solum ea quae ad singula elementa pertinent divina virtus facit, sed etiam quae pertinent ad commixtionem elementorum in qua tria inveniuntur **758.**
Elementum est ex quo componitur aliquid primo et est in eo et non dividitur secundum formam **980.**
Ens I
Ens dupliciter dicitur **428.**
Ens inquantum ens est bonum **509.**
Quinque sunt gradus entium **655.**
Ens II
Laudatur Deus ut ens **216, 609, 633, 636.**
Error
Error pertinet ad inhaesionem falsitatis **327.**
Error propter quem opinatur esse bonum quod non est bonum est secundum ignorantiam electionis in particulari **586.**
Instabiles et variabiles venti diversorum errorum **739.**
Maximum beneficium alicui impenditur si ab errore ad veritatem reducatur **1006.**
Esse I
Respectus determinatur huius perfectionis ad alias participationes **614, 615, 616-617.**
Omnes creaturae habent esse receptum **629.**
Ipsum esse inter alios Dei effectus est principalius et dignius **633, 635, 638, 639, 650.**
Deus est causa ipsius esse communis **658, 660.**
Ipsum esse est omnibus commune **659.**
Non sic proprie dicitur quod esse sit sed quod per esse aliquid sit **751.**
Per se esse est perfectio quaedam secundum providentiam unius Dei imparticipabilis data creaturis ad participandum **934.**
Esse II
Deus est causa omnium quae ad esse pertinent **623, 624-628, 631.**
Solus Deus est ipsum esse subsistens **629.**
Essentia
In rerum essentiis processus et ordo **197.**
Omnis essentia vel est forma simplex vel habet complementum per formam **360**
Quomodo cognoscitur essentia ab intellectu humano **713.**
Excessus
Duplex: in genere et extra genus **343.**
Excessus in rebus creatis multipliciter attenditur **806.**
Secundum rationem excessus tria sunt consideranda in effectibus **807.**
Exemplaria
In Deo praeexistunt exemplares rationes omnium entium **662, 664.**
Illae solae rationes intellectae a Deo, exemplaria dici possunt ad quarum imitationem vult res in esse producere **665, 666.**
Exemplaria rerum non sunt quaedam suprema entia separata **667.**
Extasis
Est effectus amoris **427-433.**
Manifestatur in creaturis **435, 436.**
Etiam in Deo invenitur **437.**
Non est nobis nocivum si nos ipsos deseramus **706.**
Per veram fidem est passus extasim veritatis **739.**

F

Fatum
Inevitabilis causarum series **241.**

Fides
In doctrina fidei quibus principiis utendum **7, 11.**
Non pertinet ad theologum probare ea quae sunt fidei ei qui Scripturas non recipit **124.**
Per unitionem gratiae homines coniunguntur per fidem aut quamcumque cognitionem ad ea quae sunt super naturalem mentis virtutem **705.**
Divina fides firmiter locat credentes in veritate et veritatem in ipsis **737.**
Fides habet triplicem firmitatem **738, 739, 740.**
Fieri
Una creatura fit in alia dupliciter **824.**
Finis
Bonum habet rationem finis; finis autem, primo, habet rationem causae **227.**
Res sunt quasi dispersae et segregatae secundum quod ad diversos fines proprios ordinantur, sed in quantum communicant in ordine ad ultimum finem sic congregantur **316, 516, 885.**
Motus qui sunt ad fines secundos, ordinantur ad motum qui est ad finem ultimum **367.**
In his quae agunt per voluntatem attenditur diversitas effectuum ex parte finis **502.**
Ex parte finis qui est complementum universi attenditur diversitas effectuum divinorum **503.**
Ad bonitatem divinam sicut ad finem ordinantur omnes praevii et particulares fines in quos res naturaliter inclinantur **858.**
Ad consequendos diversos fines necesse est homines diversas facultates habere **946.**
Firmitas
Quatuor sunt modi quibus aliquid firmatur **851.**
Forma
Omnis forma per quam res habet esse est participatio quaedam divinae claritatis **349.**
Forma est quaedam irradiatio proveniens ex prima claritate **360.**
Ipsae formae in materia existentes sunt principia actionum **550.**
Omnis forma recepta in aliquo limitatur et finitur secundum capacitatem recipientis **629.**
Omnis operatio est secundum modum formae quo aliquis operatur **724.**
Formae fundantur in materiis **851.**
Forma per quam unaquaeque res continetur in suo esse, terminus dicitur **921.**
Partes participant forma totius **978, 979.**

G

Generatio
Viventes inferiores subiacent generationi et corruptioni et varietati **277.**
Omnes quod est generativum existentium confert ad perfectionem universi **490.**
Malum non generat inquantum est malum sed inquantum est bonum **492, 495.**
Res quae est mala, inquantum habet aliquid de bono est existens et operativa generationis **497.**
Quaecumque generantur non perveniunt ad suam perfectionem nisi post determinatum tempus **547.**
Deus omnibus generationem tribuit **628.**
Generatio est transmutatio ex hoc toto in hoc totum **821.**
Genus
In genere vel specie comprehenduntur universalia principia in actu, singularia autem in potentia **626.**
Genus et species dicuntur entia rationis **655.**
Gloria
Vita gloriae est beata et immortalis **689.**
v. **Resurrectio.**
Gradus
Omnes gradus entium sunt a Deo **653, 655.**
Gradus supremorum entium **656.**
Gradus in inferioribus **657.**
Gratia
Vita gratiae elargitur a divina Vita **688.**
v. **Purgatio.**
Mens nostra habet quamdam unitionem ad res divinas per gratiam **705, 706.**
v. **Deificatio.**
Homo perficitur per gratiam quam habet a Deo **962.**
v. **Incarnatio.**
Gubernatio (divina)
In gubernatione rerum quatuor sunt attendenda **839.**
v. **Providentia; Regimen** (divinum).

H

Harmonia
Est concors consonantia quae causatur secundum consensum et connaturalitatem **908.**
v. **Pax** II.
Hierarchia
Actio hierarchiae est dirigere ad sacra et secundum hoc sunt triplices hierarchiae actiones **286.**
Tres sunt Angelorum hierarchiae **656.**
Hypotyposibus (de divinis) pr. I a, **3, 81, 119, 126, 134, 172, 924.**

I

Illuminatio
Obiective: est veritas revelata **44.**
Subiective: est lumen gratiae in nobis **49, 329, 330.**
Idem I
Unum in substantia facit idem **361.**
Idem II
Deus dicitur idem **800.**
Attribuitur idem Deo secundum Eius immutabilitatem **815.**
In Deo est perfectissima identitas omnem diversitatem excludens **816.**
Per Deum alia identitatem habent **822.**
Ignorantia
Ignorantia pertinet ad remotionem veritatis **327.**
Ignorantia veritatis tria facit **329.**
Illi qui ignorant dividuntur per diversos errores **332, 738.**
Qui voluntarie ignorant dirigi nolunt **1004.**
Imago
Illud quod participative et secundario habet aliquid est imago eius quod primo et causaliter habet illud **522.**
Actus imaginis est ut manifestet illud cuius est imago (*ib.*).
Immortalitas
Illud proprie et vere est immortalis quod non indiget aliquo extrinseco ad id quod semper vivat sed habet semper vivere ex seipso **679.**
Immutabilitas
Immutabilitas Dei primo attenditur quantum ad hoc quod non transmutatur secundum esse et non esse **815, 817, 819.**
Imperfectum
Quatuor modi quibus aliquid dicitur imperfectum **965, 966, 967, 968.**

Inaequalitas
Iustitia distributiva excludit inaequalitatem proportionis, inaequalitatem autem quantitatis causat **794, 795.**
Iustitia Dei est conservativa inaequalitatis in universo **796.**
Inanimata (corpora)
Desiderant Bonum divinum **95, 318.**
Omnis substantia inanimata habet esse ex divina Bonitate **294.**
Distributio divinae virtutis pervenit ad res inanimatas **751.**
Incarnatio (Verbi)
Laudatur Deus ut benignus **59.**
Errores excluduntur **60-62, 168.**
Mysterium Incarnationis distinctim ad divinam personam Filii pertinet **127, 168.**
Mysteria Incarnationis ineffabilia **188.**
Causalitas Verbi **198-205.**
Laus Incarnationis Eius **207.**
Sufficiens aliquid dici non potest de pietate Dei quae effundit pacem in mundum per Christum **923.**
Incommunicabile
Singulare est quod est incommunicabile **135.**
Individuum
Ipsum singulare quod in se actu complectitur principia et universalia et individualia **626.**
Infinitum I
Dicit aliquid infinitum secundum quod est indeterminatum **387.**
Nihil dicitur infinitum quin sit secundum aliquid finitum **806, 964.**
Infinitum II
Virtus Dei quintupliciter dicitur infinita **750.**
Deus est omnibus infinitus **806, 964.**
Ingenitum
Aliquid dicitur non-generatum quadrupliciter **819.**
Deus dicitur ingenitus differenter ab iis quae non dicuntur generata **820, 821.**
Integrum
Differt a perfecto, ratione **115.**
Intellectus
Quanto aliquis intellectus est altior et perfectior, tanto plura in uno potest comprehendere **251.**
Intellectus non fit actu intelligens nisi per participationem intelligibilis quod est ipsum existens **625.**
Per intelligentiam mens nostra inspicere potest intelligibilia proportionata **705.**
In nobis est duplex compositio intellectus **711.**
Homines intellectus angelici **713.**
Investigare
Est per vestigia alicuius euntis per viam ad viae terminum perduci **34.**
Deitas investigari non potest (ib.) **702.**
v. **Ratio 906.**
Iustitia (Dei)
Inter virtutes morales sola iustitia potest Deo magis proprie attribui **771.**
Convenit iustitia Deo secundum tres actus **775, 776, 777.**
Proprium divinae iustitiae est quod animosam virtutem non destruat aut emolliat per collationem prosperitatis **783.**

L

Lex (naturalis)
Lex Dei est cuilibet creaturae infixa naturalis inclinatio ipsius ad agendum id quod convenit ei secundum naturam **857.**
Liberatio
Deus salvat a malo et hoc multipliciter **793.**
Liberum Arbitrium
Culpa daemonum ex libero arbitrio **541, 715.**
Malitia animae ex libero arbitrio in hoc quod male utitur corporalibus rebus **555; 577, 780.**
Restitutio eorum qui cadunt secundum liberum arbitrium **792, 945.**
Locus
Locus mensurat ambiendo corpus localiter **310.**
Locus dicitur esse maior qui est magis continens **806.**
Ipse Deus est et locus et fundamentum **851.**
Logos
Deus laudatur ut *Logos* **735.**
Lumen
Sensibile lumen, v. **Sol.**
Intelligibile lumen, nomen Dei **325.**
Tres habitudines divini Luminis **331.**
Finis et fructus causalitatis Luminis **332.**

M

Magnum
Magnum creaturis attribuitur secundum rationem excessus **806.**
Magnum II
Deus laudatur ut magnus **800.**
Deo qui est omnium causa attribuitur magnum **804.**
Secundum quamdam rationem similitudinis Deus dicitur magnus quantum ad Eius substantiam **806.**
Attribuit Deo magnum secundum rationem excessus qui consideratur ex parte effectuum **807.**
Attribuit Deo magnum secundum dissimilitudinem **808.**
Malum
Malum non est aliquid existens secundum suam naturam **475-476, 477, 556.**
Malum per seipsum non est aliquid existens **478, 479-480, 509.**
Malum secundum seipsum est corruptivum **492.**
Impossibile est quod malum sit in existente **511, 512-513.**
Malum non est aliquod primum principium contrarium Deo **515, 562, 574, 591, 592.**
Malum non est in Deo **516.**
Malum nullo modo est ex Deo **518, 519.**
In nobis malum est per hoc quod pars sensitiva non regulatur ratione **539.**
Omne quod est causa mali est etiam causa alicuius boni **573.**
Causae malorum sunt virtutes bonum facientes **580, 581-582.**
Malum non habet principium nisi per accidens **584, 585.**
Malum variari potest ex parte privationis **588.**
Malum variari potest ex parte boni quo privatur **589, 590.**
Mansio
Quinque sunt ea per quae potest impediri mansio alicuius in aliquo **816.**
Materia
Posita in ordine non-entis a Platonicis **226, 295, 559.**
Fit actu per formam **227.**
Materia prima desiderat bonum **296, 355, 463.**
Similitudo Causae primae in materia prima **297, 298.**
In materia non est malum **559, 560, 561-562, 563.**

Tres utilitates materiae **563, 564, 565.**
Materia secundum se est bona **567, 568.**
Subiectum variationis et motus est materia **683.**
Mens
Mens nostra nunc passibilis est per accidens ex unione ad corpus et materialis efficitur secundum affectionem ad res materiales **67.**
Mens in traditione doctrinae **258.**
Mens comprehensiva est totius esse **625.**
Mens nostra duo habet ad intelligibilia cognoscenda **705.**
Mensura
Deitas Christi est mensura existentium **203.**
Divina Bonitas est mensura existentium **310.**
Ipsum divinum Esse est mensura omnium saeculorum **627.**
Modus
Tres modi addiscendi **190.**
Bonum in modo **589, 775.**
Incommensuratio est per privationem modi **190.**
Modum unicuique proprium, mensura praefigit **775.**
Mores
Est contrarietas virtutis ad malum **485.**
Adulterium corrumpit virtutem **492, 581, 586.**
Ea quae dicuntur mala in moribus habent aliquid de bono **507, 581.**
Ad actum requiritur quod sit commensuratus secundum omnes debitas circumstantias, quarum quaecumque tollatur efficitur actus vitiosus **752.**
Quia rationalis creatura secundum suam naturam defectibilis est et per liberum arbitrium potest deficere non pertinet ad divinam Providentiam ut eius mobilitatem impediat **596.**
Motus I
Duplex motus **369.**
Motus corporum coelestium **300, 302, 303.**
Motus circularis Angeli **371.**
Motus rectus Angeli **372.**
Motus obliquus Angeli **373.**
Oportet aliter motum circularem Animae quam Angeli exponere **375.**
Motus circularis Animae **376.**
Motus obliquus Animae **377.**
Motus rectus Animae **378.**
Tres motus in rebus sensibilibus **370, 381.**
Prima motiva sunt immobilia **919.**
Motus II
Ex Pulchro divino causantur omnes motus **367.**
Describitur Deus ut motus **800, 840.**
Deus dicitur moveri duplici ratione **841.**
Deo attribuuntur differentiae motus recti obliqui et circularis **842.**
Deus est intransmutabilis semper permanens in seipso **862, 895, 919,**
Multitudo
Procedit ex uno tripliciter **214.**
Uni opponitur **579.**
Omnia multa quae sunt ex uno principio, praeexistunt unite in principio primo **649.**
Omnia multa sunt unum secundum aliquid **975.**
Omnia quocumque modo sint multa conveniunt tamen in aliquo uno **976.**
Unum est principium multitudinis **977.**
Mystica (de... Theologia) pr. I d, **104.**

N

Natura
Naturam naturantem quidam nominant Deum **550.**
Natura universalis dicitur vis activa primi corporis **550, 646.**
Nihil potest contrariari naturae universali **551.**
Malum naturae est non posse pertingere ad ea quae pertinent ad perfectionem propriae naturae **552.**
Omne quod est secundum naturam est aliquo modo in natura **576.**
In universali natura adunantur rationes cuiuslibet naturae particularis **646.**
Nomina (divina)
Eorum significatio et valor quoad cognitionem Dei **29, 30, 609, 661.**
Duo cognoscimus **45.**
Distinguuntur secundum processus perfectionum **53, 610, 939.**
Modus determinandi de divinis Nominibus **105.**
Duo genera nominum **126, 127.**
Nomina communia tribus Personis **119, 120.**
Nomina communia et unita **211.**
v. **Discretio; Unitio II.**
Quomodo sit possibilis tractatio de divinis Nominibus **77;** v. **Nominatio** (Dei).
Nominatio (Dei)
Tres modi Dei nominationum **79.**
Primus modus per remotionem **81, 83, 84, 298, 355, 392, 463, 630, 673, 702, 721, 729, 995, 996,** v. *Mystica* (de Theologia).
Secundus modus est per intelligibiles processiones **97, 98, 99, 261, 262, 263, 264 265, 629, 661, 669, 729, 994,** v. *Nominibus*, (de divinis).
Tertius modus est per sensibiles similitudines **102, 322,** v. *Symbolica* (de Theologia).
Nominatio perfecta **228.**
Nominibus (de divinis) pr. I b, **105, 227.**
Numerus I
Est mensura **310.**
Quantitas discreta **386, 387.**
Unitas virtute est omnis numerus **644.**
Excessus secundum numerum **806.**
Iunior, prioritas secundum rationem numeri **864, 977.**
Unum de numero praedicatur **974.**
Numerus II
Deus laudatur ut numerus rerum omnium **310, 806, 864.**
Deus est causa et super omnem numerum **991, 992.**

O

Omnipotens
Deus laudatur sicut omnipotens **849, 851-852.**
Omnipotentia
Ratio omnipotentiae ostenditur secundum quatuor in quibus ratio potentiae consideratur **851.**
Operatio
Operatio vel motus viventis inest ei per seipsum **678.**
Deus est causa in omnibus rebus propriae et mundae operationis **786.**
Quia artifex habet finem determinatum suae operationis regulariter operatur secundum regulam finis **921.**
Oratio
Ab oratione incipiendum **229, 230**
Est appropinquatio ad Deum **231, 232.**
Tria requiruntur ad hoc quod oratio nos faciat Deo propinquos **233.**
Quinque opiniones circa orationem **241.**
Rectum iudicium de oratione **242.**
Ordo I
Ordo universi quomodo salvatur **22, 99, 908.**
Ad ordinem tria concurrunt **283.**

Eorum quae sunt in ordine est duplex finis **285.**
Rationem tam temporis quam numeri sequitur ordo **310.**
Ad ordinem rerum quae pertinent **362, 363, 364, 365.**
Morbus est defectus alicuius ordinis **508, 554.**
In malo est privatio ordinis **589.**
Ordo ad rationem boni pertinet **590.**
Tria requiruntur ad tranquillitatem ordinis **891.**
Ordo II
Deus est finis Angelorum sub ordine contentorum **285.**
Deus est ordo omnium **310, 908, 992.**
Hoc ipsum quod res ordinantur in Deum ab Ipso habent **316, 317, 318, 340, 910.**
Ordo amorum ab Amore divino **457.**
In ordine ad Bonum divinum omnia mansuete et sine impedimento se habent ad invicem **516.**
Divina virtus conservat cuiuslibet rei ordines **756, 786.**
Originale (peccatum)
In peccato originali hanc maculam attraxit ipsa infectio corporis **555.**

P

Participatio
Divinorum cognitio fit per participationem **176.**
Duplex participatio **177.**
In causatis **186, 823.**
Pulchritudo est participatio primae Causae **337.**
Participatio divinae bonitatis est secundum diversos gradus **167, 501, 503, 509.**
Principium imparticipatum causa est et participationum et participantium **934, 935, 936, 937, 938.**
Parvum
Parvum attribuitur Deo **800, 811.**
Manifestatur divina parvitas per quinque differentias **812.**
Passio
Passio magis ad appetitum quam ad cognitionem pertinere videtur **191.**
Earum influxus per modum causae formalis **186.**
Dicuntur passiones motus appetitus sensitivi qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem potentiam **487.**
Contrariantur virtuti secundum quod inordinatae sunt **487, 507, 543, 793.**
Homines sapienter impugnationem passionum sedarent sub una conditione **922**; v. **Amor 401.**
Passiones in animalibus non sunt in eis malae **546.**
Pati
Est in abiiciendo aliquid a substantia **560.**
Dicit recipere tantum (*ib.*)
Pax I
Ratio pacis consistit in quiete appetitus **876.**
Pacem aliquid habere dicitur ad seipsum et ad alia ex quadam unione qua omnis repugnantia excluditur **880.**
Nomen pacis magis frequentatur in rationalibus creaturis **885.**
Unitas pacis in tranquillitate ordinis consistit ad quam tria requiruntur **891.**
Signum perturbatae pacis solet esse strepitus et clamor **895.**
Nihil totaliter excidit ab unitione pacis **920, 921.**
Pax II
Deus laudatur ut Pax **516.**
Laudare divinam pacem secundum quod in se est, non sufficimus **880.**
Divina pax est causa finalis omnium rerum **886.**
Divina pax est unitiva omnium **887, 888, 889.**
Prima Causa pacis omnibus supervenit **890, 891, 892, 899, 901, 902, 903.**
Ex divina pace statuitur in rebus harmonia concors **910, 911, 912.**
Peccatum
Peccatum quo inquinatur voluntas contingit ex hoc quod homo propter bonum temporale ab incommutabili Bono avertitur **48.**
In peccato actuali malitia animae est ex libero arbitrio **555, 566, 573, 586, 780, 793.**
Anima secundum suas operationes aliquando est bona, aliquando mala **578.**
Peccatum dicitur et in natura et in arte et in voluntate, quando actus non pertingit ad debitum finem **589.**
Quomodo peccatum contingat esse in cognitione **602.**
Peccatum est puniendum **604.**
Aliter restituuntur quae cadunt secundum liberum arbitrium atque aliter ea quae cadunt secundum naturalem corruptionem **792, 793.**
Liberati a peccato operamur quae Dei sunt **923.**
Perfectio
Quoad vitam spiritualem **50.**
Res quae fiunt tunc ad finem suae perfectionis perveniunt quando consequuntur naturam et virtutem propriae speciei **114.**
Perfectiones absolute rebus convenientes **797.**
Unaquaeque res appetit suam perfectionem quam a Deo participat et amat eam **876.**
Nulla perfectio est in rebus quae non sit aliqua Dei similitudo **823.**
Perfectiones metaphysicales explicantur per criticam idearum subsistentium **931, 932, 933, 934.**
In perfectione creaturae tria sunt consideranda **964.**
Perfectum I
Perfectum dicitur quasi complete factum **114.**
Perfectum est quod potest sibi simile facere **227, 968.**
Quatuor modi quibus aliquid dicitur perfectum **962.**
Perfectum II
Deus laudatur ut perfectus in quantum maxime est in sua natura et virtute **114, 959, 962.**
Tria consideranda in perfectione creaturae quae excluduntur a Deo **964.**
Quatuor sunt de ratione divinae perfectionis **965, 966, 967, 968.**
Per se
Secundum quod per se importat separationem realem, per se vita est ipse Deus **634, 928, 934.**
Secundum quod per se importat separationem solum secundum rationem per se vita est quae inest viventibus **634, 934.**
Persona
v. **Substantia 626.**
Phantasia
Dum non regulatur ratione, contra veritatem protervit **539.**
Plantae
Desiderant divinum Bonum **95, 318.**
Plantae ex divina Bonitate habent vitam vegetativam **293, 681, 691.**
Vita ultra plantas non procedit **681.**
Distributio divinae virtutis pervenit ad plantas **751, 759.**
Politicus
Ordo politicus quomodo salvatur **22.**
Quid requiritur ad bonitatem regiminis **99.**
Iustitiae proprium est quod ordinem in rebus statuat **778.**

Contingit aliquem aliquibus principari dupliciter **856.**
Posset contingere quod aliquis principans in persona sua desiderabilis esset, sed leges graves subditis daret **857.**
Ad rationem pacis duo concurrunt **885.**
Ad tranquillitatem ordinis tria requiruntur **891.**
Per hoc quod id quod est proprium uniuscuiusque rei conservatur, et servatur pax et unitas rei ad seipsum **917.**
Bellum in rebus esset, nisi confusio tolleretur quia una res non contineretur intra limites proprios sed quodammodo invaderet alienos **918.**
Impossibile est quod homo superfluis et inordinatis desideriis subiacens, omnia desiderata consequi possit et ideo tales quaerentes pacem lites commovent ut sua desideria impleant **922.**
Quamvis sit unus communis totius multitudinis finis, tamen sunt multi et differentes diversorum fines particulares **946.**
In omni directione quatuor sunt consideranda (*ib.*).
Polyonymus (Deus)
Laudatur ex multis causatis **98.**
Possidere
Homo volens singulariter possidere quod amat non patitur illud ab alio amari **438.**
Praeferri
Dupliciter unum potest alteri praeferri **637.**
Primum
Primum dicitur quod est imparticipatum **116.**
Principari
Duplex modus principandi **856.**
Principium
Primum principium oportet esse simplex **513.**
Non sunt duo prima principia contraria **515.**
Res incipiunt esse ex primo Principio et in ipso conservantur **657, 932, 991.**
Priora
Semper in posterioribus priora salvantur **697.**
Privatio
Necessarium est materiam a privatione distinguere **226, 295.**
Ipsa privatio per bonum firmatur **504, 506, 507, 508, 509, 569.**
Variatio mali ex parte privationis **588.**
Deus liberat a privatione **793.**
Processiones
Duplex processio **153.**
Processio creaturarum est quodammodo divina discretio non tamen eo modo quo processio divinarum Personarum **158, 159, 160, 797.**
v. **Processus.**
Processus
Resolutionis et compositionis **51.**
Secundum processus perfectionum distinguuntur divina nomina **53-54, 610.**
Processus in rerum essentiis **197.**
Ens dictum de Deo signat processum existentium a Deo **632.**
Proportio
Est habitudo unius quantitatis ad aliam **385.**
Inaequalitatem proportionis iustitia distributiva excludit **794.**
Ad iustitiam pertinet quod det unicuique secundum propriam proportionem **795.**
Providentia
De Providentia et oratione **241, 242, 243.**
Laudatur ex omnibus causatis **90, 611, 613.**
Malum non est intentum seu causatum ex divina Providentia **594.**
Divina Providentia bene utitur malis **595.**
Malum non debet esse totaliter per divinam Providentiam impeditum **596.**
Dona ex sua providentia a Deo collata **841, 953, 956.**
Omnia Dei providentiae subsunt **851.**
Pertinet ad Providentiam Dei ut bellum a rebus excludat **918.**
In nomine Providentiae intelligitur cognitio directiva et inclinativa ad rerum gubernationem **948.**
v. **Gubernatio; Regimen** (divinum).
Prudentia
Est ratio recta in agendis **708.**
Pulchritudo
Ratio pulchritudinis **339.**
Causalitas divina pulchrificans **340, 938.**
Requiritur ad pulchritudinem et claritatem forma et commensuratio quae ad ordinem pertinet **554, 560, 589.**
Pulchrum
Laudatur Deus sicut pulcher **59, 334.**
In Deo est pulchrum et pulchritudo **336.**
Est pulcherrimus et superpulcher **343, 345-346, 347.**
Causalitas pulchri **349, 352-354, 382.**
Pulchrum et Bonum differunt ratione **356, 590.**
Diversitas causatorum in causalitate Pulchri **358, 360, 361, 362-365, 367, 384-387.**
Diversi modi causandi conveniunt Pulchro **390.**
Punctum
Exemplum pro participatione **163, 165.**
Omnia sunt in Deo: exemplum **645.**
Punire
Qui puniunt non sunt mali **527.**
Purgatio
Quinque pertinent ad purgationem **48.**
Spiritualis tenebra removetur **329.**
Pyxis nautica
Aedificatore recedente, domus remanet quia est causa domus quantum ad fieri et non quantum ad esse **631.**
Si Deus ab effectu recederet, effectus non remaneret, quia est causa ipsius esse (*ib.*).
* Inter scientismi athei et materialismi historici scopulos, navigatio tuta procedit. Sunt enim quidam clamantes: « *recede a nobis* » (*Iob* 22, 17) et « domus remanet »; inde « athei in mundo » (*Eph.* 2, 12) fiunt, dum tamen Ipse « est causa ipsius esse ».

Q

Quantitas
Differentiae ad quantitatem pertinentes **385, 386, 387, 797, 806.**
Aequalitas quantitatis **845.**

R

Rarum
Subtile dicitur quod est rarum **810.**
Ratio
Sapientia humana secundum naturalem rationem procedit **6.**
Ratio connutritur sensibus, a sensibilibus veritatem colligens **704**; v. **Abstractio.**
In processu rationis est quaedam convolutio ut circulus **713.**
Ex nomine rationis quatuor intelliguntur **735.**
Investigatio rationis nullum effectum haberet nisi ad intelligibilem veritatem perduceret **906.**
Pugna passionum contra rationem **487, 489, 507, 537, 539**; v. **Passiones.**
Fides est supra rationem **124.**

Veritas divina rationem excedit **702, 994.**

Regimen (divinum).
Divinitas omnia tenet eo modo quo ille qui principatur aliquibus dicitur eos tenere **855, 947, 948**; v. **Gubernatio, Providentia.**

Regnum
Quae requirantur ad regendam multitudinem **946.**

Regula aurea
Revelationi divinae innitendum non rationi humanae in doctrina fidei **6.**

Regula magistralis
Omnia nomina designantia effectum in creaturas pertinent ad divinam Essentiam **126.**

Resurrectio
Divina Vita promittit quod transfert nos totos ad vitam perfectam **689.**
Quod corpora mortua resurgant apparet quiddam divinum et supra naturam quae a nobis cognoscitur **690.**

Revelatio
Apostoli et Prophetae moti sunt ad loquendum a Spiritu Sancto eis revelante et in eis loquente **6, 11, 13**; v. **Clavis aurea; Fides; Scriptura Sacra.**

Rex regum
Deus laudatur ut Rex regum **941, 949, 951, 954, 955, 956.**

S

Saeculum
Unum saeculum dicitur tempus quo una generatio hominum durare potest **627.**
Unum saeculum dicitur tempus quo solet durare communiter memoria factorum humanorum (*ib.*).

Salvatio
Omnis ratio salvationis consistit secundum quod res conservantur in his quae eis conveniunt secundum suam proprietatem **786.**
Conservatio in bono multipliciter fit **789, 790, 791, 792.**

Sancti
v. **Afflictiones.**

Sanctitas
Tres sunt gradus munditiae qui ad sanctitatem requiruntur **945.**
Munditiae adiunguntur diligentia et claritas **950.**

Sanctus Sanctorum
Deus laudatur ut Sanctus sanctorum **941, 949, 954, 955, 956.**

Sapiens
Laudatur Deus sicut sapiens **59.**
Divina vita sapiens est **697.**
Deus est sapiens alia cognoscendo **698, 719.**
Deus cognoscit omnia per ipsam primam causam omnium **722, 723.**
Deus omnia cognoscit et producit per unum quod est Eius essentia **724.**
Non est in Deo alia cognitio qua cognoscit seipsum et alia qua communiter comprehendit omnia **725.**
Deus cognoscit res per cognitionem quae est ad modum suiipsius **726.**

Sapientia
Nomen sapientiae significat processum qui extenditur ad omnia quae cognoscunt **610, 650.**
Vita divina laudatur ex sapientia tripliciter **697.**
Divina sapientia est super omnem sapientiam **698, 700, 708.**
Tres conditiones in causalitate divinae sapientiae **708.**
Profunditatem divinae Sapientiae perscrutari non possumus **732.**

Scriptura (sacra)
Auctoritas **6, 21, 64, 251.**
Virtualitas doctrinae revelatae **11.**
Luminis radium **15-16.**
Est regula **125.**
Duplex modus invenitur in Scripturis ad signandum excellentiam divinorum **701-702.**
Nota de libro Sapientiae **419.**
v. **Modus, 190.**

Sensibilia
Sensibilia sunt praeambula ad intelligibilia **414.**

Sensus
Sensus, ratio, fides **690, 704.**
Cognitio sensitiva circa multa diffunditur **714.**

Sessio
Deus describitur immobilis et sedens **800, 837.**
Deus est causa omnis sessionis **838, 854.**

Sigillum
Exemplum ponitur **164, 165.**

Silentium
Divinum Silentium per Angelos enuntiatum **288, 526.**
Divinum silentium vocatur et ineffabilitas **894, 895, 896.**
Ineffabilia veneramur per hoc quod ea silemus **44.**

Signum
Signa ad divina cognoscenda **69.**

Similis
Deus dicitur similis **800.**
Deus est similis sibi ipsi **831.**
Deus qui est omnium causa non potest dici aliis similis sed alia Ei similia esse dicuntur **832.**
Deus est causa similitudinis rebus **833.**

Similitudo
Effectus dependet a causa a qua sola participat similitudinis rationem **832.**
De desiderio Dei, similitudine et assimilatione (*ib.*).

Sol
Obscura imago Bonitatis Dei **270-271, 287, 306, 311, 312, 313, 319, 320, 662.**

Species
Ad rationem boni pertinens **589, 775.**
Quintus gradus eorum quae non sunt in rerum natura, sed in sola cogitatione **655.**
v. **Genus, 626.**

Speculum
Duo considerantur in speculo **524.**
Inde exponitur quomodo Angelus sit imago Dei **524, 525.**

Spiritualitas
Spiritualitas exponitur per tria **184.**

Statio
Describitur Deus ut stans **800, 837.**
Deus est causa omnis stationis **838.**

Stoichiosibus (de theologicis)
Opus Hierothei **189, 190, 250-253.**
Fragmentum Christologicum **193-207.**

Studium
Modus addiscendi **190.**

Substantia I
Productae sunt in esse subsistenti coelestes creaturae in quibus invenitur substantia, virtus et operatio **276; 501, 659, 757.**
Substantiae incorporeae incorruptibiles, substantiae corporeae incorruptibiles, substantiae corporeae corruptibiles **299, 655.**
Omne quod habet substantiam habet principium et finem suae substantiae convenientem **581.**

In substantiis existentium possunt considerari personae, substantiae, naturae **626.**

Substantia II
Factus est substantia idest hypostasis nostrae naturae **207.**
Id cuius substantia est suum esse est exemplar omnium existentium **932.**
Deus custodit et conservat substantiam uniuscuiusque **786.**
Deus est absque substantia quasi super omnem substantiam existens **506.**

Subtilitas
Subtilitas parvitatem quamdam signat **810.**

Supersubstantiale; — iter
Essentia super. in unitione divina **142.**
Non-ens dicitur in Deo supers. ter **463, 478.**
Deus est supers. radius **72-73, 732.**
Est supers. ter aeternus **815.**
Statio et sessio attribuuntur Deo supers. ter **838.**
Ipsum Esse supers. est principium **932.**
Omnia praeexistunt in Deo supers. ter **984.**
Deitas Trinitatis una supers. ter **987.**
Unum supers. non connumeratur alteri **991.**
Deitas supers. ter superexistit omnibus **993.**

Symbolica (de... Theologia) pr. I c, **104, 322, 827, 1007.**

Sympathia
Modus addiscendi **191-192.**

T

Tempus
Est mensura motus coeli **757.**
Est mensura generationis et corruptionis et cuiuslibet variationis **871, 872.**
Mensura durationis motus et mutabilium rerum est tempus **310, 627, 860.**
Tempus est mensura durationis **203.**
Per distinctionem annorum et mensium et dierum et motuum distinguimus ea quae aguntur in tempore **303.**
Omnia existentia et mensurae essendi et durationes sunt ex Deo **631, 860, 875.**

Totum I
Totum quod ex partibus componitur **113.**
Totum, consuevit dici quod in partes dividitur vel subiectivas vel integrales **831.**
Quanto aliquod totum in plures partes dividitur, subtiliores partes efficiuntur **260.**

Totum II
Quomodo accipiendum in divinis **113.**

Traditio
In traditione hierarchica sunt quaedam dogmata quae non continentur in sacra Scriptura **64.**
Traditio ut est christiana doctrina **134, 258.**

Trinitas
Laudatur Deus sicut Trinitas, **57, 989, 992, 993.**
Essentia Dei, unitas in Trinitate **81.**
Nomina pertinentia ad tres Personas **127.**
Mysterium processionum divinarum Personarum **181-184.**
In unitione divina esse commune tribus Personis **142.**
Una divinarum Personarum in Alia **145.**
In communi modo discretionis est discretio et unitio **153, 155.**
Nomina de quibus hic agitur sunt communia toti Trinitati **108, 112-116.**
Dei nomina aequaliter dicuntur de tribus Personis **117.**
Nec tamen per hoc inducitur confusio Personarum **123-126.**
In vestibulis Trinitatis **656.**

U

Unio
In unione consistit ratio pacis **920.**

Unitas I
Omnis binarii principium est unitas **512.**
Unitas est mensura numerorum **627.**
Habet in se omnem numerum **644.**
Unitas et numeri propinqui unitati sunt priores **864.**
Est naturale cuilibet rei ut unitatem desideret **886.**
Unitas attribuitur rebus multipliciter **911.**

Unitas II
Per se subsistens **28.**
Maxime Deo attribui videtur propter duo **55-56.**
In unitate essentiae tres Personae uniuntur **159, 161.**
Divina pax causat unitatem in rebus **886.**
v. **Universum 979.**

Unitio I
Primum est unitio **756.**
Unitio cum aliis **901, 902, 903.**
Aliquid stat in naturali unitione per tria **921.**

Unitio II
Communis modus unitionis in primo Principio secundum quod est in se **134-135.**
In praedicto modo est quaedam unitio et discretio **138, 141.**
In unitione communi est unitum et commune quidquid pertinet ad superexcellentiam essentiae divinae **142-143.**
In communi modo unitionis est discretio quae est collocatio unius Personae in alia **145-152.**
Quaedam communicatio Patris et Spiritus Sancti mysterio Verbi Incarnati **168.**
In divina discretione secundum processiones creaturarum est unitio **211, 220, 221.**

Universum
Quod malum per accidens conferat ad pulchritudinem et perfectionem universi non est inconveniens **490.**
Diversi gradus bonitatis sunt ad complementum universi **503.**
Omnia conveniunt in uno ordine universi **908.**
Unitas universi procedit ab unitate divinae Mentis **979.**

Unum I
Unum est ens indivisum **361.**
Unum quinque modis habet rationem principii **972-976, 977, 978, 979, 980, 981.**
Tria dicuntur de uno **984.**

Unum II
Unum attribuitur Deo **217, 896, 971, 984.**
Rationabiliter in sacra Scriptura omnia reducuntur ad Deitatem sicut effectus ad suam causam a qua procedunt **986.**
Unum quod est Deus est ante ipsum unum creatum et ante omnia alia **989, 990, 991.**
Illa quae magis participant ipso uno propinquiora sunt Deo et magis Ei similia **617.**

V

Variabilitas
Principium variabilitatis ex quatuor attenditur **817.**

Verbum - v. **Logos.**
Veritas I
Per lumen intellectuale cognoscitur veritas **332.**
Homines dum uniuntur in veritate in ea conservantur (*ib.*).
v. **Clavis aurea 711; Error 1006.**
Veritas II
Veritati divinae coniungimur per fidem **8, 9, 705, 737, 740.**
Dei iustitiae proprium adiuvare pugnantes pro veritate; firmare eos in pulchra statione bonorum spiritualium per quae in adversis consolantur; eis retribuere in futuro **783.**
Virtus I
Nulla virtus finita extendit se in infinitum, sed ad certum terminum concluditur **72.**
Virtus II
In quaestione de malo si non sit in rebus sequitur identitas virtutis et malitiae **484.**
Item sequitur quod malum non contrariatur virtuti **485, 486.**
Morales virtutes sunt circa passiones sicut temperantia circa concupiscentiam, fortitudo circa timores et audacias, iustitia circa actiones **771.**
v. **Prudentia.**
Virtus III
Deus laudatur ut virtus **745.**
Virtus attribuitur Deo propter tria **748.**
Virtus Dei quintupliciter dicitur infinita **750.**
Infinitas divinae virtutis manifestatur per signa et exempla **751.**
Per hoc quod Deus non potest negare seipsum nihil detrahitur Eius Potentiae **767, 769, 770.**
Virtutes
Per se esse et per se vita dicuntur virtutes vel perfectiones quaedam secundum providentiam unius Dei imparticipabilis datae creaturis ad participandum **934.**
Vita I
Per se vita dupliciter intelligi potest **634, 928.**
Dicuntur viventia in corporalibus quae habent motum ex seipsis **678.**
In nomine vitae duo intelliguntur (*ib.*).
Vita II
Melioratio in spiritualibus secundum tria attenditur **46; 47.**
Mutatio voluntatis in melius per triplicem actionem Dei **47; 48, 49, 50.**
Vita III
Laudatur Deus ut vita aeterna **675, 694, 698.**
Deus est causa ipsius per se vitae **680.**
Causalitas Dei tangit particulares proprietates vivendi **682, 692, 693.**
Quia divinae vitae nulla sapientia deest, laudat eam ex sapientia et hoc tripliciter **697.**
Voluntas
Voluntas nostra non est causa rerum sed a rebus movetur **439.**
In agentibus per voluntatem duplex ratio assignatur diversitatis effectuum **502.**
Omnis voluntas et angeli et hominis est Deo naturaliter subdita **537.**
Bonum voluntatis angelicae et humanae est ut a divina voluntate reguletur (*ib.*).
Consensus refertur ad concordiam voluntatis, in his quae voluntatem habent **908.**

Z

Zelare
Homines rebus materialibus inhaerentes pro illis zelant **783.**
Zelus
Quomodo Deus dicatur zelotes **438.**
Sua Bonitas movet seipsum in seipso **439.**
Omnia quae Deus facit sunt bona et amabilia **440.**

93574

INDEX CAPITUM ET LECTIONUM

pag.
PROOEMIUM SANCTI THOMAE 1

CAPUT I.
Quae sermonis intentio et quae de divinis Nominibus traditio.

pag.
LECTIO I (1ª). *De modo procedendi in hoc opere.*
Textus (nn. 1-10) 4
Expositio (nn. 1-39) 6
LECTIO II (2ª). *De cognitione quam de Deo accipere possumus per divina Nomina.*
Textus (nn. 11-20) 13
Expositio (nn. 40-75) 16
LECTIO III (3ª). *Quomodo Deus nominari possit.*
Textus (nn. 21-30) 24
Expositio (nn. 76-107) 27

CAPUT II.
De unita et discreta Theologia et quae est divina unitio et discretio.

LECTIO I (4ª). *Quae dicantur communiter et quae distinctim in Trinitate.*
Textus (nn. 31-37) 36
Expositio (nn. 108-127) 38
LECTIO II (5ª). *Qualis sit unitio et discretio in divinis.*
Textus (nn. 38-48) 43
Expositio (nn. 128-156) 45
LECTIO III (6ª). *Quomodo sub communi discretionis modo continetur quaedam propria unitio, quae est secundum proportionem creaturarum a Deo, ad totam Trinitatem pertinens.*
Textus (nn. 49-53) 50
Expositio (nn. 157-169) 51
LECTIO IV (7ª). *Quod discretiones divinae non possunt sufficienter a nobis manifestari.*
Textus (nn. 54-60) 54
Expositio (nn. 170-192) 56
LECTIO V (8ª). *Verba Hierothei de Christi Deitate et Incarnatione.*
Textus (nn. 61-70) 62
Expositio (nn. 193-207) 63
LECTIO VI (9ª). *De discretione divina quae attenditur secundum processionem creaturarum.*
Textus (nn. 71-77) 66
Expositio (nn. 208-221) 67

CAPUT III.
Quae orationis virtus, et de beato Hierotheo, et de reverentia et de tractatu theologico

LECTIO UN. (10ª). *Praemittitur quoddam prooemium ad totum opus.*
Textus (nn. 78-94) 71
Expositio (nn. 222-260) 74

CAPUT IV.

De Bono, Lumine, Pulchro, Amore, Extasi, et Zelo; et quod Malum neque existens, neque ex existenti, neque in existentibus est.

pag.

LECTIO I (11ª). *Qualiter bonum sit in Deo et qualiter communicetur Angelis et animabus rationalibus.*
Textus (nn. 95-107) 85
Expositio (nn. 261-291) 87

LECTIO II (12ª). *Qualiter bonum inveniatur in aliis creaturis corruptibilibus.*
Textus (nn. 108-112) 95
Expositio (nn. 292-303) 96

LECTIO III (13ª). *De Lumine sensibili.*
Textus (nn. 113-124) 100
Expositio (nn. 304-320) 102

LECTIO IV (14ª). *De Lumine intelligibili.*
Textus (nn. 125-131) 106
Expositio (nn. 321-332) 107

LECTIO V (15ª). *De Pulchro et quomodo Deo attribuatur.*
Textus (nn. 132-141) 111
Expositio (nn. 333-356) 113

LECTIO VI (16ª). *De causalitate Pulchri, quantum ad diversitatem causatorum.*
Textus (nn. 142-146) 117
Expositio (nn. 357-367) 118

LECTIO VII (17ª). *Quales sint motus divinarum mentium et animarum.*
Textus (nn. 147-150) 120
Expositio (nn. 368-379) 121

LECTIO VIII (18ª). *De causalitate Pulchri et Boni respectu tam horum quam omnium aliorum motuum et quietum.*
Textus (nn. 151-155) 128
Expositio (nn. 380-393) 129

LECTIO IX (19ª). *De Amore.*
Textus (nn. 156-167) 131
Expositio (nn. 394-425) 133

LECTIO X (20ª). *De Extasi et de zelo.*
Textus (nn. 168-172) 141
Expositio (nn. 426-441) 142

LECTIO XI (21ª). *Quomodo Deus et amor et amabilis dicatur.*
Textus (nn. 173-178) 146
Expositio (nn. 442-450) 147

LECTIO XII (22ª). *Verba Hierothei de Amore.*
Textus (nn. 179-183) 150
Expositio (nn. 451-460) 151

pag.

LECTIO XIII (23ª). *Dubitationes.*
Textus (nn. 184-186) 160
Expositio (nn. 461-468) 161

LECTIO XIV (24ª). *Solvitur prima quaestio: an malum sit aliquid.*
Textus (nn. 187-190) 163
Expositio (nn. 469-480) 164

LECTIO XV (25ª). *Ponitur secunda quaestio: unde sit malum.*
Textus (nn. 191-193) 168
Expositio (nn. 481-490) 169

LECTIO XVI (26ª). *Solutio secundae quaestionis principalis.*
Textus (nn. 194-204) 172
Expositio (nn. 491-509) 174

LECTIO XVII (27ª). *Solvitur tertia quaestio: in quibus sit malum, tum in generali, tum in speciali et primo quod non potest esse in Deo.*
Textus (nn. 205-209) 181
Expositio (nn. 510-519) 182

LECTIO XVIII (28ª). *Malum non est in Angelis bonis.*
Textus (nn. 210-213) 187
Expositio (nn. 520-527) 188

LECTIO XIX (29ª). *Daemones non sunt naturaliter mali, et quomodo in eis malum inveniatur.*
Textus (nn. 214-221) 193
Expositio (nn. 528-541) 195

LECTIO XX (30ª). *Quomodo malum sit in animabus.*
Textus (nn. 222-225) 200
Expositio (nn. 542-547) 201

LECTIO XXI (31ª). *Quomodo malum sit in rebus naturalibus.*
Textus (nn. 226-236) 204
Expositio (nn. 548-569) 206

LECTIO XXII (32ª). *Solvuntur quaedam quaestiones secundariae et primo utrum malum causetur ex bono aut ex aliqua alia causa.*
Textus (nn. 237-247) 211
Expositio (nn. 570-592) 213

LECTIO XXIII (33ª). *Secundo, quomodo mala possint esse, divina Providentia existente; tertio, de desiderio mali.*
Textus (nn. 248-256) 221
Expositio (nn. 593-605) 223

CAPUT V.

De Existente, in quo et de Exemplaribus.

pag.

LECTIO I (34ª). *Praemissis quibusdam necessariis ad propositam intentionem prosequitur de causalitate primi Entis.*
Textus (nn. 257-274) 228
Expositio (nn. 606-650) 231

LECTIO II (35ª). *Quod Deus est causa omnium particularium entium secundum quod sunt in propriis naturis.*
Textus (nn. 275-281) 242
Expositio (nn. 651-662) 244

LECTIO III (36ª). *De Exemplaribus.*
Textus (nn. 282-284) 248
Expositio (nn. 663-673) 249

CAPUT VI.

De Vita.

LECTIO I (37ª). *De universali causalitate Dei respectu vitae et respectu quarumlibet proprietatum vivendi in Angelis.*
Textus (nn. 285-289) 253
Expositio (nn. 674-685) 254

LECTIO II (38ª). *De divina causalitate quantum ad proprietatem humanae vitae et inferiorum viventium.*
Textus (nn. 290-296) 257
Expositio (nn. 686-694) 258

CAPUT VII.

De Sapientia, Mente, Ratione, Veritate et Fide.

LECTIO I (39ª). *Quomodo Sapientia in Deo accipiatur.*
Textus (nn. 297-303) 260
Expositio (nn. 695-706) 261

LECTIO II (40ª). *Quod divina Sapientia est omnis sapientiae causa.*
Textus (nn. 304-312) 264
Expositio (nn. 707-716) 265

LECTIO III (41ª). *Quomodo per divinam Sapientiam Deus cognoscat.*
Textus (nn. 313-319) 269
Expositio (nn. 717-726) 270

LECTIO IV (42ª). *Quomodo Deus cognoscatur.*
Textus (nn. 320-324) 273
Expositio (nn. 727-733) 274

LECTIO V (43ª). *De his quae sapientiae adiunguntur* seu — de *Ratione, de Veritate et de Fide.*
Textus (nn. 325-329) 276
Expositio (nn. 734-740) 277

CAPUT VIII.

De Virtute, Iustitia, Salvatione, Liberatione, in quo et de Inaequalitate.

LECTIO I (44ª). *Quomodo virtus accipiatur in Deo et de infinitate eius.*
Textus (nn. 330-334). 280
Expositio (nn. 741-751) 281

LECTIO II (45ª). *De processu divinae virtutis ad entia in speciali.*
Textus (nn. 335-338) 284
Expositio (nn. 752-762) 285

LECTIO III (46ª). *Quare dicatur quod Deus aliquid non potest.*
Textus (nn. 339-343) 287
Expositio (nn. 763-770) 288

LECTIO IV (47ª). *De Iustitia Dei.*
Textus (nn. 344-350) . 290
Expositio (nn. 771-783) 291

LECTIO V (48ª). *De effectibus divinae Iustitiae: de Salvatione, de Liberatione, de Inaequalitate.*
Textus (nn. 351-356) 294
Expositio (nn. 784-796) 295

CAPUT IX.

De Parvo, Magno, Eodem, Altero, Simili, Dissimili, Statione, Sessione, Motu, Aequalitate.

pag.

LECTIO I (49ª). *De Magno et Parvo; secundum quam rationem de Deo dicantur.*
Textus (nn. 357-365) 298
Expositio (nn. 797-812) 300

LECTIO II (50ª). *De Eodem et Altero, quomodo Deo attribuantur.*
Textus (nn. 366-372) 304
Expositio (nn. 813-827) 305

pag.

LECTIO III (51ª). *De Simili et Dissimili, quomodo Deo attribuantur.*
Textus (nn. 373-376) 310
Expositio (nn. 828-834) 311

LECTIO IV (52ª). *De Statione et Sessione; de motu; de aequalitate quomodo Deo attribuantur.*
Textus (nn. 377-383) 314
Expositio (nn. 835-846) 315

CAPUT X.

De Omnipotente; Vetere dierum; in quo et de Aevo et de Tempore.

LECTIO I (53ª). *Quomodo Deus dicatur Omnipotens.*
Textus (nn. 384-387) 319
Expositio (nn. 847-858) 320

LECTIO II (54ª). *Quare Deus dicatur Antiquus dierum.*
Textus (nn. 388-391) 323
Expositio (nn. 859-864) 324

LECTIO III (55ª). *De Aevo et Tempore.*
Textus (nn. 392-398) 326
Expositio (nn. 865-875) 327

CAPUT XI.

De Pace; et quid vult per se esse; quae per se vita; et quae per se virtus; et quae ita dicuntur.

LECTIO I (56ª). *De divina Pace et de eius Causalitate in communi.*
Textus (nn. 399-404) 329
Expositio (nn. 876-892) 330

LECTIO II (57ª). *De Causalitate divinae Pacis in speciali.*
Textus (nn. 405-413) 333
Expositio (nn. 893-912) 334

LECTIO III (58ª). *Excluduntur obiectiones quaedam et determinatur de Pace facta per Christi Incarnationem.*
Textus (nn. 414-420) 340
Expositio (nn. 913-924) 341

LECTIO IV (59ª). *De divinis perfectionibus secundum quod per se in abstracto considerantur.*
Textus (nn. 421-426) 344
Expositio (nn. 925-938) 345

CAPUT XII.

De Sancto Sanctorum; Rege regum; Domino dominorum; Deo deorum.

LECTIO UN. (60ª). *Exponuntur nomina quae designant rerum gubernationem.*
Textus (nn. 427-434) 352
Expositio (nn. 939-956) 354

CAPUT XIII.

De Perfecto et Uno.

LECTIO I (61ª). *Exponuntur nomina quae pertinent ad Providentiae finem et primo determinatur de Perfecto.*
Textus (nn. 435-438) 358
Expositio (nn. 957-968) 359

LECTIO II (62ª). *Ostendit Causalitatem Unius in communi.*
Textus (nn. 439-446) 362
Expositio (nn. 969-981) 363

pag.

LECTIO III (63ª). *Quomodo Unum Deo attribuatur.*
Textus (nn. 447-452) 366
Expositio (nn. 982-996) 367

pag.

LECTIO IV (64ª). *Epilogat ea quae in hoc libro sunt dicta.*
Textus (nn. 453-457) 371
Expositio (nn. 997-1007) 372
Conclusio Sancti Thomae 373

Procli Diadochi *de malorum subsistentia* 375
Index locorum S. Scripturae 408
Index auctoritatum 410
Index ramentorum 411
Index personarum 413
Index elementorum 414

EIUSDEM EDITORIS

A SANCTO THOMA IOANNIS, O. P.

CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS

secundum exactam, veram, genuinam Aristotelis et Doctoris Angelici mentem. Nova editio cura et studio R. P. REISER O. S. B., in Collegio Sancti Anselmi de Urbe Philosophiae Professoris; 3 vol., in-4 parvo:

Vol. I. **Ars Logica,** seu **De Forma et Materia ratiocinandi.** ed. II. 1949, charta manu-machina solidissima, pag. XLVIII-840.

Vol. II. **Philosophiae Naturalis,** Pars I: **De Ente Mobili in Communi** — Pars III: **De Ente Mobili Corruptibili.** ed. II. 1949, charta manu-machina solidissima, pag. XX-888.

Vol. III. **Philosophiae Naturalis,** Pars IV et ult.: **De Ente Mobili animato.** — Indices totius operis: **Index biblicus, Index aristotelicus duplex, Index thomisticus duplex, Index personarum, Index rerum.** ed. II. 1949, charta manu-machina solidissima, pag. XVI-622.

AERTNYS-DAMEN.

THEOLOGIA MORALIS

secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio

Doct. Ecclesiae. Auctore I. Aertnys, C. SS. R., S. Theol. Mor. in Collegio Wittemiensi olim Professore, quam ex integro recognovit, auxit atque ad Cod. Iuris Can. accommodavit C. A. Damen, C. SS. R., Iuris Can. Doctor atque in Athenaeo Pontificio de Propaganda Fide Theologiae Moralis Professor. 2 vol. in-4, editio 16ª, 8ª post Codicem I. C. 1950, pag. XLVIII-900, IV-892

Opus hoc a celebri moralista batavo, Iosepho Aertnys C. SS. R., olim exaratum atque eo vivente octies publicatum, nunc septima vice editur cura Cornelii Damen, sodalis eiusdem Congr. SS. Red., atque ultra viginti annos Theologiae Moralis Professoris in Pont. Athenaeo Urbaniano de Propaganda Fide.

Huic novae editioni non solum cuncta Acta quae inde ab ultima editione (anno 1944) a S. Sede emanarunt debitis locis inserta sunt, verum etiam complura de novo adiecta, alia magis expolita inveniuntur.

Inter nova veniunt: amplus conspectus historicus Theologiae Moralis loco brevissimi illius qui in anterioribus editionibus habebatur; integer articulus de Actione Catholica; varia Scholia sat diffusa, velut de laesione animalium, de frequenti venialium confessione, de periculis radiophoniae, de candidatis ad statum clericalem. Inter magis expolita notantur ea quae traduntur de lege poenali, operibus servilibus, sterilizatione, bello, jejunio, finibus matrimonii, consensu matrimoniali conditionato, impedimento mixtae religionis.

Quod ad apparatum externum attinet, editio optime praesentatur.

Hisce attentis opus hoc, jam diu ob securitatem, claritatem copiamque doctrinae atque ob spiritum suum pastoralem cunctis bene visum, excellentem locum inter opera huius generis retinere videtur, ita ut tam Professoribus et alumnis velut textus scholasticus, quam omnibus sacerdotibus, animarum praesertim curae deditis, velut liber argumento materiaque locuples et fide dignus, consultandi gratia perpetuo, et raro frustra, volvendus, omnino commendari possit.

Copyright (1950) Marietti Editori Ltd. - *Printed in Italy.*

Stabilimento Grafico Marietti - Via Legnano, 23 - Torino
Finito di stampare in Giugno
1950